





CAMALDULI. MAIORIS. EREMUS. ET. MONASTERIUM.

ANNALES CAMALDULENSES ORDINIS SANCTI BENEDICTI

Quibus plura interseruntur tum ceteras Italico-monasticas res, tum historiam Ecclesiasticam remque Diplomaticam illustrantia.

D. JOHANNE-BENEDICTO MITTARELLI
& D. ANSELMO COSTADONI

Presbyteris & monachis e Congregatione Camaldulensi Auctoribus.

TOMUS PRIMUS

Complectens res gestas ab anno Christi D.CCCC.VII. ad annum M.XXVI.

Ad fidem MONUMENTORUM & VETERUM CHARTARUM, quæ APPENDICEM constituunt.



VENETIIS, MDCCLV.

Ære Monasterii Sancti MICHAELIS DE MURIANO.

Prostant apud Jo: BAPTISTAM PASQUALI.

SUPERIORUM VENIA ET PRIVILEGIO.

FRANCISCO·LAURETANO
INCLYTO·DUCI
ET
AMPLISSIMO
SENATORUM·ORDINI
VENETÆ·REIPUBLICÆ
SAPIENTIA·ÆQUITATE·PRUDENTIA
SPECTATISSIMIS
SCIENTIARUM.BONARUMQUE.ARTIUM
PATRONIS.ET.CULTORIBUS

Johannes-Benedictus Mittarelli, & Anselmus Costadoni Presbyteri & Monachi Camaldulenses.



IMMORTALES providissimo Numini referantur gratiæ, quod bene factum fuerit cum Augusta & Incomparabili PATRIA ac REPUBLICA VESTRA, SERENISSIME DUX, AMPLISSIME SENATUS, ut a jactis fortunatissimæ Ur-

*

bis

bis fundamentis viros Sanctitate, Prudentia, rerumque cognitione ſpectatiſſimos ſuo ſemper in ſinu, amplexuque aluerit, Cives bello paceque, domi & foris celebratiſſimos, ſcriptores in artibus, ſcientiis, omnibusque doctrinis eximios, atque, ut paucis dicamus, viros Hominibus cariſſimos, Muſis, Diisque. Norunt id omnes: atque hæc Majorum Veſtrorum fama cum in omne tempus apud exteras nationes omnium ore atque opinione percrebuiſſet, certe poſtremis hiſce diebus non humano conſilio, ſed prope divinitus factum eſt, ut Senatorii nominis viri dignitate, prudentia, omnique eruditionis genere cumulatiſſimi magis magisque Veſtræ laudi exiſtimationique inſervirent, qui Eccleſiaſticam, Civilem, atque Literariam Hiſtoriam elucubrantes, dum glorioſa quædam, quibus tenebras prima offundebat antiquitas, in ore atque oculis omnium defigunt, quædam quoque alia vulgata fulgidiori luce perfundunt, præclariorem honoris celebritatem ſibi ſuisque vindicarunt. Inſignia hæc Venetorum monumenta cum per manus tradita, tum etiam in egregiis Optimatum iſtorum operibus illuſtrata efferventiore animi noſtri gaudio excipientes, vividis adeo exemplis invitati, præſumimus & nos æternæ Urbis hujus ſplendori, ac pervagatæ Reipublicæ gloriæ facem aliquam pro virili parte addere, & obtutuum Veſtrorum ampliſſimæ dignitati, INCLYTE DUX, SENATORES SAPIENTISSIMI, hocce, qualecumque eſt, Annalium Camaldulenſium opus ſubjicere, ac in ipſorum fronte Auguſtiſſimum nominis Veſtri inſigne ſtatuere. Quod eo præfidentius audemus, tum quia probe novimus neminem Patriæ ſuæ natum non eſſe, eidemque Patriæ referri debere civis uniuscujusque labores; tum maxime quia geſtit & gloriatur humilis congregatio noſtra Camaldulenſis in feliciſſimæ hujus Urbis æſtuariis & inſulis origines ſuas primas traxiſſe, eique vix naſcenti ſuum dediſſe nomen

Pa-

Patritios viros omnium ore celebratiſſimos , qui vitæ ſanctimonia æternam ſibi famam peperere . Inter quos jure primas tenet Petrus Urſeolus , rebus geſtis in Ducatu Magnus , in monachatu Sanctiſſimus , qui abdicato Patriæ Reipublicæ principatu , cum Johanne Gradonico & Johanne Mauroceno electiſſimis ac piiſſimis viris , in Aquitanicas Cuxanenſis monaſterii ſolitudines concedens , ita ad mortem usque , ſancti abbatis Romualdi parentis noſtri diſciplinæ ſeſe totum dedit , ut a Deo quidem æternam coronam , ab hominibus vero Cœlitum honores , non ita multo poſt obitum , ſuper ejusdem cœnobii aras promereret , ac tandem noſtra hac ætate , ſedulis apud Apoſtolicam Sedem Veſtris agentibus officiis , non tantum in Veneta ditione , & in omni Benedictino Ordine, ſed in toto Eccleſiaſtico Orbe amplioris & honorificentioris cultus obſequia conſequeretur . Sanctum Bononium abbatem , Ægypti mox Apoſtolum , & alios atque alios ſanctiſſimos monachos a longinquis usque provinciis in has inſulas , cum a Romualdo , tum ab ejus diſcipulis inhabitatas advectos taciti prætermittimus.

Accedit altera magnifacienda lætitiæ & gloriæ noſtræ ratio , quod monaſterium hocce ſancti Michaelis ampla ſemper benignitatis & munificentiæ Veſtræ teſtimonia retulerit , validiſſimoque fuerit patrocinio Veſtro donatum . Abbatiales honores eidem loco collatos , urgentiſſimas epiſtolas , quas ad Legatos Veſtros apud Romanam Sedem impenſo ardentiſſimoque ſtudio ſcripſiſtis, ne in Commendatariorum manus deveniret , operam Veſtram , ut congregatio monachorum Camaldulenſium ſancti Michaelis efformaretur , qui locus caput & origo etiam declararetur ejusdem monaſtici cœtus , & omnia & longe plura , quæ ſingulari ſollicitudini & clementiæ Veſtræ debentur , noſtratium mentibus alte defixa , nulla umquam

 poſte-

poſteritas conticeſcet . Ingrati etiam vel immemores audiremus , ſi premerentur ſilentio , quæ & quanta contuliſtis beneficia & decora præſulibus noſtris ; iis omnibus ad multum tempus ex Patritio ordine Veſtro aſſumptis , virtute etiam , ſapientia , pietate ſpectatiſſimis . Quamobrem heic loci percommode cadit Paulli Venerii abbatis meminiſſe , cujus an morum innocentia præpolluerit , vel profunda doctrina , & notiſſima prudentia , adhuc parum perſpectum & exploratum habemus . Hunc ſane novis regularis diſciplinæ incrementis Majores Veſtri quam qui maxime intenti , virorum , alterius etiam congregationis , & ſacrarum quoque virginum , in Dominio Veſtro degentium monaſteriorum Reformatorem, & Viſitatorem honorifico decreto ſtatuerunt eo ipſo tempore , quo ejus induſtria ac labore & Romani Pontifices in graviſſimis magnique momenti negotiis ſæpe ſæpius uti conſuevere . Quid Maphæum Gherardum Venerii in Abbatiali regimine ſucceſſorem , & ex Abbate Venetiarum Patriarcham ab Senatu iſto prudentiſſimo electum memorabimus , qui ab Innocentio VIII. Rom. Pont. in ſacrum Cardinalium collegium cooptatus , præterea a multis ad univerſalis Eccleſiæ clavum tenendum poſtulabatur ? uſque eo inculpata vivendi ratio, ſuique animi integritas oculos, votaque bonorum in ipſum rapuerant . Præclarum etiam atque amplum nobis erit enumerare alios magni nominis viros , qui huic monaſterio plurimum laudis addidere , Petrum Donatum & Ludovicum ejus fratrem , Hermolai magnanimi Senatoris filios , quorum primus in Gherardi Abbatis locum ſuffectus fuit , ipſorum vero utriusque ſapientiam, prudentiam, & in rebus gerendis ſingularem ſolertiam Patres Veſtri demirati ſunt . Nec obliviſci laudis domeſticæ nos ſinit Petrus Delphinus , qui , Petro Donato ad Claſſenſem ſancti Apollinaris , quam opera Veſtra a Commendatariis redemerat,

merat,

merat , Abbatiam provecto , subrogatus fuit , ac regiminis habenas vix dum moderandas suscipiens ad supremum etiam congregationis officium , floridiore adhuc ætate , invitus accessit , ac ita accessit , ut difficillimis temporibus ad quadraginta annos , operosis distentus negotiis , gravissimisque curis defatigatus , ad ultimum , summa senectute , concupitam cœnobii hujusce sui solitudinem , Deo & sibi soli vacaturus , repeteret . At quam frequens illi semper intercesserit necessitudo , ac epistolare commercium cum Principibus , Cardinalibus , ipsisque Romanis Pontificibus , quibus omnibus erat jucundissimus , ex ipsius Latinis literis prælo editis , neque passim visis ob insignem raritatem , facile colligitur . Quid quod Petrus magna animi moderatione Romanam Purpuram sit deprecatus ? Neque illud profecto prætereundum erit , celeberrimum Ducem LEONARDUM LAURETANUM, qui præclarum fuit nobilissimæ familiæ Vestræ , DUX SERENISSIME , ornamentum , Senatum etiam publica & gravia negotia huic egregio viro pluries demandasse ; assuetoque a teneris annis Delphino cum ipso Duce , & cum Petro Baroccio episcopo Bellunense , inde Patavino , mirum sane , quanto tres hi summi viri amoris , societatisque vinculo colligarentur . Eidem Petro Delphino majorem congregationis præfecturam gerenti fauste , feliciterque contigit in monachum & eremitam Camaldulensem excipere Vincentium Quirinum , Petrum inde appellatum ; quem cum paullo post Leo X. Medices Rom. Pont. meritorum illius æquissimus æstimator S. R. E. Cardinalem designaret , hunc pro virili parte honoribus repugnantem suspexit , atque ægre tulit eum brevi dierum curriculo ætate adhuc florentem prænaturæ morti concessisse . Apud omnes fere Europæ principes Legationibus Patriis functus antea fuerat Vincentius , in quo miræ morum suavi-

tati

tati, atque integerrimæ vitæ non vulgaris ſapientia, & in rebus tractandis peritia accedere videbantur. Quirino & alteri ejus ſocio Hieronymo Georgio ſtimulos ad monaſticum inſtitutum capeſſendum cum exemplo ſuo, tum repetitis epiſtolis beatus Paullus Juſtinianus præbuerat, qui ſcriptis æque ac vita clariſſimus, celebris piiſſimæque congregationis eremitarum Montis-Coronæ fuit auctor; quæ congregatio in Italia primum, ad Germaniæ inde, Hungariæ, & Poloniæ regna radices ſuas longe lateque protendens, viros innocentia morum probatiſſimos ex ea die ubique protulit.

Quæ cum ita ſint, quid eſt, cur Annales hi Vobis potiſſimum non debeantur, Summe Dux, Senatores Præstantissimi? in quibus ſæpe ſæpius conſtans Majorum Veſtrorum pietas memoratur, qui vitæ commodis, atque omnibus honoribus poſthabitis, totos ſe in humili monaſticæ vitæ ſtatu excolendo collocarunt? Quod ſi laudatis hactenus, & Paullo Canalio præterea, Johanni-Mariæ Memo, Benedicto Æmiliano, Petro & Dominico Boldoniis, tum etiam Benedicto & Leonardo Zane, Johanni-Petro Cornelio, Octaviano Battaleæ, aliiſque compluribus Patritii ordinis Veſtri, qui omnes doctrina, & integritate vitæ in hoc uno ſancti Michaelis monaſterio floruere, accederet inſuper non levis ſcriptorum numerus, & copia piorum aſcetarum & præſulum, qui ex honeſtiſſimis civium Veſtrorum familiis prodiere, & quorum officiis aliquando vigilantiſſimus Proviſorum publicæ Salutis Magiſtratus teterrimæ peſtis tempore plurimum uſus fuit, aliis vero temporibus etiam ſuprema Veſtra Conſilia uti maluere; ſi eorum quoque cenſus ageretur, qui in Montis-Coronæ eremis vitæ ſanctitate omnium opinione celebratiſſimi fuerunt, Nicolai nimirum & Bonifacii ex Triviſanea gente, Liberalis & Titi ex

Ze-

Zena familia , Petri Sanuti , Benigni Fuſcareni , Andreæ Mocenici , Alexii Baroccii , Liberalis Piſauri , Franciſci Barbadici , Roberti Contareni , Alexii Martinenghii , & bene multorum aliorum , narrationem nimis longam , neque ad id loci ac temporis ſatis compoſitam inſtitueremus . Jure tamen crimini verti nobis poſſet , ſi , ut par eſt , peculiari laude , ac ſua maxime propria non proſequeremur BENEDICTUM LAURETANUM ex antiquiſſima, & ab hominum memoria percelebri ſtirpe Veſtra, DUX SERENISSIME, prognatum , qui a Coronenſibus ſolitudinibus , quas adeo ſancte incolebat , ad Corcyræ-Melenæ Epiſcopales infulas vi tractus , ſuaves fragrantesque virtutum odores efflavit , atque cœleſtem beatitatem , non deficientibus ſignorum & prodigiorum teſtimoniis , fuit conſecutus .

Quam ob rem , DUX SERENISSIME , AMPLISSIME SENATUS , in eam fiduciam erigimur , ut & hæc memorabilia civium Veſtrorum ornamenta , quæ horum Annalium decurſu locum ſibi vindicabunt , & honorificentiſſima illa ac perampla teſtimonia , quæ legimus in Hiſtoria Eccleſiaſtica , Civili , & Literaria ab ornatiſſimis , & ſummis Patritiis Senatorii generis hodie florentibus publico bono propoſita , viciſſim mutua luce ſplendeſcant . Nobis autem ipſis plaudimus , magnaque animi lætitia perfundimur , quod degentes ſub clementiſſimis, prudentiſſimisque legibus Reipublicæ illius , cujus ad floridiorem incolumitatem , atque ad ſubditorum ſuorum felicitatem maxime intereſt nedum artium , ſcientiarumque uſus & progreſſus , ſed cultus quoque , & favor politioris literaturæ, inſigni, memorando, ac numquam ex animis noſtris delendo ornamento Auguſti , Immortalis, & Incomparabilis nominis Veſtri decorata fuerint prima Annalium noſtrorum folia ; eaque opportunitate fecerimus ſatis tum ferventiſſimo ſtudio , tum impen-

pen-

penso illi obsequio, quibus sumus vehementer adstricti & affecti erga Patriam, & ejusdem Principem optimum, laborum nostrorum sapientissimum Judicem, potentissimumque Patronum.





IN TOMUM PRIMUM
ANNALIUM CAMALDULENSIUM
PRÆFATIO.



UOD jamdudum expetiit [a] doctissimus æque & pientissimus Annalium ordinis sancti BENEDICTI parens Johannes Mabillonius, cum in elaboratissimo eo opere propius accessit ad tempora illa, quibus in multas congregationes dividi cœpit unus & idem beatissimi legislatoris nostri Benedicti ordo, ut alumni scilicet uniuscujusque monastici cœtus suæ adornandæ, vel in Annales distribuendæ historiæ operam deinceps navarent, parce admodum in percrescentis molis immensa exuberantia tractaturus ipse res peculiariter gestas ab auctoribus prænobilium surculorum Benedictini stipitis, & ab eorum sectatoribus, hoc exequitur primum & ante ceteras CAMALDULENSIS congregatio, omnium tempore si Cluniacensis excipiatur, antesignana, historiam propriam suis annis consignatam, in Benedictinorum Annalium sequelam, publicam lucem aspicere jubens, & nobis, licet arduo oneri subeundo imparibus, nostrarumque imbecillium facultatum probe consciis, demandans hujuscemodi honestissimam provinciam.

a T. IV. pag. 339.

NULLUM vero moveat in ipso limine, quod manum propterea operi admoventes, Annales nostros appellare maluerimus CAMALDULENSES, cum tamen Camaldulense nomen integro seculo posterius sit Romualdi ortu, a quo nihilominus historiam nostram auspicamur, immo duo dumtaxat post secula ab ejus natalitio anno invaluerit Camaldulensis congregationis denominatio, cujus facta in hocce opere prosequimur; eo scilicet anno primitus auditum fuit Camaldulense nomen, cum Romualdus eremum excitavit in campo Malduli, qui erat in fastigio montis Apennini Arretini territorii; is est annus Domini M.XII. Denominatio pariter Camaldulensis instituti, licet, ut videbimus, congregatio Camaldulensis antiquiores origines habeat, exordium sumpsit ab anno M.C.XIIII. quo Paschalis II. Romanus pontifex *unitatem conservari cupiens* suo *decreto* statuit, *ut*

I. Vindicatur titulus Annalium Camaldulensium.

congregationes diversæ, quæ in unam congregationem convenerant, *& loca plurima, quæ disciplinam unam, ordinem unum & unum regimen tamquam corde uno & una anima* continebant (*susceperant* autem *Camaldulensis eremi sive cœnobii disciplinam & ordinem*) *sub uno capite, idest sub uno priore Camaldulensis eremi, temporibus perpetuis permanerent.*

Litis omnis causa & materia tolleretur, si inscripti forent *Annales Romualdini*, ut parem inscriptionem *Romualdinæ historiæ* suæ præfixit Lucas Barcinonensis Camaldulensis eremita; alius etiam fusam adhibens paraphrasim, potuisset in fronte operis apponere hujusmodi titulum: *Annales vitæ sancti Romualdi, futuri inde Camaldulensis eremi fundatoris, ejusque discipulorum, una cum historia monasteriorum, quæ tum ab illo, tum ab istis reformata aut constructa, vel demum tempore progrediente eidem Camaldulensi eremo unita fuere.* Attamen libuit uno verbo ANNALES CAMALDULENSES nominare, quia fluxu temporis a nobiliore, quam mox innuimus, Camaldulensi eremo in Arretinis jugis sita, nomenclaturam mutuari elegerunt ea omnia monasteria & solitaria loca, quæ sub regula sancti Benedicti, & sub sancti Romualdi ductu, sive in melius restituta, sive de novo condita, aut disciplinam cœnobiticam aut eremiticam sectantia, eatenus vixerant & vivebant, illa insuper, quæ institutis ejusdem eremi tunc temporis & deinceps, vel pontificibus Romanis præcipientibus, vel sponte sua se addixere. Ea prorsus nil dissimili ratione, qua præclarissima & florentissima Cisterciensis congregatio a Cistercii celebratissimo cœnobio fuit denominata, licet sanctus Robertus abbas Tornodorum prius, tum Molismum, Cistercium denique incoluerit, a quo etiam cœnobio Romani præsulis imperio recedere compulsus, datis, ipso vivente, Cisterciensi familiæ abbatibus Alberico, & subinde Stephano, Molismum, ubi sancte obiit, redux fuerit. Quinimmo si ejusdem congregationis scriptoribus fas est hujus, ut ajunt, ordinis historiam exordiri ab eodem Roberto, quem jure optimo habent ut patrem, licet, dum in vivis ipse fuit, nondum in congregationem coaluissent Cistercienses cœnobitæ, id quod contigit dumtaxat sub sancto Bernardo Claræ-vallensi abbate, eccur nobis fas non erit Camaldulensem appellare historiam nostram, eam licet inchoemus a primis gestis Romualdi, post centum dumtaxat vitæ annos Camaldulensium parentis, sive Camalduli eremi, quod nullus dubitat, fundatoris? Ipsa Casinensis historia mutila & imperfecta esset, si ea non complecteretur, quæ a sancto patre Benedicto Sublaci, antequam Casinum montem conscenderet, acta fuere; & historia cujuslibet cœtus, qui a loco, non ab institutore, vocari consuevit, aliqua prorsus necesse est contineat, quæ præcesserint loci potioris denominantisque originem.

Multa in hanc rem exempla solide congessit domnus Guido Grandius abbas noster in suis dissertationibus Camaldulensibus [a]; canonicorum scilicet regularium Lateranensium, qui ab apostolis, vel a divo Augustino, vel moderatiores ipsorum ab institutione apud sanctam Mariam de Frisonaria agri Lucensis primordia sua repetunt, non ab introductione sub Alexandro II. Romano pontifice in basilicam Lateranensem, a qua tamen hausere nomen; Grandimontensium monachorum, quos licet efformaverit sanctus Stephanus in monte Mureto agri Lemovicensis, post ipsius nihilosecius obitum, Deo monente, in Grandimontensem locum, a quo deinceps accepta nomenclatura, primus transtulit Petrus Lemovicensis, Stephani successor; aliorum regularium canonicorum, qui vulgo Scopetini nominantur: hi enim a Stephano eorum auctore apud Eugubium

a *Dissert.* I. *cap.* 3.

in

in sancti Ambrosii cœnobio primum, inde in sanctæ Mariæ ad Rhenum, ac sanctissimi Salvatoris Bononiæ, demum apud sanctum Donatum de Scopeto, ex Ilicetana eremitarum sancti Augustini congregatione, collecti fuere; clericorum regularium Somaschæ a pago homonymo vocatorum, licet in urbibus Venetiarum, Bergomi & Mediolani collegia & orphanotrophia plura ante Somaschensem familiam excitasset beatus Hieronymus Æmilianus ipsorum institutor. Neque prætermittenda existimat idem Grandius domestica exempla, & observat nostram Camaldulensem congregationem titulo sancti Michaelis Muriani gaudere, eaque passim appellatione distingui, ut distinguitur congregatio monachorum sanctæ Justinæ Patavii, cum tamen nullus dixerit in eodem sancti Michaelis cœnobio deposita fuisse prima Camaldulensis instituti nostri semina, sicut in illo sanctæ Justinæ nemo certe affirmaverit jacta Benedictini vel Casinensis ordinis fundamenta; melius enim, immo vere, hæ dici debent Benedictini monastici instituti renovationes. Similiter eremitæ nostri Monte-coronenses, defuncto beato Paullo Justiniano eorum duce & magistro, eremum Montiscoronæ, eique monti subjectam abbatiam sancti Salvatoris de Monte-acuto obtinuerunt, quos tamen prius idem Paullus & ad sancti Hieronymi de Pascilupo & ad cryptas Massaccii congregaverat, quos insuper, dum viveret, in aliis Umbriæ & Apuliæ locis dilataverat, ut nos docet Lucas Romualdinæ historiæ auctor. Quidni ergo idem de Camaldulensibus dicendum? cum ipsa luce meridiana clarius sit sanctissimum eorum parentem Romualdum eremos & monasteria plurima excitasse, discipulos quoque sanctitate celebres & variarum gentium apostolos ac martyres præceptis suis informasse, priusquam Camaldulum se conferret, ubi postremis dumtaxat vitæ suæ annis eremum condidit, quæ ceteris ob bellorum & adversæ fortunæ clades collapsis, cum integra & florens permansisset, pristinæ insuper disciplinæ ac formæ tenacissima, & præ ceteris celeberrima, eligi pontificio præcepto meruit integro seculo a sui constructione aliarum omnium princeps & caput. Præsertim cum numquam cogitaverit Romualdus nomen indere ex loco alumnis suis, quos potius Perenses ex Pereo, virorum sanctorum domicilio, Parentinos & Sitrienses ex Parentio & Sitria, quæ loca diutius incoluit, Valle-castrenses ex Valle de Castro, in quo monasterio gloriosum futurum erat ipsius sepulcrum, denominare potuisset. Hæc magna ex parte a supralaudato Grandio exscripsimus, pro æqua vindicatione Camaldulensis tituli, quem statuimus in fronte Annalium nostrorum, a qua profecto dilucidatione vacaremus, si a nomine sancti institutoris cœtum nostrum appellare placuisset majoribus, eodem modo quo nulla lis intentatur Basilianis, Dominicanis, Franciscanis, qui historias suas auspicantur ab eorum sanctissimis fundatoribus, a quibus, ut ortum, ita fuere pariter denominationem sortiti.

II. Et alter: Ordinis sancti Benedicti.

MULTO minus negotium facessere nobis quis debet, quod Camaldulensibus Annalibus alterum titulum subjunxerimus ORDINIS SANCTI BENEDICTI. Id, præterquamquod constantissime asserunt illustriores hujus ordinis scriptores Heredia, Yepesius, Mabillonius, Martenius, satis perspicuum est congregationes omnes monasticas Occidentales, quocumque demum nomine vocitentur, quocumque tempore excitatæ fuerint, quemcumque denique vestium colorem usurpent, vel surculos esse Benedictinæ arboris, vel nos melius dixerimus ipsissimum corpus constituere Benedictini ordinis, cum eamdem regulam, institutum, spiritum, mores, finem omnes sectentur; neque hujus loci est aliqua uberius in idem argumentum disputare, cum nunc temporis res extra totius dubitationis aleam sit

posita; aliter deperditus modo esset ordo sancti Benedicti, quando pene omnia monasteria, quæ ipsius regulam profitentur, alicui congregationi addicta esse nullus inficietur, fateantur omnes.

III. Quæ complectatur Camaldulensis historia?

Quibus in antecessum monitis, nemo non intelligit, quæ demum gesta historica hi Annales nostri Camaldulenses sint complexuri; annum nimirum Romualdi natalitium, ipsius ad Deum conversionem, prima rudimenta vitæ solitariæ in Italia & in Galliis ab eo posita, historiam monasteriorum, quæ ipse ad normam Benedictinæ regulæ exegit, vel de novo construxit, cetera facta Romualdi, ejusque primorum discipulorum, Camaldulensis deinde eremi originem, donationes ipsi loco conscriptas, monasteriorum insuper, abbatiarum & ecclesiarum uniones cum eadem Camaldulensi eremo variis temporibus factas, horum demum a suis primordiis locorum, vel sub eremitica, vel sub monastica disciplina viventium, sive aggregationem suam præcipuæ Camaldulensi eremo detrectaverint, sive admiserint, illustrationem.

Nullus pariter mirabitur post ea, quæ eruditissime a Grandio collecta fuere in suis Camaldulensibus dissertationibus, præsertim in quarta, quæque clariorem lucem eo temporis acceptura erunt, cum suas antiquitates Avellanenses publici juris faciet domnus Maurus Sartius diligentissimus rerum veterum inquisitor & illustrator, ac monachus noster, si Annalibus Camaldulensibus adjungimus historiam Avellanitici instituti; immo etiam, licet parcius, aliqua interserimus de Pomposiana eremo, & de ceteris, Italiæ potissimum, solitariis locis, quibus, si forte præsentiam suam subduxit, saltem canones eremiticæ vitæ vel per se, vel per discipulos suos tradidit, aut certe proposuit, normaque fuit sanctissimus Romualdus. Ipse enim passim audit, ut magister præcipuus & fere novus hujus cœlestis doctrinæ. Hinc [a] *pius eremitarum pater* vocatur a Theodaldo episcopo Arretino; [b] *pater & doctor eremitarum* a chronographis San-benigniano & Besuensi; [c] *renovator normæ priscæ justitiæ in sexu utroque & ordine* ab auctore prologi in consuetudines Cluniacenses; [d] *conditor vivendi regulæ cunctis sectatoribus singularis*, hoc est solitariæ, *vitæ* a Damiano; [e] *sub monasticæ professionis titulo novo fervore multos discipulos suæ formæ sequaces habens* ab Anselmo Havelbergensi, postea Ravennate archiepiscopo; *collapsæ in Italia eremiticæ disciplinæ restitutor ac mirificus propagator* a Clemente VIII. Romano pontifice in canonizationis bulla, & in martyrologio Romano, quibus similia, & his majora succinere Baronius, Bellarminius, Bollandus, ut interim scriptores nostros prætermittamus, ne videamur testimoniis domesticis proficere.

a *Arch. Camald. Donat. anni* 1027.

b *Spicil. Dacher. N. E. T. II. pag.* 385.

c *Apud Hergot. Vet. discipl. monast. pag.* 37.

d *Vit. S. Rom. cap.* IX.

e *Spicil. Dacher. T. I. pag.* 168.

Illud tamen ingenue fatendum, summo historiæ nostræ detrimento, oblivione pene obruta jacere Romualdi facta. Si enim a Petro Damiano ejus vitæ scriptore post tria ab obitu sancti viri lustra percontemur, quæ fuerint a Romualdo excitata cœnobia & solitudines, sexdecim aut septemdecim tantum locorum apud præfatum auctorem memorata nomina reperimus; ea sunt solitudo Aquitanica vel Cuxanensis, monasterium Vergaretanum sancti Michaelis, eremus prius, & postea cœnobium sancti Adalberti in insula Pereo, monasteria Parentinum, Valle-castrense, Urbevetanum, prope Æsinum fluvium, juxta urbem Asculanam, non longe a Massiliano castro, in monte Petrano, Sitriense, duo quoque ancillarum Dei asceteria, unum prope Vallem de Castro, & in Valle-bona alterum, eremus Aquæ-bellæ, alia prope Montem-amiatum, & demum Camaldulensis, cum tamen a majoribus nostris per manus acceperimus centum & iis amplius, quo monasteria, quo eremos, Romualdum condidisse,

se, ut beatus Paullus Justinianus, Fortunius & Silvanus Ractius docuerunt, cum insuper testimonio Guidonis in præfatione ad consuetudines Cluniacenses, Romualdus [a] *effulserit præclarus in ædificatione multorum monasteriorum*; & cum demum ipsemet Damianus, quem remissius scripsisse de monasteriis a Romualdo erectis conquerimur, capite tamen XXXVII. ejusdem vitæ *tantum in sancti viri pectore faciendi fructus ardorem incanduisse* scribat, *ut effectis nunquam contentus, dum alia faceret, ad facienda mox alia properaret, adeout putaretur totum mundum in eremum velle convertere, & monachico ordini omnem populi multitudinem sociare*; capite XXXIX. in ipsa intentione Romualdi proficiscendi in Hungariam, *brevi tempore tria* ipsum afferat *constituisse monasteria*; & capite XLIX. denique adnotet sanctum virum plura mutasse loca, cujus rei caussam eam assignat, quia *ad venerabilem virum, ubicumque degeret, turba hominum pene innumerabilis concurrebat, & ratio poscebat, ut cum unius loci spatium plenum habitatoribus cerneret, illic priore constituto, ad replendum mox aliud festinaret*. Quare discipuli ipsius apud Sitriam collecti conquerebantur capite LXV. *Magister vides, quia nos, qui te sequimur, tanti jam sumus, quod hic congruenter habitare non possumus*; quæ verba simillima sunt, immo eadem cum aliis, quæ habentur capite LXIV. *fratres tanti erant, ut omnes illic habitare vix possent*. Ex quibus liquido colligitur Damianum non omnia, quæ ad Romualdum spectant, literis consignasse, sed [b] *quoddam breve*, ut non diffitetur, *commonitorium* fecisse, atque proinde longe plura de Romualdi factis adhuc in tenebris delitescere. Quod scimus, vivebant quidem ante Romualdi tempora eremitæ in Italia; sat erit pro multis in medium adducere Marinum in paludibus Venetis, & Venerium in collibus Tiburtinis, sed eremitas, qui solitariæ cœnobiticam sub obedientiæ ductu sociarent conversationem, nullos reperimus ante Romualdum, cui propterea verisimiliter tribuenda est institutio eorum monasteriorum, prope quæ ædificatas eremos, vel eremorum, quas juxta cœnobia conditas fuisse legimus ipsius ævo.

Nec reticendum non in sola Italia Romualdum, sed per totum Occidentem, eremitarum agnitum fuisse parentem. Notissima est familiaritas, quæ ipsum inter & Willelmum Divionensem abbatem cedebat. Ex hac profluxisse non incongrue credimus plurimos [c] ex Ravennate solo monachos, abbates & eremitas, relictis monasteriis suis, *& quiete solitudinis* ad eumdem sanctum abbatem Willelmum commigrasse, inter ceteros Johannem abbatem sancti Apollinaris in urbe Ravenna, Benedictum abbatem sancti Severi urbis Classis, & Johannem *eremi cultorem*, Johannellinum etiam appellatum a pusilla statura, Ravennatem patria, Divionensem monachum prius, tum Fiscamnensem abbatem constitutum ab eodem Willelmo, aliarumque bene multarum celeberrimum in Galliis & in Normannia abbatiarum fundatorem. Ea occasione ex Italia in Gallias commigraverit solitariæ vitæ institutum, cum in necrologiis San-benigniano & sancti Germani *reclusi* & *solitarii* monasterii sancti Benigni legantur. Omittimus semina solitariæ vitæ, quæ, ante vicennium a societate cum Willelmo, Romualdus in Catalaunia effuderat prope Cuxanense cœnobium. Novimus etiam Brunonem-bonifacium gloriosissimum martyrem, Romualdi discipulum in Pereo, archiepiscopum factum in Gentibus, monasterium construxisse in Saxonia; Johannem vero & Benedictum, ejusdem Perei primum eremitas, inde illustres martyres, solitarios recessus condidisse in Polonia; eosdem etiam, discipulorum suorum ope, nec non & asseclas itineris Romualdi, quando iter Pannoniam versus marty-

rii

[a] *Apud Hergot. ubi supra.*

[b] *In Prologo.*

[c] *Spicil. Dacher. T. II. pag.* 385.

rii cupidus sanctus vir suscepit, construxisse eremos in Polonia, in Hungaria & in Bohemia, propagatamque solitariam vitam in Pannonia per Andream & Benedictum Zoerardos. Ab iisdem quoque Johanne & Benedicto injunctum fuerat eorum nuncio, quem ad Romanam urbem transmiserant, [a] *ut aliquos secum de beati Romualdi fratribus duceret, qui eremiticæ conversationis gnari cum eis simul in Sclavorum partibus habitarent*. A vero forte non abluderet, qui Pulsanensium monachorum & eremitarum in Apulia cœtum propaginem diceret Marini olim *magistri*, inde *devoti* Romualdi, qui in Apuliam secesserat. Præterimus Romualdi discipulos, quos ad restitutionem disciplinæ in suum regale cœnobium [b] Hugo Farfensis abbas evocavit e monasterio Ravennate, inter quos celebratur [c] Johannes Romualdi discipulus, consuetudinum Cluniacensium collector & scriptor.

a *Vit. S. Rom. cap.* XXVIII.

b *Script. rer. Ital. Murat. T. II. P. II. col.* 547.

c *Ap. Hergot. pag.* 38.

IV. Ratio redditur hujus operis.

JAM vero accurata ratio reddenda operis nostri. Quibuslibet, quantum fas fuit, annis sua tribuimus, præsertim quæ vitam respiciunt sancti Romualdi; hæc quantis obscuritatibus & ambagibus sit circumvoluta, nullus est, qui nesciat, deficientibus potissimum aliunde externis subsidiis, quibus lux aliqua effulgeat caliginoso seculo decimo, quo vixit Romualdus, & iis, quæ brevi manu complexus est Damianus. Cetera omnia, ex quibus conficimus historiam nostram, veterum chartarum & monumentorum antiquorum fundamentis innixi in medium proferimus, quæ tamen documenta ad calcem cujusque tomi tamquam mantissam & appendicem amandamus, exemplum secuti Mabillonii, quem fuisse ducem, oculum, lucem nostram in omnibus libentissime & æquissime profitemur, ne si historiæ insererentur, prolixitate sua nimium fastidium lectoribus ingenerarent. Præter Camaldulenses res, attingimus illas quoque, quæ ad historiam spectant eorum monasteriorum, quæ subinde Camaldulensem disciplinam suscepere, horum narrationes ita cum Camaldulensibus narrationibus intexendo, [d] ut „ eamdem quodammodo compagem efficerent, & in „ unum veluti corpus coalescerent. “ Et duplex quidem via nobis parabatur ad cœnobiorum istorum illustrationem; poterant scilicet suis veris annis ante seculum duodecimum, cujus initio frequentissima fuit eorum monasteriorum accessio Camaldulensi eremo, assignari historiæ, donationes, privilegia illustrioraque gesta juxta annum illum, quem præferebant; vel altero modo per compendium origo, actaque omnia anteriora coacervari simul poterant & referri ad eum dumtaxat annum, quo facta fuit hujusmodi aggregatio. Utrumque suas habebat utilitates, & sua pariter incommoda. Sed demum consultius duximus sub suis legitimis & propriis, quibus contigere, annis, res historicas describere eorum monasteriorum, etiam antequam Camaldulensia evaderent, ita ut nimirum primo anno, quo in his Annalibus memoria occurreret alicujus monasterii, quod tempore progrediente Camaldulense factum fuit, de eo monasterio ageremus, immo ab altiore ipsius historia exordientes, quidquid tunc simul congereremus, quod notitiam etiam antiquiorem ejusque originem exhiberet. Sic exempli gratia anno *926.* quo prima in Annalibus nostris mentio necessario est facienda monasterii Classensis sancti Apollinaris, ad quod Romualdus pro culpa homicidii Sergii parentis eluenda confugiit, integram narrationem de eo monasterio instituimus, ipsius constructionem superioraque facta oculis legentium subjicientes; qua narratione sub uno intuitu variæ vices ejus cœnobii a sui ortu ad ea usque tempora describuntur, neque expositionem illam differendam censuimus ad annum 1138. quo Azoni priori generali Camaldulensi ad meliorem formam reducenda abbatia

d *Quirin. de Conscrib. Ital. monast. hist. pag.* 43.

tia Classensis a Gualterio archiepiscopo Ravennate fuit concessa. Sic deinceps quotiens post annum 926. alia occurrunt ad idem Classense coenobium pertinentia, ea sub suis propriis annis locavimus. Idem præstitum etiam de ceteris locis, licet eorum aliqua serius in congregationem nostram venerint, vel institutum & leges susceperint, vel Camaldulensibus fuerint tradita. Ut hanc potius viam iniremus, exemplum & in hoc nos impulit superius laudati Mabillonii, qui sub iis annis, quibus sanctus Benedictus Sublaci solitudinem incolebat, tractat „ [a] de rebus monasticis „ in Galliis crescentibus, & de monasteriis cum novis conditis, tum an„ tiquioribus auctis & amplificatis, quæ omnia, inquit, aut fere omnia „ in ordinem nostrum subinde commigrarunt, & de utrisque, subdit, an„ tiquis scilicet ac novis, quædam, ut in loco, hic præmittenda sunt, „ antequam ad prima ordinis nostri cunabula descendamus. " Tum Lociagensis coenobii & Majoris-monasterii apud Turonos a sancto Martino constructorum historiam, & ipsius Martini monasticam disciplinam tradit; inde insulæ Barbaræ, Athanacensis & Lirinensis coenobiorum origines, ac illustrium virorum gesta enarrat; sermonem etiam instituit de locis a Cæsario Arelatensi conditis, de cujus pariter regula loquitur, sicut de monasterio sancti Victoris apud Massiliam, & de Cassiano ejus conditore, de Jurensibus quoque, Condatescense, Lauconnense, Balmense, Agaunense & Tarnatense coenobiis, de aliis apud Æduos, de Miciacense & Lucullano apud Neapolim, ac de piis doctisque ascetis, qui in his floruere; & sic primum claudit Annalium suorum librum. In secundo vero, dum Benedictus in eadem solitudine Sublacensi duodecim condit monasteria, multa subjungit de Equitio abbate in Valeria provincia, & de Honorato abbate Fundense; monasticam quoque professionem in Africa recenset una cum vita sancti Fulgentii Ruspensis episcopi; tum initia docet monasteriorum Reomaensis, Divionensis, aliorumque Burgundiæ; inde origines elucidat sancti Germani Autissiodorensis, sancti Petri-vivi Senonensis, sancti Petri Ferrariensis, item sancti Petri Melundensis, sancti Michaelis Tornodorensis & beatæ Mariæ de Nigella. Dum Benedictus Casini moras trahit, plura habet in tertio de sancto Remigio Remensi episcopo, Remisque excitatis ab eo monasteriis; item de primis coenobiis in Hispania, de Aninsulensis loci ortu, deque aliis Gallicani regni. Libro quarto sermonem instituit de Cassiodorii secessu, ædificatisque ab eo monasteriis, pariter de Lemovicensibus, & Trevirensibus pluribusque aliis in Gallia, antequam numero XLV. legationem referat Cenomanensis episcopi ad sanctum Benedictum, qui Maurum illuc destinavit, Galliarum futurum deinde apostolum, & monasticæ Benedictinæ rei in illo regno primum invectorem eximiumque propagatorem: neque historias eorum monasteriorum differendas idem doctissimus Annalium Benedictinorum pater ad ea censet secula, quibus suprarelata monasteria regulam, institutionemque sancti Benedicti recepere. Ceterorum librorum Mabillonii ordinem, & oeconomiam consulto non expendimus; satis abunde ex iis, quæ proferimus, declaratum arbitramur, cur ipso præeunte primam viam decurrendam elegerimus, suis annis consignando monasteriorum res historicas, ipsorumque antiquiores origines, narrationibus iis minime reservatis ad ea tempora, quibus Camaldulensia evasere.

[a] *Annal.* T. I. *lib.* I.

Sed post eumdem Mabillonium enucleatius aperiendum, cur nos historiam conficientes horum monasteriorum, ad Camaldulenses Annales aliqua pertraxerimus, quæ, ut candide fateamur, stricte non spectant ad Camaldulensem congregationem, immo neque ad Romualdinam familiam?

Sci-

Scilicet illud conſecuti ſumus, ut ab ipſis incunabulis in proſpectu ponerentur origo, facies, avitus ſplendor, variique caſus eorum cœnobiorum, quæ poſt ſeculum, vel poſt duo, aut etiam poſt plura ſecula Camaldulenſis eremi & congregationis inſtitutis manus dedere; qua in re nullus nos jure carpſerit, cum liceat cuique primordia ſuorum locorum perquirere, primaſque tabulas & titulos rerum, quæ poſſidet, in medium proferre. Sic fas eſt Italis hiſtoriam regionis ſuæ concinnantibus veterum Pelaſgorum, Etruſcorum & Latinorum, qui primitivi fuere Italiæ populi; licet Francis antiquorum Gallorum, Germanis pariter priſcorum Teutonum; licet Anglis veterum Pittorum dominium & facta dilucidare; neque abſoluta erit Italiæ, Franciæ, Germaniæ & Angliæ deſcriptio, quæ ſilentio prætereat priſcorum populorum, qui antiquis temporibus ea regna incoluere, illuſtrationem. Ita licet hiſtoricis ordinum, quos vocant, Mendicantium, vel eorum cœtuum, qui regulares presbyteri & clerici dicuntur, exponere origines eorum locorum, quæ his poſtremis ſeculis ad habitandum ipſis tradita, vel monachos ſancti Benedicti, vel canonicos per plura ſecula aluerunt. Alterum inſuper accedit, quod niſi nos Camaldulenſes enarrationem priſcam complurium cœnobiorum, quæ obtinuimus, vel modo obtinemus, proſequamur (idem dicito de iis, quæ modo obtinent Caſinenſes ſeu congregationis ſanctæ Juſtinæ, Ciſtercienſes, Vallisumbroſani, Cœleſtini, Silveſtrini & Montis-oliveti monachi) quod niſi nos primordia exhibeamus propriorum locorum, quæ incolimus, nullus tamdem erit ordo monaſticus, qui eorum cœnobiorum eventus exponere jure poſſit aut debeat. Non Caſinenſes ſanctæ Juſtinæ monachi, nam ii congregationem ſuam initia habuiſſe in eo nominatiſſimo cœnobio poſt principium ſeculi XV. ingenue agnoſcunt; non ceteræ monaſticæ congregationes poſt eorum cœnobiorum conſtructiones exortæ, non Cluniacenſes, ut inſcite prætendunt plures, qui omnia vetera monaſteria Italica, inclareſcentibus ſanctis Odone, Majolo & Odilone, diſciplinam Cluniacenſem fuiſſe amplexa nullis fundamentis arbitrantur, de qua re aliquoties in Annalibus noſtris recurret ſermo; non denique aſcetæ illi, qui ea cœnobia olim inhabitarunt, cum proprie loquendo ii perierint, vel confuſi fuerint eo tempore, quo excitatæ fuere diſtinctæ congregationes, vel quo ſe alicui ipſarum congregationum adjunxere. Ubinam enim terrarum vis modo invenire monachos Claſſenſes, Avellanitas, Pratalienſes, Pompoſianos, Berardingos, Rotenſes, Silvæ-mundanos, Agnanienſes, Vangaticienſes & mille hujuſmodi, qui omnes regulam quidem divi Benedicti ſequentes magiſtram, ſuis tamen propriis ritibus, & municipalibus legibus ac conſuetudinibus vivebant, nullo fœdere inter ſe copulati? Illud ergo reliquum eſt, ut quis vel univerſalem monaſticam Italiæ, quæ eorum & aliorum ſine numero monaſteriorum geſta amplectatur, hiſtoriam conſcribendam ſuſcipiat, vel quælibet familia monaſtica ſui ſolius cœnobii facta illuſtret, ut propoſuit domnus Angelus-maria Quirinus doctiſſimus olim monachus, nunc inſuper S. R. E. cardinalis, & bibliothecarius ampliſſimus, Brixienſis epiſcopus, & non tantum Benedictini ac Eccleſiaſtici ordinis, ſed totius Europæ nobiliſſimum lumen & ornamentum in ſua *de conſcribenda Italiæ monaſtica hiſtoria* diſſertatione; vel demum quævis congregatio ſuorum cœnobiorum, quæ in præſentiarum poſſidet, vel antea poſſedit, ab origine narrationem inſtituat. Primum ægre admodum, & numquam forte obtinebitur ſaltem perfecte in maxima & immani rerum & locorum copia, cum videamus unius tantum monaſterii hiſtoriam uno ſpiſſo & juſtæ molis volumine vel pluribus comprehendi, ut patet de Caſinenſi archi-cœnobio

nobio ab abbate Erasmo Gattola, de Rhegiensi sancti Prosperi ab abbate Affarosio, de Padolirensi ab abbate Bacchinio, de cœnobio Montis-caveosi ab abbate Seraphino Tansio, de Monte-regalensi in Sicilia a Michaele del Giudice, de Septimiano extra Florentiam ab abbate Bacchetio, de Florentino sanctæ Mariæ a Puccinellio & a Galletto, de Passinianensi a Fidele Soldanio, & de eorum monasteriorum concinnatis historiis. Facilius itaque erit, ut unaquæque monastica congregatio origines, variosque casus & vices conscribat eorum monasteriorum, quæ intra limites sui ordinis, ut dicunt, continentur. Ita Casinensis, ita Cisterciensis, ita pariter ceteræ monasticæ Italiæ familiæ illustrissimas & copiosissimas conficient locorum, quæ obtinent, narrationes, ex quibus exsurget absolutissima & desideratissima Italico-monastica historia.

Præterea ita tulit rerum conditio, unum idemque monasterium uno seculo Benedictinos, quos nigros vocant, aluisse, altero Vallumbrosanos, vel Cistercienses, vel Olivetanos, demum in Camaldulenses recidisse, & vicissim; pariter quæ olim origine vel possessione fuere Camaldulensia, alios subinde vel monachos, vel regulares cœtus suscepisse. Plura monialibus pulsis, Camaldulensibus regenda data fuere, pleraque antiquitus, pleraque recens disciplinæ Camaldulensis eremi se subdidere, aliqua jugum excussere, nonnulla ex ipsis temporis progressu commendatariis paruere, vel principibus aut equestribus ordinibus, aut episcopalibus mensis fuere adjudicata. Alia etiam canonicorum regularium olim domicilia innovata in moribus reperimus per Camaldulenses, sicut, quæ olim Camaldulensia, per alios religiosos viros meliorem institutionem recepere. Quapropter notari minime reformidamus, si nonnulla a rebus nostris sensu aliquo aliena quandoque in Camaldulenses annales irrepant, cum aliena ea non sint a Benedictino Italico ordine, & ad historiam certissime pertineant eorum monasteriorum, quæ vel olim Camaldulensia fuerunt, vel talia subinde evasere. Quo consilio illud imprimis obtinemus, ut Italici monachismi historia, quam, ut animadvertit laudatus doctissimus cardinalis, [a] perfunctorie attigit Mabillonius de Gallicanis, Germanicis, Anglicanis præsertim, vel etiam de celebrioribus dumtaxat Italicis monasteriis sollicitus, immo ut hæc nostra, quæ non infima pars est ejusdem Italicæ monasticæ historiæ, eidem Mabillonio ceterisque collectoribus fere incognita, & de qua nullum vel pene nullum vestigium in aliis auctoribus invenitur, pauca si excipiantur notiora monasteria, Classense, Vangaticiense & Avellanense, de quibus aliqua dicunt, in pleniorem lucem proferatur, & accessio non ignobilis evadat Benedictinorum ejusdem Mabillonii Annalium.

a *De conscrib. Ital. mon. hist. pag.* 13.

Hoc tamen prudenter cavemus, ne nimium diffluamus in historia eorum temporum, quibus monasteria illa nondum Camaldulensi familiæ nomen dederant, vel desierant esse Camaldulensia. Eas potissimum notitias eligimus, quæ vel monasticam universalem historiam collustrant, vel quæ aliunde expiscari nequeunt, vel quæ demum loca illa celebriter insigniunt. Pomposianos sub Martino, Willelmo & Guidone abbatibus disciplina & usibus conjunctos cum Romualdo ejusque asseclis videbimus, parce tamen de Pomposianis disserimus. Majora inteximus de Avellanitis, qui potiori jure Romualdinis queunt accenseri, præsertim cum priscis temporibus ex eodem fonte bibisse utrorumque monasteria videantur, tanta siquidem fuit communicatio inter utramque familiam, & analogia instituti, consuetudinum & legum; & cum sequentibus temporibus, duobus scilicet ab hinc seculis, suppressa Avellanitica familia, in jus & in hæreditatem Camaldulensium transierint Avellanensium monasteria. Plura dicimus de Clas-

sensibus sancti Apollinaris & sancti Severi, de Adalbertinis in insula Perei, de Valle-castrensibus, Prataliensibus, Vangaticiensibus, Berardingis &c. qui vel ad Romualdi leges etiam separati vivebant, vel subdentes se ejus institutis in unum corpus tandem coaluere, vel cum Camaldulensibus monasteriis uniti fuere. Quæ ideo proloquimur, ne ullus nos aliquando objurget alienis narrationibus infarcivisse Annales nostros.

In multa nihilosecius ubertate chartarum, ex quibus præsertim coalescit historia nostra, dolendum priscos patres nostros, ceterosque nostrorum locorum monachos privilegiis & contractibus servandis apprime attentos, vel etiam, ut ait Mabillonius, [a] facere optima, quam scribere magis sollicitos, parvam vel nullam navasse operam, ut gesta Sanctorum & piorum virorum, qui inter ipsos floruerunt, literis commendarentur, vel si literis commendata fuere, ea miserandum in modum periisse. Hoc præcipue evenisse agnoscimus in veteribus eremitis Camalduli, de quorum sanctitate, pia in Deum contemplatione, & perenni orationis ac pœnitentiarum exercitiis minime dubitandum est, cum plenissima ab hominum consortio separatio, sedula regularum & consuetudinum observatio, ac miraculosa & perennia prodigia ad eorum tumulos contingentia, hæc suadere & exigere videantur. Nil tamen de ipsis mandatum fuit posteritati, & in occulto jacent ad hanc diem eorum acta. Nisi obiter de Martino eremita Camaldulensi scripsisset Petrus Damianus [b] ipsum fuisse *jugis orationis, & irriguo lacrymarum fonte clarum, magnæ insuper opinionis virum ac celebris famæ*, sileret omnino de ipso Camaldulensis historia. A veteribus patribus morem hunc didicerunt etiam recentiores eremitæ; scilicet inter ipsos vixerunt & vivunt postremis & nostris temporibus viri summa laude digni, & pietatis operibus ornatissimi, quorum tamen actiones sub modio summæ humilitatis absconduntur. Idipsum asserere possumus de aliis congregationibus eremitarum nostrorum, qui abstinentiores, quam par erat, occultare maluerunt, saltem præterito tempore, quæcumque sancta, quæcumque mirabilia per confratres suos operabatur Deus. Neque melior fuit monachorum Camaldulensium conditio. Berardingos & Rotenses monachos Camaldulenses scimus testimonio Adriani papæ IV. [c] in epistola ad Wilbaldum Stabulensem abbatem *in summa paupertate & rerum inopia ac sanctitate* vixisse, quos propterea illi commendat, ne ab exercitu Friderici I. imperatoris molestias patiantur. Idem dicendum de ceteris Camaldulensibus monachis seculorum XI. XII. & XIII. quorum rara ad nos pervenere pietatis monumenta, raræ insuper rerum gestarum & doctrinæ memoriæ. Latuit apud omnes veteres Johannis prioris Camaldulensis, inde S. R. E. cardinalis pietas & doctrina, quibus pro Innocentio papa II. contra schisma Petri-Leonis decertavit, & nonnisi a seculo cum dimidio in propatulo exposita fuere ejus, quam obtinuit, ecclesiastica dignitas, & zelus, quo dimicavit pro vero Romano pontifice. Nisi frequentes in archivis congregationis Vallis-umbrosanæ reperirentur delegationes factæ a Romanis pontificibus prioribus Camaldulensibus, ignorarentur ex Camaldulensibus tabulariis; idem fere dicendum de apostolicis executionibus, quæ commissæ fuere pluribus abbatibus Camaldulensibus, Classensibus nimirum, Pisanis, Valle-castrensibus, Venetis &c. Nulla apud nos viget memoria Camaldulenses aliquando Indiam orientalem penetrasse, ut evangelium in idololatram regionem inveherent; id tamen narratum reperimus a Honorio Philopono monacho Germano ordinis sancti Benedicti in sua *nova typis transacta navigatione novi orbis Indiæ Occidentalis*, edita anno 1621. in qua narrat: [d] anno 1604. Clementem octavum sum-

summum

a *Præf. T. I. Annal.*

b *Lib. VI. ep. xx. & Opusc. xxxiv. cap. 1.*

c *Ap. Marten. Thes. Novis. T. II. col. 589. ep. 427.*

d *Pag. 96.*

mum pontificem „ misisse auctoritate apostolica versus Indiam orientalem „ duos religiosissimos monachos sacerdotes ordinis sancti patris Benedicti „ congregationis Camaldulensis, qui Persiam & his vicinos Indos evange„ lica prædicatione informarunt : " De ipso parente nostro Romualdo quanta tenebris obruuntur ? In Venetis finibus atque in circumjacentibus regionibus, juxta receptam chronologiam, quadraginta & octo annis delituit, quidve egerit, quidve in eremitica propaganda vita tunc temporis profecerit, fere incompertum. Aliqua nos docuit Franciscus Barbaranus [a] in sua historia Vicentina. Quid in Galliis, quid in Histria, Dalmatiaque, quid in Camerinensi ducatu, quid in Thuscia & Æmilia, quid postremis vitæ annis peregerit, paucis, ut superius diximus, absolvit Petrus Damianus, qui summarie in scripta redegit notitias, quas ab egregiis ejus discipulis collegerat. Porro cum vita Romualdi post conversionem suam ad centum excreverit annos, post tria etiam lustra a sancto ejus obitu Damianus Romualdi vitam contexuerit, pauci admodum & fere nulli tunc supererant discipuli, qui oculis propriis beati viri gesta priora conspexerint; hi ad summum posteriores ejus actiones & extremas potuerunt videre. Testes ergo protulit Damianus, saltem quoad prima facta, de auditu, qui a magis veteranis Romualdi discipulis, vel ab ipsius Romualdi ore exceperint. Verumtamen novimus, [b] quantæ humilitatis vir fuerit Romualdus, quantum studuerit arcana regis silentio obtegere, ac quam sancte indignaretur, si miracula aliqua a se facta effunderentur in vulgus, vel si aliquo gratuito cœlesti munere ditatus agnosceretur, qui proinde non omnia a se patrata dixerit, & insuper vetaverit discipulis suis manifesta facere, quæ viderant aut audierant.

a *Lib. I. pag.* 155.

b *Vit. S. Rom. cap.* LI. *& cap.* LIX.

Mirari propterea desinent lectores, si in Annalibus Camaldulensibus ea non occurrunt portentosa, quæ passim leguntur in Actis Sanctorum a Mabillonio editis, si pariter sanctitatis, rerumque pro ecclesia gestarum honorifica testimonia frequentius non adducuntur, ut in iisdem Actis & in Annalibus Benedictinis, immo etiam in Annalibus ceterorum ordinum Mendicantium proferuntur. Id, qua ex causa proveniat, præmoniti jam sunt lectores. Quare, ut supra innuimus, historia nostra Camaldulensis, præter Romualdi ejusque discipulorum, præter Petri Damiani, Johannis Laudensis, ceterorumque celebrium Avellanitarum, præter etiam notioris nominis Sanctorum vitam, continet potissimum paginas & monumenta anecdota, quæ origines & progressus, variamque fortunam enuntiant insignium monasteriorum, privilegia a summis pontificibus & imperatoribus ac episcopis concessa, largitiones antistitum & piorum virorum, aggregationes & uniones ecclesiarum, consuetudines locorum & hujuscemodi, quæ proinde jure meliori appellari potest historia sacra & diplomatica Camaldulensis per annos distributa.

Minutiora, si quæ inserimus, ea chronologiam vel topographiam veterem juvant, vel certe antiquitate sua referri a nobis exigunt. Nam, ut supramemoratus cardinalis Quirinus, dum olim in minoribus constitutus [c] „ monasticis rebus Italiæ describendis destinatus cogitaret, non eas sibi „ tantum partes impositas, ut seu præpositorum seriem, seu piorum asce„ tarum res gestas, seu facta illa & eventa, quæ claustrorum angustiæ „ circumscripserunt, ad hominum notitiam literis commendata devenirent, „ sed magnopere etiam enitendum, censuit, ut monasticis scriniis sum„ ma diligentia excussis, in publicam lucem educeret omnia ea monu„ menta, quibus media ecclesiasticæ historiæ secula veluti novo eruditio„ nis lumine collustrarentur; atque ubi primum avidos oculos manusque

c *Pag.* 33.

„ rapaces in tabulariorum monasticorum arcas injecit, illico persensit „ materiem operis satis amplam suo proposito, atque conatui abunde „ respondere, qua videlicet non monastica tantum, sed publicæ etiam „ historiæ magna pars mirifice explicatur; addens etiam chartulas ipsas, „ quæ jejunæ omnino & miseræ videri possunt, quibus nempe privati „ contractus memoria, eaque implexis & squallidis verbis expressa conti- „ netur, chronologicæ rei adjuvandæ difficilioribusque ejus nodis dissolven- „ dis maxime inservire se comperiisse; " ita & nos in eadem navi positi, eamdemque decurrentes viam non diffitemur minuta quidem occurrere aliqua in Annálibus nostris, verum habenda apprime utilia arbitramur ea ipsa monumenta, quibus vel diœcesis, vel territorii alicujus chorographia illustratur, vel veteres ecclesiæ hactenus ignotæ deteguntur, vel Romanorum pontificum, imperatorum, regum, aliorumque principum temporariæ notæ consignantur. „ Omnis autem, [a] prosequitur nobilissimus au- „ ctor, eruditionis expers & prorsus inficetus habendus est ille, qui hu- „ jusmodi chronologicarum notarum usum non novit, quæ siquidem, „ quamvis minutæ & tenues appareant, frequenter ad maximas dirimen- „ das controversias unice faciunt. Indeque quorumdam factorum, de qui- „ bus non eruditi tantum, sed sacerdotium aliquando & imperium quasi „ pro aris & focis acerrime digladiantur, seu veritas, seu falsitas tam- „ quam Lydio lapide comprobatur. " Cavemus tamen, ut tantus auspex & doctor monet, ne nos [b] cœnobiorum nostrorum rebus illustrandis in- „ sudantes ita chronologica hujusmodi, aliaque ad publicam historiam „ spectantia veluti abripiant, ut expansis immenso pelago velis, litoris „ unde solvimus, riparumque, quas primum radere cœpimus, quodammodo „ obliti, non amplius noverimus constitutæ navigationis cursum modera- „ ri. " Quibus prudentissimis monitis & consiliis superaddimus temperaturos nos ab animadversionibus de diverso annorum supputandorum usu, de inchoatione multiplici indictionum, de variis notariorum & judicum appellationibus, de officiis primicerii, secundicerii, scriniarii, arcarii, dativi, scabini, de aldiis, aldionibus, de diversis pecuniarum generibus, de emphyteusis variis formis, de quibus omnibus multa verba non facimus, nisi quatenus, quæ proferimus, confirment, corroborent, elucident magis, quæ super his copiosissime & eruditissime sex tomis antiquitatum medii ævi Italiæ congessit doctissimus Muratorius. Sed brevibus observationibus in Annalibus nostris productis contenti, nudas, omnique ulteriori explicatione carentes chartas rejicimus ad Appendicem, tamquam testes, tabulas & fundamenta historiæ nostræ.

a *Pag.* 35.

b *Pag.* 36.

Supervacanee moneremus lectores, hujusmodi veteres chartas, quas tanto in pretio habemus, & thesauri loco proferimus, portentosis grammaticæ & syntaxis erroribus undique scatere. Idipsum animadverterunt Muratorius pluribus in locis & Grandius, immo quotquot antiqua medii ævi monumenta edidere, qui „ solœcismis & barbarismis fœdatam linguam „ Latinam supina notariorum ignorantia agnoscunt; interdum etiam tan- „ tam in eorum tabulis verborum ac structuræ confusionem notant, ut „ quis scripturæ sensus, quæve sit contrahentium intentio, etiamsi me- „ ditari serio quis velit, vix assequi queat. " Verum parcendum est imperitis notariis, & cohibenda in ipsos indignatio, eaque ex eorum paginis dumtaxat excipienda, quæ chronologiæ vel historicis factis lucem aliquam addunt. Improbam etiam & fastidii plenam operam dedimus, ut pessimam orthographiam, verborumque decurtationes, admixtiones & implexiones sequeremur veterum tabularum, easque in lucem prodire juberemus,

c *Antiq. med. ævi T. I. col.* 666.

mus, ut in primigeniis membranis notarii vel exſcriptores delinearunt.

A contentioſis abſtinere animus erat, & abſtinebimus præſertim in horum Annalium decurſu; verum in præſenti volumine præcipere hoc nobis non poſſumus, cum a die natalitio ad emortualem tota ſit diſceptationibus obnoxia vita ſanctiſſimi Romualdi, quare in has & iis affines quæſtiones aliquando digredi cogimur, quibus aliquatenus exſolvantur difficilia & frequentia, quæ occurrunt involucra. Hæc tamen diverticula neque inutiliter, neque injucunde excipienda ab humanis lectoribus confidimus. Nihil a nobis perfracte affirmatur, multa, ſic enim res ferunt, veriſimilitudinis, convenientiæ & probabilitatis lineam non excedunt, in aliquibus, quæ nova omnino ſunt, & ante nos non obſervata, ſperamus gratiam apud legentes inituros, præſertim apud noſtros, ceteroſque Italicos monachos, pro quibus potiſſimum ſuſceptum eſt a nobis hoc opus.

V. Quibus auxiliis confectum opus?

CETERUM Camaldulenſis hiſtoria hucuſque fere tota in tenebris jacuit. Primus, qui hanc ſpartam ſuſcepit, fuit Auguſtinus Fortunius monachus noſter ſanctæ Mariæ Angelorum Florentiæ, Florentinus etiam dictus, licet a loco nativitatis Feſulanum pariter ſe appellet. Is anno 1575. primam adornavit hiſtoriæ ſuæ partem, Antonii Curſii Piſani generalis Camaldulenſis ſuaſu, eamque dicavit ſereniſſimo Franciſco Medici magno Etruriæ duci II. Alteram vero partem in lucem protulit anno 1579. ſub auſpiciis Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Ptolomæi Gallii S. R. E. cardinalis Comenſis, archiepiſcopi Sipontini, atque Camaldulenſis ordinis protectoris ampliſſimi. Auguſtinum ferme exſcripſere Silvanus Ractius Marradienſis monachus, inde etiam abbas ſanctæ Mariæ Angelorum Florentiæ, & Thomas Minius itidem ejuſdem Angelorum monaſterii cœnobita, cujus hiſtoria ms. in bibliotheca ipſius loci adſervatur. Verum hæc ſpecimina potius habenda hiſtoriæ Camaldulenſis, quam exactæ hiſtoriæ, præter frequentiſſimos lapſus Fortunii, quem plurimæ chartæ fugerunt, quique, quas vidit, in medium proferre detrectavit. Anno 1626. patres Camaldulenſes in Dieta eo anno celebrata in monaſterio ſancti Nicolai de Forbitoribus Romæ dedere in mandatis Victorino Totinio Monſabinati monacho noſtro, ut hiſtoriam Camaldulenſem a Fortunii tempore proſequeretur, adſcitis in operis auxilium domno Severo Seneſio de abbatia Pollicinii, domno Auguſtino Romano, & domno Gabriele Veneto. Sed nullibi reperiuntur neque ſchedæ, neque collectiones præfatorum auctorum, quorum etiam lucubratio ultra recentiora geſta deſinentis ſeculi XVI. & quartæ partis ſeculi XVII. extendi non debebat. Noſtris temporibus hiſtoriæ & annalibus Camaldulenſibus conſcribendis manum admovit domnus Guido Grandius Cremonenſis monachus noſter, ex abbatia ſancti Apollinaris Claſsis, ubi profeſsionem emiſerat, ad Etruriæ provinciam translatus, ac ad præfecturas in ea provincia obtinendas admiſſus a Clemente papa XI. & a Coſmo III. Medice Etruriæ magno duce, Piſanæ univerſitatis perinſignis Mathematicus, & itidem Piſani ſancti Michaelis in Burgo monaſterii ad vitam abbas. Sed Grandii laborem votum potius, quam opus aliquod Annalium Camaldulenſium appellare placet. Schedis enim paucis admodum conſtat ipſius collectio, ipſis quoque ad unum fere monaſterium ſuum ſancti Michaelis Piſarum ſpectantibus, quas, dum viveret, in conſpectu noſtro dedit, exſcribendaſque conceſsit. Petri Damiani narrationem de vita ſancti Romualdi adnotationibus mſs. adornavit; hæ tamen verba, res etiam monaſticas generales, potius quam Romualdi hiſtoriam illuſtrant. Notas omnes percurrimus, & ſi quando ex

Grandio

Grandio proficimus, illiberales non sumus, ac juste fatemur, unde hausimus. Aliqua ad Romualdi genealogiam spectantia attingit, quæ nos præterimus, varia ipsius jejuniorum genera, excursum insuper de Romualdi literatura, quem integrum proferimus in Annalibus nostris, in quos etiam aliqua transtulimus de Johanne Ravennate archiepiscopo, inde eremita in monte Caprasio. Plura vero habet Grandius de monasteriis Cuxanensi & Rivipullensi ad sancti Petri Urseoli historiam, de Farfensi occasione Hugonis abbatis; & causa societatis Romualdi cum Willelmo abbate Divionensi excurrit ad aperiendas origines & historias Divionensis sancti Benigni, Reomaensis, Besuensis, Vizeliacensis, Melundensis, Tornodorensis, Mettensis sancti Arnulphi, Fiscamnensis & Fructuariensis abbatiarum a Willelmo reformatarum. Subnectit legationes Gallicanas Leonis abbatis sanctorum Bonifacii & Alexii de Urbe; Agnetis etiam imperatricis Henrici IV. matris vitam & gesta refert, eamque vindicat a calumnia, quod faverit Cadaloi electioni & schismati. De Lanfranco pariter Cantuariensi archiepiscopo agit, deque monasteriis in Normannia ab ipso exstructis, ac de similibus tractat, quæ omnia quam parvam affinitatem habeant cum Camaldulensi historia, nullus est, qui non videat; ab iis omnibus propterea narrationibus nos affatim & libenter abstinemus. Hæc tamen pura putaque sunt & omnia, quæ in Grandii schedis legimus, quæque ad hodiernam diem supersunt in bibliotheca sancti Michaelis burgi Pisarum a suo nomine Grandiana appellata. Non diffitemur utiliora esse & ad rem Camaldulensem vere facere, quæ disputavit in dissertationibus Camaldulensibus editis post initium hujus seculi; quæ etiam congessit pro sancto Petro Urseolo in ejus vita, quæ lucem aspexit Venetiis anno 1733. quæ postremo delibavit in adnotationibus Appendicis ad suam epistolam de Pandectis, & in Responsionibus ad Soldanium super quæstiones Vallis-umbrosanas. Ex iis, si quæ decerpsimus, Grandii testimonium, nomen, auctoritatem non reticemus, sed honorifice, justitia postulante, laudamus.

Verum hi, quos posterius innuimus, Grandii conatus ea omnia non æquant, ex quibus confici debent Annales Camaldulenses, & historia monasteriorum Camaldulensium. Perquam necessarium itaque fuit congregationis nostræ monachorum & eremitarum tabularia adire per nosmetipsos, eorumque forulos omnes introspicere, vel amicorum suppetias implorare, ut inde reserarentur monumenta ad unumquodque monasterium spectantia. Pro monasteriis in urbe, & prope urbem Ravennam, præter tabularium nostrum Classense dives, & insignibus refertum privilegiis & diplomatibus, quorum exempla confecimus, opem etiam præstante domno Maria-angelo Fiacchio ejusdem Classensis abbatiæ decano, & celebri bibliothecario, sed insignis modestiæ viro, & præter plurima, quæ ex variis ipsius urbis archivis collegit, & nobiscum humanissime communicavit vir summa eruditione & animi comitate præditus domnus Petrus-paullus Ginnanius Casinensis abbas, accessum nobis ad copiosissimum & antiquissimum metropolitanæ & archiepiscopalis ecclesiæ suæ chartophylacium ab eodem Ginnanio ordinatum, nunc vero a domno Josepho-aloysio Amadesio a secretis archiepiscopi custoditum, fecit doctrina, pietate, & benignitate venerabilis præsul & princeps domnus Ferdinandus-romualdus Guicciolus, qui ut nostrum historiæ hujus edendæ consilium persensit, coram verbis, procul literis nobis ad hanc provinciam perficiendam stimulos addidit, in illius congregationis monasticæ honorem, cujus ipse fuit ante susceptum archiepiscopale onus prænobile membrum. Vangaticiensis cœnobii

bii chartas, permittente eminentiſſimo ipſius abbate commendatario domno Angelo-maria Quirino luſtravimus, & quotquot ad notitias acquirendas celeberrimæ hujus abbatiæ idoneas legimus, in ſcripta noſtra redegimus. Ad Piſaurenſium monaſteriorum hiſtoriam comparandam aliqua nobis ex ipſius urbis monumentis ſcriptiſque ſuggeſſere Cll. VV. Johannes-baptiſta Paſſerius Piſaurenſis epiſcopi vices gerens, & Hannibal de Abbatibus Oliverius patricius Piſaurenſis, omnigenæ antiquitatis eruditione ſupereffluentes. Vallis-caſtrenſis, ſancti Urbani Apiri, ſancti Victoris de Cluſis, & ſancti Blaſii de Fabriano monaſteriorum integras, eaſque veterrimas tabulas eduximus ex archivis ſancti Blaſii Camaldulenſium, & ſanctæ Catharinæ Montis-oliveti monachorum de Fabriano, manum etiam præbente domno Gabriele Guaſtuccio Bononienſi monacho noſtro, trium unitarum abbatiarum ſancti Blaſii, ſancti Urbani, & ſanctiſſimi Salvatoris Vallis-caſtri quæſtore. Avellanenſia monumenta improbo labore a ſe conquiſita, & ex variis Piceni & Umbriæ archivis undequaque collecta, quæ tamen ſpectant ad ſecundum & ſequentia noſtra volumina, vel ipſe per ſe edet, vel nobis edenda committet domnus Maurus Sartius vir acerrimi ingenii & emunctæ naris, qui nunc a ſecretis eſt ſupremi magiſtratus congregationis noſtræ. Thuſciæ monaſteria, Volaterranenſi excepto, omnia peragravimus, vetereſque chartas, quibus abundant, plures exſcripſimus ad hiſtoriam concinnandam extantium & deperditorum cœnobiorum tum in urbibus Thuſciæ, Florentia præſertim, Feſulis, Senis, Luca, Monte-politiano, Cortona, Burgo-ſancti-Sepulcri, Arretio & Balneo, in quibus monaſteriorum Camaldulenſium tam virorum quam ſanctimonialium permultus olim erat numerus, ita ut ſolius Arretini vaſtiſſimæ extenſionis territorii, [a] teſte Ambroſio generali, quartam partem obtinerent Camaldulenſes, tum etiam in inſulis Sardinia, Corſica, Ilva &c. Juvit quoque nos, aliquaſque a ſe deſcriptas chartas tranſmiſit domnus Joſeph-maria Gherardinius monachus ſanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, qui hujuſcemodi ſtudiorum generi libentiſſime favet, ac tabularia Etruſcorum monaſteriorum diligentia non vulgari ordinat. Nonnulla etiam debemus doctiſſimis viris Johanni Peccio equiti Senenſi, Hyacintho Foſſombronio patricio Arretino, Antonio-franciſco Biſcionio bibliothecæ Mediceo-laurentianæ præfecto, Petro-nolaſco Cianfonio canonico imperialis collegiatæ ſancti Laurentii, cujus menſæ Aceretæ monaſterium & Gamugni eremus fuere unita, Curtio etiam Michaelio canonico patricio Lucenſi pro aliquot patriæ ſuæ monaſteriis, aliiſque poſtremum, qui deſideriis noſtris, notitiis communicatis, apprime arriſerunt. Tabularium ſancti Michaelis Piſarum poſt domnum Maurum Curſium abbatem, inde epiſcopum San-miniatenſem, manu ſua totum deſcripſit Grandius, cujus exempla habuimus. Camaldulenſis eremi & Fontis-boni monaſterii archivum, faventibus votis noſtris, cum ceteris patribus eremitis, domnis Roberto Pratenſi majore, & Alexandro Cortonenſi priore, ditiſſimum copia, vetuſtate, & chartarum concinnitate inter prima Italiæ monaſteria, quarumque accuratiſsimum ſyllabum & ſynopſim olim contexuit indefeſsis labore & artubus piiſsimus ſimul & doctiſsimus eremi illius accola domnus Eduardus Baroncinius, non ſemel inviſimus, & monumenta ea in tanta multitudine ſelegimus, quæ ſanctiſsimo loco illi lucem afferrent, immo univerſæ congregationi, cujus ſupremus moderator per plura ſecula ibidem reſedit. Peruſinorum & Urbevetanorum cœnobiorum antiquitates hinc inde decerpſimus amicorum opere, luſtrata etiam antiquiſsima abbatia ſancti Salvatoris Peruſinæ diœceſis conjuncta eremo Montis-coronæ, quæ caput

a *Apud Mart. Theſ. Noviſsim. T. III. col. 5. ep. 1.*

put est congregationis eremitarum nostrorum Coronensium. Romanum archivum sancti Romualdi, ubi moratur procurator generalis monachorum Camaldulensium, totum in adversaria nostra transtulimus; in eo plura existunt documenta ad totam congregationem spectantia. Aliud vero sancti Gregorii de Urbe abbatiæ commendatæ exscribi nobis fecimus ex apographo codice recens e tenebris eruto, chartarium loci continente. Bononiensium cœnobiorum instrumenta hac illacque reperimus, sed illa monialium sanctæ Christinæ, permittente Sanctissimo Benedicto XIV. Romano pontifice optimo maximo, sacræ antiquitatis & literaturæ cultore & mecœnate inter primos principe, manu nostra transcripsimus. Faventina archiva duo virorum, & duo monialium, chartis in conspectu positis, ipsi exemplavimus, visitato etiam capitulari canonicorum episcopalis ejus sedis. Id similiter in Forolíviensibus, Brittonoriense, Galeatense, Balnense, sanctæ Trinitatis de Monte-herculis præstavimus; a Cæsenatis vero ecclesiæ capitulari tabulario nonnulla eruimus, plura vero ex insigni, paucis tamen viso, clarissimi marchionis Bonifacii Rangonii Mutinensis domestico chartario. Sicque Vicentinum sanctæ Luciæ, olim sancti Viti, conspeximus, Tarvisinum pariter sanctæ Christinæ & sancti Parisii monialium, atque Follinate sanctæ Mariæ virorum una cum subjecto SS. Gervasii & Protasii sacrarum virginum prope Bellunum, præter Veneta nostra sancti Michaelis, & sancti Mathiæ de Muriano, ac sancti Johannis-baptistæ de Judaica integra conscripsimus. In nostris tabulariis plura reperimus pariter, quæ illustrant Histriensium cœnobiorum historiam. Aliqua demum, ultra ea, quæ custodiuntur in armariis nostris, pro monasteriis Patavinis sanctæ Mariæ ad Carceres, & de Porcilia contulit amicissimus noster Johannes Brunatius, chartarum veterum strenuissimus investigator, & de Patavinæ ecclesiæ historia diplomatica optime meritus.

Præter chartas, quæ bullas Romanorum pontificum, vel imperatorum præcepta, aut episcoporum donationes, monasteriorum insuper & ecclesiarum erectiones ac uniones continent, suis locis publicam lucem primum aspicient in his Annalibus nostris aliquorum cœnobiorum necrologia & diversi generis monumenta, quæ congregationem Camaldulensem, vel nostra monasteria potissimum illustrent. Nec enim omnia putamus operi nostro inserenda, sed ea tantum, quæ monasteriis Italiæ, Camaldulensibus præcipue monachorum & eremitarum cœtibus, lucem addant; alias in immensum excresceret opus, quod paucis tomis absolvimus.

In calce hujus voluminis veterum documentorum Appendici succedit Dissertatio de variis speciebus Conversorum in ordine Benedictino, sed præsertim in monasteriis Camaldulensibus. Hoc argumentum a monasticarum rerum scriptoribus aliquatenus tractatum, fusissime prosequimur ope veterum chartarum.

Atque hæc pro reddenda ratione operis & instituti nostri in nostro primo volumine præfari placuit.

BRE-



BREVIARIUM
TOMI PRIMI
ANNALIUM CAMALDULENSIUM.

LIBER PRIMUS.

Ab anno Christi 907. ad annum 927.

LIBER SECUNDUS.

Ab anno Christi 928. ad annum 955.

LIBER TERTIUS.

Ab anno Christi 956. ad annum 977.

LIBER QUARTUS.

Ab anno Christi 978. ad annum 985.

LIBER QUINTUS.

Ab anno Christi 986. ad annum 997.

LIBER SEXTUS.

Ab anno Christi 998. ad annum 1000.

LIBER SEPTIMUS.

Ab anno Christi 1001. ad annum 1006.

LIBER OCTAVUS.

Ab anno Christi 1007. ad annum 1011.

LIBER NONUS.

Ab anno Christi 1012. ad annum 1017.

XXXIII.

LIBER DECIMUS.

Ab anno Christi 1018. ad annum 1026.

AN-



ANNALES CAMALDULENSES ORDINIS SANCTI BENEDICTI

LIBER PRIMUS.

Ab Anno CHRISTI DCCCC.VII. *ad annum* DCCCC.XXVII.



SECULO ecclesiæ decimo, [a] *cum per universam Italiam Christi præcepta annullarentur, & velut in fastidio versarentur, cœlestis clementia favente regis, qui pretioso olim mundum suo redemit cruore, suscitatum decore splendidum monachico* sanctissimum patriarcham ROMUALDUM, futurum [b] principum virorum quasi dominum, ac *potentum seculi* terrorem; simoniacæ [c] vero *hæreseos* late jam & impune debacchantis infensissimum hostem; restitutorem insuper veteris disciplinæ labefactatæ per ea tempora penes omnes ecclesiasticos ordines; quam ob rem hinc [d] *ad eum concurrebant pœnitentiæ causa, & venerabili viro se committebant episcopi, qui sacras sedes invaserant*; illinc *canonici & clerici*, quos *præpositis obedire, & communiter in congregatione vivere docuit*; passim vero monasticam ordinis sancti BENEDICTI regulam, & [e] *normam priscæ justitiæ in sexu renovavit utroque & ordine*; sed potissimum jam [f] *collapsum* in occidente, ac *in Italia* præsertim *anachoreticum institutum* reparavit, simul etiam *mirifice propagavit*, dictus propterea [g] *pater & doctor eremitarum*; futurum denique non incelebris CAMALDULENSIS familiæ, & congregationis ejusdem ordinis sancti Benedicti illustrem conditorem & parentem, ivit inficias nullus: eo nimirum seculo, quod, habita Romualdi dumtaxat, ejusque discipulorum ratione, Petrus Damianus vitæ ipsius scriptor appellavit [h] AUREUM, *quod etsi tormenta persecutorum non noverat, spontaneo tamen martyrio non carebat*; aureum, inquam, *Romualdi seculum, quod inter montium & silvarum feras tot cœlestis Jerusalem cives alebat*; ceteroquin uno historicorum omnium, & ejusdem Damiani

ANN. CHR. 907. ROMUALDI I.

Status seculi ecclesiæ decimi.

a *Prolog. in consuet. Cluniac.*

b *Petr. Dam. vit. S. Rom. capp.* 25. 30. 40. 65.

c *Id. cap.* 35.

d *Ibidem.*

e *Prol. in consuet. Cluniac.*

f *Martyr. Rom.* 19. *Junii.*

g *Chron. Sanbenign. vit. S. Guilielmi n.* 19.

h *Vit. S. Rom. c.* 64.

ANN. CHR. 907. ROMUALDI I.

calamo deploratissimum, quod sui asperitate, bonique sterilitate *ferreum*, exundantis autem mali deformitate *plumbeum*, inopia demum scriptorum *obscurum* nominare gestiunt, post veteres auctores, Baronius, Bellarminius & Mabillonius, qui postremus Annalium Benedictinorum [a] libro quadragesimo-primo, postquam infaustum & ferreum seculum vocavit, subdidit, illo nullum foedius & luctuosius in toto ecclesiasticæ historiæ decursu uspiam occurrere; sed quonam ejus seculi anno in hanc lucem prodierit Romualdus, mirum est, in quot easque inter se diversas sententias abierint chronologi.

a T. III. p. 311.

II. Quo anno hujus seculi ortus Romualdus?

VETUS & receptissima opinio ad annum nongentesimum-septimum Romualdi ortum refert. Ita Fortunius, Ractius, & ante ipsos Paulus Justinianus, immo prisca Camaldulensium omnium traditio, qui cum pro constanti haberent anno 1027. corpore solutum beatissimum virum vigesimo supra centesimum ætatis suæ anno ad Deum evolasse, facili negotio ad annum 907. nativitatem ejus retrahendam agnovere. Verum, cum in gestis Romualdi plura occurrerent primo visu insuperabilia, quæ componi nequirent cum eodem natalitio ipsius anno, ad varias inde opiniones auctores dilapsi, esse ad certiores calculos vitæ sancti Romualdi annos reducendos, sunt arbitrati; Baronius in primis nil tamen decernens; Mabillonius, qui vitium refundit in scriptorem vitæ Romualdi primarium Petrum Damianum; Minius noster serius ejus natalem & obitum collocans; Bollandus ejusque continuatores, quos sequitur Fabrius in monumentis Ravennatibus, qui & detruncandos Romualdi vitæ annos, & differendam post medietatem hujus seculi ejus nativitatem censent. Ipse quoque abbas Grandius noster duplicem in suis Dissertationibus Camaldulensibus tabulam chronologicam excogitavit, in quarum prima ad annum 907. juxta veterem sententiam, in altera ad annum 917. pro conciliandis utcumque difficultatibus, novo proposito systemate, Romualdi ortum protrahit, utrobique assignatis vitæ ejus centum & viginti annis, atque proinde obitu vel ad annum 1027. vel 1037. relato.

III. Firmatur annus 907.

SED pace tantorum virorum retinenda est vetus chronologia Romualdi nativitatem statuens ad annum 907. & ejus mortem post centum viginti exactæ vitæ annos ad annum 1027. earum fundamento rationum, quas suis locis producemus, præsertim ad annum 927. qui conversionis Romualdi fuit primus, & ad annum 1027. qui postremus mortalis ejus peregrinationis.

IV. Baronii elogium de Romualdo.

AD hunc igitur annum tamquam præludii loco Baronianum usurpare libet elogium. [b] *Deus in tanta peccatorum caligine Ægypti pene tenebras superante sua immensa misericordia facem accendit. Quidnam aliud dixerim, virum justum, sanctum,*

b *Ad an.* 974. *num.* 2.

Undique divinæ lucis fulgore coruscum

in medio peccantium populorum, quam lucentem in tenebris facem? Quem etiam si dixeris Solem, haud procul a scopo veritatis errabis, dicente ad suos discipulos Domino: [c] *Vos estis lux mundi; utpote qui multiplicibus undique micantes radiis, sive ex prædicatione verbi, aut operatione virtutum, vel editione signorum, orbem terræ totum offusum tenebris illustrarent. Talis plane extitit vir sanctissimus* ROMUALDUS *prodiens, ut alter Johannes-baptista ex eremo,* [d] *lucerna ardens & lucens, qui claras Ægypti Nitrias atque Thebaidas anachoretis fertiles transtulerit in Italiam, inter quos ipse, ut alter Antonius, forma factus sit omnibus ejusmodi vitæ arduum institutum abripientibus.*

c *Matth.* v.

d *Joh.* v.

V. Sub quo pontifice in lucem editus?

SEDEBAT eo anno in apostolico throno Sergius Papa III. tertium, vel

vel potius quartum numerans sui pontificatus annum; is enim, cum anno 898. post Theodori II. obitum, sedem Romanam sibi vindicare tentasset, Urbe pulsus antequam ordinaretur, post septem fere annos exilii, ut Flodoardus ejus temporis auctor in fragmentis Romanorum pontificum testatum reliquit carminibus illis:

ANN. CHR. 907. ROMUALDI I.

Sergius inde sedit, dudum qui lectus ad arcem
Culminis, exilio tulerat rapiente repulsam,
Quo profugus latuit septem volventibus annis.

atque, ut ex ejus epitaphio, quod Baronius [a] ad annum 701. Sergio I. perperam adtribuit, aperte colligitur:

a Num. 8.

Exul erat patria septem volventibus annis.

postliminio revocatus a populo, hujusque precibus in sancti Petri sede sublimatus fuerat anno 904. quare prosequitur idem Flodoardus:

Hinc populi remeans precibus sacratur honore
Pridem assignato, quo nomine tertius exit
Antistes. Petri eximia quo sede recepto
Præside, gaudet ovans annis septem amplius orbis.

Id, quod egregie confirmatur ex diplomate apud Ughellium [b] ad favorem canonicorum Astensium emanato ab hoc pontifice *nonis maii pontificatus anno* IV. (anne V?) *indictione* XI. quæ notæ quadrant anno 908. alioque, quod affert idem Ughellius, [c] episcopatui Silvæ-candidæ concesso, non anno 910. sicut idem auctor arbitratur; nam tunc indictio XIII. præfixa foret, sed anno 906. utpote kalendis junii, pontificatus sui anno III. indictione VIIII. non VIII. corrupte ibi lecta, quod Pagius in Critica [d] ad annum 904. animadvertit; & demum ex tribus chartis apud Amadesium [e] *Anno Sergii tertio die* XIX. *januarii indictione* X. *Anno Sergii tertio die* IV. *mensis aprilis indictione* IX. *Anno Sergii pape quarto die prima mensis februarii indictione* X. quæ indictiones annis 906. & 907. respondent. Ex quibus etiam chartis deduci posse videtur Sergium revocatum fuisse ad cathedram Romanam eo intervallo temporis, quod fluxit a die XIX. januarii anni 904. ad diem primam februarii ejusdem anni; nam in prima & in tertia ex his, quæ ad annum 907. pertinent, *tertius* signatur die XIX. januarii; prima vero die februarii signatur *quartus* annus pontificatus Sergii. Hoc posito, versus ille: *quo profugus latuit septem volventibus annis*; & alter: *Exul erat a patria septem volventibus annis*, de septimo anno per aliquot tantum dies incœpto explicari deberent. Dici etiam potest Sergium sedem Romanam prima vice adipisci tentasse anno 897. mense novembri post obitum Theodori, qui viginti tantum dies sedit succedens Romano; non ultra tamen præveniendus Sergii primus ingressus ad pontificatum, cum Romanus viveret mense octobri ejusdem anni, ut constat ex duabus bullis ipsius pontificis apud Baluzium [f] in appendice ad Marcam Hispanicam.

b T. IV. col. 344.

c T. I. col. 93.

d Num. 5.

e T. XLIV. collect. Opusc. Philol. pagg. 425. 426.

f Col. 833.

VI. Sub quo imperatore?

OCCIDENTIS vero imperium nomine, non re, tenebat Ludovicus III. augustus, IV. a Baronio, & ab aliis dictus, qui Ludovicum Balbum Francorum regem, licet nunquam corona imperiali donatum, inter imperatores numerant, annumque in imperio septimum gerebat; ut enim ostendit Pagius, [g] ante mensem augustum anni 900. non potuit a Benedicto papa IV. Romæ coronari. Annus pariter 904. conjungitur cum anno IV. Ludovici in diplomate concesso Magno abbati sancti Victoris Massiliensis, & relato in novissima collectione veterum monumentorum a Martene &

g Num. xv.

ANN. CHR. 907. ROMUALDI I.

Durando [a]: *Datum Arelate* XI. *kalendas maji anno domini* DCCCC.IIII. *indictione* VII. *anno* IIII. *imperante domno nostro Hludovico*. Alterum quoque Ludovici diploma affert Johannes-fridericus Schannat in [b] Traditionibus Fuldensibus, quo confirmatur Huoggio Fuldensis cœnobii abbati commutatio quarumdam rerum dudum facta inter abbatem Rabanum & Bobbonem comitem: *Datum nonis julii anno Christo propitio* X. *imperii Ludovici augusti imperatoris indictione* XIII. quæ indictio ad annum 910. pertinet; quapropter nonis julii ejusdem anni nondum XI. sui imperii annum fuerat ingressus. Corrigenda idcirco chronologia Baronii, qui Lambertum præsenti anno imperatorem facit; hic enim, dum in luco Marinco venaretur, rediens ex Ravennate concilio, & equo cadens, ab Hugone Maginfredi Mediolanensis comitis filio in ultionem mortis patris sui oppressus fuerat, testimonio [c] Luitprandi, & auctoris [d] chronici Novaliciensis, anno 898. mense octobri, & post diem 30. septembris, quo ejusdem Lamberti diploma memoratur a Muratorio [e]: *datum pridie calendas octobris indictione* II. *anno incarnationis domini* DCCC.XCVIII. *ex Marinco*, rata habentis privilegia a patre suo Widone concessa Mutinensi Ecclesiæ. Confirmat ejus cædem eo anno secutam bulla Benedicti IV. in causa Angrini Lingonensis episcopi a Papebrochio [f] ad dissertationem XXXII. alias XIX. sui Conatus chronico-historici relata sub his notis: *Data* II. *calendas septembris indictione* III. adeoque anno Christi 900. *& anno secundo post obitum Lamberti imperatoris augusti*. Perperam tamen ex ea infert idem Papebrochius mortem oppetiisse Lambertum anno tantum 899. si enim anno 899. occisus fuisset, nondum completus foret primus annus ab ejus nece mense augusto, cum ex dictis de medio sublatus fuerit mense octobri. Sed licet imperator esset hoc anno 907. Ludovicus, nullum tamen exercebat in Italia dominium; nimirum ante biennium Verona pulsus & obcæcatus titulum imperatoris in sola Provincia retinebat, omniaque in Italia solus, cujus factio prævaluerat, moderabatur Berengarius, vigesimum numerans in Italia annum regni, quod auspicatus fuerat anno 888. ab obitu Caroli Crassi imperatoris, post cujus excessum plures principes Italiæ Berengarium sibi constituerant in regem ex duce Forojuliense. In archivo Fontis-boni chartam autographam [g] vidimus datam anno 916. (more Pisano, hoc est 915. aeræ communis) *qui* XXVIII. dicitur *Berengarii regis annus*, *indictione* IV. (incœpta a septembri) *mense novembri*, qua die *Odalprandus filius quondam Leonis* duxit in uxorem *Mariam filiam quondam Amalberti cum mundio*, juribus scilicet omnibus, quæ ad Mariam pertinebant. *Actum Arretii* manu *Bernardi notarii*.

Quis vero tempore ortus Romualdi Ravennati Ecclesiæ præesset archiepiscopus, commodius ad annum 927. investigabimus; interea veniam dabunt lectores, si hoc primo anno, & quandoque in posterioribus minutius chronologiæ capita aliqua expendimus; nec enim expendemus, nisi quæ affinitatem habebunt cum historia nostra, & potiorem utilitatem ex horum Annalium lectione poterunt sibi derivare, qui hujuscemodi studiis oblectantur.

VII. De Romualdi familia variæ opiniones.

DE Romualdi patria dubitare nos non sinit Petrus Damianus, qui apertissime ipsum asserit oriundum a civitate Ravenna, ubi & idem Petrus post integrum seculum originem suam habuit. Quænam vero fuerit ejus familia, incertos nos relinquit, addens dumtaxat: [h] *ex illustrissima ducum fuit stirpe progenitus*; ex qua loquendi formula nobilissimam quidem prosapiam sortitum fuisse Romualdum indicat, dignitate nimirum eo etiam tempore solis principum stirpibus conveniente, non tamen certam definitamque ipsius progenitorum familiam a ceteris distinguit, nec quinam forent

a T. I. p. 262.

b Num. 550.

c Lib. I. cap. XII.

d T. II. Script. rer. Ital.

e Annal. T. V. pag. 231.

f Prop. ad Act. SS. Maji pag. 255.

g §. Matrimonium I. 3.

h Vit. S. Rom. cap. I.

forent Ravennates hi duces, aperit. Cur duces appellati Romualdi majores, quæ fuerit ipsius familia, an ex Beneventanis ducibus oriundus credendus sit Romualdus, malumus ceterorum auctorum in re satis obscura opiniones oculis legentium subjicere, quam nostras proponere. Hieronymus a Praga eremita Camaldulensis, Lithuaniæ apostolus, & ad patres sacri concilii Basileensis orator in sermone, quem de sancto Romualdo conscripsit, & monachis Carthusiensibus Basileæ dicavit, dum apud illos hospes erat anno 1433. affirmat natum ipsum fuisse [a] *Ravennæ ducem*, addens alibi [b] *ducatum reliquisse ob Christi amorem*. Hieronymum sequutus est Petrus Canisius in utraque editione martyrologii Germanici, vocans Romualdum filium ducis Ravennæ; quam sententiam adoptavit & Petrus Ferraccius abbas, inde generalis Camaldulensis, in arbore familiæ sancti Romualdi, in qua Sergium ejus patrem *ducem* appellat *Ravennæ*. Adhæsit huic opinioni & pater domnus Basilius eremita noster Viennensis, qui in imagine ejus nativitatis tropheum erigit coronæ ducalis. Vincentius Carrarius JC. Ravennas seculi XVI. in historia Romandiolæ, & in originibus familiarum Ravennæ versatissimus, consultus a [c] Fortunio nostro, ut hic narrat, innititur auctoritati chronici magistri Tolosani canonici Faventini, qui seculo XIII. floruit, & asserit, „ Martinum quemdam filium „ Johannis de Honestis unum ex Romualdi majoribus constitutum fuisse „ Ravennæ ducem a summo pontifice, cujus dignitas familiæ adeo placuit, in qua & ad annum 1200. perduravit, ut *Ducum* cognomen as„ sumpserit. " Non displicuit hæc opinio historico rerum nostrarum Fortunio, quia, inquit, certitudo rerum nullibi verius haberi potest, quam in propriis locis. Aliqua tamen objecit ipse Fortunius Carrario, cui & dubia sua proposuit Vincentius Borghinius; verum hæ objectiones respiciunt potius eam quæstionem, utrum ex Honestorum familia prodierit Romualdus, de qua nos inferius. Illud interim monemus, huic sententiæ ut subscribamus, non sinere nos ea, quæ apud Rubeum [d] in Historia Ravennate leguntur, nimirum Berengarium Italiæ regem, temporibus ortus Romualdi, dominium super Ravennam exercuisse. Quod etiam animadvertit Muratorius in doctissimo opere [e] Antiquitatum medii ævi, ubi relata charta donationis multorum prædiorum ac jurium facta ab Ingelarda comitissa filia Apaldi comitis palatii, & uxore *Martini gloriosi ducis*, Petro diacono Ravennati filio suo anno 896. sequentia scribit: „ Indicare hæc „ videntur Italicos etiam reges, ut jam alibi monui, iis temporibus pro„ tendisse auctoritatem suam in urbes Exarchatus Ravennatis. " Deducimus ex his etiam nos *Ducum* nomen, quo gaudebat Romualdi familia, quando hic in lucem venit, minime fuisse cum actuali dominio conjunctum.

Idem Muratorius eodem loco [f] docet seculo X. Ducum titulum denotasse membra honorifici magistratus; quod etiam colligitur ex documentis adnexis eruditæ scripturæ confectæ in causa juris archiepiscoporum Ravennatum intra urbem & diœcesim Ferrariensem; ex quibus documentis cum subscripti iis reperiantur plurimi, qui se appellabant *Deipietate Duces*, *divino nutu Duces*, conjici posse videtur, non omnes profecto fuisse dominii duces, sed membra civilis alicujus vel militaris magistratus. Modus tamen, quo se explicat Petrus Damianus in Romualdi stirpe indicanda, denotat illustrissimam Ducum progeniem, ex qua ortus est Romualdus, aliquid amplius majusque fuisse, quam simplices nobiles viros magistratu fungentes. Titulum potius adstruit hæreditarium & successivum, eoque magis, quo non tantum Sergius Romualdi pater, sed & alii, qui putantur ascendentes & descendentes, ut vocant, Romualdi eodem

ANN. CHR. 907. ROMUALDI I.

a *Apud Bolland. T. II. Febr. Serm. c.* I

b *Ibid. cap.* V.

c *Cap.* VII. *P. II.*

d *Lib.* V. *p.* 253.

e *T. I. col.* 157.

f *Ibidem col.* 158.

Ann. Chr. 907. Romualdi 1.

dem Ducum honore insigniuntur. Ita sane opinatur supralaudatus Muratorius loquens de ipso Romualdo, & de ducibus Ravennatibus, ac propterea dicit: „ Immo ex monumentorum collatione deduci posse videtur, „ illustrem hujusmodi titulum hæreditarium olim fuisse in nobilissima qua- „ piam familia Ravennate. " Eodem nimirum modo, quo cognomina Marchionum & Comitum diebus nostris perdurant in familiis, scilicet quia eorum majores titulum hunc possederunt. Ipseque Danthes id confirmat eo versiculo carminis XIV. Purgatorii.

Però sappi, ch' io son Guido del Duca.

Demumque concludit idem Muratorius: „ Quamquam credibile sit ho- „ sce Duces antiquitus assumpsisse eximium hunc titulum a splendido quo- „ piam magistratu, sive a regimine civitatis Ravennæ, aut alicujus alte- „ rius in exarchatu positæ, attamen ad opinandum feror, ipsos procedente „ tempore inde dejectos, impetrasse saltem tituli continuatum honorem. Quod attinet ad familiæ nomen, ex qua prodiit Romualdus, [a] Rubeus de sancto viro verba faciens hæc habet: „ Hic civis Ravennas ex illu- „ strissima, ut inquit Petrus Damianus scriptor his temporibus proximus, „ Ducum stirpe, quæ & Honestorum est, cum Honesti Duces, Duces „ Honesti, utroque simul nomine in tabulis posterioris seculi appellentur, „ Sergio patre natus est. " Sed eamdem Ducum stirpem de Traversariorum familia accipi posse non obscure monet idem Rubeus, dum in ipso rerum indice conceptis verbis habet: „ Traversarii sunt e familia Du- „ cum, " lectoresque suos remittit ad paginas, in quibus ex antiquis documentis recensiti leguntur: *Petrus dux, qui vocatur de Traversaria; ... Dux de Traversaria; Petro nobili viro, qui vocatur de Traversaria filio quondam Pauli Ducis*, & his similes; atque ad calcem operis sui genealogicam quamdam Traversariorum seriem conficit, cui titulum hunc præfixum voluit: „ Traversariorum propago, uti ex vetustis monumentis col- „ legi, & sunt iidem cum Ducibus. " Vincentius Carrarius supra relatus, ut vidimus, stat & ipse pro familia Honestorum. Desiderius Spretus [b] in suo opere *Amplitudinis urbis Ravennæ*, vetustatem & nobilitatem familiæ Honestorum laudans subdit; „ e qua inter clarissimos olim viros, & omni „ laude atque gloria dignos, *beatus Romualdus Camaldulensis eremi, &* „ *ordinis erector* prodiit. " Quod confirmari posset notissimo decreto anno 1539. emanato die XII. maji in generali Consilio Ravennæ, ubi Romualdus appellatur de familia Honestorum, & præcipitur „ natale ipsius „ celebrandum sollemnissimo ritu ad templum monachorum Classensium a „ clero, & a magistratibus cunctis in perpetuum, qui dies *tamquam dies* „ *dominica a civitate feriatus habeatur*. " E contra Jacobus Saxius canonicus Ravennas in sua Dissertatione ad genealogiam familiæ Saxorum descriptam in codice abbatiæ Classensis, cui titulus: *Nobilissimæ Saxorum familiæ Diacceptum*, ex pluribus veteribus instrumentis probare contendit, Romualdum ex eadem Saxorum familia fuisse progenitum, asserens nominari in quadam charta *Ugonem Sergii ducis comitem de Saxo*, & *patrem Ubaldi comitis*; in alia anni 970. *Ugonem Sergii*, cognomine *Saxum*, *comitem Flumanæ*, *Pertesedæ*, *arcis Hermicis*, *&* *castelli de Saxo*, quem fratrem Romualdi nostri putat, & cujus testamentum Rubeus [c] producit, in quo se *Brittonorii comitem* nominat, ac medietatem *castelli Montis-saxi* episcopo Sarsinati legat. Veteri etiam traditioni innititur hæc opinio; nam tempore Fortunii [d] „ omnino in sacra eremo ita inveteraverat, ut diffi- „ cillimum foret patribus aliter persuadere. " Addit supralaudatus canonicus

a Lib. V. pag. 266.

b L. I. pag. 13.

c Lib. V. p. 281.

d P. I. Lib. I. cap. 22.

nicus dissertator : „ non desunt tamen plerique, qui dicunt hanc fami- „ liam eamdem esse cum familia nobilissima Honestorum, moti quod „ illa Honestorum vocabatur *ex genere Ducum* ; ex propagatione autem „ gentium factam fuisse divisionem in cognomine ; *de Saxo* enim aliqui „ vocati sunt, quoniam erant comites ac domini Montis de Saxo ; *Ho-* „ *nesti* vero, quoniam sic proprie vocabantur; *de Ducibus* propter multas „ dignitates, quibus potiti sunt. " Perinde ac res extra omnem contro-versiam foret posita, Macchiarellius eremita Camaldulensis epigraphen hanc imagini sancti parentis subjecit : *Sanctus Romualdus Saxi abbas Camaldulensium pater*.

Ann. Chr. 907. Romualdi 1.

Romualdi nomen, quod gessit sanctus noster institutor, quodque gessere plures illustres viri Ravennates seculi x. ut videbimus data opera ad annum 970. ansam forte dederit aliquibus existimandi eos ex ducibus Beneventanis, in quibus viguit idem Romualdi nomen, originem suam traxisse. Videri possunt Fortunius [a] prima parte Historiarum Camaldulensium, & parte secunda [b], pluresque arbores genealogicæ, quæ circumferuntur, ordinatæ seculo præterito, quarum unam ab imperito homine consarcinatam, sibique obtrusam Petrus Ferracius generalis, dum in minoribus esset, ære incidi curavit, & ordinis protectori cardinali Bandinellio dicavit ; eam in minorem formam redactam, & denuo ære incisam operi suo inseruit Macchiarellius, & in minimam formam ipsam produxit tertio domnus Basilius in vita sancti Romualdi iconismis ornata. Eamdem correctiorem edidit nuperrime ad calcem dissertationis suæ de stirpe sancti Romualdi Collina noster, quam sic disponit [c]: Gisulfus nimirum Alboini nepos & dux Forojuliensis ab Hunnis victus duos reliquit filios, quorum minor Grimoaldus Beneventanus evasit dux post Arichis mortem, qui eum in filium adoptaverat. Grimoaldo successit Romualdus I. filius ex Itachera captiva nobilissima femina uxore, dum interea Grimoaldus pater, occiso Gundeberto, & Pertherito illius fratre fugato, Langobardorum rex evasit ad annum 666. Romualdo I. in ducatu Beneventano suffectus fuit Grimoaldus II. tum Romualdus II. subinde Gisulfus II. postremo Luitprandus, quem, & non Gisulfum ejus patrem, Ravennam se recipere potuisse idem Collina judicat. Similia fere tradiderat in suis mss. schedis Grandius, in eo tantum discrepans a Collina, quod Gisulfo tribuerit supradictam transmigrationem. Verum licet hæ postremæ tabulæ genealogicæ Collinæ & Grandii ad historicorum fidem sint exactius concinnatæ, ac priorum tabularum multiplices emendent errores, nulla tamen vel levi auctoritate probatur ab ipsis tabularum compositoribus Gisulfum aut Luitprandum domicilium suum constituisse in urbe Ravenna; quod maxime ostendendum fuisset. Sublestis pariter conjecturis, a Luitprando exule stemma deducitur ad Romualdum nostrum, & quædam pro libitu confingitur sanguinis commixtio Beneventanorum olim ducum cum familiis Honestorum, Traversariorum & Saxorum, prout ex harum aliqua originem suam deduxisse Romualdum existimant. Quare omnibus perpensis nihil decidendum in re tam incerta, cohibendumque judicium nostrum arbitraremur, contenti solummodo credere Romualdum *ex illustrissima ducum stirpe* progenitum, ut ait Damianus, & per summum compendium retulisse, quæ ceteri, qui genealogiam ejus familiæ compingunt, ex multis obscuris argumentis & ratiociniis inferunt ; nisi maxima forte ad manus nostras venisset charta, & quidem inedita ad annum 855. pertinens, qua amicissimus noster V. Cl. Johannes Brunatius donatos nos voluit, & ex qua transmigratio in urbem Ravennam, vel in alias Æmiliæ civitates Beneventa-

a *Ibid.*

b *Cap.* vii.

c *Tom. II. Vita di S. Romualdo pag.* 13.

Ann. Chr. 907. Romualdi 1.

ventanorum ducum (fuerint ii aut Gisulfus, vel Luitprandus, seu alius dux, de qua re contentiosum funem trahere minime volumus) potest rationabili fundamento conjici. Continet hæc charta donationem, quam *Gisulfus filius quondam Romualdi ducis habitator in territorio Corneliensi* facit *Johanni archiepiscopo Ravennati* de curtibus positis in *Balnearea*, in massis *Metatiano*, *Medicina & Boeta*, & de rebus omnibus, quas habebat in territorio Bononiensi, Corneliensi & Faventino anno 855. Porro *Romualdus dux* Gisulfi pater videtur unus fuisse ex progenitoribus Romualdi nostri, & cum in ejusdem ducis familia, præter suum Romualdi nomen, reperiatur etiam illud Gisulfi, quod utrumque Beneventanorum ducum fuit proprium, dignitas insuper ducalis adjiciatur, non inverisimiliter dici potest, surculum aliquem ex Beneventanis ducibus, patrio solo relicto, sedem suam fixisse aut in urbe Ravenna, aut in aliqua ex Æmiliæ civitatibus. Chartam rejicimus in Appendicem, quod & de aliis omnibus, quæ in his Annalibus frequentissimæ erunt, præstabimus; & licet eam autographam dicere inconcusse non audeamus, venerandam nihilominus redolet antiquitatem, ut vel eodem, vel posteriori seculo confectam existimemus; & eam quidem integram, nullaque altera sui parte vitiatam, præter primam lineam, quæ omnino est detruncata, & in qua facile legebatur annus trigesimus-sextus Lotharii imperatoris; nam in secunda linea legitur: *domno Lodoiucus ite imperator ejus filio anno* VI. *die* VII. *mensis marcii indictione tercia*; scimus enim ex aliis tabulis, quas producit [a] Muratorius, annos imperii Lotharii imperatoris, cujus filius erat Ludovicus, numeratos fuisse usque ad assumptam mense septembri anni 855. monasticam vestem in abbatia Prumiensi ab eodem Lothario.

a *Antiq. medii ævi T. II. col.* 196.

Ann. Chr. 922. Romualdi 15.

VIII.

Tentationibus carnis obnoxius Romualdus, quibus resistit.

PUBERTATIS annos ingressus Romualdus, delicias, in quibus, juxta generis sui nobilitatem, nutriebatur, sanctitati vitæ plurimum obesse agnovit, vitia quinimmo fovere, & ad Dei offensas animum disponere; carnis quoque stimulis inflammatus, ut de illo sanctus Petrus Damianus [b] testatum reliquit, *cœpit in peccato carnis proclivis existere, quo videlicet vitio illa ætas impugnare homines præsertim divites vehementius solet*. Ignavus tamen non cedebat, neque inimici malignis incitamentis victas dabat manus; virili quinimmo constantia reluctans hostis insultibus, ab ipso adolescentiæ suæ flore, Dei adjutorio fretus, laboriosam de ipso referebat victoriam, fortiorque ex hujusmodi concertationibus evadebat; *mente tamen Deo devotus, frequenter se tentabat erigere, facturumque se magnum aliquid proponebat*, ut idem sanctus ejus vitæ scriptor prosequitur. Hinc miramur, quo testimonio ducti, vitioso cœno deturpatos primos Romualdi annos asseruerint aliqui; inter quos Rambekius, qui illum quasi Veneris sectatorem in ejus vita seu elogio ad diem XIX. junii kalendarii Benedictini nobis exhibet: *post veneres*, inquit, *venatus*, *feras*; cum verba Damiani de sola rebellis sensus infestatione cogitationes & inordinatos motus ad summum immittentis exponi debeant: quandoquidem honestissimus adolescens, elevata in cœlum mente, auxilium inde frequenter implorans, ac se sanctis propositis subinde muniens, ut sensus illecebris contraire posset, jam inde ab initio adolescentiæ admodum sollicitus fuisse videatur, ne se infici permitteret, & a voluptatum lubrico satis mature gressus coercere suos curaverit. Quare aliquanto modestior Lucas Hispanus [c] in historia Romualdina „ in pueritia, inquit, inque pubertatis flore in „ deliciis educatus fuerat adolescens, nobilium corruptos mores in multis „ sequutus perhibetur; passim tamen piam mentem in actibus suis osten- „ dere

b *Vit. S. Rom. cap.* 1.

c *Lib. I. cap.* 4.

„ dere visus est. “ Stat pro illibata Romualdi vita etiam [a] Fortunius , dum ejus indolem describens , „ educatus fuerat , ait , a teneris annis „ Romualdus pro generis nobilitate , ut puer lepidus & delicatus . Qui „ tamen pro ætate subcrescens , multum divinæ religioni , religiosisque „ viris tribuere studeret: maxime vero quomodo eremitæ in eremo pro„ cul omni strepitu Deo famulentur, audire delectabatur. Subinde ubi ad „ pubertatis annos pervenit , sentiens se stimulis carnis acriter , ut fert „ juventus, impugnari, tunc animo anxius secum volutare incipit , quo„ modo sese ab omni labe integrum castumque exhibeat , salutique ani„ mæ potissimum consulat. “

Ann. Chr. 922. Romualdi 15.

a *Lib. I. c. VII. p. 18.*

IX. Musicæ exercitiis minime deditus.

PHILIPPUS Macchiarellius eremita noster Coronensis, qui vitam sancti patris typis Neapolitanis anno 1716. cum variis notitiis historicis in lucem protulit , adolescentem Romualdum musicæ exercitiis se tradidisse scribit; verum horum exercitiorum in Petro Damiano altum silentium ; neque ejus ætatis mores ferebant, ut nobiles & ingenui pueri hujuscemodi studiis operam navarent , nisi qui se devoverent ecclesiasticis ordinum gradibus, quibus divinas laudes canendi ministerium erat adnexum . Vix autem ullus alibi musicæ usus tunc vigebat; nam ad inferiora secula sunt retrahendæ theatrales harmoniæ, & profanarum cantionum illecebræ . At primis adolescentiæ suæ annis Romualdus seculi fugam, & sacrorum ordinum susceptionem nondum cogitabat.

Ann. Chr. 925. Romualdi 18.

X. Solitariæ vitæ inhiat.

b *Vit. S. Rom. cap. I.*

ROMUALDUS, ad declinanda urbium & frequentiæ virorum pericula, innoxiis aliis exercitiis & oblectamentis vacabat, aucupio nimirum & venationibus; & tamen irrequietus majora animo suspirabat, mentique illius frequenter obversabatur felicitas solitariæ , & ab hominum consortio remotæ vitæ; *si quando*, [b] verba sunt Damiani, *se ad studium venationis accingeret , ubicumque per silvas amœnum locum reperire poterat , mox se ad eremi desiderium ejus animus accendebat* . Conjiciunt aliqui sanctissima hæc desideria haud procul a Classensi nostro pineto enata fuisse, dum suaves ejus umbras strenuus adolescens peragrare in deliciis haberet; & sicut Classense templum fuit primus & insignis conversionis Romualdi locus, ita Classenses silvas primum fuisse votorum hujusmodi theatrum; ibique ejusdem animo inserta velut cœlestia fuisse semina , ex quibus perfectæ anachoreseos exemplar tempore suo pullularet , firmas radices ageret , ac longe lateque protenderetur . Quotiens in his solitudinibus menti & linguæ Romualdi occurrebant : *O quam bene poterant eremitæ in his nemorum recessibus habitare ! quam congrue possent hic ab omni secularis strepitus perturbatione quiescere ! & ita mens ejus cœlitus inspirata jam divinabatur in amore , quod impleturus erat postmodum opere* . Eremiticæ vitæ laudes, quæ ex ore adolescentis Romualdi erumpebant, occasionem forsan dederint [c] Macchiarellio existimandi Romualdum modulatis carminibus cecinisse solitudinis elogium, cum tamen illæ vel in ejus pectore sedem haberent , vel si ab ore etiam prosilirent , simplici prolatione , non artificiosa cantilena efformarentur . Ceterum respexisse videtur Romualdus ad tempora etiam anteriora, & ad traditionem illam, quæ apud Ravennates perdurabat, fuisse olim in Pineto prope mare monasterium , in quo sub regula sancti Basilii vivebant monachi , seu potius eremitæ , & de quo memoriam nobis reliquit Rufinus præfatione in regulam ejusdem sancti Basilii. [d] *Angusto*, describit hoc monasterium, quod ingressus fuerat, Rufinus, *arenosi tramitis dorso superpositum, quod hinc atque hinc passivi & incerti maris unda circumluebat* . Ibi *rara tantummodo latentes locos eminus* occupa-

c *Notizie Storiche pag. 7.*

d *Cod. Regul. pag. 97.*

Ann. Chr. 925. Romualdi 18.

occupabat *pinus*, *ex qua & Pineti clarum nomen seculo dedit*. Ursei Pinetensis abbatis meminit idem Rufinus, cujus rogatu latinitate donavit eamdem sancti Basilii regulam, ut aliis *occiduæ partis monasteriis* ejus exemplaria latina præberet; quem etiam laudat, quod *non, ut aliquibus mos est, vel de locis, vel de opibus Orientis sollicite* percontatus fuisset, *sed quænam ibi servorum Dei haberetur observatio, quæ instituta servarentur in monasteriis*, requisisset; quare hoc monasterio se magnopere delectatum fuisse subdit idem Rufinus. Mabillonius, [a] „ quid sit *Pinetum*, „ & ubinam gentium situm fuerit, disputari asserens, aliis in Sicilia, „ aliis prope Rhegium statuentibus, sibi non aliud videri, quam Classense sanctorum Johannis & Stephani monasterium, cui sub finem seculi sexti præerat Claudius abbas, Gregorii magni discipulus, pronuntiat; aliud a Classensi item sancti Apollinaris, quod a Johanne episcopo Ravennate quinto ad corpus ejusdem sancti martyris constructum „ est; itemque aliud a monasterio sancti Severi, cujus origo Petro archiepiscopo ejus nomini secundo tribuitur. Quippe, prosequitur, huic loco recte convenit superior Pineti, juxta Rufinum, descriptio, cum Classis oppidum a Ravenna tribus fere passuum millibus sejunctum ad oram „ maris Adriatici adjunctam habeat Piniciam silvam, ob frequentes in ea „ pinus, quod Pineto nomen dedit. Pineta vocat [b] Jornandes, & tertio „ a Ravenna milliario locat. “ Hæc de Pinetensi monasterio Mabillonius; sed vel Pinetum fuerit, ipsum sanctorum Johannis & Stephani monasterium, vel monasterium sancti Stephani *ad Pinum*, ut vocabant rustici, quod Agnellus nominat *ad Titum*, de quo nos ad annum 1029. agemus, vel aliud, cujus situs & vestigia e memoria hominum exciderint, non improbabiliter dicimus Romualdum, qui noverit ibi aliquando ascetas a seculi consortio remotos habitasse, eorum sorti invidisse, & intra se cogitasse, *quam bene poterant eremitæ in his nemorum recessibus habitare;* ac mente & corde desiderium fovisse, ut hujuscemodi solitaria vita restitueretur; quare intime subjungebat: *quam congrue possent hic ab omni secularis strepitus perturbatione quiescere!*

a Annal. T. I. pag. 7.

b Cap. 57. de rebus Geticis.

Ann. Chr. 926. Romualdi 19.

XI. Sergio patre propinquum occidente Romualdus se recipit in Classense monasterium.

CUNCTABUNDUM Romualdum circa status electionem tardumque ad fortiores dispositiones recipiendas, sequenti casu divina gratia ad se pertraxit; quem ipsis Damiani verbis referimus. [c] *Huic*, nempe Romualdo, *erat pater, nomine Sergius, mundo vehementer intentus, & omnino secularibus negotiis implicatus. Qui dum adversus quemdam propinquum suum, exortis simultatibus pro possessione prati, inimicitias exerceret, videns filium suum Romualdum in contentione mollescere, crimenque fratricidii medullitus formidare, minari cœpit exhæredem facere, si in eadem diutius sententia permaneret. Quid plura? Tandem utræque inimicantium partes ex urbe ad litis materiam proruunt, arma corripiunt, bellum sociale committunt, & dum cominus hinc inde pugnatur, repente manu Sergii inimicus & affinis occiditur. Romualdus autem, licet nullum perempto vulnus inflixerit, quia tamen interfuit, pœnitentiam tanti reatus accepit; moxque ad Classense monasterium beati Apollinaris, more homicidarum, diebus quadraginta permansurus in luctibus properavit*. Nunc singillatim illustranda sunt Damiani verba; ea non satis expendit Fortunius noster, qui Sergium putat exhæredationem filio comminatum fuisse post perpetratum facinus; id ante pugnam factum tradit sanctus doctor. Sed neque Damiani mentem assecutus est, dum scribit Romualdum ad Classense cœnobium confugisse, ut vice patris non cogitantis pœnitentiam de commis-

c Vit. S. Rom. cap. 1.

so homicidio in se susciperet. Labem in eo facto deprehendit sanctus juvenis, quia præsentiam suam non subduxit; atque proinde satisfacere voluit pro se, licet nullum perempto vulnus inflixisset, quia dum interfuit pugnæ, probare vel promovere visus est homicidium. Minus audiendi sunt, qui Romualdum arbitrantur se recepisse in Classense monasterium ad declinandas forensis justitiæ manus; quod cogitatum magis est mirandum in iis, qui de Sergio & de Romualdo loquuntur tamquam de absolutis principibus. Langobardorum & Italicorum ea erat tunc temporis consuetudo, ut ferro & certamine singulari, vel conflictu utriusque partis adversariæ lites dirimerentur. Determinatio numeri quadraginta dierum pœnitentiæ pro eluendo homicidio indicat confugium ad sacra loca factum non fuisse a Romualdo, ut se subduceret a judicio, perinde ac elapso eo termino nil sibi amplius timendum superesset. Sed inferius de hac re. Sergii inimicitias cum *propinquo* occasione unius prati aperte designat Damianus. An vero necessitudine cum Sergio conjunctus esset inimicus ab ipso interfectus, suadere videntur verba illa, *dum cominus hinc inde pugnatur, repente manu Sergii inimicus & AFFINIS occiditur*. Verum dictio *affinis* desideratur in fragmento veteri vitæ sancti Romualdi, quod extat in codice Vaticanæ bibliothecæ num. 5411. deest etiam in nostro antiquo codice, de quo anno sequenti, neque pariter legitur in primis editionibus ejusdem vitæ. Quare Rubeus ait inter Sergium patrem contentionem fuisse & inter vicinum, qui propterea habitatione tantum & prædiorum possessione, non consanguinitate propinquus dici potuerit a Damiano.

XII. Descriptio basilicæ & monasterii Classensis.

CLASSENSE monasterium, ubi Romualdus pœnitentiam acturus, post perpetratum a Sergio patre homicidium, se recepit, celeberrimum illud est & antiquissimum beatissimi Apollinaris primi Ravennatis præsulis, confessoris & martyris glorioso titulo decoratum, in Classe urbe prope Ravennam situm, minime confundendum, ut observavimus, alibique agemus, cum altero monasterio sanctorum Johannis & Stephani in eadem Classis civitate, cui Claudius præfuit, & post eum ex [a] Rubeo & ex [b] Mabillonio Maurus, qui ad episcopalem Cesenæ cathedram deinceps sublimari meruit. Nostrum vero Classense cœnobium apud sancti Apollinaris basilicam consurgebat, cujus utriusque historiam a sua origine repetere & prosequi juxta institutum nobis propositum non injucundum, utile quinimmo fore censemus, præsertim cum de utroque annis subsecuturis frequentissima sit futura mentio. Basilica sancti Apollinaris magnifice jussu Ursicini archiepiscopi Ravennatis, melius quam Ecclesii ejus decessoris, extructa fuerat a Juliano Argentario (thesauri episcopalis custodem explicat doctissimus [b] Bacchinius in libro Pontificali, sive in vitis pontificum Ravennatum; malunt alii Argentariorum familiam nobilissimam fuisse in urbe Ravenna) & a Maximiano Ursicini post Victorem successore fuerat consecrata, prope quam Johannes hujus nominis III. non V. ut perperam legitur apud Mabillonium primo ex locis nuper citatis, monasterium ædificavit tempore sancti Gregorii Magni, quem etiam tradebant veteres illuc aliquando profectum nudis pedibus templi januam ingredi voluisse, unde & pedum vestigia subjecto lapidi impressa, & brachii formam in laterali saxo excavatam ostendebant; forte ante pontificatum, occasione CP. legationis, id contigerit, nam in ipso pontificatu Gregorium iter illud suscepisse, vix potuissent persuadere. Superiora constant auctoritate omnium Ravennatum historicorum, & præcipue antiquioris inter ipsos, Agnelli nimirum, qui in vitis ejusdem ecclesiæ antistitum hæc de Ursicino habet: [c] *Jussitque, & am-*

a *Lib. IV. p.* 197.

b *Ann. Lib. I. n.* 15. *Lib. VIII. n.* 37. *Lib. X. n.* 19.

b *P. II. p.* 56.

c *Par. II. pag.* 67

Ann. Chr. 926. Romualdi 19.

& ammonuit hic sanctus vir, ut ecclesiam beati Apollinaris ab Juliano Argentario fundata, & consummata fuisset. Qui jussa mox adimplens, Deo volente, structa ab eo sancto est viro in lapidibus Italiae partibus pretiosis. Nulla ecclesia similis isti, eo quod in nocte, ut in die, pene scandesiat, juxta aliam lectionem, scandescitur, forte candesiat, vel claresiat, occasione nimirum pellucidorum marmorum, quibus lucem quodammodo transmittebat noctis etiam tempore. Quare in appendice ad eumdem Agnellum auctor anonymus seculi XIII. qui vivebat tempore Opizonis de sancto Vitali de Parma archiepiscopi Ravennatis, clarius scribit [a]: *Nulla ecclesia similis illi, eo quod in nocte pene ut in die coruscat.* Juxta Bacchinii chronologiam Ursicinus ordinatus archiepiscopus Ravennas anno 534. obiit anno 538. Hoc temporis proinde intervallo erecta fuit basilica Classensis, & postponendae Rubei, Fabrii & aliorum scriptorum sententiae, qui ipsius aedificationem, post fere decennium, ad annum 545. protrahunt, nam eo anno sedebat in cathedra Ravennate Victor Ursicini successor. De Maximiano autem haec scribit idem Agnellus [b]: *Consecravit ecclesiam beati Apollinaris pontificis in Classe sitam.* Et paullo post [c]: *In ardicaque beati Apollinaris ... tabulas descriptas invenietis magnis literis continentes ita; beati Apollinaris sacerdotis mandante viro beatissimo Ursicino episcopo a fundamentis Julianus Argentarius aedificavit, ornavit atque dedicavit, consecrante vero beato Maximiano episcopo, die* VIIII. *majarum indictione* XII. *octies P. C. Basilii.* Loquitur nimirum Agnellus de vetustissima inscriptione uncialibus characteribus marmori insculpta, quae etiam hodie visitur inter secundum & tertium sarcophagum ad laevum parietem egredientibus ab ecclesia; & est hujusmodi:

† IN HOC· LOCO· STETIT· ARCA BEATI· APOLENARIS· SACERDOTIS·
ET CONFESSORIS· A TEMPORE· TRANSITVS· SVI· VSQVE· DIAE·
QUA PER VIRVM BEATVMAXIMIANVM· EPISCOPVM· TRANSLATA EST·
ET INTRODVCTA· IN BASILICA· QVAM IVLIANVS· ARGENTARIVS.
A FVNDAMENTIS· AEDIFICAVIT· ET DEDICATA· AB EODEM VIRO·
BEATISSIMO· DIE· VII· IDVS· MAIARVM·IND·DVODEC·OCTIES· PC· BASILIIVN.

Is est annus 549. biennio postquam in locum defuncti Victoris electus fuerat Ravennae archiepiscopus Maximianus. Illud miramur, qua ratione contra Agnelli, immo contra vetustissimae allatae inscriptionis fidem, contra etiam paginam, quam vocant, indulgentiarum Ubaldi Ravennatis archiepiscopi non ad diem IX. maji, sed ad VII. diem ejusdem mensis anteponant aliqui, inter quos [d] Fabrius, dedicationem basilicae Classensis factam a Maximiano. Sed jam errandi his occasionem dedere verba ejusdem Agnelli, qui id factum asseruit *die* VIIII. *majarum*; quibus notis non ipsam diem nonarum, hoc est septimam, sed diem nonam, & clarius diem, quae signatur VII. idus maji, voluit Agnellus exprimere. Auxit eam erroris occasionem [e] Rubeus, qui referens ipsa Agnelli verba, immo tabellam, ut scribit, ex marmore, loco *die* VIIII. *maji* usus fuit verbis *die nonarum maji*. In suprarelata inscriptione omnes lineae sunt ejusdem prorsus longitudinis. Puncta posita sunt supra medietatem literae ad modum trianguli. Litera A est sic efformata A. In tertio versu ad dictionem BEATV omittitur litera M. quia sequens dictio incipit ab eadem litera; sicut pariter in postremo versu secunda litera I. BASILII inservit etiam pro prima litera alterius dictionis IVN. itaut sensus sit OCTIES. POST. CONSVLA-

a Pag. 68.
b Par. II. p. 94.
c Ibid, p. 95.
d Par. I. p. 93.
e Lib. III. p. 162.

SVLATVM. BASILII. IVNIORIS. Idipsum frequentius observatur in veteribus chartis ad undecimum usque seculum.

ANN. CHR. 926. ROMUALDI 19.

XIII. A quibus fundata ea basilica?

HINC non audiendi, qui Justiniani magni imperatoris expensis fabrefactum templum scripsere, & fabulas rebus veris immiscentes existimarunt ipsum cum commoraretur Ravennæ, quam tamen nunquam vidit, admonitum fuisse in somnis a sancto Apollinare, ut in sui honorem basilicam construeret, de cujus etiam ædificatione altum silentium in libris Procopii Cæsariensis de Ædificiis Justiniani imperatoris. Sed neque audiendi, qui id factum opera Narsetis asseruerunt, multoque minus, qui Theodorici regis jussu excitatum templum affirmarunt. Quare Rubeus „ Ursicinus „ &c., inquit [a], Julianum Argentarium in ædificationem augustissimi tem- „ pli divi Vitalis incumbentem hortatur, ut ad unius patroni civitatis „ templum alterum adjungeret divo Apollinari, & geminata pietate am- „ bos Ravennatum divos tutelares honore afficeret. Id cum Justiniano „ Argentarius significasset, & Cæsar fuisset assensus, ad Classem, ubi tem- „ plum ignobile divo Apollinari extructum erat, majus ac nobilius tem- „ plum ædificavit. Quod ad hanc diem exstat, ipsam egregii operis ad- „ mirabilem antiquitatem præseferens. Non me latet hoc ab Narsete „ ædificatum plerosque scribere, sed Riccobaldo & aliis Justiniano per „ Argentarium, Argentariove ipsi adscribentibus ego pluribus de caussis li- „ bentius assentior, accedente ad hæc vetustissimo lapide in ipso templi „ medio literis ejus seculi sculpto, in quo legitur, Maximianum archie- „ piscopum Ravennatem templum illud ab Juliano Argentario mandato „ Ursicini archiepiscopi ædificatum consecrasse. Blondus omnium senten- „ tia decipitur, qui de illustrata Italia scribens, id ab Theodorico ædi- „ ficatum putat... Ejus imago (nempe Ursicini) in testudine spectatur „ Classensis templi. “ Hæc Rubeus.

a Lib. III. p. 106.

XIV. Et monasterium?

JOHANNEM autem tertium Ravennatem archiepiscopum erexisse ab anno 575. ad 595. quibus sedem illam tenuit, cœnobium prope basilicam sancti Apollinaris, auctor omni exceptione superior est Gregorius Magnus, qui eodem anno 595. Marinianum Johannis successorem in archiepiscopatu Ravennate hortatur, ne ullum damnum patiatur inferri monasterio ab illius decessore constructo: *quia vero*, [b] inquit, *dum viveret* (supple Johannes) *sæpius a nobis expetiit, ut ea, quæ in monasterio illo contulerat, quod juxta ecclesiam sancti Apollinaris ipse construxerat, nostra debuissemus auctoritate firmare, & nos facturos hoc esse promisimus, fraternitatem vestram necessario prævidimus adhortandam, ut nihil de his, quæ illic contulit atque constituit, aliquo modo patiatur imminui, sed omnia firma studeat stabilitate servari. Hujus igitur monasterii, & collatarum illic rerum, quia in testamento, quod condidit, fecisse noscitur mentionem, sciendum vobis est, non ea nos ideo confirmasse, quoniam supremam ejus sequimur voluntatem, sed quia ei hoc, sicut diximus, viventi promisimus. Hæc itaque omnia sic sollicite fraternitas vestra implere festinet, quatenus & quæ in suprascripto monasterio constituit, & a nobis sunt firmata, serventur, & illa, quæ in damnum dari vel fieri per testamentum suæ decrevit ecclesiæ, nullam, prohibente nempe lege, obtineant firmitatem*. Dubitat quidam Rubeus, an hæc Gregorii verba ad Classense monasterium sint referenda; & posteaquam scripserat Johannem in Classensi basilica eleganti sacello, araque dedicata collocasse reliquias Marci, Marcelli & Feliculæ, quas ab eodem pontifice acceperat, subdit: [c] „ facile autem cognosci potest sacel- „ lum & cœnobium hoc ab Johanne archiepiscopo jam usque ab Smara- „ gdi exarchatu cœptum, pontificatu Gregorii absolutum fuisse; an vero „ illud

b Lib. VI. Reg. epist. I. edit. Monachor. T. II. p. 791.

c L. IV. p. 188.

ANN. CHR. 926. ROMUALDI 19.

„ illud sit, quod prope divi Apollinaris multis ditatum vectigalibus ac „ prædiis ædificavit, quæque ab Gregorio pontifice maximo probari cum „ postulasset, impetrare morte præventus non potuit, incertum est. " Sed Rubei dubitatio collabitur, dum conceptis verbis dicit Gregorius, monasterium ædificatum a Johanne fuisse *juxta ecclesiam sancti Apollinaris*. Duplex, sententia nostra, Johannis ædificatio prope basilicam sancti Apollinaris est distinguenda; constructio nimirum sacelli & aræ sanctis illis martyribus ex uno basilicæ latere, quartodecimo suæ ordinationis, hoc est anno 589. & ex alio ejusdem basilicæ latere ante annum 595. constructio monasterii, ut usui foret, & habitationem præberet inservientibus cultui præfatæ ecclesiæ. De postremo ædificio intelligendus Gregorius; de primo Agnellus, qui hæc de Johanne memoriæ prodidit [a]: *Postquam autem obiit hic beatissimus Johannes die* XI. *mense januarii sepultus est in ecclesia beati Apollinaris civitatis Classis extra muros in monasterio sanctorum Marci, Marcelli & Feliculæ, quod ipse a fundamentis ædificavit, & tessellis decoravit, & omnia consummavit, & super valvas dicti monasterii versus metricos invenietis continentes ita:*

a Par. II. p. 192.

Inclyta præfulgent sanctorum limina templi
Marci, Marcelli, Feliculæque simul.
Pontifices hos Roma cœpit, hæc martyr habetur
Horum Gregorius dat papa reliquias;
Quas petit antistes meritis animoque Johannes,
Parvula pro summis reddere dona parat.
Oraculum statuit tanta virtute repletus,
Cujus ab auspiciis gratia constat opus.
Qui bis septeno sacri diadematis anno
Tractatu vigili, quo regit ecclesiam.
Hanc quoque regentem verendi culminis arcem
Fixit, & eventum traxit ad arbitrium.
Miranda subito suspendens arte cacumen
Inflexum reparat parte ab utraque latus.
Additur his meritis felix Smaragdus in ævum,
Cujus in his titulis participatur opus.

Ad hodiernam diem extat a læva parte egredientium a basilica Classensi sacellum in eorum Sanctorum honorem. An vero sub eadem ara, vel sub alia basilicæ Classensis reposita fuerint corpora sanctorum Macarii, Crispini, Felicis & Aemilii, quibus ab eodem pontifice maximo Gregorio donatus fuit Johannes, non liquet. Obiter animadvertimus Johannem episcopum Ravennatem, qui vixit tempore Gregorii Magni, fuisse III. non V. ut contra Mabillonium superius monuimus; Johannes enim V. octavo seculo floruit; illud etiam superaddimus longe eos decipi, qui monasterii Classensis sancti Apollinaris incolam fuisse existimarunt Cassiodorium jam ab anno 514. Consulem, quique anno 562. nonagesimum quartum numerabat ætatis suæ annum. Is scilicet, tempore exstructionis cœnobii Classensis jam ultimum diem obierat, ut liquido ex dictis fit compertum.

XV. Canonici deputati in servitium ejusdem basilicæ.

CANONICOS in servitium ecclesiæ Classensis deputavit Johannes III. vel Marinianus, aut successores Ravennates archiepiscopi, cum scribat Rubeus, [b] „ canonicis sacerdotibus communitatem vitæ minime servan- „ tibus fuisse basilicam addictam, " antequam ad monachorum institutionem & disciplinam redigeretur; & pluribus seculis ante Rubeum, cano-

b Lib. IV. p. 224.

nicus

nicus anonymus auctor decimi seculi in vita beati Probi, quæ extat in Spicilegio Ravennatis historiæ apud Muratorium, de Sergio archiepiscopo Ravennate loquens habeat: [a] *Hic tandem in beati Apollinaris ecclesia monachorum ordinem, quæ canonicorum prius constabat, cum cœnobitarum officinis statuit, multaque ibidem prædia cum utriusque sexus familiis reliquit*. Hinc, ut ostendit [b] Bacchinius, minime de monasterio sancti Apollinaris in Classe intelligendus est Agnellus, cum verba faciens de Reparato monacho, inde abbate, tum archiepiscopo Ravennate ait: [c] *De monasterio sancti Apollenaris quæsitus est hic Ravennæ non longe a posterula Ovilionis in loco, qui vocatur Moneta-publica: exinde abba fuit*; neque cum idipsum asseruit de Gratioso altero Ravennate archiepiscopo dicens: [d] *Ex monasterio beati Apollenaris abba fuit, quod est fundatum non longe ab ecclesia sanctæ Redemptricis Crucis ad Monetam-veterem, unde sanctissimus Reparatus fuit*. Ex hoc postremo Agnelli loco constat Reparatum & Gratiosum fuisse abbates sancti Apollinaris *in Veclo* ad Ravennæ mœnia, ubi & sanctæ Crucis & sancti Apollinaris prostabant ecclesiæ, non autem abbates sancti Apollinaris in Classe, cujus cœnobium nondum incolebant monachi.

ANN. CHR. 926. ROMUALDI 19.

a Script. rer. Italicar. T. I. P. II. p. 554.
b Par. II. pag. 227.
c Ibid. p. 293.
d Ibid. p. 450.

XVI. Quando introducti monachi?

QUARE in Classensi monasterio statuti non fuere a sui ædificatione cœnobitæ, ut errore docuit Antonius Yepesius, qui eos introductos a Mariniano archiepiscopo circa annum 595. scripsit, sed post plures annos. Agnellus reducit ad tempora Ravennatis antistitis Sergii, asserens de illo: [e] *ædificavit iste cellam beati Apollenaris de parte virorum, ubi & monachos statuit, & reliquit ibidem multas possessiones*. Similia, ut mox diximus, protulit canonicus seculi decimi. Id sub Stephano II. papa factum fuisse vult [f] Rubeus; alii sub Zacharia, qui Romanus pontifex insuper, teste Agnello [g], *in ecclesia beati Apollenaris missam celebravit, & endothim*, hoc est velum, quo altaris pars anterior cooperiebatur, *ex blatta alithena cum margaritis mirifice ornatam obtulit, & suum nomen ibidem exaratum est*. Blondus monachos invectos asserit sub Gregorio III. Nos id contigisse saltem sub Gregorio III. & forte sub II. ac consequenter paullo ante tempora Sergii archipræsulis Ravennatis (cui ideo monachorum Classensium credimus tributam introductionem, quod postremam forsan operi manum dederit) evinci posse opinamur ex sequenti Johannis V. Sergii immediati prædecessoris lapide, qui modo cernitur supra primum ordine egredientibus e templo inter sarcophaga dexteræ navis ejusdem Classensis basilicæ. Marmor præfert annum DCC.XXXI. & insculptum fuit ad perennandam donationem, quam idem Johannes fecit eo anno collegio monachorum sancti Apollinaris. Hujus donationis primas lineas tantum attulit [h] Rubeus; integram autem exscripsere [i] Fabrius & Franciscus Blanchinius in præfatione ad vitas Romanorum pontificum Anastasii bibliothecarii a Muratorio editas, sed nonnullis erroribus respersam, quippe eorum tempore in sublimi & obscuro loco sita erat inscriptio; verum marmore in commodiorem locum & ad oculos legentium, supra sarcophagum nimirum ejusdem Johannis, translato anno 1721. quo domnus Casimirus Galaminius abbas Classensis monasterii basilicam restauravit & ornavit, inscriptio denuo producta fuit [k] a nostro domno Angelo Calogierà, cujus beneficio plures emendantur errores Blanchinianæ editionis. Rem gratam lectoribus facturos nos existimamus, si iterum, rarioribus factis diariis litteratorum, in quibus legitur, postquam illam visu pluries consuluimus, ipsorum etiam oculis heic loci subjiciamus; quæ est hujusmodi.

e Par. II. p. 431.
f Lib. IV. p. 224.
g Par. II. p. 422.
h Lib. IV. p. 219.
i Memorie sacre di Ravenna p. 115.
k T. II. Par. I. Giornale de' Letter. di Europa. pag. 56.

† IN

Ann. Chr. 926. Romualdi 19.

† IN NOMINE PATRIS. ET FILII. ET SPIRITVS SANCTI. IMPERANTI BVS. PIISSIMIS DOMINIS NOSTRIS LEONE ET CONSTANTINO A DEO CORONATIS. PACIFICIS. MAGNIS IMPERATORIBVS. LEONE QVIDEM CLEMENTISSIMO. IMPERII. ANNO XV. CONSTANTINO VERO A DEO CORONATO. IMPERII. ANNO XI. GVVERNANTEM ITALIA DOMINO EV TYCHIO EXCELLENTISSIMO. PATRICIO. ET EXARCHA. IIII. KALENDAS. FE BRVARIAS INDICTIONE. XIIII. HIC TITVLVS MONSTRAT. OPVS LAVDA VILE FACTVM. QVOD PIO CONSILIO. CONCEPIT MENTE PRAESVL. IO HANNES ALMVS PONTIFEX. IVNIOR IN NOMINE QVINTVS. QVI CVRA PERVIGILI AETERNI PREMIA REGNI. FIDVS VT POSSIDEAT. AEGENO RVM AGMINA PRAECANT. LIMINIBVS SACRIS. HOC SIBI MONVMEN TVM LOCAVIT. APOLLENARI SANCTO COMMENDANS PVLVEREA MEM BRA. QVAE SVRRECTVRA CREDIT. CARNIS RESVMTO VIGORE. CON TVLIT ET DONVM QVOD SERVIS DOMINI PROSIT. QVI LAVDES AD SIDVAS MARTYRI SANCTO LIBANT. FVNDVM GAMMILLARIA. CASALI BVS. VNDIQVE VALATVM. CVM SVIS TERMINIBVS SICVT TEXTVS DONATIONIS DESIGNAT. APTVM SERVIS DOMINI RAVENNATI TERRI TORIO SITVM. FERTILEM FECVNDVM IGNIS. AD VSVM LIGNAMEN. ET SVES ET QVOD PABVLENT. SILVARVM GLANDIFERA POMA. DANS SAN CTAE ECCLESIAE. COMMVTATA AD VICEM LOCA. FVNDVM TREGIN TVLA. FAVENTINO. TERRITORIO CONSTITVTO. ATQVE. FVNDVM PIT TVLIS CORNILIENSI. TERRITORIO. REIACENTEM. SIMVLQVE ARGENTI QVATERDENA PVNDERA MVNDVM. QVOD SIBI LEGITIME GENITORVM CONTVLIT IVRA. VT SIT INLIVATVM. NEC REVOCETVR VMQVAM. QVOD VHIC COLLEGIO MONACHORVM STIPENDIIS AD VICEM CESSIT. EX CVIVS REDITIBVS PRAEPARENTVR AFFAVILES DAPES. HIS QVI EIVS NOMINI ANNVAE COLVERINT DIEM. QVO IVSSO DOMINANTIS MIGRAVERIT. AD CAELESTIA REGNA. HOC QVORAM CONCILIO STA TVIT ATQVE FIRMAVIT. VT SI QVIS SVCCESSOR SEDIS ECCLESIEQVE. ACTOR. VEL ABBA PREPOSITVS. HVIVS VENERAVILIS TEMPLI. PRAE NOMINATVM. FVNDVM GAMMILLARIA. EX PARTEM VEL TOTVM PER QVOVIS INGENIO AB VSVM SERVORVM. DOMINI. HIC DESERVIEN TIVM ALIENARE PRAESVMPSERIT. VEL COMMVTARE AVT PER EN FYTEVSEOS CHARTVLA LARGIRE. AETERNAM CONDEMATIONEM. SV STINEAT CVM TRADITORE IVDA. ET HIS QVI PETIERIT. ET QVI LARGIRE TEMTAVERIT. CONSTRICTVS ANATHEMATIS VINCVLIS. SAN CTORVM. TRECENTORVM. DECEM. ET OCTO PATRVM †

Notæ

Notæ chronicæ hujuſce inſcriptionis apprime conveniunt anno 731. integro vicennio antequam cathedram Ravennatem conſcenderet Sergius. Johannes ergo, non Sergius, monachos ad cultum Claſſenſis baſilicæ evocavit; niſi, ad conciliandam marmoris cum Agnello ceteriſque hiſtoricis auctoritatem, velimus dicere id animo, dum in vivis ageret, deſignaſſe Johannem poſt obitum ſuum exequendum, ſucceſſoremque ipſius Sergium vota prædeceſſoris ſancte adimpleſſe.

ANN. CHR. 926. ROMUALDI 19.

QUISNAM fuerit primus Claſſenſis monaſterii abbas, incompertum; latent & nomina ſucceſſorum uſque ad Romualdi tempora, ſi Dominicus & Urſus levita excipiantur. De Dominico abbate ad annum 782. mentio fit in ampliſſimo privilegio, quod eo anno ipſi & monaſterio Claſſenſi conceſſit Adrianus papa I. quo confirmat omnia cœnobii bona, eo onere appoſito, ut ſingulis diebus monachi in ſacra miſſarum actione memoriam ejus faciant, & in matutinis officiis tercenties *kyrie eleiſon* pro ipſo decantent. *Data kalendis novembris per manum Anaſtaſii ſcriniarii regnante Domino Deo & ſalvatore Jeſu Chriſto cum Deo Patre omnipotenti, & Spiritu Sancto per infinita ſecula. Anno Deo propitio pontificatus Domini in apoſtolica ſede undecimo indictione ſexta.* Obſervandum nullam fieri imperatorum Græcorum mentionem, & indictionem ſextam auſpicatam fuiſſe a menſe ſeptembri. Integrum diploma in Appendice proferimus. Alterius abbatis Claſſenſis Urſi levitæ, tempore Dominici Ublatella, qui creatus fuit archiepiſcopus Ravennas anno 889. extabat tempore Fortunii[a] monumentum ſuper aram intemeratæ virgini Dei genitrici Mariæ dicatam in medio baſilicæ cubo marmoreo exornatam columniſque porphyreticis ſubnixam, in qua ſic legebatur:

XVII. Quinam fuerint primi abbates?

a *Par. II. pag.* 14.

VRSVS. LEVITA. ET. ABBAS. HVIVS. REGVLARIS. MONASTERII
IN. NOMINE. DEI. ET. SANCTAE. MARIAE. FIERI. PRAECEPIT
QVI. LEGITIS. DEI. MISERICORDIAM. PRO. EO. EXORATE.

An etiam Petrus presbyter, qui temporibus Valerii archiepiſcopi circa finem octavi, & noni ſeculi initium floruit, aramque ornavit ſancto Eleuchadio ſacram, abbas ſancti Apollinaris Claſſenſis fuerit, ceteris definiendum relinquimus. Legitur adhuc in arcu ciborii, quod eſt ſupra altare ejuſdem ſancti archiepiſcopi, ſequens memoria.

AD HONOREM DNI. N. IHV. XPI. ET SCI ELEVCHADII
SVB TEMP. DOM. VALERII ARCHIEP. EGO PETRVS PRESB.
FECIT. †

SED jam baſilicæ Claſſenſis deſcriptionem proſequamur. Ipſius meminit Venantius Fortunatus, qui circa medietatem ſexti ſeculi Ravennæ bonis literis imbuebatur; de illa enim canit:

XVIII. Religio erga corpus ſancti Apollinaris.

Rurſus Apollinaris pretioſi limina lambe
Fuſus humi ſupplex...

Tanta erga ſanctum martyris Apollinaris corpus erat religio, ut temporibus Gregorii Magni ſollemnia in negotiis maximi momenti in ejus eccleſia ſupra ſacrum pignus præſtarentur juramenta. Maximus epiſcopus Salonitanus ſacramento ibi diluit ſibi impoſitas calumnias juxta ejuſdem

Ann. Chr. 926. Romualdi 19.

pontificis [a] præceptum. Scribens pariter Gregorius Castorio notario imperavit, ut testes examinaret ad sepulcrum sancti archiepiscopi: [b] *Et veniant*, inquit, *ante corpus sancti Apollinaris, & tacto ejus sepulcro jurent, quæ consuetudo ante Johannis episcopi tempora fuerit*. De ea re agit et [c] Rubeus. Præterea in sacris inaugurationibus episcoporum comprovincialium & abbatum ea lex erat, ut jurarent se ad festa sanctorum Apollinaris & Vitalis quotannis venturos concelebranda cum archiepiscopo Ravennate, quod & præstitum fuit posterioribus seculis; sicuti etiam quolibet anno celebrari consueverat die sancto martyri sacra *sollemnis processio* a Ravennate ecclesiæ archiepiscopo *cum venerabili & gloriosa episscoporum & cardinalium caterva, & multigena cleri populique frequentatione*, teste auctore, qui scripsit de inventione corporis beati Apollinaris, a Muratorio [d] edito.

a *Lib. IX. epist.* 79.
b *Lib. VI. epist.* 61.
c *Lib. IV. pag.* 193.
d *T. I. P. II. p.* 539.

XIX. Restaurata basilica Classensis a Leone papa III.

Basilicam hanc vetustate collabentem reparavit & ornavit Leo papa III. anno 805. ut auctor est Anastasius, cujus verba hic exscribere non pigebit: [e] *Basilica vero beati Apollinaris martyris atque pontificis, quæ fundata est juxta civitatem Ravennam, cujus trabes præ nimia vetustate de annorum curriculis, & olitanis temporibus nimis emarcuerant, jamque pene ruituræ in tempore illo erant, idem venerabilis pater divinitus inspiratus misit illuc, & per solertissimam & providam curam suam omnia sarta tecta ipsius ecclesiæ, simul cum quadriporticis suis noviter & firmiter restauravit, & in meliorem reduxit statum. Super altare vero ipsius sacræ ecclesiæ ad honorem omnipotentis Dei & beati Petri apostoli, de cujus donis & datis fecit vestem sericam rosatam habentem in medio crucem de chrysoclavo cum orbiculis, & rotas sericas habentes historias annunciationis, seu natalis Domini nostri Jesu Christi, atque passionem & resurrectionem, nec non & in cœlis ascensionem, atque pentecosten ornatas in circuitu simili modo, sicut & vestem de chrysoclavo. Sed & canistrum ex argento purissimo inibi fecit cum catenulis suis, pensantem libras quindecim*. Et [f] Agnellus, qui tunc vivebat: *Eo namque tempore Leo Romanæ basilicæ & urbis antistes misit cubicularium suum, nomine Chrysaphium, & reliquos cæmentarios, restauravit tecta beati Apollinaris. Omnia ex trabibus & laquearibus abiegnis, & omnia illius martyris tegumenta uno cum suo dispendio. Omnes suburbanæ civitates veniebant, omnia docaria, & subtegulata & omnia ligna abiegna & quæ necessaria erant, Ravennenses cives volventes in angaria cum finibus & ingemas cetera. Cæmentariique ordinabant trabes super parietes, & perfecta sunt omnia, solaque Hypocaustos hic pontifex infringere præcepit*.

e *In vita Leonis III.*
f *P. II. p.* 466.

XX. Archiepiscopi in ea tumulati.

Praeter sacrum corpus beati martyris Apollinaris in ea basilica quiescens, de quo alibi enucleatius instituemus sermonem, & illud Johannis III. cœnobii conditoris, de quo multa superius diximus, in eadem sepulturam sibi elegerunt plures archiepiscopi Ravennates, quorum catalogum aliquanto fusiore calamo heic ex Agnello, ex ejus continuatore & ex Rubeo, simul etiam ex sarcophagis in basilica Classensi ad hanc diem existentibus subjicere placet ad illustrationem templi olim & etiamnum in tota Italia celeberrimi.

Marinianus.

Marinianus defunctus anno 604. juxta Bacchinium, cujus chronologiam tam in isto, quam in sequentibus archiepiscopis, potius quam illam Rubei, malumus sequi, *sepultus est*, ait [g] Agnellus, *in ardica beati Apollinaris extra muros Classis, cum multis lamentationibus, & est ibi epitaphium exaratum ita:*

g *Par. II. p.* 206.

San-

Sanctificus semper monitis memorande sacerdos
Hoc positus tumulo, Mariniane, jaces.
Corpore defunctus, tamen est tua fama superstes,
Artus obit terris, lux sua facta tenet.
Mœnibus his veniens Romana antistes ab urbe,
Tutata est precibus sancta Ravenna tuis.
Cuncta salutifero disponens tempora secla
Te pius in populo Christe rogante dedit.
Quod tamen his templis meruisti sumere busta,
Te placuisse Deo tanta sepulcra probant.
Utque vices Christi gessisti rite sacerdos
Istius inque locis sit tibi sancta quies.

Ann. Chr. 926.
Romualdi 19.

Ardicæ nomine, ut aliqua de hac voce moneamus, intelligit Agnellus quadriporticus basilicæ Classensi adhærentes, de quibus mentionem fecisse in Leone III. etiam Anastasium bibliothecarium mox vidimus; hujusque sententiæ fuit etiam Bacchinius. Quæ vox fugiit Cangium, æque ac doctissimos ejus Glossarii onomastici supplementi auctores, qui legendum existimant in Agnello *Adyta*. Quamvis enim episcopis a communi more recedere liceret, quorum proinde aliquos legimus intra basilicæ septa, & ad altare ipsum sepulcrum sibi statuisse, novimus tamen eorum plures vel in aliquo ex circumpositis sacellis, vel in quadriporticibus locatos fuisse. Johannes, qui circa Gregorii Magni tempora monasterium, hoc est sacellum sanctorum Marci, Marcelli & Feliculæ ædificavit, in eo tumulatus fuit, ceteri in ardica, hoc est in porticu exteriorem undique partem ecclesiæ ambiente. Hinc intelligimus, cur idem Agnellus in Johanne Angelopte *Opilionem* scribat [a] *sepultum fuisse ex parte mulierum*; alios autem *ex parte virorum*. Alii nimirum sepeliebantur in porticibus adhærentibus ei ecclesiæ lateri, ubi stabant mulieres; alii ubi stabant viri. Specimen veterum ardicarum cernitur in divi Marci Venetiarum basilica; alia etiam species ardicarum conspicitur in ecclesia divo Francisco sacra, quam condidit Sigismundus Malatesta in urbe Ariminensi. Sed de hac re consulendi Muratorius [b] Dissertatione XVIII. ad Ciampinium, & [c] Bacchinius in observationibus ad Agnellum.

a *Par. I. pag.* 266.

b T. *I. Anecdotor. pag.* 185.

c *Par. I. pag.* 297.

Johannes IV. & V.

In eadem ardica Classensi tumulati fuere Johannes IV. & [d] Johannes V. ille quidem fato functus anno 610. iste vero anno 629. vel 630. Mavult putare Rubeus [e] *Johannes illos, qui sibi nullo medio successere*, ut scribit Agnellus, unum fuisse, quartum hoc nomine, qui obierit anno 630. Sed Bacchinius [f] duplicem Johannem ab Agnello admissum post Marinianum retinendum esse probat; Johannem vero, qui obiit anno 752. & anno 731. liberalem se ostendit erga monachos Classenses, revera fuisse VI. ideo autem nominatum V. quia per ea tempora illa erat Ravennatum sententia Johannem I. qui ante Petrum Chrysologum sedit, & Johannem II. Angeloptis cognomine decoratum, qui Attilæ Italiam invadenti occurrit, & cum Theodorico rerum potito convixit, unum tantum ejusdem sedis Ravennatis fuisse episcopum. Ipsis proinde distinguebantur Johannes illi duo, qui Mariniano successere; alias Johannes Classensium monachorum benefactor non V. sed IV. fuisset. „ Ob hæc, „ prosequitur Bacchinius, ab Agnelli sententia de duobus episcopis ejus- „ dem nominis minime recedendum censui, cum maxime viderem gra- „ tis a Rubeo, & sine testibus Johannem alterum additum post Gratiosi „ episcopi sedem, & suspicarer id actum, quod ex sequentium ponti-

d *Agnell. P.H. p.* 227. 235.

e *Lib. IV. p.* 220.

f *In notis ad Agnellum pag.* 415.

Ann. Chr. 926. Romualdi 19.

„ ficum Ravennatum ſerie, & eorum, qui Johannis nomine vocati ſunt, „ numeris in publicis documentis additis, viderit Rubeus, Johanne hocce quinti numero diſtincto, unum ad ſeriem continuandam neceſſarium „ defuiſſe. Hic itaque Johannes ejus nominis VI. eſt, licet V. dictus ſit; „ VII. qui Gratioſum præceſſit; VIII. qui poſt Deusdedit Georgii ſucceſ- „ ſorem ſedit. " Hucuſque Bacchinius, & ex ipſo nos ad diſtinguendos duos ejuſdem nominis archiepiſcopos, qui in eadem ardica collocati fuere.

Bonus

Bonus antiſtes, qui in pace quievit anno 642. *ſepultus eſt*, ait idem [a] Agnellus, *in baſilica ſancti Apollinaris ſacerdotis & martyris in Claſſe.*

a Par. II. p. 267.

Maurus

In vita Mauri, qui Bono ſucceſſit, cujus obitus refertur a Rubeo ad annum 672. & a Bacchinio ad annum 671. hæc ſcribit memoratus [b] Agnellus. *Sepultus eſt in ardica beati Apollinaris. Miræ ſepulturæ ibi fuit lapis porphyreticus ante prædictam arcam, pretioſiſſimus & valde lucidiſſimus in modum vitri, & apertis januis, quæ reſpiciunt ad eccleſiam beati Severi, qui intuiſſet illum lapidem, ſicuti in ſpeculum, tam homines, quamque animalia, ſive volatilia, vel qualeſcumque res inde tranſiſſent, quaſi ænigma in ſpeculum videre potuiſſet. Sed pene annos* XII. *tempore Petronacis pontificis, Lotharius auguſtus tollere juſſit, & in capſam ligneam ſuper lanam incluſit, & Franciam deportavit, & ſuper altarium ſancti Sebaſtiani, menſa ut eſſet, poſuit. Præceptum mihi a pontifice fuit, ut ego illuc iſſem, ne cæmentarii incaute agendo frangeretur; ſed corde dolore pleno in partem aliam ſeceſſi.* Tum enarrat translationem corporis ſancti Apollinaris factam ab eodem Mauro, dicens: [c] *Iſte, corpus beati Apollinaris, qui dudum in ardica ipſius conditum a Maximiano præſule cum Juliano Argentario fuit, exinde tulit, & in medio templi collocavit, & ipſius martyris hiſtoriam laminis argenteis infixit. Epitaphium vero deſuper invenietis ſcriptum continens ita:*

b Ibid. p. 277.

c Ibid. pag. 278.

Prima fides noſtriſque pater promiſerat olim
Perſpiciendum oculis, & legis voce vocandum
Chriſtum concrebrans, Chriſtum ſonat, omnia Chriſtum.
O nomen prædulce Mauri pontificis lux & decus &c.

Et ante ipſam arcam invenies in pavimento teſſellis exaratum continentem ita. Hic requieſcit in pace Maurus archiepiſcopus, qui vixit annos plurimos (forte *plus minus*) LXVII. *qui tempore domini Conſtantini imperatoris liberavit eccleſiam ſuam de jugo Romanorum ſervitutis.* Ex ſuperioribus hujus auctoris verbis intelligimus ſancti martyris Apollinaris corpus depoſitum fuiſſe anno 549. in ardicam, non in baſilicam a Maximiano, cum poſt centum circiter annos dicatur ex ardica delatum in templum a Mauro. Inſcriptio itaque, quam ſuperius attulimus, quæque refert per virum beatum Maximianum epiſcopum translatam fuiſſe, & introductam arcam beati Apollinaris in baſilicam, lato modo debet explicari; nempe prope baſilicam, ex loco ſcilicet obſcuro, ubi antea jacebat.

Reparatus

Juxta eumdem archiepiſcoporum Ravennatum vitarum collectorem Agnellum, Reparatus, qui deceſſit, ſententia Rubei & Bacchinii, anno 667. [d] *ſepultus eſt in eccleſia beati Apollinaris, epitaphium ipſius deletum eſt.* Addit [e] Rubeus: „ Hujus imago atque Conſtantini cæſaris librum „ eorum privilegiorum (liberationis nimirum a dominatu Romani pon- „ tificis) Reparato porrigentis in Apollinarii templi Claſſenſis teſtudine „ vermiculato opere conſpicitur; " & Agnellus; [f] *juſſit*, inquit, Reparatus ſcilicet, *ut eorum*, nempe Conſtantini majoris fratris Heraclii & Tiberii,

d Par. II. p. 299.

e Lib. IV. p. 208.

f P. II. pag. 294.

Tiberii, *effigies & suam in tribunali cameris beati Apollenaris depingi, & variis tessellis decorari, ac subter pedibus eorum binos versus metricos describi continentes ita:* Ann. Chr. 926. Romualdi 19.

Is igitur socius meritis Reparatus ut esset
Aula novos habitus fecit flagrare per ævum.

& super caput imperatoris invenies ita: Constantinus major imperator Heraclii & Tiberii .... imperator.

Reparati successor Theodorus, defunctus anno 691.[a] *cum multa alacritate sacerdotum & omnium gratulatione humo submersus est, in ardica beati Apollenaris subtus jacet, epitaphium vero ejus clare legere non potui*, ait Agnellus; & Rubeus [b] refert hæc de eo scribi in vitis archiepiscoporum Ravennatum: „ *Obiit hic nequissimus præsul maxima sacerdotum lætitia, qui clerum totum suffocans devoravit* XIIII. *kalendas Februarii, elatus a quatuor clericis, & humi in porticu divi Apollinaris submersus est.* Ejus e marmore sepulcrum in divæ Mariæ Urani, ubi „ monachi Camaldulenses incolunt, prope mœnia Brittonorii visitur his „ inscriptis literis. *Hic requiescit V. B. Theodorus archiepiscopus.* “ Sed post Rubei tempora, anno nimirum 1721. relatum fuit ex Urani abbatia ad basilicam Classensem Theodori sarcophagum, & repositum ad dexteram navem ipsius ecclesiæ primum ordine ingredientibus, ubi antiquis characteribus legitur:

Theodorus

a P. H. pag. 320.

b Lib. IV. p. 211.

HIC. REQVIESCIT. IN. PACE. THEODORVS. V. B. ARCHIEPISCOPVS. †

Atque ad Theodori orthodoxiam vindicandam contra schismatici Agnelli verba sequens elogium posuere Classenses monachi ipso anno 1721.

D. O. M.

SEPVLCRVM. THEODORI. DEO. AMABILIS. REVERENDISSIMI. AC. BEATISSIMI. RAVENNAE. ARCHIEPISCOPI. QVI. RAVENNATEM. ET ROMANAM. ECCLESIAM. EXTINCTO. SCHISMATE. RECONCILIAVIT. CVIVS. CORPVS. A. SCHISMATICA. CLERI. RABIE. IN. ARDICAM. PROIECTVM. ATQVE. SVBMERSVM. CATHOLICA. PIETAS. IN. TEMPLO. HONORIFICENTIVS. COLLOCAVIT. ET. EXVLANTEM. PROPE. BRITTONORIVM. TVMVLVM. MON. VRANENSES. IN. SVO. LOCO. REPOSS. A. M. DCC. XXI.

Successit Theodoro Damianus defunctus anno 708. *epitaphium invenietis*, inquit [c] Agnellus, *super sepulcrum ejus continentem ita:*

Damianus

c Par. II. p. 349.

Sanctificis semper meritis memorande sacerdos
Hoc positus tumulo tu Damiane jaces.
. . . .
. . . .
Dalmatiæ veniens antistes beatus a rure &c.

ut supra in epitaphio Mariniani. *Hæc infra ecclesiam beati Apollenaris scripta super sepulcrum ipsius invenimus.* Rubeus [d] habet: „ Sepultus in „ divi Apollinaris Classensis, ab ara sanctæ Feliculæ haud procul. “ Extat adhuc in eadem basilica hæc brevis inscriptio:

d Lib. IV. p. 212.

D. N.

Ann. Chr. 926. Romualdi 19.

DN. DAMIANVS. ARCHIEPISCOPVS. FECIT.

ad antiquam nimirum lapideam cathedram in duas partes modo sectam, & locatam in fronte sedilium ex marmore, quæ sunt disposita circum altare majus.

Felix.


Felix, qui in cathedra Ravennate suffectus fuit Damiano, & defunctus anno 716. *sepultus est in ecclesia beati Apollinaris*, verba sunt [a] Agnelli, *non longe a monasterio sanctæ Feliculæ, epitaphiumque ipsius invenietis continentem ita:*

Inter almas laudes virtutumque triumphos,
Quibus coronantur præsules digni Deo,
Summæ patientiæ Felix amator fuit &c.

Perdurat etiamnum sarcophagum sancti archiepiscopi, quod olim inservierat Gentilium cadaveribus humandis, & est primum navis sinistræ ab ingressu ecclesiæ. Rudibus characteribus insculpta sunt super ipsum hæc verba.

† HIC. TVMVLVS. CLAVSVM. SERVAT DOMNI FELICIS SANCTISSIMI AC TERBEATISSIMI ARCHIEPISCOPI.

De Felice hæc [b] Rubeus: „ Tandem VII. kalendas decembris ex hoc „ lacrymabili hospitio cœlestem in patriam profectus est, in numerumque sanctorum ascitus, & in divi Apollinaris Classensis sepulcro ex „ marmore ab ara divæ Feliculæ haud procul compositus. Id nunc sepulcrum templum ingredientibus læva secundum parietem eodem in „ templo conspicitur his inscriptis literis: HIC TVMVLVS &c. “ Sanctissimi archiepiscopi Felicis plumbeum sigillum nobis communicavit nostri amantissimus, in historia medii ævi ac in re nummaria versatissimus Johannes Brunatius, quod ipsius assensu heic primum exhibemus.



nempe FELICIS. SERVI. SANCTI. APOLLENARIS †

Johannes VI.

Felici subrogatus fuit Johannes VI. communiter dictus V. multis nominibus de basilica & de cœnobio Classensi meritus. *Mortuus & sepultus*, scribente [c] Agnello, *in basilica beati Apollenaris* circa annum 752. Conspicitur etiam hodie, sub marmore donationis suprarelatæ, urna ipsius sepulcralis, postrema ordine ab ingressu basilicæ ad parietem lævum templi cum hac epigraphe:

HIC TVMV	IOHANNIS
LVS. CLAVSVM	SCISSIMI
SERVAT. COR	AC TER
PVS DN.	BEATISS ARCH EP

a Par. II. p. 378.

b Lib. IV. p. 216.

c Par. II. p. 414.

Mutila

Mutila est in Agnello successoris Sergii vita, qui juxta Bacchinium decessit circa annum 770. Rubeus, [a] postquam Sergium laudavit, quod „ in ea parte templi divi Apollinaris Classensis, in qua viri dum ade- „ rant, sacris commorari consueverant, ædificaverit locum, cui cellæ no- „ men fuit, multaque illi ad usum sacerdotum, qui rem divinam face- „ rent, prædia fuerit elargitus, " quod & in Agnello [b] habetur; in eadem basilica ad sepulturam datum scribit. Illud minime silendum, quod a tempore Sergii, & deinceps tempore Valerii archiepiscoporum Ravennatum canonici divina persolvebant officia in ecclesia monachorum sancti Apollinaris, & monachi sancti Apollinaris vicissim in sacra æde sanctorum Probi & Eleuchadii. Id testatum reliquit auctor canonicus X. seculi a Muratorio editus [c] in vita beati Probi, & clarius Petrum archiepiscopum, quem quartum appellat, scribit monuisse abbatem & monachos sancti Apollinaris, [d] *ut sanctorum Eleuchadii & Probi ecclesiis statuta inferrent officia temporibus singulis*.

Ann. Chr. 926. Romualdi 19.

Sergius.

a Lib. V. pag. 227.

b Par. II. p. 431.

c Script. rer. Ital. T. I. Par. II. pag. 554.

d Ibid. p. 555.

Leonis archiepiscopi nullus refert depositionis locum. Johannes VII. alias VI. qui „ divi Apollinaris in Classe, teste Rubeo, aram maxi- „ mam ex argento atque auro testudine pyramidis instar ornavit, & „ cruces metallicas ingentes illi dono dedit, " *sepultus est*, verba [e] Agnelli, *in basilica beati Apollenaris confessoris. Epitaphium super sepulcrum ejus invenietis exaratum*. Obiit is anno 786. & locum fecit Gratioso, qui defunctus circa annum 794. [f] *sepultus est in ecclesia beati Apollenaris sacerdotis & martyris Christi in civitate Classis*, ait Agnellus; & „ sepulcrum illius, sequitur [g] Rubeus, in eodem templo dex- „ tera nunc visitur templum ingredientibus, in quo hæ sunt incisæ „ literæ: HIC. TVMVLVS. CLAVSVM. SERVAT. CORPVS. DOMINI. GRA- „ TIOSI. SANCTISSIMI. AC TER. BEATISSIMI. ARCHIEPISCOPI. Sic vero characteres ad ejus sarcophagum sunt dispositi.

Johannes VIII. & Gratiosus.

e Par. II. p. 448.

f Ibid. p. 459.

g Lib. V. p. 231.

† HIC TVMV	GRATIOSI
LVS CLAV	SCISSIMI
SVM	AC TER
SERVAT	BEATISSI
CORPVS	MI.ARCHIE
DN.	PISCOPI.

Deest vita Valerii in Agnello a Bacchinio edito; hæc vero de eo memoriæ prodidit [h] Rubeus: „ Nactus Pipinum religioni christianæ ad- „ dictissimum, divinum cultum plurimum instauravit, templaque orna- „ vit, ut monumenta testantur in divi Apollinaris Classensis, præsertim „ ad gradus marmoreos aræ maximæ, & ara divo Eleochadio archie- „ piscopo ad sinistram juxta sacram turrim dicata, Petro sacerdote rem „ potissimum juvante. " Superius brevem inscriptionem attulimus. Obiit ad annum circiter 809. Valerius, & „ in Classensi divi Apollinaris æde „ sepulturæ traditus est, sed anno 1222. [i] Divi Valerii archiepiscopi „ ossa ex æde Classensi a Simeone itidem archiepiscopo solemni indicta „ episcoporum supplicatione in Ursianam fuere translata. "

Valerius.

h Lib. V. p. 235.

i Lib. VI. p. 386.

Successit Martinus, inde Petronax, tum Georgius, cui post annum „ 841. mortuo, nulla honoris significatione, nullis sacerdotibus comi-

Georgius.

Ann. Chr. 926. Romualdi 19. Johannes VIII.

„ tantibus, nulla funeris pompa sepulturæ locus in divi Apollinaris „ Classensis datus est, " teste Rubeo.

De invasione Classensis basilicæ sub Deusdedit, qui Georgio suffectus fuit, & sub Johanne VIII. plura dicemus anno sequenti. Illud tantum de Johanne addimus, quod habet [a] anonymus in historia de inventione corporis beati Apollinaris martyris in Spicilegio Ravennatis historiæ apud Muratorium. *In aurea*, inquit, *tabula, quam Classensi cœnobio contulit, & loco ciborii argentei, quod prædictæ gentis* (ex Histria nimirum) *perfidia inde rapuerat, collocavit, talia scripta reliquit.*

a Rerum Ital. Script. T. I. Par. II. pag. 539.

Ex opibus venerande tuis hæc offero præsul
Classensi templo, quo tua membra jacent.

Et auctor historiæ translationis beati Apollinaris apud eumdem [b] Muratorium habet: *Unde & beati Apollinaris basilica in loco, qui Classis dicitur, mirifice plusquam plenarie dici possit, constructa paradisi amœnitatem, iis, qui ingrediuntur in eam, in hac vita præsenti propinat, cujus quidem super altare, sicut in veteribus libris accepimus, gloriosæ memoriæ Johannes septimus* (dic octavus) *præfatæ christianissimæ urbis archiepiscopus tigurium* (vox certe vitiata pro *ciborio*) *auro argentoque mirifice jussit fieri, Cruces eorumdem metallorum specie magnas, magnificisque ingeniis fabricatas præcepit associari, sicut in ejusdem pariete lacrymoso tumulo sæpius fuisse lectum antiquitas referebat.* Ejusdem Johannis tempore circa annum 866. ut scribit [c] Rubeus, Ludovicus II. imperator Ravennam veniens ad sancti Apollinaris in Classe divertit. Mabillonius [d] privilegium indicat Casauriensi monasterio datum *tertio kalendas majas indictione septima. Actum foris civitate Ravenna ad sanctum Apollinarem anno imperii domni Ludovici serenissimi imperatoris vicesimoquinto.* Hæ tamen notæ pertinent ad annum 874.

b Ibid. 534.

c Lib. V. pag. 243.

d Annal. T. III. pag. 180.

Dominicus Ublatella, qui anno 889. Romano de Calcinaria suffecto anno 882. in locum Johannis VIII. successerat, quique obiit anno 898. „ cum multa, inquit idem [e] Rubeus, in templo divi Apollinaris Clas„ sensis restituisset, hæc adjecit carmina:

e Ibid. p. 249.

Marmoreum hoc splendet opus, sub tegmine cujus
Munera sacrantur corpore Christe tuo.
Argenti quondam constructum rite decore
Barbara destructum sustulit ausa manus.
Saxa .... martyr munus ne despice verax

Alia lectio codicis Estensis habet:

Basilicum munus martyr ne despice verax
Imo libens aula cede manere tua,
Quæque prius statuit vates sublime Johannes
Non mediocre sacer Dominicus statuit.

Loco nimirum mensæ, testudinis & columnarum argentearum, quæ basilicæ Classensi donaverat Johannes V. quæque sublata fuerant a barbaris, quatuor substituit columnas marmoreas pretiosissimas.

XXI. Status præsens basilicæ Classensis.

In Dominici locum subrogatus fuit Johannes IX. De Johannis IX. successoribus occasio disserendi se nobis præbebit anno sequenti. Atque is erat status cœnobii ac basilicæ Classensis ad Romualdi tempora. Perdurat etiamnum basilica Classensis in tres naves distributa, centum-triginta longitudinis, octuaginta-quinque latitudinis, & sexaginta-octo altitudinis

nis pedes æquans, viginti-quatuor columnis græci marmoris suffulta cum basibus & capitulis suis exquisitissimi ingenii. Undecim pariter marmoreis gradibus ascenditur ad absidem aræ maximæ, cujus parietes, & fornix seu concha musivo opere sunt decorata. Inter quinque fenestras, quæ lucem ministrant absidi, eodem opere sunt expressi quatuor archiepiscopi Ravennates, & quidem a parte septentrionali, idest a cornu evangelii, primus est ECCLESIVS, secundus SCS SEVERVS, tertius SCS VRSVS, quartus VRSICINVS. Primus & postremus titulo sancti non decorantur. De Urso hæc habet [a] Agnellus: *in musivo cameræ tribunæ beati Apollinaris nomen illius una cum sua imagine* SCS VRSVS *descriptus est*. Ab uno parietis latere visitur effigies Melchisedechi prandio assidentis, ex altero Constantii imperatoris librum privilegiorum offerentis Reparato archiepiscopo; in medio autem imago sancti Apollinaris, & magna insuper crux nonaginta & novem stellis circumdata, quam maxima devotione venerantur orantes in templo. Literæ supra crucem positæ, quas legit olim [b] Ciampinius, qui primus hæc musiva typis æneis edidit ac illustravit, IMDUC. deterso nunc squallore, quo erant obsita omnia absidis vermiculata opera, facem præferentibus Canneto nostro & marchione Maffejo, legendæ indubium sunt ΙΧΘΥC, quæ nimirum est consueta veterum christianorum sigla significans initiales literas græcas horum verborum Ἰησοῦς Jesus, Χριστὸς Christus, Θεοῦ Dei, Υἱὸς Filius, Cωτὴρ Salvator. Ad latus dexterum aræ maximæ consurgit ara dicata sancto Eleuchadio archiepiscopo Ravennati; ad lævum autem altera divo Gregorio sacra. In ipso templi meditullio sacellum erigitur in honorem beatæ virginis Mariæ, ante quod prostrato Romualdo conspiciendum se præbuit ex parte orientali exiens sanctus Apollinaris. Sarcophaga numero decem sunt disposita, quatuor & quatuor ab utroque latere basilicæ, & duo hinc inde ab ostio majori templi. In ædificiis eidem ecclesiæ adhærentibus antiquæ cernuntur sacræ picturæ, quæ verisimiliter vestigia sunt & reliquiæ ornatus veteris ardicæ. Ceterum præter marmor porphyreticum alibi translatum tempore Lotharii imperatoris, varia variis temporibus ablata fuere, atque alio asportata hujus basilicæ ornamenta; & anno 1450. Sigismundus Malatesta Arimini dominus ad decorandam ecclesiam a se ædificatam sub titulo sancti Francisci, tabulas marmoreas variegatas, quibus tegebantur parietes navis mediæ & reliquum templi, Ariminum deduxit. Qui plura scire cupit, consulere poterit Rubeum, Fabrium, Fortunium, & quem exscripsit Fortunius, Vitalem Aquæductium monachum nostrum Classensem, qui commentarium adhuc ineditum scripsit de antiquitate Cesareæ & Classis, atque de ædificatione templi sancti Apollinaris, quam tamen a Narsete, seu a Justiniano imperatore, mediante Juliano Argentario pecuniam subministrante, perfectam scribit.

Si contigisset Mabillonio Ravennam redire post reparationem hujus basilicæ factam a Classensis cœnobii abbatibus, domno Casimiro Galaminio, & domno Ferdinando-Romualdo Guicciolo nunc Ravennatis ecclesiæ archiepiscopo, non ingemuisset monasterii ruinas, & ecclesiæ solitudinem; nam licet locus ab uno converso Camaldulensi administretur, monachis ob aeris insalubritatem in urbem translatis, ecclesia summa religione custoditur, præsertim in annua sancti martyris festivitate, & in sollemnibus urbis supplicationibus, quotidianum insuper sacrosanctæ missæ sacrificium offerente sacerdote; id quod & ante nova templi ornamenta sancte præstabatur a Classensibus monachis.

Placuit celeberrimi Classensis monasterii originem, historiamque illustra-

a *Part. I. p.* 203.

b *Veter. monum. Par. II. p.* 80.

Ann. Chr. 926. Romualdi 19.

re, de quo multa in annis sequentibus erunt subnectenda; id enim a nobis suo quodam jure extorsit sacri loci hujus dignitas, & jucundum est noscere non præsentem tantum, sed & veterem cœnobiorum ac ecclesiarum statum. Sed jam Damiani textum prosequamur, qui Romualdum in Classensi cœnobio receptum ait, ubi *homicidarum more diebus quadraginta in luctibus permansit*, pœnitentiam sui reatus facturus; id intelligendum est ex disciplina pœnitentialium canonum, quemadmodum & quadragena in Classensi pariter cœnobio decurrenda ab eodem [a] Romualdo postmodum imperatori Ottoni imposita, de qua suo loco; nam præter alias graviores pœnas homicidio volontario decretas, etiam casuali homicidæ quadraginta dierum pœnitentia injungitur in pluribus canonibus pœnitentialibus; & in collectione canonum seu capitulorum Theodori Cantuariensis archiepiscopi [b] legitur: *Qui per jussionem domini sui occiderit hominem, dies* XL. *jejunet*. Juxta quam disciplinam verisimilius est Romualdum se in monasterium recepisse, quam propter morem ejus regionis, ut existimant Ractius [c] in descriptione sacræ eremi ex ms. Nicolai Biadi monachi nostri sancti Benedicti prope mœnia Florentiæ apud moniales de Prato-veteri asservato, & Lucas Hispanus [d] qui dicit: „ Homicidii a Sergio „ patre perpetrati sola præsentia, nullo tamen consensu, particeps fa„ ctus, patriæ illius consuetudinem observans, monasterium Classense XL. „ dierum pœnitentiam commissi delicti acturus adiit. “

a *Vit. S. Rom. cap.* 25.

b *Cap.* 85.

c *Cap.* 2.

d *Hist. Rom. Lib. I. cap.* 4.

Ann. Chr. 927. Romualdi 20.

XXII. Romualdus videt B. Apollinarem.

Constitutus itaque Romualdus pro homicidio eluendo in Classensi cœnobio, *& illic* [e], inquit Damianus, *districta se pœnitentia jugiter macerans, cœpit cum quodam converso quotidianum habere colloquium, a quo etiam juxta mediocritatem sensus bonæ conversationis audiebat sæpe consilium*. Conversos antiqui vocabant eos, qui in adulta ætate monasticum institutum abripiebant, quare & Petrus-Urseolus ab eodem [f] Damiano *magnus conversus* appellatur; & licet adnotaverit [g] Mabillonius, videri heic sermonem esse de fratre laico, nihilo secius de monacho provecto, & ad Romualdi hospitis curam destinato tamquam spirituali viro, Damianus est intelligendus. De hujusmodi conversis dabimus ad calcem præsentis voluminis integram dissertationem. Verba illa *juxta mediocritatem sensus* non ad conversum, sed ad Romualdum sunt referenda, ad cujus nimirum captum mediocrem, utpote e seculo venientis, se accommodabat sapiens & pius monachus, quotidie sermones bonos miscens, & consilia exhortatoria præbens de falsitate seculi, de periculis in eo commorantium, de felicitate vitæ a mundo remotæ. [h] *Quem cum conversus frequenter admoneret, secularem vitam omnino postponere, & ad sanctæ conversationis ordinem festinare, sed ad hoc mentem ejus humiliare nullatenus posset, aliquando inter cetera velut gratulabundus intulit dicens: si tibi, inquit, ego beatum Apollinarem corporali specie, ita ut eum manifeste videre possis, ostendero, quid a te præmii reportabo? Ad hæc Romualdus; firma, inquit, & inviolabili me obligatione constringo, quia, mox ut beatum martyrem videro, apud seculum ulterius non manebo. Hortatur ergo conversus, ut ipsa nocte Romualdus dormire postponeret, & una secum intra ecclesiam in orationibus vigilaret. Cumque nocturno silentio longanimiter ambo in oratione persisterent, ecce circa gallicinium noctis, beatus Apollinaris, his duobus manifeste videntibus, exiit de sub altari, quod in medio ecclesiæ ad honorem beatæ virginis Mariæ cernitur esse constructum. Visus est autem exire ab orientali parte, illinc videlicet, ubi marmor porphyreticum jacet. Confestim vero tantus splendor totam replevit ecclesiam*

e *Vit. S. Rom. cap.* 2.

f *Ibid. cap.* v.

g *Sec.* 6. *in not. ad Vit. S. Rom.*

h *Vit. S. Rom. cap.* 2.

ecclesiam, ac si sol fulgoris sui radios intra ipsos parietes cohiberet. Tunc beatissimus martyr sacerdotalibus infulis mirabiliter exornatus, aureum in manu portans thuribulum, cuncta ecclesiæ incensavit altaria, & hoc facto, statim unde exierat, rediit, & mox omnis ille splendor eum prosequens apparere cessavit.

Ann. Chr. 927. Romualdi 20.

XXIII. Locus ejus sepulcri.

Corpus sancti Apollinaris post ejus martyrium conditum extra muros Classis, & ab Ursicino vel Maximiano episcopis depositum in ardicam prope basilicam *ejus* nomini dicatam, recensque ædificatam, Maurus archiepiscopus ex ardica in medium templi transtulerat, ut vidimus anno antecedenti. Extat etiamnum in ipso medio templi ara almæ virgini dicata, erecta sub Dominico archiepiscopo ab Urso levita & abbate Classensi, columnisque olim porphyreticis, nunc alterius marmoris subnixa, ex qua prodiens conspiciendum se dedit Romualdo sanctus archiepiscopus. In eo pariter loco repertus fuit beatissimus Christi martyr anno 1173. a cardinalibus Hildebrando Crasso tituli XII. apostolorum, & a Theodino tituli sancti Vitalis presbyteris cardinalibus Ravennam delegatis ab Alexandro papa III. ad litem acerrimam dirimendam, quæ circa sacri Apollinaris corporis existentiam agitabatur. Rursum ad finem vergente seculo XV. in eodem loco adinventum fuit sancti archiepiscopi corpus ab Urbano Malumbra abbate Classensi, sed tumulo una cum tribus laminis natantibus per aquam, ex qua languidi multi bibentes sanati sunt. Ex eodem situ anno 1511. a Francisco Soderinio cardinali Volaterrano, protectore congregationis Camaldulensis, ab inferiori parte in superiorem locum reverentissime collocatum fuit, & postremo sub ara principe, ubi & hodie colitur, honorificentissime repositum. Sed de variis sacri corporis sancti Apollinaris in eamdem basilicam Classensem translationibus propriis annis erit dicendi locus.

Marmor porphyreticum, unde visus est exire sanctus Apollinaris *ab orientali parte*, minime fuit illud summe lævigatum, & tamquam speculum tersum, quod ad sepulturam Mauri archiepiscopi *pretiosissimum & valde lucidissimum in modum vitri* extitisse asserit [a] Agnellus; illud enim non amplius ornabat eam basilicam tempore, quo scribebat Damianus, sed duobus seculis antea, hoc est tempore Petronacis archiepiscopi a Lothario augusto in Franciam deportatum, positumque fuerat *super altarium sancti Sebastiani mensa ut esset*, quod discimus ex Agnello, cui duodecim annis, antequam scriberet, hoc est ante annum circiter 824. ut supputat Muratorius, supradictus Petronax præceperat, ut ad eam basilicam se conferret, ne cæmentarii incaute agendo marmor frangerent, quod alibi diximus. Quare hæc marmoris translatio tribui non debet alteri Lothario imperatori, qui coronatus fuit ab Innocentio papa II. anno 1133. quod aliqui scripsere. Marmor, de quo Damianus, videtur fuisse parum dissitum ab urna, in qua jacebat corpus sancti archiepiscopi Apollinaris, ibique crucem porphyreticam formasse, quæ extabat etiam anno 1173. testibus scriptoribus ejus seculi.

a *P. II. pag.* 277.

Animadversione quoque dignus est Lucas Hispanus eremita, qui non sanctum Apollinarem apparuisse per visum scripsit, sed tantummodo illius corpus in sepulcro conspectum fuisse a juvene Romualdo asseruit. Ait [b] enim: „ Verum cum, converso nocte in templo orante, semel & iterum corpus beati Apollinaris ibidem sepultum splendore ornatuque mirabili ipse tunc præsens vidisset, suadenti consensum præbuit. “ Quod certe argumento de existentia corporis directe quidem magis favisset, sed reapse falsum esse constat ex aperto Damiani testimonio dicentis: *exiit de*

b *Histor. Romuald. Lib. I. cap.* IV.

Ann. Chr. 927. Romualdi 20.

de sub altari. Beatus martyr sacerdotalibus infulis mirabiliter exornatus, aureum in manu portans thuribulum cuncta ecclesiæ incensavit altaria, & hoc facto statim, unde exierat, rediit; quæ non ipsi corpori, sed objectæ ejusdem martyris visioni convenire planum est. Sed ad Damiani narrationem regrediamur.

XXIV. Iterum videt.

a *Vita S. Rom. cap.* 2.

Cœpit [a] *itaque conversus Romualdo, durus nimirum exactor, vehementer insistere, & ut impleret, quod ultro promiserat, anxie postulare. Cumque Romualdus adhuc resisteret, & eamdem visionem cernere denuo flagitaret, alia nocte similiter in oratione persistunt, & beatum martyrem per omnia, sicut prius, aspiciunt.* Lucrandi Deo Romualdum, eumque abstrahendi a seculi caligine elucet hoc in loco zelus & desiderium ingens pii hujus Classensis conversi. Qui nil perterritus ob juvenis resistentiam, spem firmam animo concepit, Deum posse & velle semel operatum prodigium renovare. Hæc pariter nova Romualdi videndi sancti martyris flagitatio excusationem meretur, ut nimirum, si quando de hujusmodi visione interpellaretur, præsertim dum concertatio vigebat, ubinam sanctus martyr quiesceret, fidenter asserere posset illam non fuisse somnium obdormiscentis, sed plane expergefacti; quare certus futuræ visionis ob præteritam sibi exhibitam, somnum omnem altera nocte curavit depellere, fundensque Deo preces una cum converso, dignus fuit, qui iterato sancti archiepiscopi conspectu donaretur.

b *Ibidem*.

Eam propterea de sancti Apollinaris existentia in basilica Classensi fidem penes se retinuit, ceterisque petentibus semper instillavit, ut [b] *postmodum si de corpore prædicti martyris aliquando quæstio oriretur, Romualdus penitus affirmabat, in ipsa ecclesia esse reconditum, & quamdiu vir sanctus vixit, hoc proferre testimonium non cessavit.*

c *Script. rer. Ital. T. I. P. II. p.* 536. & 539.

Hinc est, quod auctor, qui scripsit de inventione corporis sancti Apollinaris martyris, quæ contigit anno 1173. editus a [c] Muratorio in Spicilegio Ravennatis historiæ, quique eo tempore, ut se prodit, vivebat, & fuit, ut putat idem Muratorius, domnus Rodulphus II. ejus nominis venerabilis prior Camaldulensis, hoc Romualdi testimonium protulerit in confirmationem existentiæ corporis sancti Apollinaris in basilica Classensi. *Postremo*, inquit, *beati Romualdi eximii confessoris assertio mirifica idipsum affirmat, qui pariter cum quodam venerabilis vitæ converso beatum Apollinarem de sub altari, quod est in medio ejusdem ecclesiæ, juxta crucem porphyreticam prodeuntem usque tertio vidit, agnovit & credidit, & omnipotenti Deo gratias agens ad frugem melioris studiumque sanctitatis transivit. Et quotiens hujusmodi fieret inquisitio, constantissime asseverabat, sicut beatæ memoriæ Petrus Damianus de ipso testatur, non alibi quam in ipso Classensi monasterio præfati patris gloriosum corpus requiescere. Sicque fit, ut non solum humanis testimoniis, sed divinis etiam oraculis hujus veritatis certitudo probetur, ut non possint objicere calumniantes, quod secularibus tantum adminiculis, vel emendicatis suffragiis ista firmentur.*

Codice tertiodecimo seculo a monacho nostro abbatiæ Berardingorum scripto donati sumus a præstantissimo equite Johanne de Albertis JC. & patricio Senensi, in quo vita sancti patris Romualdi a Petro Damiano elucubrata nitidis characteribus exaratur. In fronte ipsius vitæ Romualdus tamquam speciosissimus juvenis exhibetur, flavo capillitio, & aureo nimbo circa caput redimitus. Nobilissima induitur tunica, quæ ad talos descendit, sed ad latera est aperta, & circumtegitur ad scapulas palliolo, quo brachia, pectus & dorsum amiciuntur, pendente ad cervicem oblon-

go capitio. Subrubicundus & rosæ similis est color vestis, cum aureis ornamentis tum ad fimbrias, tum ad latera hinc inde positis & acu pictis; viridis vero pannus vesti subsutus. In speciem repræsentatur juvenis stantis, & demisso capite, fixis oculis intuentis, & arrectis auribus audientis senem monachum sedentem, nimbo pariter circumdatum, canitie & promissa barba venerabilem, candidaque crassioris panni cuculla indutum, ut solent eremitæ Camaldulenses exhiberi, & claves ecclesiæ tamquam æditAuum in manibus habentem. Proxima ipsis conspicitur depicta basilica Classensis cum turri campanaria, & per apertam templi januam cernitur ara beatæ virgini dicata, ex qua prodiisse sanctum Apollinarem diximus. Singularem, nullibique unquam visam Romualdi adolescentis veterem picturam omnium oculis hic subjicimus.



XXV. Lis de existentia ejus corporis in basilica Classensi.

CUR autem conversus inter tot, quæ Romualdo polliceri potuisset, visionem promiserit sancti martyris Apollinaris, heic dicendum. Vigebat a septuaginta annis quæstio circa locum existentiæ sacri illius corporis; constanter tuebantur Classenses nunquam loco motum; monachi autem sancti Martini in Cœlo-aureo translata ante multos annos veneranda ipsius martyris ossa in propriam ecclesiam contendebant. Hinc [a] auctor anonymus a Bacchinio editus in appendice ad Agnelli librum Pontificalem, in Johanne VIII. hæc habet: *Hic fecit deferri corpus sancti Apollinaris ad ecclesiam sancti Martini in Cœlo-aureo timore Agarenorum, qui asportaverant civorium argenteum de ecclesia Classensi*; & extat *historia translationis beati Apol-*

[a] *P. II. p. 79.*

ANN. CHR. 927. ROMUALDI 20.

Apollinaris, *quæ celebratur* XVII. *calendas augusti* in Spicilegio Ravennatis historiæ penes [a] Muratorium, conscripta, ut videtur, a monacho monasterii sancti Apollinaris-novi, qui tuetur revera a Johanne in urbem deportatum corpus beati martyris, & invectum in basilicam sancti Martini in Cœlo-aureo, appellatam inde sancti Apollinaris-novi. Auctor hic, Johannem VIII. septimum appellat, fucumque facit lectoribus emendicata narratione, summe extollens ecclesiam sancti Martini, tamquam possidentem thesaurum hunc contra historicorum & decisionum auctoritatem, ac ipsiusmet Johannis archiepiscopi fidem. Occasionem huic quæstioni dederat reapse idem Johannes VIII. Ravennas antistes. Sed rem paullo altius petamus ex testimonio supradicti [b] anonymi, sive Rodulfi Camaldulensis, qui *de inventione* scripsit, cujus verba non pigebit hic conscribere. *In civitate Ravenna, quæ inter Italicas urbes nobili prærogativa micat insignis, quoddam monasterium situm est, quod sancti Apollinaris novi appellatione censetur, ad distinctionem cujusdam antiquioris ecclesiæ, quæ juxta eamdem civitatem sancti Apollinaris veteris vocabulo nominatur. Ibi monachorum manet congregatio, quæ licet regulari professione polleret, quondam tamen præsumsit illicita, unde licitis etiam carere deberet juxta regulam, qua dicitur: Privilegium meretur amittere, qui concessa abutitur potestate. Nam per aviditatem plus appetendi totius debiti summa evacuatur. Quum enim sufficeret ei, quod tanti patris meritis & vocabulo celebris esset, cœpit tamen gloriari, & per populos rumores spargere, quod sacri corporis ejusdem præsentia locum illum decoraret. Asserebat itaque ipsum a piæ memoriæ Johanne archiepiscopo de Classensi cœnobio illuc esse translatum; & quidem non diffitemur, ipsum patrem aliqua sanctorum corpora quadam cautissima stropha sanctaque calliditate transtulisse. Cujus translationis talis causa extitisse probatur. Istria provincia quædam est in partibus Illyricis, cujus incolas beatus Apollinaris, quum ibi exularet, ad fidem Christi evangelica prædicatione convertit. Unde in eadem provincia celeberrimus est, & quasi ejus regionis apostolus summa devotione venerabilis. Nam & Classensis ecclesia in eisdem partibus quondam amplissimas habuit possessiones, & per singulos annos copiosos exinde reditus percipiebat. Siquidem lapis in eodem monasterio magni ponderis est, ad cujus pensum metalla inde allata trutinari solebant. Solebant etiam ipsius cœnobii officia per monachos & familiares ejusdem provinciæ administrari. Accidit autem, ut quidam accepta contumelia, ex eodem loco discessissent. Reversi ergo ad propria, collecta multitudine piratarum, ad suprascriptam ecclesiam nocturni depopulatores accesserunt, & arreptis omnibus, quæ invenerant, etiam ciborium argenteum, quod altari superimpositum erat, asportaverunt. Minabantur etiam repetita infestatione Corpus beati Apollinaris se translaturos.* Quid esset *ciborium*, vel *civorium*, [c] Bacchinius satis abunde explicari posse putat ex iis versibus, quos Victor archiepiscopus Ravennas in ecclesia Ursiana conscribi jussit super arces vel arcus ciborii ejusdem ecclesiæ:

a T. I. P. H. p. 533.

b T. I. P. H. pag. 538.

c P. H. p. 75. & 80.

Hoc votum Christo solvit cum plebe sacerdos
Victor, qui populis auxit amore fidem: &c.
Catholicæ legis venit .... si quis amator
Mox reparatus abit corpore Christe tuo.

ex quibus postremis duobus versibus constat *ciborium* non modo tegendo altari inserviisse, quare testudinis vocem Rubeus substituit, sed præcipue ob id factum fuisse, ut in eo sacræ Eucharistiæ mysteria pro usu reconderentur. Hanc excursionem Saracenis tribuit, sed & *Sclavinicos* nominat,

ut,

ut *plerique ajunt*, alius anonymus canonicus auctor decimi seculi apud eumdem [a] Muratorium his verbis: *Tunc Agarenorum gens a suis elapsa finibus, sive Sclavinorum, ut plerique ajunt, sancti beati Apollinaris cuncta conculcantes, argenti tam Confessionis, quamque Civorii ornamenta auferentes, omnia annullantes, ad propria repedarunt. Post hos sævi cernentes sancta profanari, Christiana prædia, quæ inopum alimentis largita fuerant, demserunt, reliquaque jugiter vastantes omnia ad nihilum redegerunt*. Saracenos perpetrasse hanc Classensis basilicæ direptionem scribit & Rubeus [b] sub Deusdedit Johannis antecessore archiepiscopo, qui ad eam cathedram ascenderat anno 846. & ad annum 856. Johanni locum fecerat. „ Saraceni, inquit, superato ad Tarentum navali prælio „ Theodosio Michaelis Trauli Orientalis Cæsaris duce, Italiam nemine „ obsistente, capta Ancona, & omni superi hujus maris ora longe lateque direpta, populati sunt, atque ipsum inter cetera divi Apollinaris „ in Classe templum, ex quo præter multa ingentis pretii, ex argento „ testudinem, zonasque muliebres superioris seculi ornamenta abstulerunt. “ *Audiens hæc*, prosequitur primus auctor, Rodulfus scilicet Camaldulensis, [c] *præfatus Johannes archiepiscopus, quædam, ut diximus, prudenti consilio corpora transtulit, ut auditis his gens illa contra Classense cœnobium sub hac occasione non ultra sæviret, æstimans etiam beati Apollinaris venerabile corpus esse translatum. Sicque factum est, ut ipsa remaneret illusa, dum conaretur illudere, & intra Classensem ecclesiam tam pretiosum thesaurum conservari illæsum. Hac occasione factum est, ut de corpore sancti Apollinaris apud quosdam oriretur dubitatio, quam non de probabili ratione, nec de opinione verisimili, sed de crassa & supina ignorantia, vel quod deterius est, de artificiosa malitia processisse, manifesta veritate cognoscimus, & multiplici ratione probamus. Jam præfatus archiepiscopus Johannes etiam post ipsam, quam dicunt translationem, talia dixit & scripsit, quibus ipsius figmenta falsitatis facile convincuntur*; etenim *in aurea tabula, quam Classensi cœnobio contulit, & loco ciborii argentei, quod prædictæ gentis perfidia inde rapuerat, collocavit, talia scripta reliquit*:

Ex opibus venerande tuis hæc offero Præsul
Classensi templo, quo tua membra jacent.

Rubeus vero, [d] „ interea, Deusdedit archiepiscopo Ravennatum mortuo, Johannes hujus nominis octavus subrogatur. Cujus archiepiscopatu, „ ob barbarorum, quas diximus, excursiones ac latrocinia, plerique cadaver divi Apollinaris Ravennam ex eo templo importatum ferunt, atque in divi Martini in Cœlo-aureo collocatum, eamque ob rem deinceps ædem illam divi Apollinaris-novi titulo vocatam: Sed hi falluntur &c. Ceterum huic errori ac disceptationi occasionem præbuit Johannes hic archiepiscopus, qui Saracenis omnia, uti dictum est, devastantibus, cum vereretur, ne cadaver sanctum divi Apollinaris raperetur, „ duo sanctorum virorum cadavera sub Apollinaris nomine ad divi Martini in Cœlo-aureo transferenda XVII. kal. augusti curavit, “ Hinc ergo patet, cur Romualdus, cujus ævo ea quæstio maxime vigebat, voluptate dirimendæ litis, vel divino consilio motus, converso, qui ei pollicitus fuerat hanc visionem, responderit, *quia mox, ut beatum martyrem videro, apud seculum ulterius non manebo*; & quotiens deinde controversia movebatur, an in Classensi basilica quiesceret corpus sancti martyris, penitus affirmaret, & hoc proferre testimonium non cessaret.

Hinc

ANN. CHR. 927. ROMUALDI 20.

a *Script. rer. Italicar.* T. I. P. II. p. 554.

b *Lib.* V. p. 240.

c T. I. P. II. p. 539.

d *Lib.* V. 241.

Ann. Chr. 927. Romualdi 20.

Hinc obiter monendum, quantum a vero discedant [a] Jacobus Guala in *Sanctuario Papiæ*, & [b] Stephanus Breventanus asserentes corpus sancti Apollinaris Ravennatis primi episcopi in Ticinensi urbe reconditum esse, præsertim cum nullum afferant hujusmodi translationis documentum. Pariter cum in detectione corporis facta anno 1173. a cardinalibus Hildebrando ac Theodino, inter ceteras sancti Apollinaris partes, caput ipsius repertum fuerit, atque ossa brachiorum, dicendum erit caput illud, quod adservatur in ecclesia sancti Apollinaris novi Ravennæ esse caput alterutrius ex corporibus sacris, quæ ibi transtulit Johannes VIII. licet inscriptio in sacello reliquiarum ejusdem ecclesiæ caput illud esse doceat sancti Apollinaris primi Ravennæ episcopi; multo minus in Belgium translatum fuit, quod Saussajus in martyrologio Gallicano ad diem XXIII. julii affirmat: „ Natalis sancti Apollinaris episcopi Ravennatensis, sanctique Petri discipuli, ac martyris gloriosi, cujus caput in Gallias delatum Osonii prope „ insulam in Flandria in loci hujus ascetarum æde cœnobitica habetur, „ & colitur frequenti piæ plebis devotione. “ Verum plures martyres sancti Apollinaris nomine donati in variis martyrologiis leguntur, ut proinde illorum celeberrimo tribuendæ non sint reliquiæ, quotquot passim reperiuntur.

a Lib. III. cap. VII.

b Lib. III. cap. 2.

XXVI. Romualdus postulat habitum monasticum & suscipit.

Sed ad Romualdum redeamus; repetitæ visioni sancti Apollinaris obsistere nequivit, & jam ex pacto cum converso inito, secularem extemplo abjicere vitam, & monasticam cucullam induere tenebatur; neque tamen statim victas dedit manus. Plurium verisimiliter dierum inducias petiit, tum ut maturiore consilio opus grande perficeret, tum ut modos adinveniret aptiores ad evitandam patris iram, si ipso inconsulto, spretaque ejus domo, ad claustrum convolaret. Interim tamen orationi insistebat, & ante majus altare prostratus, indefessas preces porrigebat, ut Deus ad optatum finem rem perduceret. Non contentus, una cum fratribus, divinis interesse obsequiis, post ipsorum etiam discessum intimas suas postulationes protrahebat, liberiusque suspiria cordis exhalabat; cum tandem Deus servi sui orationem exaudiens, spiritum compunctionis ipsius auxit, quo exuberantibus lacrymis, quæ ei familiares fuere deinceps, dum vixit, divinæ motioni amplius reluctandum non esse ratus, disruptis omnibus sanguinis & seculi retinaculis, monachos suppliciter exoravit, ut se in eorum consortium recipere non amplius cunctarentur. Ea omnia, & adimpletum sancti juvenis desiderium, mediatore etiam Honesto tunc archiepiscopo Ravennate, descripta nobis reliquit Petrus Damianus sequentibus verbis: [c] *Habebat quoque Romualdus consuetudinem ante præcipuum altare ecclesiæ orationi frequenter incumbere, ibique postquam fratres abscederent, multis Deum satagebat gemitibus exorare. Dumque hoc quadam die post visionem attentius faceret, tanto mox divini amoris igne mentem illius Spiritus sanctus accendit, ut in fletum repente prorumperet, uberes lacrymarum rivos restringere non valeret; Monachorum se pedibus prostratus advolveret, tradi sibi monachicum habitum inenarrabili desiderio flagitaret. Monachi vero, dum patris ejus duritiam metuunt, conversioni illius aditum pandere non præsumunt. Honestus autem, qui tunc Ravennæ archiepiscopalem cathedram obtinebat, olim Classensis cœnobii abbas extiterat. Hunc ergo Romualdus impiger adiit, eique omne sui cordis desiderium patefecit. Qui alacer factus castæ concupiscentiæ exhortationis stimulos addidit, fratribusque, ut eum suo collegio incunctanter adsciscerent, imperavit. Hujus itaque patrocinio cœnobitæ suffulti, Romualdum intrepida securitate suscipiunt, eique sanctæ conversationis habitum tradunt.*

c Vit. S. Rom. cap. 2.

Exur-

Exurgere olim solebat quæstio & quidem implicatissima, quomodo monachi Classenses, suffulti patrocinio Honesti archiepiscopi Ravennatis, Romualdo monasticum tradiderint habitum? Cum enim Honestus ad Ravennatem sedem evectus fuerit anno 971. post Petrum Bononiensem, qua ratione describitur archiepiscopus anno 927? Rursus si differenda sit Romualdi conversio ad annum 971. qui Honesti archiepiscopatus primus numeratur, cum certo certius constet Romualdum centum annos Deo famulatum fuisse, ejus proinde mors ad annum 1071. protrahenda erit; & ita Damianus, qui Romualdi vitam scripsit fere post tria lustra ab ejus morte, anno tantum 1086. ipsius vitam exaraverit, quatuordecim nimirum annis, postquam sanctus doctor vitæ Romualdi scriptor ad superos jam abierat. Quibus difficultatibus perculsus Baronius ad [a] certiores calculos ætatem sancti Romualdi revocari debere animadvertit. Difficultatem hanc primus sensit [b] Fortunius noster, eaque super re Vincentium Carrarium IC. Ravennatem consuluit, qui rescripsit: „ Cum Honestus „ non fuerit archiepiscopus nisi post annum 963. succedens Petro, qui „ sedebat anno 927. arbitrari se, quod sanctus Romualdus natus sit an- „ no 946. & mortuus anno 1066. ut historiæ invicem cohæreant; “ & suam sententiam confirmat idem Carrarius, eo quod „ Damianus cum „ conversione Romualdi conjungat per verba *eodem tempore* conversio- „ nem Petri Urseoli ducis, cujus abdicatio post ann. 970. contigit ex „ Venetis historiis. “ In hac Carrarii hypothesi absurda superius relata minime declinantur; quintus-decimus enim annus post mortem Romualdi illigaretur anno 1081. quo Damianus a novennio jam decesserat: præterquamquod series priorum Camaldulensium repugnat; neque credibile etiam videtur Romualdum Ottoni III. & Henrico II. imperatoribus carum & notissimum, ab eorum successoribus affatim ignoratum. Thomas Minius monachus pariter noster in vita sancti Casimiri regis Poloniæ, Venetiis edita anno 1620. & ex vita sancti Johannis Gualberti, protrahit ad annum 1057. Romualdi obitum, conversionem ad annum 957. & nativitatem ad annum 937. Verum cum Honestus etiam juxta Carrarium post annum tantum 963. fuerit Ravennæ archiepiscopus, qua ratione comprobabitur Romualdi sub Honesto conversio? Johannes Bollandus [c] rem sic componendam decernit, ut sanctus Romualdus septuaginta dumtaxat annis vixerit, quorum exegerit viginti in seculo, tres in cœnobio, reliquos quadraginta-septem in eremitica vita, ejusque obitum arbitratur contigisse anno 1027. ortum idcirco 957. conversionem autem anno 977. Sed Bollandi hypothesim copiose discutiemus ad annum 1027.

Guido Grandius doctissimus abbas noster Camaldulensis in sua dissertatione peculiari [d] de ætate sancti patris Romualdi conciliationem proponit, & fatetur imprimis anno 927. qui conversioni sancti Romualdi vulgo assignatur, Honestum nullo modo Ravennatem antistitem dici potuisse, auctoritate vel ipsa ejusdem Damiani [e], qui conceptis verbis asserit, quod *Petrus archiepiscopus Ravennatem dimisit ecclesiam, cui mox adhuc superstiti Honestus, primo videlicet Ottone habenas imperii gubernante, successit*. Quippe anno dumtaxat 936. Ottonem I. legimus a die secunda julii imperasse, & anno 938. Germaniæ coronatum fuisse regem, anno vero 962. corona imperiali donatum a Johanne XII. papa; quare si Honestus, teste Damiano, Ravennæ archiepiscopalem cathedram obtinebat, dum Classenses monachos confirmavit, ut se patrocinante Romualdum *intrepida securitate susciperent, eique sanctæ conversationis habitum traderent*, non potuit ante annum 936. vel 937. id præstare, quia admissa etiam

Ann. Chr. 927. Romualdi 20.

XXVII. Quomodo Honesti archiepiscopi tempore id contigerit?

a T. XI. ad ann. 1027. n. 13.

b P. II. Lib. I. cap. 7.

c T. II. Febr. p. 103.

XXVIII. Grandii conciliationes.

d Differt. II. c. 3.

e T. I. Lib. I. epist. 9.

Ann. Chr. 926. Romualdi 20.

prima regni Ottonis explicatione, Petro Ravennati nequivit succedere ante annum 936. nec Romualdus, qui vicennium in seculari vita expendisse legitur, potuit ante annum 916. vel etiam 917. nasci, neque ante annum 1036. aut 1037. e vivis excedere, si centum-viginti annorum vitam transegit, uti ex Damiano demonstratur. Tum annum mortis sancti patris fortasse ex 1037. in 1027. per errorem commutatum credit. Inde subdit [a]: „ non deesse conjecturas, quibus persuadeamur longe ante annum 971. Ravennati ecclesiæ præfuisse Honestum Petro sponte „ abdicanti succedentem, licet dum hic viveret, se ut coepiscopum dumtaxat gereret, ac Petri nomine quælibet acta signari mandaret, vel „ potiora officia illi expedienda reipsa deferret, ut nonnisi post Petri „ mortem Honesti memoria in Ravennatibus tabulis superfuerit, licet „ constet ex Damiano & aliis, quod Petro adhuc viventi successerit. " Et post multa [b]: „ Nil mirum itaque, quod & Honestus tamquam Petri coadjutorem seu coepiscopum se gesserit ab anno 937. usque ad „ Petri mortem, adeout licet Petrus episcopali munere se abdicasset, ausus tamen non sit Honestus, illo vivente, semet absolute archiepiscopum subscribere, sed Petri nomine cuncta administraret ob prædecessoris sui reverentiam, cujus onera videlicet supplere, & laborem minuere mallet, quam honorem & dignitatem sibi arrogare. " Deinde [c]: „ Sed quid opus est conjecturis? Duo mihi, inquit, argumenta occurrunt, „ quæ rem plane conficere videntur; alterum quod actis concilii Ravennatis anno 954. subscriptus legitur, qui ex Classensis archivi monumentis Honesto in abbatiæ regimine successit Dominicus abbas his verbis: „ *Dominicus religiosus presbyter & abbas regularis sancti Apollinaris, qui vocatur in Classe*: unde jam tum Honestus ad episcopalis oneris partem vocatus supponitur, licet ex sæpe dicta ratione Petri nomine hæc „ ipsa concilii acta celebrarentur. Alterum est, quod inter Ravennates „ archiepiscopos, Honestus dumtaxat & Petrus *coangelici* titulo decorati „ leguntur, ut in eisdem actis anni 954. a Rubeo relatis: *D. Petrus sanctissimus & coangelicus archiepiscopus*, & in actis anni 973. *Honestus coangelicus sanctissimus archiepiscopus*. Quomodo autem alteruter *coangelicus* vocaretur, nisi ex comparatione alterius præsulis, quocum commune ministerium episcopale sustineret? Sic enim dicitur coangelicus, „ quomodo coævus, coæternus &c. quæ nisi ad alium referantur, minime intelligi possunt, atque explicari, sed duorum saltem consortium „ necessario requirunt. " Capite autem VIII. ejusdem dissertationis hactenus adducta non pro evidentibus habenda, sed veluti probabiliora a se enuntiari asserit; tum aliis conciliationibus locum dat, & numero quidem VII. longe facilius putat Damianum aut discipulos Romualdi, a quibus ille hujus historiam hausit, circa nomen archiepiscopi, cujus tempore Romualdus conversus est, labi potuisse, ac *Honestum* fortasse pro Petro subrogasse, præsertim cum Damianus alias in nominibus differendis parum fuerit sollicitus. Tertio modo rem totam componit simplici transpositione duorum verborum textus Damiani, ita ut ubi legitur: [d] *Honestus autem, qui tunc Ravennæ archiepiscopalem cathedram obtinebat, olim Classensis cœnobii abbas extiterat*; sic fortasse restitui possit: *Honestus autem, qui olim Ravennæ archiepiscopalem cathedram obtinuit, tunc Classensis cœnobii abbas existebat*; quo posito Honestus, non ut *episcopus*, sed ut *abbas*, monachos Classenses inducere potuerit ad Romualdum in consortium accipiendum; vel quæ gesta fuerant ab Honesto, ut abbate, relata sint a Damiano gesta ab ipso, ut episcopo, aut suo,

a Diss. II. cap. III. n. III.

b Ibid. n. VIII.

c Ibid. n. X.

d Ibid. cap. VIII. num. IX.

suo, aut errore discipulorum Romualdi, qui id Damianum docuerant. — ANN. CHR. 927. ROMUALDI 20.

Demum conciliationem postremam exhibet [a] Grandius his verbis. „ Attenta insigni Ravennatum præsulum ejus seculi confusione; attenta etiam Petri Ravennatis archiepiscopi nimis longa in episcopali gradu perseverantia, si anno 909. ut adnotat Ughellius, Bononiensem ecclesiam administrabat, indeque anno 923. ad archiepiscopales Ravennæ infulas translatus, illas anno dumtaxat 971. dimiserit, eique superstiti Honestus successerit, oporteret siquidem, ut 62. annis præsulis officio functus esset; his, inquam, attentis verisimilius videtur, alium Petrum, alium Honestum æquivoco nomine posteris imposuisse, adeo ut qui ex Bononiensi ecclesia assumptus est Petrus, & anno 923. in Ravennati cathedra collocatus, usque ad annum 927. in ea vixerit dignitate, huic decedenti suffectus sit eodem anno Honestus ex abbate Classensi assumptus, de quo Petrus Damianus narrat, auctoritate & suffragio suo conversionem Romualdi (quæ juxta vulgarem calculum in hunc annum 927. incidit, cum post centum religionis annos mortuus censeatur anno 1027. præcisis conjecturis ulterioris vitæ, juxta præcedentem opinionem nostram superius expositis) apud Classenses patres promovisse, eodemque Honesto usque ad annum 950. circiter superstite, Petrus alius suffectus sit, qui anno 954. concilium suffraganeorum præsulum habuit, ut narrat Rubeus ad hunc annum, & anno 957. Raimbaldo abbati sanctæ Mariæ de Palatiolo privilegium quoddam contulit, a Margarino relatum [b], atque huic Petro sponte cedenti, sive anno 963. ut Carrario placet, sive anno 971. ut Rubeus arbitratur, successerit Honestus alius, de quo Petrus Damianus [c]: *Petrus etiam archiepiscopus Ravennatem dimisit ecclesiam, cui mox adhuc superstiti Honestus, primo videlicet Ottone habenas imperii gubernante, successit.* “ Et numero x. attenta Ughellii sententia [d], ubi ait: „ Petrus in Bononiensi sede florebat anno 909. translatusque est ad Ravennatem ecclesiam anno 927. “ aliam conciliationis viam init, supponens „ post Constantinum Ravennatem archiepiscopum circa annum 920. ad eam sedem evectum Honestum primum ex abbate Classensi, qui ipso anno 927. post Romualdi conversionem fato cedens, eodem anno Petrum illum Bononiensem habuerit successorem, atque ita absque duplicis Petri distinctione, qualem prima conciliatio admittebat, tota controversia hujusmodi aptissime, ut antea, componetur, solo retento discrimine Honesti primi, qui Constantino successerit ante Bononiensem Petrum, ab Honesto ejus nominis secundo, qui abdicantem eundem Petrum anno 971. exceperit, juxta vulgarem sententiam. “

a *Ibid. n.* v.

b *Bullar. Casin. T. II. Const.* 51.

c *Lib. I. Epist.* 9.

d T. *II. Ital. Sacr. in ep. Bonon. n.* 45.

XXIX. Sententia nostra de duobus Honestis.

HACTENUS Grandius, cujus conciliationi postremæ plaudimus, juxta quam convenimus & nos sedisse in cathedra Ravennate Honestum aliquem ante Petrum Bononiensem, eique gratulamur, quod divinaverit, quæ nostris hisce temporibus luce clariora comprobantur ope tabulariorum tum Ravennatis ecclesiæ, tum ducalis Estensis, in quorum chartis archiepiscopus Ravennas, nomine Honestus, reperitur ante Petri Bononiensis tempora. In ea [e] dissertatione, quam Clariss. Vir Joseph-aloysius Amadesius Bononiensis, a secretis Illustrissimi & Reverendissimi D.D. Ferdinandi-Romualdi Guiccioli archiepiscopi Ravennatis, contexuit *pro tuenda jurisdictione archiepiscoporum Ravennatum in civitate & diœcesi Ferrariensi*, & in epistola, quam ad dissertationem suam propugnandam idem Amadesius domno Bonifacio Collina monacho nostro nuncupavit, quæ extat in [f] collectione opuscu-

e *App. Docum. pag.* 47.

f T. *XLV. p.* 397.

Ann. Chr. 927. Romualdi 20.

opusculorum editorum a consodali pariter nostro domno Angelo Calogierà, documentum [a] producitur hujusmodi. *In nomine patris & filii & spiritus sancti amen. Domino nostro Johanne summo pontifice & universali papa in apostolato anno septimo imperante dom. Berengario serenissimo imperatore anno imperii ejus ......to decimo in mense martio indictione nona Roma Lateranense .... quia nobis dom. Johanni summo & universali papa de apostolica sacratissima beati Petri apostoli .... sede petistis vobis* Honesto *divina favente gratia archiepiscopo sacre nostre Ravennatis ecclesie beati Apollenaris, ut concederemus &c.* Doctissimus etiam [b] Muratorius aliam exhibet chartam desumtam ex archivo Estensi, cujus initium est hujuscemodi. *In nomine patris & filii & spiritus sancti amen. Temporibus domni nostri Johannis summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri apostoli domini sede anno septimo. Sicque imperante domno Berengario piissimo perpetuo augusto pacifico magno imperatore anno* x. *die* ix. *mensis madii, indictione* ix. *in massa, que vocatur Fiscalia. Notitia brevis recordationis ad memoriam retinendam, qualiter domnus* Honestus *religiosissimus archiepiscopus sancte Ravennatis ecclesie, & domnus Oldericus vassus & missus de domno imperatore &c.* Mentionem hujus placiti facit idem Muratorius etiam in Annalibus [c], ubi tamen errore habitum Ravennæ asserit, cum celebratum fuerit in massa Fiscalia. Porro has chartas ad annum 921. pertinere solide in epistola ad Collinam demonstrat Amadesius, ubi etiam conciliationes plures affert pro vindicatione & illustratione chronicarum notarum; ex quibus illud saltem ad rem nostram conficitur, ante Petrum Bononiensem, archiepiscopum, Honestum nomine, Ravennatem sedem obtinuisse. An distinguendus sit Honestus, qui fuit archiepiscopus ante Petrum, ab Honesto, cui Petrus, ut Damianus ait, regimen ecclesiæ dimisit, inferius dicemus. Illud interim monemus, Damianum duos Honestos diverso tempore archiepiscopos Ravennæ aliquo modo distinxisse, & ne eorum gesta confunderentur, cum eos nominavit, diversa characteristica nota signasse. Bis autem de archiepiscopo, Honesto nominato, verba fecit; capite nimirum II. vitæ sancti Romualdi, & epistola IX. lib. I. quæ est opusculum XX. In vita Romualdi [d] mentionem ad annum 927. ingerit de Honesto, qui *extiterat olim Classensis cœnobii abbas*; in epistola vero: *Honestus, primo videlicet Ottone habenas imperii gubernante, successit Petro*, diverso nimirum tempore, dum anno 927. Otto nullum neque in Germania, neque in Italia dominium obtinebat, atque proinde anno alio; eodem modo quo, ne errandi porrigeretur libertas, dum constaret tres fuisse successive ejusdem nominis imperatores, id factum sub hujus nominis primo imperatore enunciavit: *primo videlicet Ottone*. Admisso Honesto, qui fuerit archiepiscopus Ravennas ante Petrum Bononiensem, evanescunt difficultates omnes a Carrario & a Fortunio objectæ, ad veros & legitimos suos calculos, quod optabat Baronius, redacta demonstrantur vita & conversio sancti Romualdi, Johannis Bollandi oppositiones diluuntur, ejusque nova hypothesis omnino ruit, quæ scilicet adinventa fuit, ut gesta Romualdi cum tempore archiepiscopatus Honesti Ravennatis componerentur. Superflua denique evadit secunda tabula chronologica a Grandio in suis dissertationibus ad hunc unice finem ab ipso proposita, ut Romualdi conversionem cum sede Honesti concordaret; nosque gratiam habemus iis, qui hæc antiquitatis monumenta e tenebris eduxerunt, quibus lux affulget quæstioni, quam obscurissimam, & pene insuperabilem judicaverunt majores nostri. Utramque superius relatam chartam ad majus legentium commodum, reique illustrationem, in Appendice recudendam curavimus.

RE-

a Ex Tom. XXXVIII. Divers. arch. Archiep. Ravenn.

b Antiq. medii ævi T. II. col. 969. & apud Amad. pag. 48.

c T. V. p. 292.

d Cap. 2.

Restat, ut heic loci summe confusam seculi decimi seriem Ravennatum antistitum, ope chartarum, veterumque monumentorum, aliquatenus restituamus. Obiit Johannes XI. Traversarius anno 904. & quidem juxta Fabrium die XXI. novembris; in vulgatis indicibus & in Ughellio assignatur ejus successor Petrus hujus nominis IV. cui vix ad integrum annum viventi suffectus dicitur Johannes X. ille idem, qui ex Bononiensi ad Ravennatem, & ex hac ad Romanam sedem fuit evectus post Landonis pontificis obitum, & quidem juxta Baronium anno 912. sed, ut arbitratur Papebrochius, anno 915. & demum, ut nos post [a] Mabillonium recte deducere confidimus, anno 914. Affert enim Browerus [b] in antiquitatibus Fuldensibus diploma ipsius Johannis X. *datum Haiconi abbati Fuldensi* XIV. *kalendas junii per manum Stephani secundicerii sancte sedis apostolice, anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis & universalis decimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli quarto, imperante domino piissimo augusto Berengario a Deo coronato magno imperatore anno secundo, & patriciatus* (legendum *consulatus*) *anno secundo indictione quinta*: quæ notæ chronologicæ anno 917. conveniunt, anno scilicet ejus sedis quarto; ex quo diplomate intelligimus Johannem X. anno ipsius seculi quartodecimo sedere cœpisse in cathedra Romana. Age vero introspiciamus, quæ literis tradiderit quoad ejus ingressum in sedes Ravennatem & Romanam Luitprandus Ticinensis diaconus, inde Cremonensis episcopus, auctor fere suppar; nam ex iis liquido constabit Johannem nequaquam Ravennatem ecclesiam administrare potuisse ab anno 904. vel 905. usque ad 913. ut præferunt laudati indices. Porro Luitprandi verba producimus ad confirmanda asserta nostra chronologica; neque enim vades nosmetipsos præstare volumus quoad historica omnia facta, quæ forte fabulis accenseri merentur, vel calumnias sapiunt. *Per idem tempus*, inquit, [c] *Ravennatis sedis, qui secundus post Romanum archiereum archipræsulatus habebatur, Petrus pontificatum tenebat, qui dum subjectionis officio debitæ nominatum Johannem papam, qui suæ minister ecclesiæ tunc temporis habebatur, Romam sæpius ac iterum domino dirigeret papæ, Theodora, ut testatur vita ejus, meretrix impudentissima, Veneris calore succensa, in hujus speciei decorem vehementer exarsit, secumque hunc scortari non solum voluit, verum etiam atque etiam post compulit. Hæc dum impudenter aguntur, Bononiensis episcopus moritur, & Johannes iste loco ejus eligitur. Paullo post, ante hujus diem consecrationis, nominatus Ravennas archiepiscopus mortem obiit, locumque ejus Johannes, Theodoræ instinctu, Bononiensi ecclesia deserta, ambitionis spiritu inflatus, contra sanctorum patrum instituta sibi usurpavit. Romam quippe adveniens mox Ravennatis ecclesiæ ordinatur episcopus*. Et ne de alio Romano pontifice, quam de Landone immediato Johannis hujus prædecessore se loquutum fuisse relinqueretur suspicandi & errandi locus, dum a Petro Ravennate archiepiscopo Romam ad pontificem directum narrat Johannem presbyterum tunc, & Ravennatis ecclesiæ ministrum, Bononiensem inde, tum Ravennatem antistitem electum, mox adnotat idem Luitprandus eidem illi pontifici, a quo Johannes Petri successor ordinatus fuerat in Ravennatem archiepiscopum, artibus ipsius Theodoræ suffectum fuisse in supremo orbis pontificatu pauco tempore interjecto eumdem Johannem. Subdit enim: *modica vero temporis intercapedine, Deo vocante, qui eum injuste ordinaverat, papa defunctus est. Theodoræ autem Glycerii mens perversa, ne amasii ducentorum milliarium interpositione, quibus Ravenna sequestratur a Roma, rarissimo concubitu potiretur, Ravennatis hunc sedis archiepiscopatum coegit desere-*

re,

Ann. Chr. 927. Romualdi 20.

XXX. Ordinatur series Ravennatum antistitum.

a T. *III. Annal. pag.* 358.

b *Pag.* 283.

c *Hist. Lib. II. cap.* XIII.

Ann. Chr. 927. Romualdi 20.

re, *Romanumque* (*proh nefas!*) *summum pontificium usurpare*. Sed Lando anno 913. electus Romanus pontifex dimidium dumtaxat anni tenuit supremam illam sedem, juxta [a] testimonium Flodoardi omni exceptione majoris.

a Fragm. Rom. Pontif.

Lando dein summam Petri subit ordine sedem:
Mensibus hanc coluit sex, undenisque diebus.
Emeritus patrum sequitur quoque jura priorum.

Ergo tantum vel desinente anno 913. vel sub initium anni 914. Johannes X. Ravennatis ecclesiæ regimen suscepit, ut paullo post Landoni obeunti succedere posset.

Hinc [b] Rubeus non alias Johannis Ravennatis archiepiscopi tabulas in medium profert, quam datas nonis februarii ipsius anni 914. indictione II. & expressioribus notis Amadesius [c]: *Johannes servus servorum Dei divina gratia archiepiscopus .... anno Deo propitio pontificatus dom. Landonii pape primo die quinto mensis februarii, indictione secunda Ravenne;* eodem nempe anno, quo mense majo postea in pontificem Romanum consecratum fuisse eumdem Johannem diploma Fuldense superius allatum demonstrat. Diximus Rubeum alia non commemorare Johannis monumenta, quam mox indicatum, quod spectat ad annum 914. nam quæ paullo ante laudat Ravennatis archiepiscopatus documenta, quæque pertinent, primum *ad secundum Sergii pontificis annum, Ludovici cæsaris quartum, indictionem octavam, ac diem iduum julii;* & alterum ad *annum octavum ejusdem pontificis, indictionem quartamdecimam, & annum a partu virginis*, ut supputat idem Rubeus, *nongentesimum decimum*, iisdem fere diebus, ait, quibus Sergius mortuus est, atque in ejus locum suffectus Anastasius III. certum archiepiscopi nomen non exprimunt; quare cum Luitprandi historia minimum pugnant. Majus nobis negotium facessunt alia duo monumenta ab Amadesio ex eodem tabulario archiepiscopali Ravennæ deprompta, in quibus ad annos 906. & 907. legitur Johannis archiepiscopi nomen: *Johannes servus servorum Dei divina gratia archiepiscopus .... anno Deo propitio pontificatus dom. Sergii summi pontificis .... tertio, die quarta mensis aprilis indictione nona. Johannes servus servorum Dei divina gratia archiepiscopus ..... anno Deo propitio pontificatus dom. Sergii .... pape quarto die prima mensis februarii indictione decima Ravenne*. Cum tamen auctoritate Luitprandi prope ea tempora viventis Johannes ordinatus fuerit Ravennas archiepiscopus a Landone, officere non debent quotquot in contrarium monumenta adducantur; & summum iis monumentis in lucem prosiliet Johannes aliquis archiepiscopus Ravennas, vel archiepiscopus, qui binomius fuerit, vel demum alterius factionis antistes, minime tamen Johannes ille, qui ex Ravennate ecclesia ad Romanam fuit provectus anno 914. Quam ob rem in editione Veneta Italiæ sacræ Ughellii tum in Bononiensibus, tum in Ravennatibus episcopis adnotavit etiam Coletus [d] ingressum Johannis X. in sedem Ravennatem nequaquam conjungi posse cum anno 904. Petrumque ipsius Johannis decessorem, qui unico anno ecclesiam illam administrasse creditur, anno tantum 911. eam cathedram conscendisse, cum Johannes, inquit, anno 912. illi subrogatus fuerit a Landone papa. Emendandus tamen ex dictis etiam Coletus, ibique potius reponendum Johannem suffectum fuisse anno 913. exeunte, vel ineunte anno 914. An vero ipsi Johanni X. Ravennati archie-

b Lib. V. p. 253.

c T. XLV. Opusc. pag. 426.

d T. II. coll. 12. & 351.

chiepiſcopo poſtea Romano pontifici, vel alteri Johanni, cujus facta ſunt obſcuriora, tribuendæ ſint literæ, [a] quibus conqueſtus eſt cum Petro abbate Nonantulano, & monachis, quod ſe a ſuperioritate eccleſiæ Ravennatis ſubtraxiſſent, iiſque præcepit, ut debitum illi eccleſiæ honorem tribuerent, & ut matrem revererentur & agnoſcerent, ægre definiri poteſt, cum Petrus Nonantulanus abbas vitam produxerit uſque ad annum 913. & ad diem kalendarum octobris, qua obiit; primis forte diebus ingreſſus Johannis in ſedem Ravennatem; vel ſi nondum eam cathedram obtinuerat Johannes, ad alterum Johannem erunt hæ literæ referendæ.

a *Ap. Murat. T. V. col.* 674. & 675.

XXXI. Theobaldus vel Sinibaldus archiepiſcopus tempore ortus Romualdi.

QUISNAM igitur Ravennæ pontifex conſtituendus erit ab anno 904. emortuali Johannis IX. uſque ad totum ferme annum 912. quo exeunte Petrus, qui non ultra ſpatium anni ſediſſe exiſtimatur, & locum feciſſe Johanni X. Romano poſtea antiſtiti, Ravennas archiepiſcopus ordinatus fuit? Tenebris obſita fatemur, ut plurima alia, ſic etiam tempora iſta Ravennatis hiſtoriæ; nam præter Johannem, quem ex ſuprarelatis chartis in lucem protulit Amadeſius ſediſſe ad annos 906. & 907. alius in ſcenam prodit Theobaldus, cujus nomen reperitur apud laudatum Amadeſium [b] ex tabulis ejuſdem chartophylacii Ravennatis exaratis: *anno Deo propitio pontificatus dom. Sergii ſummi pontificis & univerſalis pape in ſacratiſſima beati Petri ſede tertio, die decimonono januarii indictione decima Ravenne dom. ſancto & meritis beatiſſimo atque apoſtolico patri patrum dom. Theobaldo electo archiepiſcopo ſancte Ravennatis eccleſie*; quæ notæ chronicæ anno 907. reſpondent. En ergo decima-nona die januarii hujus anni Theobaldus, qui appellatur archiepiſcopus *electus*; & poſt duodecim dies, hoc eſt prima februarii ejuſdem anni Johannes itidem archiepiſcopus Ravennas; vel ergo eodem tempore duo antiſtites eccleſiam illam dividebant, vel duobus nominibus Theobaldi & Johannis efferebatur unicus ſedis illius adminiſtrator. Quid, quod in chartis ſpectantibus ab abbatiam noſtram ſancti Mamiliani inſulæ Montis-Chriſti nominari ad eumdem annum 907. *Sinibaldum Ravennatem archiepiſcopum & Corſicæ inſulæ legatum*, ni falluntur conjecturæ noſtræ, haud ægre perſuadere exiſtimamus? Superſunt eæ chartæ in bibliotheca monaſterii noſtri ſancti Michaelis in Burgo Piſarum, cui unita modo eſt abbatia Montis-Chriſti. Inter ceteras legimus chartam exhibentem monumentum erectionis cœnobii ſancti Petri & ſancti Stephani de Venaco dioeceſis Alerienſis, adnexi a ſuis inſtitutoribus abbatiæ ſancti Mamiliani. Et quandoquidem a quingentis & amplius annis poſtremam abbatiam hanc cum ſuis adjunctis diſciplinæ eremi Camaldulenſis ſuppoſuit Honorius papa III. ad eamque eremum, ſive ad Camaldulenſem congregationem ſemper inde pertinuiſſe nunquam interturbata poſſeſſione dignoſcimus, data occaſione novum Ravennatem archiepiſcopum e mediis tenebris tollendi, non incongruum judicamus heic loci de monumento illo conſtructionem cœnobii ſancti Petri, & ſancti Stephani de Venaco reſpiciente perſtrictim verba facere, amandata ad Appendicem integra charta.

b *Pag.* 425.

XXXII. Ea occaſione plura de monaſterio inſulæ Montis-Chriſti ejuſque adnexis.

ILLUD prius monendum & dolendum, immanibus piratarum incurſionibus expoſitam ſemper fuiſſe inſulam Montis-Chriſti, ſed in illa immaniore, cui ante ducentos annos fuit obnoxia, monaſterio pene ſubverſo, & monachis ac villicis omnibus in vincula conjectis, irreparabilem jacturam feciſſe monumentorum omnium, & autographorum, quæ jura ſervabant abbatiæ ditiſſimæ, ac pertinebant ad loca in Corſica, Ilva, Planuſio, Igilio inſulis, & in regno Sardiniæ eidem monaſterio ſubjecta. Quare excidiſſet omnino memoria ejuſdem cœnobii, niſi hanc utcumque repa-

Ann. Chr. 927. Romualdi 20.

repararent apographa plura, quæ supersunt, & in primis collectio quædam vetustorum exemplarium, quæ anno dominicæ nativitatis M.CCC.LXIIII. (M.CCC.LIIII. habet Muratorius loco inferius designando, sed errore, ut clare indicat subsequens indictio) indictione II. die VIII. januarii, ad jussionem venerabilis viri fratris Blasii Aleriensis episcopi, exscripsit imperitus quidam notarius, ausus tamen loco latinarum vocum italicas substituere, sensuque verborum retento chartas marte suo interpretari, corrumpens præterea enormiter characteres chronologicos, quos præseferebant. Hujusmodi est monumentum erectionis prædicti cœnobii sancti Petri & sancti Stephani de Venaco, quam mendosissime conjungit notarius cum anno CCCC.VII. illis verbis: *Ad honorem Dei & beate Marie, & beato Stephano & beato Benedetto anno dominice nativitatis quadragentesio settimo*: quo anno neque æra nativitatis Christi, invecta anno dumtaxat 520. a Dionysio Exiguo abbate, invaluerat, neque sanctus pater Benedictus mundo natus fuerat, neque ullum denique extabat in insula Corsica monasterium, quod anno tantum 591. primitus erectum fuit sub Gregorio Magno, qui Horosio mandavit, ut locum tutum & idoneum in ea insula requireret, in quo cœnobium construeretur; [a] *quatenus insula illa, quæ monasterium hucusque non habuit, in hujus conversationis via meliorari debeat*. Itaque minime dubitamus, ut conjecit etiam Grandius noster in suis mss. notulis, quibus has chartas illustravit, quin in primigenio & autographo instrumento notæ chronicæ fuerint: *anno dominice nativitatis* DCCCC.VII. sed ob evanidum characterem fugiente prima nota D. aut ob vetustatem corrosa, indoctus amanuensis legerit CCCC.VII. & scripserit propterea *quadringentesimo septimo*, occasionem præbens [b] Fortunio erroris, & præfidenter dicendi de antiquitate monasterii Montis-Christi: „ ex antiquissimis variis instrumentis, ut vulgo vocant, ab anno humanæ salutis „ CCCC.VII. multis egregiis donationibus illud honestatum fuisse exploratissimum habemus. “ Annum itaque DCCCC.VII. ibi restituendum esse non improbabiliter autumamus, præsertim cum fundatio illius cœnobii contigisse enuntietur *regnante Berlingerio* seu Berengario *rege & judice*, quem admittit etiam Ughellius circa annum 900. floruisse.

a Epist. LII. Lib. I. regest.

b Par. I. Lib. II. c. 29.

His præmonitis, habemus ex ea charta Ottonem, Dominicum & Guidonem ex comitibus insulæ Corsicæ Silverio abbati sancti Mamiliani insulæ Montis-Christi obtulisse bona sua, quæ in Venaco tenebant, & donatione facta venisse cum abbate *coram Sinibaldo Ravennæ archiepiscopo & legato Corsicæ*, ibique ipso permittente, accedente etiam consensu Angeli comitis & domini Corsicæ, ac Giliæ matris ejus, ecclesiam sancti Petri & sancti Stephani de Venaco erexisse in monasterium, ac illam cum cœnobio subjecisse abbatiæ sancti Mamiliani Montis-Christi cum omnibus suis bonis, ea apposita lege, ut si abbas vel monachi ibidem habitare nequiverint, ecclesia redire deberet ad dominos suos, & quotannis equum cum suis ornamentis valoris librarum septem offerrent. *Actum apud Marranam ante ecclesiam sancte Marie coram notario infrascripto, & coram domno* SINIBALDO *legato. Ego Philippus quondam Arricii notarius &c.*

Ex hoc donationis instrumento, quod a Grandio sibi transmissum edidit etiam [c] Muratorius, si conjecturæ nostræ aliquid valent, Sinibaldus anno 907. erat Ravennæ archiepiscopus, quem insuper haud male eumdem esse cum Theobaldo Amadesii suspicamur, ita ut sive Theobaldi, sive Sinibaldi fuerit verum ejus nomen, facile potuerint confundere notarii & exscriptores, diversimode ipsius nomen efferendo. Sub ipsius itaque pontificatu natus fuit eodem anno 907. Romualdus noster. Vixerit

c T. II. Antiq. Med. ævi col. 1067.

rit proinde Sinibaldus sive Theobaldus in archiepiscopatu Ravennate aut solus, aut una cum Johanne, cujus pariter nomen reperiri per ea tempora in chartis Ravennatibus apud Amadesium diximus superius, usque ad annum 912. cui successerit eodem anno Petrus dictus IV. sed melius V. juxta Bacchinii observationes; Petro autem suffectus fuerit a Theodora sub finem anni sequentis 913. Johannes X. subinde Romanus pontifex; anno demum 914. Constantinus Johannis translati ad regimen universalis ecclesiæ locum obtinuerit. Constantini chartas habemus usque ad annum 923. quo ipsum fato functum vult Rubeus; immo usque ad annum 924. & ad mensem junium, quo tabulas sub eodem confectas profert idem [a] Amadesius.

ANN. CHR. 927. ROMUALDI 20.

a Pag. 423.

XXXIII. Rursus de Honesto I. & de successoribus archiepiscopis.

At enim ubi ergo locus erit Honesto archiepiscopo ante Petrum Bononiensem? Erit locus ad annum 921. his notis chronicis distinctum: *indictione nona anno septimo Johannis X. pontificis, & quinto vel quarto Berengarii*, qui coronatus fuerat imperator anno 916. Hæc ex allatis a Muratorio, sed potissimum ab Amadesio documentis constant. Qua vero ratione conciliari queat archiepiscopatus Honesti cum archiepiscopatu Constantini ceteri viderint; ipse profecto Amadesius non spernendas in eam rem congruentias adducit, quibus infertur calamitosis his temporibus plures in eadem sede Ravennate eodem tempore, vel diversa factione, quod erat infortunium etiam ecclesiæ Romanæ, sedisse episcopos. Diceret etiam quis, Honestum fuisse Constantini coadjutorem, & postea successorem; introducta jam enim tunc erat ea consuetudo: vel binomium fuisse Constantinum, ut pluribus exemplis etiam ex hac nostra historia petitis episcoporum duplex nomen gerentium facile foret demonstrare. Modo his non immoramur. Pro re nostra satis superque est reperiri ad ea tempora recensitum ante Petrum Bononiensem inter archiepiscopos Ravennates Honestum, qui ex Petro Damiano abbas etiam extiterat Classis. Cujus sedis tempus, sive demum is fuerit Constantini coadjutor, sive alterius factionis archiepiscopus, protrahendum est insuper ad annum usque 927. quo monachis Classensibus auctor fuit, ut Romualdum in suum collegium intrepide susciperent.

Nec plura de Honesto, nam eodem anno 927. prima se offert Petri charta inter extantes [b]: *Anno Deo propitio pontificatus dom. Johannis summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri sede quarto decimo, die sexto decimo mensis julii indictione quinta decima Ravenne. Dom. sancto & meritis beatissimo atque apostolico patri patrum Dom. Petro sanctiss. sancte catholice Ravenn. ecclesie archiepiscopo &c.* Qui dicendus erit VI. ac ex Bononiensi, a qua translatus fuit, ecclesia, Bononiensis communiter appellatus. Ad Ravennatem cathedram evectum Petrum anno 927. docet & ipse Ughellius in episcopis [c] Bononiensibus, licet in [d] Ravennatibus Constantino successisse anno 923. asserat. Petrus hic, teste Damiano, sub Ottone I. regimine ecclesiæ se abdicavit, & Honestum, alterum profecto a primo, ut paullo post demonstrabimus, successorem habuit in episcopatu, quem dimisit, seu a quo dejectus est anno vel 963. si Carrarium, vel 971. si Rubeum sequi malumus. Videtur autem decessisse Petrus anno tantum 973. juxta statutum ejusdem Honesti sequentis anni 974. relatum [e] ab eodem Rubeo, ut *quotidianis diebus missas celebrare debeant pro venia delictorum prædecessoris nostri Petri archiepiscopi, seu & pro animabus omnium fidelium defunctorum, & in die anniversarii ejus, & nostri omni anno unam missam canere debeant pro anima ipsius Petri archiepiscopi & nostra unusquisque ex ipsis canonicis, qui ibidem ordinati sunt* vel

b *Amad.* T. XLV. *Opusc. p.* 461.

c T. *II. col.* 12.

d *Ibid. col.* 351

e *Lib. V. p.* 266.

ANN. CHR. 927. ROMUALDI 20.

vel fuerint .... Datum anno II. *Benedicti pape*, *imp. Ottone in Italia anno .... indictione* II. *Ravenne*. De Honesto, qui successit Petro Bononiensi, anonymus Ravennas post Agellum editus hæc habet: [a] *Hujus sanctitate portæ Classensis ecclesiæ miraculose aperiebantur*; & alter anonymus [b] seculi XII. qui scripsit de inventione corporis beati Apollinaris: *Tantæ*, inquit, *sanctitatis fuisse fertur*, *ut sibi ad eamdem ecclesiam sæpe nudis pedibus venienti valvæ monasterii nutu divino paterent*. Sed de Honesto II. plura suis locis.

a *Par. II. pag.* 92.

b *T. I. P. II. pag.* 539. *rer. Ital. script.*

XXXIV. An fuerit episcopus ante abdicationem Petri Honestus? Plura de voce *Coangelicus*.

DISPOSITO utcumque tempore sedis præfatorum archiepiscoporum, illud ad operis coronidem ulterius inquirendum superest, an Honestus II. a Petri tantum ultronea vel coacta cessione fuerit Ravennæ antistes, an vero eam dignitatem obtinuerit etiam ante tempus, quo Petrus regimen illius ecclesiæ dimisit? Controversiam hanc dirimere prima fronte videntur formulæ illæ, quibus Petrus ante annum 971. quo juxta Rubeum archiepiscopatu se abdicavit, immo ante annum 963. quo hoc ipsum præstitit juxta Carrarium, appellatur *coangelicus episcopus*. In concilio Ravennate anni 954. apud eumdem [c] Rubeum & Labbeum legitur: *Dominus Petrus sanctissimus*, *&* coangelicus *archiepiscopus*. Anno [d] 955. „ sexto nonas julii Maria Leonis, Adelena Fatualdi filiæ, & Christina Leonis jam „ uxor tunc vidua, ad hæc Salvinus, Ursusque fratres, Ursi jam mortui filii loca multa, prædiaque in territorio Saviniano, atque alibi „ ampla dono dederunt Petro Ravennatum archiepiscopo, quem vocant „ *coangelicum*. “ Anno [e] 963. „ Rainerius diaconus, pictu .. Dom...... „ simus comes, & Angelruda comitissa dudum conjuges, & Tetrigrinus „ illustrissimus vir nepos ejus, jam filius Guidonis comitis jus dominatumque, quod illis erat; id autem est a Ronco in territorio, qui Sancto-Archangelo vocatur, una cum templo ibidem extructo, vineis, „ campis, pratis, familiis, colonis, quæ jam ex successione Ingelradæ comitissæ habuerant, concesserunt Petro archiepiscopo, quem *coangelicum* & sanctissimum appellant, & ejus successoribus archiepiscopis in perpetuum „ XIII. kalendas septembris indictione sexta Ravennæ anno Johannis pontificis maximi septimo. “ Hæc ex Rubeo. Chartam nos quoque membranaceam exscripsimus ex tabulario nobilissimi viri marchionis Bonifacii Rangoni, in qua, *anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis seu universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri sede anno sexto*, *sicque imperante domno piissimo augusto Ottone a Deo coronato pacifico magno imperatore anno regni pietatis ejus in Italia vero anno decimo*, *& domno Ottone item a Deo coronato imperatore ejus filio anno quarto*, *die .... indictione quartadecima Ravenne*, *Georgius reverendus diaconus sancte Ravennatis ecclesie*, *& abbas monasterii sancti Stephani*, *qui vocatur junioris*, *qui fit die quinta feria*, *qui est fundatus in civitate Ravenna prope mo.... arbani*, *non longe a ponte cogto*, forte *cooperto*, qui erat super flumen Padenæ Ravennæ, donat loca aliqua *domno Petro sanctissimo & coangelico* sanctæ Ravennatis ecclesiæ archiepiscopo. Chartam autographam, & hucusque ineditam spectantem ad annum 970. vel etiam ad 971. juxta suprarelatas notas, in Appendice exhibemus. Hocce *coangelici* attributum comparticipem supponit episcopalis sarcinæ, vel saltem episcopum alterum declarat coexistentem in eadem Ravennate sede. Honestus similiter *coangelicus* nominatur in concilio celebrato anno 973. apud Mutinam, quia nimirum supervivebat Petrus, qui Honesto administrationem ecclesiæ Ravennatis cesserat: [f] *temporibus domni Benedict apostolici.... ejus in Dei nomine anno primo*, *imperante domno Ottone piissimo anno*

c *Lib.V.p.*257.

d *Ibidem*.

e *Ibid. p.* 259.

f *Ibid. p.* 264.

no sexto die nona septembris. Actum in loco, ubi dicitur Marcialia territorio Mutinensi, dum resideret ibidem Honestus coangelicus *sanctissimus archiepiscopus sancte Ravennatis ecclesie &c.* Et ut aliis exemplis eadem res firmetur; dum lis ventilabatur anno 1011. *Sergii papæ tertio die* XI. *decembris* inter Guidonem abbatem Farfensis monasterii, & Gregorium quemdam de una domo coram Johanne patricio & Crescentio Urbi præfecto, Guido vocatur [a] *venerabilis presbiter & monachus atque* coangelicus *abbas*; quo eodem titulo decoratur anno 1013. a Benedicto papa VIII. in bulla confirmationis bonorum ejusdem cœnobii Farfensis, ut legitur in chronico ipsius monasterii edito a [b] Muratorio. Non alia profecto de causa *coangelici* attributo honestatus fuit Guido, nisi quia adhuc in vivis agebat Hugo ipsius patruus, qui fuerat olim Farfensis abbas, subscriptus quoque in superiori anni 1011. charta: *Hugo presbiter & monachus quondam abbas*, qui etiam præfecturam ejusdem cœnobii anno 1014. iterato recepit. *Bonifilio* [c] pariter *religioso presbitero & monacho, atque* coangelico *abbati venerabilis monasterii sancti Christi protomartyris & levite Stephani, quod situm est in comitatu Bisuldunense in valle Stervia in capite ipsius stagni, loco qui dicitur Balneus*, inscribuntur aliæ ejusdem Benedicti papæ anno 1017. literæ; is videtur fuisse abbas quodammodo generalis multorum monasteriorum, & sub se habens alios abbates, cum quibus onus suum partiretur, unde *coangelici* nomen obtineret; nam eodem anno aliis literis ipsius pontificis appellatur religiosus abbas *venerabilis monasterii sancti Petri Campi-rotundi, quod est situm in comitatu Bisuldunense in valle Landarense inter duo flumina*. Anno 1013. idem Benedictus papa VIII. bulla sua Guidonem abbatem Pomposianum ditat plurimis bonis in territorio Comaclensi, annui census sanctæ sedi persolutione indicta. Eam vidimus in [d] archivo sancti Benedicti Ferrariæ, ac ex eo loco descripsit etiam Fontaninius, quæ sic incipit; *Benedictus episcopus servus servorum Dei dilecto in Domino filio Widoni religioso presbitero & monacho, atque* coangelico *abbati venerabilis monasterii sancte & superexaltate Dei genitricis, semperque virginis Marie domine nostre, quod dicitur in Pomposia*. Qui titulus ea ratione Guidoni convenit, quia licet abbas esset Pomposianus, plures tamen monachos substituebat pro se in regimen abbatiæ, ut liberius Deo in solitudine vacaret. Re enim vera in [e] charta Arnaldi archiepiscopi Ravennatis concedentis titulo emphyteusis piscariam in Portu anno 1017. *Petrus* nominatur *abbas sancte virginis Marie in Pomposia*, quo certe anno Guido vivebat; sed sicut ait auctor vitæ ejusdem sancti Guidonis apud [f] Mabillonium: *regebat vir providus monasterium suum, subrogatis per temporum vices, quos e subditis elegerat, abbatibus aliis, quorum primus fuit Vitalis, quo decedente elegit Petrum, post cujus obitum Theobaldus fuit, post Theobaldum constituitur Leo, post omnes, qui admirabilis ejusdem etiam nominis eligitur Guido. Hi suo quique tempore præfuerunt fratribus, & monasterium gubernarunt, habentes Marthæ officium sollicitii circa frequens ministerium &c.* In codice Gregoriano monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe chartarium ejus loci continente in duabus chartis anni 992. pagg. CCXXIV. & CCXXVI. *Johannes religiosus presbiter & monacus atque coangelicus abbas* appellatur. Ita in alia anni 996. pag. LIII. & ex charta anni 1003. pag. CLXX. colligitur ratio hujus tituli, cum in ea dicatur: *convenit inter Johannem religiosum abbatem, seu Gregorio item juniorem abbatem venerabilis monasterii sanctorum Andree apostoli & sancti Gregorii, qui vocatur clivuscauri*, ubi nimirum apparet eodem tempore utrumque tam Johannem, quam Grego-

ANN. CHR. 927. ROMUALDI 20.

a Mabill. T. IV. Annal. pag. 222.

b Script. rer. Italic. T. II. Par. II. p. 557.

c Marca Hisp. col. 998.

d Caps. I. lit. A.

e Murat. Antiq. medii ævi T. IV. col. 793.

f Secul. VI. Par. I. p. 451.

Ann. Chr. 927. Romualdi 20.

rim præfuisse illi monasterio. Pariter in quadam conventione anni 1009. pag. CCXXVII. *coangelicus abbas* idem vel alius Johannes vocatur, & in refutatione anni 1014. pag. LVII. facta a Gerardo & Sergio nobilibus fratribus cujusdam fundi nominatur *coangelicus*, forte quia præfecturam ejusdem monasterii tunc temporis usurpabat *iniquus Silvester abbas*, *qui abbatia caruit atque refutavit*, *sed diabolica fraude deceptus post renuntiatam abbatiam quasi dum esset abbas* emphyteuticos libellos de bonis abbatiæ Gregorianæ conficiebat. Demum *coangelicus* inscribitur ipse seu alter Johannes abbas sanctorum Andreæ & Gregorii in tribus donationibus anni 1023. pag. CLXXX. & anni 1031. pag. CXII. *Stephanus* quoque *religiosus presbiter & monachus atque* coangelicus *abbas venerabilis monasterii sancti Andree* apostoli in libello anni 1036. pag. CXIII., & *Johannes religiosus presbiter & monachus atque* coangelicus *abbas* ejusdem cœnobii vocantur in quadam petitione anni 1041. pag. LIV. Leo pariter Sublacensis abbas *coangelicus* dicitur in chartis [a] anni 936. & 956. [b] apud Muratorium. Vidimus in [c] tabulario sancti Petri de Perusio Gregorii papæ VI. (non IV. ut putavit [d] Margarinus, neque confectam anno 835. sed 1045.) bullam autographam *Bonizoni abbati coangelico* ejusdem cœnobii directam. Bonizonem asserit noster Petrus Damianus in [e] epistola ad Johannem monachum, *rectorem loci sibimet ex auctoritate apostolicæ sedis* substituisse, atque *commissi sibi regiminis curam* sprevisse, & licet id contigerit septem annis antequam epistolam illam Damianus scriberet; scripsit autem eam circa annum 1060. non inverisimile tamen est Bonizonem ad tempus alium in sui locum abbatem constituisse etiam sub Gregorio papa VI. hoc est anno 1045. Ut profecto vera dici possit Grandii nostri illatio terminum *coangelicus* consortem significare; in eo tamen errat, quod Petrum & Honestum archiepiscopos Ravennates dumtaxat addat appellatos fuisse *coangelicos*; cum alii etiam Ravennates antistites eo titulo decorati fuerint, & cum aliquando usurpetur *coangelici* vox, quin sciamus, quænam per illam designetur persona altera, cui idem consortii jus competat. Exemplo sit charta pertinens ad annum 855. & de qua mentionem fecimus ad annum 907. Gisulfi nimirum filii Romualdi ducis concedentis bona plurima Johanni sanctissimo & *coangelico* archiepiscopo sanctæ Ravennatis ecclesiæ; sed quis in ea tenebrarum caligine noverit, anne eodem anno duo episcopi vel diversæ factionis, vel alter primi coadjutor, ecclesiam Ravennatem regerent? De ea re viderint docti Ravennates. Ita etiam [f] *anno domini Johannis XIII. in sacratissima sede beati Petri apostoli quinto indictione* XII. hoc est anno 969. *Teuzo & Baldo atque Azo Giliones fratres Silvestro bone memorie presbitero & monacho atque* coangelico *abbati de venerabili monasterio sanctorum Christi martyrum Cosme & Damiani, quod nuncupatur Mica aurea* donant *ecclesiam Dei genitricis Marie*; & ut de feminis etiam dicamus [g]: *anno tertio Benedicti pape VIII. Boniza religiosa ancilla Dei atque* coangelica *abbatissa monasterii sancti martyris Cyriaci, & sancti Nicolai confessoris in via lata* libellatico jure quædam prædia concedit *Azoni magnifico viro cognomento de Fulca*. Quid, quod Arnaldus archiepiscopus Ravennas anno 1017. *sanctissimus* & coangelicus *archiepiscopus* nominatur in quodam placito Peregrini missi imperatoris Henrici [h] apud Rubeum? cum tamen Arnaldum sine consorte sedisse in ea cathedra probabillimum sit; & in donatione Balduini comitis facta monasterio sancti Petri apostoli, & sancti Martini confessoris de Urbe anno 961. quam dabimus in Appendice, Johannes duodecimus Romanus pontifex, qui eo anno cathedram illam tenebat sine consorte, appelletur *coangelicus*?

a *T. II. col.* 803.
b *T. I. col.* 166.
c *Num.* 1.
d *Bullar. Casinen. T. I. pag.* 5.
e *Lib. VI. epist. XXV. T. I. p.* 107.
f *Mabill. Annal. T. III. pag.* 600.
g *Ibid. T. IV. p.* 407.
h *Lib. V. p.* 275.

Dupli-

Ann. Chr. 927. Romualdi 20.

Duplici itaque de causa videtur nobis potuisse titulus *coangelici* convenire Petro Ravennæ archiepiscopo, vel quia Honestus, qui archiepiscopus nominatur ad annum 921. in tabulariis Estensi & archiepiscopali Ravennæ (seu eo anno consederit cum Constantino, seu fuerit ejus coadjutor) quique pariter a Damiano describitur supervixisse archiepiscopus ad annum 927. quo patrocinio suo monachos Classenses suffulsit, ut Romualdum in proprium collegium intrepide susciperent; quia nimirum Honestus eo ipso anno e sede dejectus fuerit, prævalente Petri Bononiensis factione, pluribusque annis tamquam vir privatus degerit, donec ipse Petrus vel conscientiæ stimulis adactus, vel ei quodammodo compatiens in consortium vocaverit regiminis ecclesiæ Ravennatis; id quod contingere potuerit ante annum 955. quo cœpta adhiberi formula illa appellandi Petrum archiepiscopum *coangelicum*; vel quia Honestus reapse obierit anno 927. locumque fecerit Petro in sede Ravennate, qui tamen Petrus alium, cujus nomen ad nos non pervenerit, episcopum sibi adjutorem elegerit, cum quo onera archiepiscopatus & regiminis partiri voluerit. Utrumque probabilitate sua non caret; illud tamen pro certo tenendum, admissa prima hypothesi, Honestum archiepiscopum ad annos 921. & 927. consortem deinde Petri ad annos 955. & sequentes; & similiter in secunda hypothesi episcopum illum Petri coadjutorem distinguendos esse ab Honesto altero, cui vel anno 963. vel rectius anno 971. idem Petrus cessit, aut forte coactus fuit cedere Ravennatis ecclesiæ administrationem, ut mox ostendemus.

XXXV. Conjecturæ nostræ de Honesto.

Verum prius aliqua pariter de abbatibus Classensibus hujus seculi dicamus. Honesto, *qui abbas extiterat Classis* ante annum 921. vel immediate, vel mediate successit in regimine ejusdem abbatiæ Dominicus. In supradicto enim concilio anni 954. sed melius 955. inter ceteros subscriptus legitur: *Dominicus religiosus presbyter, & abbas regularis sancti Apollinaris, qui vocatur in Classe*. Sub eo forte Romualdus monasticum institutum suscepit. Videtur Dominicus fuisse abbas ille, qui cum Classensi cœnobio præesset, negligens & iners erat in officiis statutis persolvendis, & licet sæpius a Petro archiepiscopo monitus & deterritus fuisset, supinus erat cum suis monachis in rebus sacris, ut docet anonymus canonicus, qui tempore ejusdem antistitis vivebat & scribebat. *Hoc autem* [a], inquit, *junior quartus curriculo temporum apostolorumque* (sic) *utebatur antistes nomine Petrus Ravennatum pontificalem præsulum regebat ecclesiam. Hic sæpius abbatem cum subditis monuit monasterii beati Apollinaris, ut sanctorum Eleuchadii & Probi ecclesiis statuta inferrent officia temporibus singulis. Hos quoque nec blandimentis ad hoc studium provocare valuit, nec terroribus sæpe cum flagris inclinavit*. Vel si hæc non conveniant Dominico, convenient alteri abbati, cujus nomen ad posteritatem non transiit; id profecto nullo modo tribui posse videtur Honestis, qui fuere similiter hoc seculo abbates Classis. Tribui scilicet non potest Honesto I. quia hic non administravit Classis abbatiam sub archiepiscopo Petro, sed ante ipsius tempora. Tribui quoque non potest Honesto II. juxta universaliter receptam hypothesim, (ea est alterum Honestum successisse Dominico in abbatia Classensi, & ex hac per cessionem Petri translatum fuisse ad supremam patriæ sacram dignitatem) quia in Honesto II. vigebat pietas & religio, *tantæque sanctitatis is fuisse fertur, ut sibi ad eamdem ecclesiam* (sancti Apollinaris) *sæpe nudis pedibus venienti valvæ monasterii nutu divino paterent*; adeoque minime credibile est, quod, cum Classensis abbas esset, in rebus ecclesiasticis negligentiæ notam & pœnas mereretur.

XXXVI. Series abbatum Classensium hujus seculi.

a *Rer. Ital. Scri-pt. T. I. Par. II. pag.* 555.

Ceterum

Ann. Chr. 927. Romualdi 20.

Ceterum post Dominicum abbatem, Classensem itidem præsulem fuisse alterum Honestum addiscimus ex synodo Gallicana Remis habita anno 992. in qua ita loquuntur ejus concilii, vel potius pseudosynodi patres: *Item, quæ circa Ratherium Veronensem episcopum, vel circa Petrum Ravennæ archiepiscopum usu vel consuetudine provenerunt, ab omnibus abrogata sunt; uterque enim nec abdicationis correcto*, forte *porrecto*, *libello*, *nec sacerdotalibus depositis insignibus successorem acceperat, Ratherius quidem Milonem, Petrus vero Honestum beati Apollinaris abbatem*. Baronius ad annum 991. & 992. prolixe agit de ea synodo, cujus historiam & gesta conscripta fuisse a Gerberto archiepiscopo Remensi, inde Ravennate, demum Romano pontifice, qui maximam, & fere omnem partem in eo cœtu habuit, existimat, sub cujus etiam nomine edita asserit a Centuriatoribus Magdeburgensibus [a] centuria x. cap. 9. Iterum lucem aspexit narratio illa Francofurti apud hæredes Andreæ Wechelii anno 1600. ex vetusto codice Miriacensis monasterii, eaque usus fuit Baronius, ut literis datis nos docet eruditus pater Michaelius presbyter congregationis Oratorii sanctæ Mariæ in Vallicella de Urbe. In hac ergo editione [b] capite 43. verba allata leguntur, ex quibus liquido dignoscitur Honestum illum, cui Petrus cessit ecclesiam Ravennatem, præextitisse abbatem sancti Apollinaris in Classe. Nunc vero demonstrandum est Honestum hunc successorem Petri neque Honestum fuisse illum, qui & ipse olim abbas Classis, inde archiepiscopus ad annos 921. & 927. vel hoc postremo anno decessit, vel sub Petro consors fuit oneris archiepiscopalis; neque episcopum illum fuisse, cum quo pondus regiminis divisit annis 955. & sequentibus idem Petrus. Utrumque profecto constat ex verbis, quæ in eadem Remensis synodi narratione sequuntur. *Petrus Honestum monasterii beati Apollinaris abbatem* (supple *receperat*) *quem Honestum domnus Johannes papa cognomento Bonus ad consecrandum prius sibi oblatum vidit, quam de Petri dejectione vel fama nuntiante cognoverat*. Neque enim Honestus I. archiepiscopus, neque episcopus alter Petri coadjutor *consecratione* indigebant, quam Honesto II. abbati contulit *Johannes papa cognomento Bonus*. Is est Johannes XIII. episcopus antea Narniensis, qui præter aliud adjunctum *Gallina alba* ob capillorum canitiem, cognominatus etiam fuerit *Bonus*. Simul etiam ex iis verbis deducitur non esse veritati plene innixam opinionem illam, quæ communis est, Petrum scilicet sponte dimisisse administrationem ecclesiæ Ravennatis, cum dejectum sede fuisse asserant patres Gallicanæ synodi, potentia fortasse & voluntate Ottonis primi imperatoris, qui ante octennium etiam Romanum pontificem Johannem XII. dignitate spoliaverat, Leonemque VIII. in ejus locum suffecerat; neque Petri Damiani auctoritas opponi potest, qui Petrum archiepiscopum asserit quidem *Ravennatem dimisisse ecclesiam, cui mox adhuc superstiti Honestus, primo videlicet Ottone habenas imperii gubernante successit*, quandoquidem nisi sponte, per vim dimisit, ultroque se subjecit imperatoris potentiæ, patiens sibi suffici Honestum.

Ita igitur ordinanda erit series abbatum Classensium hujus seculi. Honestus I. Hic successisse videtur Urso levitæ & abbati regulari sancti Apollinaris in Classe, qui cum sub Dominico Ublatella vixerit creato archiepiscopo Ravennate anno 888. eam abbatiam regere potuit desinente nono, & ineunte decimo ecclesiæ seculo; Honestus vero usque ad vigesimum decimi seculi annum: nisi etiam dicere velimus Honestum I. & ecclesiam Ravennatem & abbatiam simul Classensem eodem tempore rexisse & retinuisse. Scimus enim hoc ipso seculo passim usuvenisse, ut impe-

[a] Col. 457.

[b] Pag. 99.

impetrarent episcopi ab imperatoribus divites abbatias, quarum proventus & emolumenta in propriam convertebant utilitatem, subrogando interim monachos, qui sub titulo abbatis regularis, vel præpositi ceteros monachos in officio tenerent, regulamque observare cogerent. Exemplo sit pro omnibus abbatia Nonantulana, quam his temporibus occuparunt plures episcopi, & sub Berengario II. & Adelberto regibus obtinuit Wido episcopus Mutinensis, sub Ottone I. Hubertus sive Humbertus episcopus Parmensis, sub Ottone II. Johannes inde episcopus Placentinus, sub quo Martinus erat præpositus Nonantulanus, sub Ottone III. Leo archiepiscopus &c. Potuit ergo Honestus licet episcopus vel archiepiscopus abbatiam Classensem administrare, ejusque bona possidere. Confugium Romualdi ad archiepiscopum Honestum id innuere videtur, pariter non abbatis sed monachorum pedibus prostratum se advolvisse legimus in Damiano Romualdum; non abbatem, sed monachos patris ejus duritiam metuentes conversioni illius aditum pandere non præsumpsisse; archiepiscopum Honestum imperasse fratribus, ut Romualdum suo collegio incunctanter asciscerent; hos tradidisse illi sanctæ conversationis habitum: quæ omnia indicant verisimiliter Honestum jus conservasse super Classensem abbatiam, ita ut etiam illa verba Damiani: *Honestus autem, qui tunc Ravennæ archiepiscopalem cathedram obtinebat, olim Classensis cœnobii abbas extiterat*, possint commode explicari de utroque regimine, quod per ea tempora Honestus conjungeret. Dominicus Honesto I. nullo vel alio mediante subrogatus fuit usque ad annum saltem 955. Honestus II. Dominico suffectus usque ad annum 971. quo in locum Petri archiepiscopus Ravennas electus fuit. Dicimus usque ad annum 971. neque enim Carrarii aliorumque opinio admittenda est, qui Petri cessionem referunt ad annum 963. Hoc enim anno non Johannes cognomento Bonus, sed Johannes XII. olim Octavianus, & malus potius quam bonus pontifex Romanæ ecclesiæ præsidebat. Pariter anno 967. inter ceteros episcopos congregatos in synodo Romana, & in altera habita Ravennæ in basilica sancti Severi legimus assedisse Petrum Ravennatem archiepiscopum, qui anno insuper 970. ex chartis nostris, quas afferemus, nondum sede dejectus apparet. Qui autem Honesto II. in regimine abbatiæ Classensis substitutus fuit, nomen licet ignoremus, potuit esse abbas ille, de quo loquitur Nalgodus sancti Majoli abbatis Cluniacensis discipulus, qui in hujus vita habet sanctum virum *in ecclesia beati Apollinaris Ravennatis posuisse religionis abbatem*. Id factum videbimus anno 972. & fortasse fuit Martinus, ut ad annum 987. conjicimus.

Cur demum anonymus canonicus loquens de abbate Classensi deside circa divina obsequia, ut superius diximus, Petrum Bononiensem *quartum* appellet, cum revera sit ejus nominis sextus, id potuit evenire ex Ravennatum ejus temporis sententia, qui sextum pro quarto haberent, eodem modo quo anno antecedenti demonstravimus Johannem, reapse sextum, quintum nominatum fuisse. Pluribus vero de causis id poterat accidere, quas modo divinare nolumus. Forte Petrus quintus, qui unico tantum anno 913 dignitatem illam tenuit, numeratus non fuit ob brevitatem temporis, quo sedit. Aliquibus verisimiliter ex antecessoribus, qui nomen Petri gessere, transformatum fuit nomen vel per diminutionem, vel per augmentum ejusdem nominis, vel quia aliud agnomen haberent, adeoque in serie pontificum Petri nomine donatorum recensiti non fuere. Ipse Petronacius vel Petronax non aliud videtur obtinuisse nomen, nisi Petri, sed forte ob magnitudinem corporis nuncupatus fuisse Petronax, id est

magnus

Ann. Chr. 926. Romualdi 20.


magnus Petrus. Petrus episcopus Arretinus [a] ad annum 833. Petronus in actis controversiæ pro monasterio sancti Petri de Axo appellatur. Petrus Dagninus noster Romualdi primus in Camaldulensi eremo successor, Petronus vocatur in charta emptionis anni 1038. in archivo Fontis-boni. Quidquid demum sit, hanc Classensis abbatis & monachorum objurgationem factam fuisse circa dimidium x. seculi a Petro Bononiensi, qui licet quartus nominetur, sextus erat, ex eo colligitur, quod ipse subsequenter fuit, qui corpus beati Probi, ut videbimus ad annum 965. ex Classe in urbem Ravennam transtulit, quam translationem illi tribuit & Rubeus.

a T. V. antiq. medii ævi col. 923.

Atque hæc omnia, fusius forte, quam par erat, sed ad rem obscurissimam illustrandam, occasione Honesti archiepiscopi Ravennatis, quem *Romualdus impiger adiit*, cujusque *patrocinio cœnobitæ* Classenses *suffulti Romualdum intrepida securitate suscipiunt, eique sanctæ conversationis habitum tradunt*.



ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER SECUNDUS.

Ab Anno CHRISTI DCCCC.XXVIII. *ad annum* DCCCC.LV.



VOTI sui compos factus Romualdus, quippe anno præterito monachum induerat in cœnobio Classensi, præsenti anno, expleto jam regularis probationis curriculo, stabilitatem suam & professionem juxta regulam sanctissimi patris Benedicti emisit, & in ejus præceptis jugiter se exercens, sibimetipsi frequenter gratulabatur, quod, spretis mundani honoris illecebris, elegisset abjectus esse in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Longe falluntur, qui Classense monasterium ad normam Cluniacensium monachorum eo temporis institutum comminiscuntur, cum Odo anno *909.* Cluniacum secesserit, atque in regimine ejus monasterii Bernoni suffectus fuerit anno dumtaxat *927.* monasteria inde in Galliis reformaverit annis sequentibus, & demum obierit anno *942.* „ Cœnobia quoque illa Italica, „ quæ ipsius arbitrio & institutioni se subjecerant, utputa sancti Pauli „ Romæ, Suppentoniense, Adventinum, Salernitanum & Ticinense, O- „ done exstincto ad pristinam libertatem redierunt, inquit Mabillonius, [a] „ atque adeo non loco, scilicet Cluniacensi monasterio, sed personæ, id- „ est Odoni abbati, propter singularem ejus prudentiam & sanctitatem, sub- „ miserant se se; “ & post pauca: „ Nondum ergo sub Odone abso- „ luta fuit congregationis seu ordinis Cluniacensis erectio, sed neque sub „ Aymardo aut sub Majolo, immo nec sub Odilone, sed tantum sub „ sancto Hugone abbate sexto, qui pro ea, qua pollebat apud principes „ & subditos auctoritate, non modo præposituras ac prioratus sibi subjecit, „ sed etiam nobiles abbatias suæ ditioni addixit, extinctisque (quoad licebat) „ abbatum titulis, ad prioratuum (ut vocant) statum nonnullas redegit, ne „ se deinceps a Cluniacensis abbatis potestate eximerent. “Quæ Mabillonii verba eo libentius in nostros Annales transferimus, ut opinionem illam funditus tollamus, quam imperitum vulgus passim diffundit, leviter credens omnia Italiæ & Galliæ monasteria regulam sancti Benedicti profiten-

ANN. CHR. 928. ROMUALDI 21.

I. Tirocinium Romualdi in monasterio Classensi.

a *Præf. in Sec. V. num.* 52.

Ann. Chr. 928. Romualdi 21.

tia, tempore ortus congregationis Cluniacensis, ipsi extemplo dedisse manus, ritus suscepisse, & Cluniacensia esse appellanda. Serius in Classense cœnobium introducta fuit reformatio, seu potius visitatio per sanctum Majolum abbatem, ut ad annum 972. referemus; neque tamen sui juris destitit esse eo vel anno: similiaque de Classensi, ac de supralaudatis Italicis monasteriis dicere possumus, quod se non loco, scilicet Cluniacensi cœnobio, sed personæ sancti Majoli abbatis propter singularem ejus prudentiam & sanctitatem, ut rem quoque gratam monachi facerent Ottoni I. imperatori, cui acceptissimus erat Majolus, submiserit.

Illud rectius dicendum, Classense monasterium tempore, quo Romualdus ibidem monasticam cucullam induit, regulam sancti Benedicti observasse, ut a pluribus aliis cœnobiis observabatur, legibus & consuetudinibus propriis, quæ vel longo usu, vel abbatum pro tempore existentium auctoritate introductæ fuerant.

Pariter quo indumento tegerentur Classenses, an albo vel nigro, divinare non est animus, cum sancti Benedicti regula, quæ vult monachos minime curare vestium colorem, plenam fecerit libertatem monasteriis omnibus electionis ejus coloris, qui aut regionibus, aut usui, aut arbitrio fundatorum & abbatum magis conveniret. Sed ad eumdem annum 972. rem penitius examinabimus. Quanta porro esset in Romualdo regulæ observantia, quam ardenter ad perfectionem aspiraret, ex dicendis anno sequenti constabit; licet enim, quæ afferemus, tribuantur a Damiano Romualdo *novitio*, malumus tamen existimare novitium ibi sumi pro monacho recens ad professionem admisso, quam pro stricto & probante novitio; credendum quoque est Romualdum fuisse prius pro se, & pro adipiscenda perfectione sollicitum, quam pro defectibus observandis & carpendis ceterorum fratrum; præsertim cum pluribus describatur ipse cogitationibus fluctuasse, antequam severæ disciplinæ zelo in alios armaretur, & cum intime, quid consilii caperet, prius provide & sapienter mente revolvisse dicatur.

II. Ortus Petri Urseoli.

Interim, dum Romualdus tirocinium ponit vitæ monasticæ in cœnobio Classensi, oritur Venetiis Petrus Urseolus, futurus clarissimus inter primos ipsius discipulus, atque vitæ eremiticæ a Romualdo institutæ ferventissimus sectator. Urseoli obitum ineunte anno 982. contigisse, & quidem quinquagesimo-quarto ætatis suæ anno, fusius ostendemus ad eum annum. *Quinquaginta* pariter annos natus *secularem deposuit gloriam*, ut habent anonymus auctor chronici Aquilejensis, alter anonymus Camaldulensis & Dandulus, hanc autem deposuit anno 978. testimonio scriptorum omnium Venetorum. Porro si ab annis 978. quinquaginta demantur, ipsius nativitas optime illigatur præsenti anno 928. Ortus est Petrus ex nobilissima Ursonum gente, eadem cum familia Participatia vel Particiaca, quæ tunc in rep. Veneta primos obtinebat honores. Sicut autem a Justiniano Participatio Justiniana, atque a Baduario Participatio Baduaria stirpes originem suam habuere, ita ex pluribus Participatiæ familiæ ducibus Venetis & patriarchis Gradensibus, qui Ursi vel Ursones appellabantur, eidem genti, vel Participatiæ stirpis surculo Ursonum cognomentum adhæsit, ut observavit ante nos doctissimus archiepiscopus Ancyranus Justus Fontaninius [a] in dissertatione Romæ edita anno 1730. de sancto Petro Urseolo duce Venetorum, postea monacho: ubi etiam adnotat, Petrum nostrum adscititio nomine primum Ursiolum nuncupatum vel Urseolum aut Ursojolum alteri illustrissimæ Urseolorum familiæ nomen dedisse, ipsius in primis, Petri Urseoli II. filii, Ursi patriarchæ Gradensis nepotis gestis

[a] Præf. pag. VII.

gestis admodum celebri, quæque desiit in Dominico duce ex Venetorum imperio Ravennam pulso anno 1032. quo obiit, ut testatur Dandulus. Jam inde a teneris suis annis specimen dedit Petrus futuræ pietatis; quare auctor chronici Aquilejensis *in puerili ætate*, inquit, *nil aliud quam Deo placere studens*, & anonymus Camaldulensis *dum puer*, ait, *traderetur sacris eruditionibus instruendus*, *divino cultui adeo se ferventem exhibuit*, *ut etiam in ætate tenerrima seculi transitoria parvipendens*, *in sedandis discordiis maxime oblectatus*, *gravia plerumque scandala in pacis dulcedinem suæ virtutis industria commutaret*. Uxorem duxit Feliciam, quæ *opere potens*, ut loquitur idem Camaldulensis anonymus, *meruit angelo nunciante præscire se Deo dilectum filium concepturam*, *quem*, *mox ut enixa est*, *vocarunt Petrum*, *& acceptæ gratiæ non ignari*, *Deo voverunt perpetuam castitatem*. Demum ad supremam patriæ dignitatem evectus Petrus, eadem animi generositate, qua coactus imperium suscepit, sponte deseruit, ut Romualdo & ceteris sociis, vitæque monasticæ ac solitariæ adhæreret, quæ uberius prosequemur anno 978. quo spernens raro exemplo ducale fastigium, & fluxas seculi delicias procul a patria monachali prius, postea eremitico instituto se subjecit.

Ann. Chr. 928. Romualdi 21.

Ann. Chr. 929. Romualdi 22.

III. Zelus Romualdi in corrigendis monachis deviis.

CUM [a] itaque Romualdus *cerneret nonnullos per lata gradientes remissius vivere*, *sibi autem arduam perfectionis semitam*, *quam mens dictabat*, *arripere non liceret*, *quid sibi agendum esset*, *sollicite in semetipso cœpit inquirere*, *multisque cogebatur cogitationum fluctibus æstuare*. *Præsumebat autem leviter conversantium vitam dure corripere*, *& sæpe ad eorum confusionem præcepta Regulæ in testimonium convocare*. *Cumque in redarguendis eorum vitiis vehementer insisteret*, *illi autem junioris & novitii verba pro nihilo deputarent*, *tandem hoc opprobrium non ferentes*, *dum propriam emendare vitam despiciunt*, *de corripientis morte tractare cœperunt*. *Solebat denique Romualdus per noctem ceteris fratribus maturius surgere*, *& si oratorii adhuc janua clausa esset*, *intra ipsum dormitorium in orationibus excubare*. *Erat autem prædictum ædificium more solarii alte ædificatum*. *Hoc itaque invenerunt filii Cain*, *diabolo dictante*, *consilium*, *ut dum Romualdus ante alios solito more consurgeret*, *ipsi eum per solarii speculum* (alia lectio habet *speculam*) *verso deorsum capite*, *in terram præcipitarent*. Innotescit ex hac Damiani narratione Romualdi zelus primis ipsis vitæ monasticæ annis, simul etiam intelligitur in Classensi cœnobio repertos fuisse eo temporis monachos aliquot professionis suæ immemores, quos fervens juvenis redarguebat; quam laxitatem in Classensibus cœnobitis deplorat etiam [b] anonymus canonicus, qui illa ætate vivebat. Quod tamen mirum non est, attentis tum infirmitatis humanæ conditione, tum temporum illorum infelicitate.

a *Vit. S. Rom. cap.* III.

b *T. I. P. II. p.* 554. *Script. rer. Ital.*

Neque ideo tamen penitus exulasse ab ipso cœnobio pietatem, extinctamque regulæ observantiam putare debemus. Aderant ibi & probi, & diligentes monachi, & pro omnibus unum in medium adducere sufficiat conversum zelo, caritate & Sanctorum visione illustrem, qui in eo monasterio, ut diximus, degebat.

Indisciplinatorum monachorum interea mores Romualdus pius adolescens aversabatur, atque zelo incensus continere se vix poterat, quin illos licet ætate & ordine majores duriuscule aliquando increparet. Neque id præsumptioni aut levitati Romualdo tribuendum, ut præseferre videntur illa Damiani verba: *præsumebat leviter conversantium vitam dure corripere*, quæ intelligenda potius sunt, quod Romualdus putabat acrius corri-

Ann. Chr. 929. Romualdi 22.

corripienda esse levitatem, vanitatem, defectusque conversantium, ita ut *τὸ leviter* non ad *præsumebat*, sed ad *conversantium vitam* sit referendum.

IV. Quo cogitent eum interimere.

Classenses vero monachi ægre ferentes junioris Romualdi objurgationes, ipsius vitæ insidias moliti sunt. Fabrius in sacris Ravennæ monumentis fractam fuisse unam ex oratorii fenestris asserit, ac per ipsam iniquum consilium iniisse monachos præcipitem agendi sanctum juvenem. Sed id ex Damiano non eruitur, qui nec de oratorii fenestra, sed de specula dormitorio contigua loquitur; quare eruditi quidem auctoris, sed suis judiciis frequenter plus nimio deferentis inanis est hujusmodi excogitatio. Parum diversa affert etiam Macchiarellius. Pergit vero narrare Damianus, quomodo paratum sibi periculum Romualdus prudenter evaserit, & a monacho conscientiæ stimulum audiente monitus, se deinceps intra privatos suæ cellæ parietes oraturus continuerit, atque a monachorum increpationibus temperaverit. *Quæ res*, inquit, *postquam Romualdo per conscium conspirationis innotuit, ille jam de cetero intra cordis cubiculum clauso oris ostio orans patrem suum imminens periculum devitavit. Hoc itaque modo, dum sibi cavit præcipitium corporis, fratribus, ne in animarum mortem corruerent, barathrum clausit iniquitatis.*

Ann. Chr. 930. Romualdi 23.

V. Romualdus ex monasterio trāsit ad eremum.

Fatente Damiano, Romualdus in Classensi monasterio *triennium fere transegit*: ipsius proinde ad Marini eremum transitus huic anno est adscribendus; sed præstat ipsum audire. [a] *Cumque in ejus animo perfectionis amor magis ac magis in dies cresceret, nullamque mens ejus requiem inveniret, audivit, quia in Venetiarum partibus quidam spiritualis vir esset, Marinus nomine, qui eremiticam duceret vitam. Consensu itaque ab abbate & fratribus nimirum facillime impetrato, ad prædictum venerabilem virum navigio discurrente pervenit, & sub illius regimine degere humillima mentis devotione instituit.* Romualdus ergo a Deo præordinatus, ut cœnobiticæ simul & eremiticæ vitæ fœdus innecteret, cum in illa per triennium se exercuisset, istius quoque periculum facere statuit, & quidem ad mentem sanctissimi legislatoris Benedicti, qui in sua regula, ut etiam exponit beatus Petrus Damianus, [b] *dum in monasterio hominem ponit, ad eremum dirigit*. Sufficientissimum cœnobiticæ probationis ad eremum transituris spatium esse triennium intelligimus ex sextæ synodi canone XLI., in quo hæc habentur: [c] *Eos, qui in urbibus vel vicis in clausuras volunt secedere, & sibi ipsis separatim attendere, prius quidem in monasterium ingredi oportet, & anachoreticam, hoc est, ab aliis separatam ac semotam vivendi rationem exercere, & spatio triennii ei, qui mansioni præest, in Dei timore parere, & obedientiam in omnibus, ut æquum est, implere; & ita hujus vitæ eligendæ institutum profitentes, & quod eam ex toto corde sua sponte amplectantur, ab ejus loci præsule examinari: deinde sic alio anno extra clausuram fortiter se gerere, ut scopus eorum evadat manifestior.* Ad Romualdi imitationem, ejusque triennalis incolatus in cœnobio Classensi, antequam eremiticam abriperet conversationem, profluxisse videtur statutum illud, quod legitur in constitutionibus Camaldulensibus Gerardi prioris generalis, ut refert regula eremitica, in quo sic definitur: [d] *Monachi volentes morari in eremo, ibi nullo modo commorentur, nisi ad minus steterint per triennium in nostri ordinis conventu.*

Sed ex præscripto regulæ ejusdem sancti patris Benedicti intelligens Romualdus majorum obedientia actiones omnes esse dirigendas, pedem non movit, nisi post obtentum ab abbate & a fratribus consensum. Tempore

a Vit. S. Rom. cap. IV.

b Lib. VI. epist. XII.

c Labb. T. VII. col. 1367.

d Cap. XLVII.

pore ipſo Severi Sulpitii, *ſi qui* [a] cœnobitæ *majorem virtutem conceperint, ut acturi ſolitariam vitam ſe ad eremum conferant, nonniſi permittente abbate diſcedant*. Facilem ſe præbuit abbas Claſſenſis Romualdi petitioni; ipſi cœnobii fratres, quibus importuniores videbantur ejus correptiones, præſulis animum diſpoſuerint, ut ferventiſſimo juveni diſcedendi copiam faceret.

Ann. Chr. 930. Romualdi 23.

[a] *Dial. I. de mir. S. Martin. cap.* IV.

Distinctum locum ſolitudinis Marini, ad quem ſe recepit ex Claſſenſi cœnobio Romualdus, non indicat Petrus Damianus, contentus dixiſſe *in Venetiarum partibus*. Forte Marinus certam ſedem non habebat, ſed veterum eremitarum ad inſtar, vel ad fugiendum populorum concurſum, vel pro vitæ neceſſariis ſibi comparandis, nunc hac, nunc illac diverſas ſibi ſtationes quærebat, quas mutaverit etiam poſt Romualdi adventum. Ad id affirmandum inducunt nos variæ, eædemque veteres incolarum traditiones antiquorum inſuper chronicorum teſtimonio roboratæ, quæ tribus potiſſimum in locis Marini & Romualdi eremos in Venetiarum partibus conſtituunt; apud Turrim-caliginis nimirum prope dirutam urbem Equilinam; apud inſulam, quam modo nos incolimus, ſancti Michaelis Venetias inter & Murianum poſitam; & apud Foſſam-Clodiam. De iis monumenta, quæ ſuperſunt, quæcumque tandem illa ſint, ſingillatim producemus præſenti & ſubſequentibus annis.

VI. Locus, ubi erat Marini eremus.

Classense Cœnobio relicto receſſiſſe Romualdum ad Turrim-caliginis, vulgo *Tor di caligo*, primus, qui id aſſeruit, fuit Fortunius [b], ubi tamen addit regionem hujus Turris fuiſſe *ad ſancti Eraſmi*. Fortunium ſecuti fuerunt, quotquot de geſtis ſancti Romualdi poſt ipſum ſcripſere. Verum ſi animadvertamus inſulam ſancti Eraſmi a Venetiis diſtare per unum milliare, recta nimirum linea, neque conſideratis obliquis canalium gyris, Turrim vero caliginis novem milliaribus ab eadem urbe diſſitam eſſe, non videmus prima facie, quomodo componi queat Romualdum & Marinum habitaſſe ad ſancti Eraſmi prope Turrim-caliginis, cum iſta ſint duo inter ſe diverſa & ad invicem remota loca? Ut ergo aliquo modo id aſſequamur, ſciendum eſt, quod inſula ſancti Eraſmi, quæ mare a paludibus ſeparat, & antiquitus appellabatur Poſtinum, ut aſſerit Bernardus Triviſanus [c], juxta chartam, quam edidit, topographicam ſtatum harum paludum ſeculo VII. exhibentem, multo magis protendebatur, quam protendatur hodie. Secata ſcilicet fuit a portu communiter nuncupato Trium-portuum, quia per ipſum ſeſe exonerant in mare tres copioſi aquarum rivi. Hinc inſula, olim tota ſancti Eraſmi, ab ea parte ſubinde appellata fuit inſula Trium-portuum, relicta veteri nomenclatura. Proxima huic Trium-portuum altera conſpicitur inſula duorum milliarium longitudinem habens, quam vocant *le Meſole*, & veriſimile eſt prope ipſam antiquum Altinatis urbis portum extitiſſe, quandoquidem parum diſtat a reliquiis ejuſdem urbis. Verum cum tempore Fortunii ab inſula ſancti Eraſmi uſque ad Turrim-caliginis extarent tantum vel paludes deſertæ, vel inſulæ multas maris injurias paſſæ, ſub notiori ſancti Eraſmi loco etiam Turrim prædictam conſtituere maluit hiſtoricus noſter.

VII. Deſcribitur Turris-caliginis locus, ubi Marinus & Romualdus morati ſunt.

[b] *P. II. Lib. I. cap.* VII.

[c] *Lagun. Ven. p.* 77. 78.

Sed propius ipſum Turris-caliginis locum examinemus. Duo vulgus loca communiter appellat hoc eodem nomine. Alterum eſt in inſula *Litoris-majoris*, ſecundum vero prope *Equilium*. Litus-majus frequens olim populo, ad cujus regimen tribunus, inde prætor ſedebat, ut liquet ex chartis archivi patriarchalis Venetiarum, cuique, errore tamen, Bernardus Triviſanus [d] epiſcopalem tribuit cathedram (forte epiſcopus Equilinus aliquando ibi ſedem habuit) tribus potiſſimum decorabatur eccleſiis, ſancti Martini,

[d] *Ibidem p.* 90.

ſancti

Ann. Chr. 930. Romualdi 23.

sancti Antonini & sancti Nicolai. Hæc postrema diutius ceteris perduravit, turrisque ejus campanaria, quæ adhuc subsistit, occasionem dedit vulgo eam denominandi Turrim-caliginis, atque hinc putandi Romualdum & Marinum ibidem solitariæ vitæ operam dedisse. Sed ea vulgi opinio est rejicienda, cum verus situs Turris-caliginis fuerit & modo etiam sit prope locum, ubi olim jacebat Equilii civitas. Ipsa Turris prope excisam Equilii urbem adhuc conspicitur, & solidis atque crassioribus marmoribus constat, sitaque est post aggerem Plavis, ubi flumen hocce aquas suas miscet cum aquis maris, super canalem, qui vocatur Plavis-vetus, ad alterius canalis differentiam, qui Plavis-nova nominatur. Ab hac Turre initium ducit aquæ rivus per tria milliaria decurrens, appellatus *il Caligo*, quique desinit ad insulam Litoris-majoris. Porro Turris hæc non Heracleæ, quod Grandius, aliique asseruerunt, sed Equilii maceriis proxima est; & licet communiter credatur Heracleæ urbis nullum hodie reliquum esse vestigium, nec locum, quo posita fuit Heraclea, signanter licere indigitare, viri tamen omni fide majores, qui sæpe sæpius visitarunt regionis illius tractum, qui jacet inter ora fluminum Plavis & Liquentiæ, inter quæ exsurgebant Heracleæ & Equilii urbes, attestantur in paludibus versus mare superesse adhuc reliquias antiquorum murorum, quos piscatores & agricolæ denominant *le Murazze* (ad differentiam murorum Equilii, qui vulgo vocantur le *Murazze de la Cava*) peritiores autem locorum muros appellant *Civitatis-novæ*, quod nomen sortita est Heraclea in sua nova ædificatione, & sunt propiores Liquentiæ, ac distant a muris Equilii quinque milliaribus. A prædictis Heracleæ reliquiis parum dissita est vallis ad mare, *Altanea* ab accolis, *Altea* a Rompiasio [a] in compilatione legum Veneti magistratus aquarum vocata, in qua supersunt rudera ædificiorum, quæ ad eamdem urbem facile spectant: quare Turris-caliginis non prope Heracleam, sed prope Equilium est sita, cum propior sit reliquiis murorum, qui vocantur *le Murazze della Cava*, quam iis, qui sine addito appellantur *le Murazze*. Quod comprobari potest ope veterum documentorum tabularii patriarchalis, in quibus prope Equilium extantia leguntur ecclesiæ *sancti Georgii*, *&* *sanctæ Crucis*, *Pinetum parvum & magnum*, *canalis Traketi* &c., quæ nomina adhuc perseverant in viciniis eorumdem murorum Equilii, vulgo *le Murazze della Cava*, quæque loca sunt vicina Turri-caliginis.

a *Pag.* 421.

Addidit Grandius [b] prædictam Turrim exsurgere inter ora fluminum Silis & Plavis, quod verum est attenta decursione præsenti eorumdem fluminum, non antiqua, ob novum nimirum alveum pro cursu aquarum Silis postremo seculo effossum. Sacellum, quod ibi conspici cum imaginibus sancti Romualdi & beati Marini asserit idem Grandius, non amplius extat; nota nihilo secius res est apud incolas olim extitisse, & etiamnum supersunt rudera sacelli ejusdem, quod tamen sanctæ Luciæ potissimum erat dicatum.

b *Vita di S. Pietro Orseolo p.* 50. *num.* 7.

Juxta hanc traditionem, commorationis nimirum in his partibus Marini & Romualdi, qui deserta & solitaria loca inquirebant, dicamus oportet Equilium, ejusque vicinias vel omnino, vel pene caruisse ea tempestate habitatoribus; neque in contrarium regeri quidpiam unum potest, cum liqueat Equilium & Heracleam pluries quidem a barbaris destructa & tandem excisa, Heracleam vero ineunte seculo IX. reædificatam fuisse sub nomine Civitatis-novæ, sed de Equilio non constet, quandonam a ruinis suis exsurrexerit. Videtur seculo XI. aliquantulum reflorescere cœpisse; etenim Ursus patriarcha Gradensis reædificavit anno 1044. abbatiam sancti Georgii de Pineto in litore maris, quæ jamdudum vastata fuerat. Nos vidimus

dimus bina apographa annorum 1290. & 1292. chartæ ejusdem Ursi, quam edidit continuator [a] Ughellii. Aliam veterem paginam legimus, in qua Johannes Gradonicus episcopus Equilinus juramentum præstans fidelitatis anno 1097. patriarchæ Gradensi, nominat prædictam abbatiam tamquam immediate subjectam eidem patriarchæ, & sitam vocat *in litore maris*. Non multum distabat aliud monasterium *sanctæ Crucis de Lugentia*, forte de *Liquentia*; & alia probabiliter ibidem extabant monasteria, quorum tamen deperiere penitus monumenta. Atque hæc dixisse non piget tum ad illustrandum locum primum solitudinis Romualdi in partibus Venetiarum, tum ad perennem reddendam memoriam illius regionis, quæ hisce nostris temporibus novam de die in diem faciem induit, dum ex inculta & palustri paullatim ad culturam redigitur.

ANN. CHR. 930. ROMUALDI 23.

a T. X. p. 76. Ital. sacr.

VIII. Cur hanc primam Romualdi sedem statuamus?

ADVENIENTEM autem Romualdum Venetias ad vitam eremiticam profitendam cum Marino constitisse primum cur decreverimus in continenti Venetiis proximo potius quam in aliqua palustri insula ejusdem urbis, id nobis videtur deduci posse ex Damiani narratione. Asserit sanctus scriptor ex relatione, quam de se hilariter dabat idem Romualdus, ut mox videbimus, Marinum plerumque de cella exeuntem una cum discipulo passim per latitudinem eremi psallendo consuevisse spatiari, nunc sub ista arbore vicenos, nunc sub illa tricenos, vel quadragenos concinendo psalmos; dum autem Romualdus e diverso sedebat, & vix suorum versuum notas syllabatim explicare valebat, Marinum virgam in dextera gerentem, sinistram capitis Romualdi partem sæpissime solitum fuisse verberare. Hæc profecto innuunt id contigisse primo, vel primis Romualdi solitudinis annis, quibus ipse expeditius psallendi, vel legendi nondum facilitatem assecutus fuerat; & quidem in loco arboribus consito, lato & extenso, qui commodius apud Equilium, ubi erant pineta & silvæ, quam in deserta aliqua insula & inculta Venetarum paludum est requirendus.

IX. Marini eremitica disciplina.

RAVENNA oriundum fuisse beatum Marinum eremitam scripserunt Sabellicus, Rubeus, Sigonius, Sansovinus, Wion, Fabrius & Grandius, idque confirmant nonnulli ex ipsis ex inscriptione quadam Venetiis extante, quam ad annum 978. in medium proferemus, ubi Petrus Urseolus *Romualdo ac Marino Ravennatibus monachis* comitibus itineris in Gallias se recepisse enuntiatur. Ex Damiano scimus tantum *in Venetiarum partibus* vixisse quemdam *spiritualem virum Marinum nomine*, qui eremiticam ducebat vitam; quæ verba innuunt ipsum potius Venetum fuisse, ut asseruit etiam Ferrarius. Illustris autem ejus sanctitas inferri potest ex fama latius discurrente, & ad Romualdi Ravennæ habitantis aures perveniente. Idem [b] Petrus Damianus in ipsius elogio summam animi ejus puritatem & simplicitatem, abstinentiam & psalmodiæ assiduitatem præ ceteris extollit dicens: *Erat autem Marinus inter ceteras virtutes vir simplicis animi & sincerissimæ admodum puritatis, nullo quidem magisterio eremiticæ conversationis edoctus, sed ad hanc solummodo bonæ voluntatis impulsu fuerat incitatus. Porro autem hunc vivendi morem habebat, ut per continuum anni circulum tribus in hebdomada feriis mediam panis bucellam, & pugillum fabæ gustaret, tribus vero vinum & pulmentum discreta sobrietate perciperet. Psalterium quidem per dies singulos totum canebat; sed nimium rudis, & nullatenus ordine vitæ singularis instructus, sicut ipse postmodum beatus Romualdus hilariter referebat, plerumque de cella exiens una cum discipulo passim per latitudinem eremi psallendo spatiabatur, nunc sub ista arbore vicenos, nunc sub illa tricenos vel quadragenos concinens psalmos*. „ Ubi dum Marinum asserit *nullo magisterio eremiticæ conversa-*

„ *tionis*

b *Cap.* IV. *Vit. S. Rom.*

Ann. Chr. 930. Romualdi 23.

„ *tionis edoctum*, sed a solo spiritu bonam ejus voluntatem impellente „ ductum in desertum, additque regularis officii ordinem, scilicet psal„ morum distributionem in nocturnos & horas, ab ipso ignoratum, satis „ ostendit, " ait Grandius noster in suis mss. schedis, „ ex vita secula„ ri, non ex aliquo monasterio, nec ex alterius ascetæ directione in il„ lam solitudinem ductum esse, ut Deo liberius serviret. Frustra ergo, " idem Grandius prosequitur, „ Hieronymiani beatum Marinum intra sua „ septa cum Romualdo & cum discipulis ejus trahere conantur; neque „ enim ille quidquam a divo Hieronymo sive ab ejus sequacibus, quos „ continuata successione per ea tempore floruisse ipsi somniantur, audire „ potuerat super religiosæ vitæ institutione, cum non ab alio exteriori „ institutore, sed a seipso dumtaxat divinitus inspirato, & mox ab eo„ dem discipulo suo Romualdo, ut videbimus, solitariæ vitæ disciplina „ fuerit informatus. " Addidit etiam Macchiarellius [a] Marinum ex sancti Benedicti claustro in solitudinem transiisse, atque insuper Romualdum ex Classensi cœnobio ad Marinum divertisse autumni tempore, sed utrumque gratis dictum.

[a] Notiz. Storiche pag. 17.

X. An comites habuerit Romualdus sui transitus ad eremum.

Solum non discessisse e Classense cœnobio Romualdum plerique putant, sed ei socium itineris & eremiticæ perfectionis assignant saltem conversum illum, qui primus fuit ipsi vitæ monasticæ amplectendæ auctor. Neque a vero abludit præfatum monachum in Classensi monasterio stimulos ad regulæ observationem addidisse Romualdo, qui zeli sui erat fœtus, huncque vicissim illi communicasse desideria eremiticæ vitæ, ad quam afflante Spiritu-sancto trahebatur, ut propterea cum monachus persuadere nequiverit Romualdo perseverantiam in cœnobio, facile fuerit Romualdo flectere pium cœnobitam ad eamdem eremiticam conversationem amplectendam; nisi illud etiam dicere velimus, sanctum hunc ascetam jam currenti Romualdo calcaria altius pressisse. Utut sit, optime meritus de omni Camaldulensi familia fuit conversus ille, secundus & melior genitor Romualdi in vita monastica. Is *beati Incogniti* titulo decoratur a Fortunio, Ractio, Maurolico, Wione, Fabrio & ab omnibus nostris catalogorum Sanctorum auctoribus. Suspiciendæ in eo plures virtutes, sed præcipue eximia in Deum fiducia, & impensus amor in proximum. Ad lucrandum enim Deo Romualdum nullis non pepercit industriis; admonitiones, hortamenta, felicitatem vitæ a seculo remotæ, pericula mundanarum illecebrarum & gloriæ ante oculos ejus posuit: neque unquam animo concidit, quinimmo miraculorum vadem se obtulit, Sanctorumque suorum a Deo impetravit visiones. Notat Ractius probabile esse eum, qui tam fidenter Romualdo illustrem pollicitus fuit semel & iterum sancti Apollinaris conspectum, non tunc primum cœlestibus hujusmodi visitationibus honorari cœpisse, verum inde hujus doni revelationum habuisse familiaritatem posse concludi.

Ann. Chr. 931. Romualdi 24.

XI. Romualdi patientia erga Marinum magistrum.

Marinus dum sub hac vel sub illa arbore sederet, aut per eremi spatia ambularet, alternabat cum discipulo Romualdo psalmodiam. Romualdus vero frequenter cæspitans & male legens, ideoque sæpe a magistro vapulans exorsus est a subjectionis, patientiæ, humilitatis virtutibus eremiticum suum tirocinium. *Romualdus autem*, [b] inquit Damianus, *quia seculum idiota reliquerat, aperto psalterio vix suorum versuum notas syllabatim explicare valebat, & hæc oculorum in ima defixio intolerabilem sibi importunitatem acidiæ generabat. Marinus vero virgam in dextera gerens Romualdo e diverso sedenti sinistram capitis partem sæpissime verberabat.*

[b] Vit. S. Rom. cap. IV.

Post

Post multa autem Romualdus gravi admodum necessitate compulsus humiliter ait. Magister, si placet, a dextero me deinceps tempore percute, quia jam lævæ auris auditum funditus perdo. Tunc ille tantam ejus patientiam admiratus, indiscretæ severitatis temperat disciplinam. Hæc Romualdi verba magistrum suum Marinum exorantis egregie sic commentatur Aurelius noster Antonellus Camers paraphrasi in stropham VII. hymni primi [a]. „ Non me subtraho, inquit, disciplinæ, verbera non effugio, sed „ transfero, periclitante sinistra, dexteram aurem substituo, dum vacat „ illa, vapulet ista. Nolo instrumento carere obedientiæ, sed mihi au„ ditu necesse est, proprius hic sensus disciplinæ. Ne ignavus torpeat, „ exerceatur, ne totus pereat, alternetur. Fiat pœna productior, sed „ salubrior. Ita prudentissimus juvenis ad magnum suæ militiæ incre„ mentum accinctus, ne perficiendo oneri minor esset, quod a patien„ tia dependet, pati magis expostulat, quam absolvi. Hunc *intellectum* „ *vexatio dedit auditui*, non solum quo intelligeret humilitatem, sed „ quo vexata auris vicariam pro se alterius pressuram investigaret, cu„ jus vicissitudine subinde virtus instaurata persisteret. Plane intelle„ ctus bonus, quo posito consequenter adjiceret; *auditui meo dabis gau*„ *dium & lætitiam*, *& exultabunt ossa humiliata*, quandoquidem „ *qui se humiliat*, *exaltabitur*. Itaque verba psalterii difficile Romual„ dus capiebat, sed prompte magistri verba excipiebat. Cito igitur „ factus est doctor humilitatis, qui literas tarde noverat humanita„ tis. “ Hactenus eruditus & pius scriptor Antonellus, cujus facundiam, morumque innocentiam allata paraphrasis satis manifestat. Servantur inedita alia ipsius monumenta ejusdem generis in bibliotheca Classensis monasterii.

Ann. Chr. 931. Romualdi 24.

a *Offic. S. Rom. ad Vesp.*

XII. Grandii excursus, qua ratione Romualdus legere nesciret.

Non levis autem (inquit Grandius in suis schedis, e quibus integrum sequentem excursum ad exhibendum specimen Annalium Camaldulensium, quos meditabatur, in nostros transferre placet) non levis profecto oritur heic dubitatio circa intelligentiam verborum Damiani: *Romualdus*, *quia seculum idiota reliquerat*, *aperto psalterio vix suorum versuum notas syllabatim explicare valebat*; nam etsi rudis & impolitus seculum reliquerat Romualdus, ut Damiani testimonio fateri cogimur, ob inculpatam sui educationem a Sergio patre acceptam, indocile tamen habuisse ingenium, nemo facile persuaserit. Quomodo ergo ita stupidus hæret in psalterii lectione, quam sibi familiarem fecisse debuerat triennium in Classensi monasterio exactum? Nolumus ita profunde lapsos quis suspicetur Classenses monachos, quamvis tum temporis eorum plerique remissius viverent, ut amandatam prorsus fecerint institutæ a sancto patre Benedicto nocturnæ diurnæque psalmodiæ curam; quod tum ex eodem Damiano falsum convincitur, dum ait, Romualdum nocturno tempore ceteris solitum fuisse ocyus surgere, tum usque adeo insolens est, ut nunquam eo pervenisse monachorum quorumvis inobservantiam legamus. Integrum igitur psalterium jam sæpe cum Classensibus revolverat Romualdus, ideoque tum psalmorum versiculos legere, tum plerosque illorum memoriæ mandare psallendo debuerat; cum enim præter Graduales, qui singulis hebdomadis quinquies, & psalmos Completorii, qui quotidie repetuntur, integrum psalterium semel quavis hebdomada ex sancti patris Benedicti præscripto recitaretur (quoniam tot peculiaria Sanctorum officia ferialem cursum tunc temporis minime interrumpebant) utique ferme CLVI. vicibus jam Romualdus per ordinem cum ceteris monachis in choro recitaverat (ne quid dicamus de privata psalmodia, quam interim in cella sua frequen-

Ann. Chr. 931. Romualdi 24.

tasse verisimile est) quomodo ergo in iisdem apud Marinum legend cæspitaret ? Cui accedit, veteri monachos consuetudine apud Martene & Haeftenum observasse, ut psalmos memoriter recitarent, unde sanctus pater Benedictus psalmos dicendos, lectiones vero legendas monet, ac juniores post vigilias, in addiscendo, si opus haberent, psalterio tempus insumere debere docet, quod servare non omisisset Romualdus, qui Regulæ præceptis adeo intentus erat, ut etiam sociis antiquioribus se illorum prævaricationem exprobaret. Adde, quod si tunc Regulam expedite legere, atque ejus sensus probe intelligere poterat, ut alios ab illa aberrantes, ipsius auctoritate producta, corriperet, fingi nequit in psalterii toties antea recitati lectione minus promptum exhibere se potuisse Romualdum. Sunt, qui reponant, aliud esse cum multis memoriter recitare, aliud singillatim ex codice psalmos legere, illud facilius expediri, cum socii simul canentes subsequentium vocum initia ultro præveniant, & obliviosis suggerant, hoc vero difficilius evadere minus exercitatis, ac forte per compendia minus nota descriptum, vel male formato charactere, aut scriptura ex longæ contrectationis usu jam evanida signatum codicem percurrentibus; id quod fortasse indicare voluerit Damianus significans nimiam oculorum defixionem sanctissimo juveni molestam fuisse, dum ait : *& hæc oculorum in ima defixio intolerabilem sibi importunitatem acidiæ generabat*. Alii dicunt fortasse morosam in choro psalmorum recitationem aut decantationem tempus sufficiens præbere potuisse ad verba etiam ex codice minus emendato, nedum ex communi legivo, ubi uncialibus literis psalmi nitidissime ac distinctissime descripti habebantur, expeditius legenda, verum in privatæ psalmodiæ decursu apud beatum Marinum, qui singulis diebus totum psalterium cum Romualdo legebat, velociori opus fuisse oculo, ad magis festinam versuum pronuntiationem, ut tam prolixum pensum absolverent. Renatus Monti in [a] compendio vitæ sancti Romualdi, sanctum juvenem a Marino correptum, & virga castigatum affirmat, eo quod nondum exacte psalmos memoria teneret; id quod contra apertum Petri Damiani textum est, ubi de legendi difficultate aperto psalterio expressa mentio habetur. Macchiarellius noster tum in [b] Notitiis historicis sancti patris Romualdi, tum in peculiari sua tertia Apologia, quam contra nescimus quos contendentes sanctum patrem Romualdum minime doctum fuisse, edidit, hunc locum ita explicandum censet, ut Romualdus ex Latino in Italicum idioma psalmorum versus convertere, eosque vulgari sermone exponere ignoraret. Sed hoc esset Marinum, ex asceticæ vitæ magistro, pædagogum facere, & primæ artis præceptorem, qui a discipulo exigeret vernaculam psalterii versionem, atque in ea reddenda cæspitantem, ut in puerorum scholis usuvenit, ubi grammaticæ errores ferula excipiuntur, virga sua castigaret. Præterquamquod Italica, quæ in ore vulgi nunc versatur lingua, Romualdi seculo nondum erat enata, vixque ejus vestigium in monumentis illius temporis ostenditur; omnes adhuc latine loquebantur, licet corrupto per Gothorum, Langobardorum, ceterorumque septentrionalium populorum incursum idiomate. Accedit ulterius clare Damianum non de grammatica interpretatione versuum loqui, sed de expedita & currenti lectione; *vix suorum versuum notas syllabatim explicare valebat*.

a Pag. 2.

b Pag. 20.

XIII. Id credibiliter contingebat in lectionibus psalterio interpositis.

Idcirco in eam opinionem devenimus non in psalmis, sed in lectionibus psalterio interpositis hæsitasse Romualdum, quas non ita, ut psalmos, familiares habere poterat, tum quia diversæ fere semper occurrerent, tum quia non eodem ritu, iisdemque sacræ Scripturæ, & sancto-

rum

rum Patrum locis a Marino compilatæ haberentur, ac in monasticis libris legi consueverant. Favet huic expositioni circumstantia sessionis, quæ non in psalmodia, sed in lectionibus dumtaxat usurpari a monachis etiam ex sancti patris Benedicti præscripto solebat: *Romualdo*, inquit, *e diverso sedenti sinistram capitis partem percutiebat*. Quis enim putet sanctos eremitas psallendo consedisse? Ne monachi quidem, immo nec clerici in bene constitutis ecclesiis saltem Latinis sedere solebant, dum psalmos decantabant; hinc [a] Petrus Damianus ad Hugonem Bisuntinum archiepiscopum scribens reprehendit abusum, quem viderat in ejus ecclesia, clericos nimirum ad divinum officium sedentes. Denique supra dicitur: *per latitudinem eremi psallendo spatiabatur*, tantumque additur: *nunc sub illa arbore vicenos, nunc sub alia tricenos vel quadragenos concinens psalmos*, quibus sane verbis non sessio, sed statio post deambulationem designari videtur. Itaque cum inter deambulandum fessus Marinus esset, hic aut illic consistere gressum consueverat; neque enim decorum fuisset, mentisve devotioni consentaneum sedere, nisi ad lectiones, quarum quieta recitatio esse debet pro magis opportuno legentium situ, & audientium attentione ac intelligentia. Quod ergo ait: *aperto psalterio*, intelligeremus, post psalmos memoriter deambulando aut stando recitatos aperitionem libri, in quo suis locis post psalmos lectiones aliquæ ex utroque Testamento, vel ex passionibus martyrum, aut ex sanctorum Patrum sermonibus dispositæ haberentur, quarum lectio, utpote fere semper nova, ita pariter molesta & ardua tironibus est. Ubi vero dicit: *versuum notas*, linearum & periodorum verba exponeremus, non versus psalmorum proprie dictos.

ANN. CHR. 931. ROMUALDI 24.

a *Opusc.* 39.

XIV. Plura de Italicæ linguę primordiis.

PORRO quod supra diximus de Latina lingua tunc temporis passim in hisce regionibus usurpata, nedum recepto Italici sermonis usu, egregie confirmat auctor vitæ beati Petri Urseoli nostri apud Mabillonium [b], ubi eumdem Petrum nativo idiomate, Veneto scilicet & ejus regionis, quam incolebant Marinus & Romualdus, ita loquentem inducit. *Ait abbati lingua propriæ nationis. O abba, rogo, frusta me, hoc est virgis cæde me; credule mihi, idest crede mihi, quod sibi mos erat dicere, merito debeo verberari, quia non restiti dæmonum tentationibus*; ubi vides corruptum eo tempore apud Venetos latinum idioma parum a consueta Romani eloquii phrasi distare, nec nisi duo verba in illa periodo Petri Urseoli lingua propriæ nationis expressa indiguisse scriptoris interpretatione, nempe *frusta* pro eo quod *virgis cæde* (quod & nunc Italice dicimus *frustare* ex latino verbo *fustigare*). & barbarum illud *credule* pro *crede*, cujusmodi imo & fœdioribus Latii sermonis barbaris inflexionibus ac solœcismis referta esse illius ætatis pleraque documenta, nemo ex antiquarum chartarum scrutatoribus, & archivorum custodibus ignorare potest, indicio satis manifesto communem illum & vulgatum fuisse tabellionum sermonem, non vero ullo studio a grammaticis acquisitum, quos verisimile non fuisset tam barbara locutione discipulos suos instituisse.

b *Secul. V. p.* 858.

Quod si quis epitaphium opponat Gregorii Romani pontificis, ubi dicitur:

Usus Francisca, Vulgari, & voce Latina
Instituit populos eloquio triplici.

facile respondetur Vulgarem linguam ibi nominatam non Italicam, sed potius Saxonicam intelligi debere, sive Teutonicam, unde in antecedentibus carminibus

ANN. CHR. 931. ROMUALDI 24.

Lingua Teutonicus Vangia doctus in urbe.

Erat enim Ottonis III. imperatoris consanguineus Gregorius, pronepos Ottonis I. cujus filia Luitgarda, Conrado Lotharingiæ duci nupta, Ottonem ducem Gregorii ipsius patrem genuerat; ejus ergo popularis lingua Teutonica erat diversa a Gallica seu *Francisca*, & a Romana seu Latina. Favent huic expositioni acta conventus Romani habiti in causa Johannis XII. anno 963. in quibus Otto I. imperator post audita crimina ab accusatoribus pontifici objecta, quia Romani ejus loquelam propriam, idest Saxonicam, intelligere nequibant, Luitprando Cremonensi episcopo præcepit, ut Latino sermone Romanis omnibus, dicta sua exprimeret. Ubi patet tum Saxonicam seu Teutonicam linguam eo tempore a Latina longe diversam fuisse, quippe Germanis dumtaxat communem, non Romanis; tum idioma Latinum non Italicum Romanis omnibus commune & vulgare fuisse illo seculo, nec aliam vernaculam linguam tunc in Italia usurpatam. Unde, quod in [a] concilio Turonensi sub Carolo magno ann. 813. celebrato legitur: *Visum est unanimitati nostræ, ut quilibet episcopus habeat homilias continentes necessarias admonitiones, quibus subjecti erudiantur, idest de fide catholica, prout capere possint, de perpetua retributione bonorum, & de æterna damnatione malorum, de resurrectione quoque futura, & ultimo judicio, & quibus operibus possit promereri vita beata, quibusve excludi, & ut easdem homilias quisque aperte transferre studeat in rusticam Romanam linguam aut Theotiscam, quo facilius cuncti possint intelligere, quæ dicuntur*, manifeste respicit corruptam Latinæ linguæ locutionem, quam idiotæ & rustici passim usurpabant, quæque in vetustis etiam Romanis inscriptionibus, quas rudiores sculptores expresserunt, legitur, ut vir eruditus Celsus Cittadinius de origine vulgaris linguæ Italicæ observat. Hucusque Grandius, quem exscribimus, & cui subscribimus.

a *Can. XVII. col. 351. apud Labb.*

Non imus tamen inficias hoc Romualdi seculo, parcius etiam in antecedentibus, sed frequentius in subsequentibus, plurima semina quodammodo novæ linguæ, quam nunc Italicam appellamus seu Vulgarem, in chartis & veteribus instrumentis reperiri; id nemo est, qui non noverit. Præter ea, quæ collegere Fontaninius, Muratorius aliique doctissimi viri, extat pariter ejusdem Grandii nostri epistola ad Virginium Valsecchium tunc priorem Casinensis congregationis & sacrarum literarum in Pisano gymnasio professorem eximium, quæ una cum altera ipsius Valsecchii epistola ad Muratorium data, locum habet in [b] Dissertatione XXXII. de *origine linguæ Italicæ* in Antiquitatibus medii ævi. In ea Grandius plura congerit, quæ pura putaque sunt Italica. Ubi tamen dicit hac de re in suis Annalibus monasticis ad annum 24. sancti Romualdi fusius disputare, alludit ad ea, quæ mox attulimus, quæque data opera pariter historiæ nostræ inseruimus, ut ex adducto specimine lectores agnoscant Annales hos monasticos mente conceptos a Grandio, quique brevissimis & numero paucissimis schedis concluduntur, vel monasticum ordinem generatim respicere, non peculiarem congregationem Camaldulensem, vel eruditionis potius monumenta complecti; quos fortasse ad calcem perduxisset celeberrimus vir, si mathematicarum meditationum & observationum assiduitate, vel etiam senectutis infelicis conditione præpeditus non fuisset.

b *T. II. col.* 1031.

XV. Romualdus se exercet in virtutibus sub Marino.

HÆC diximus occasione Romualdi ægre legentis. Fortunius existimat ab eo tempore Marinum Romualdi magistrum tantam discipuli patientiam suspicientem, in omne reliquum tempus detulisse Romualdo tamquam sancto

ᶜto viro, eique subjectum vivere voluisse, sed recusasse Romualdum, & incredibili humilitate toto temporis spatio, quo simul vixerunt usque ad profectionem in Gallias, illi subesse studuisse. Probabilius est tamen Marinum aliquandiu constantiæ Romualdi experimentum protraxisse, & non in sola patientia, verum etiam in aliis pietatis & religionis officiis sanctum juvenem exercuisse, demumque solidas fixasque radices ejus virtutis agnoscentem, admiratorem & imitatorem potius quam magistrum se exhibuisse imposterum.

ANN. CHR. 931. ROMUALDI 24.

DAMIANUS, [a] qui, *non historiam texens, sed quoddam quasi breve commonitorium faciens*, vitam Romualdi scripsit, ordine historico minime servato; capite tantum septimo, prout sese occasio dicendi obtulit, vel prout memoria suggessit, narrat, quæ passus fuerit Romualdus ab invido humani generis hoste sub initium suæ conversionis. Ea tamen hic loci commode sunt referenda, vel certe non admodum removenda ab hoc tempore, ut ex ipso verborum sensu cuilibet patere poterit. A turbulentarum autem cogitationum aggressionibus exorditur: *Impugnabat*, [b] inquit, *tamen diabolus Romualdum multis & variis tentationum immissionibus, maxime initio conversionis, mentemque ejus per multa vitiorum incentiva raptabat; modo illi in memoriam revocans, quæ & quanta, ut puta vir strenuus, in seculo acquirere potuit; modo quæ ingratis propinquis necdum post se concupiscibiliter hæreditanda reliquit; modo parva nimis & nullius meriti esse, quæ faceret, accusabat; modo tanti laboris horrorem incutiens, longæ vitæ spatium promittebat. O quam sæpe cellulam ejus percutiens eum, cum adhuc vix obdormisceret, excitavit, & quasi jam jam imminente crepusculo, per totam noctem vigilando deduxit*. Quæ omnia licet explicari queant de initio conversionis in cœnobio Classensi, longe tamen probabilius intelligenda videntur de initio conversionis ad vitam eremiticam, præcipue si verba consideremus Damiani de incussione *horroris tanti laboris*, qui ad solitarium potius quam ad monasticum tirocinium spectare videtur, cum regula sancti patris Benedicti sit discretione præcipua. Porro dum perpendimus artes, quibus usus est dæmon ad Romualdi fervorem labefactandum, easque conferimus cum iis, quibus olim magnum Antonium fuit aggressus, intelligimus, ut in multis aliis, sic in iis, quæ passus est, quæque superavit Romualdus, Antonio similem fuisse, de quo refert [c] Athanasius, quod *inimicus nominis Christiani diabolus impatienter ferens tantas in adolescente virtutes, veteranis eum aggressus est fraudibus, & primo quidem tentans, si quomodo posset ab arrepto instituto detrahere, immittebat ei memoriam possessionum, generis nobilitatem, & postremo virtutis arduum finem, & maximum perveniendi laborem, & corporis fragilitatem suggerebat, & ætatis spatia prolixa*. Non possunt melius verba Athanasii de Antonio quadrare verbis Damiani de Romualdo.

ANN. CHR. 932. ROMUALDI 25.

XVI. Romualdi tentationes in vita eremitica.

a *Prol. in vit. S. Rom.*

b *Vit. S. Rom. cap.* VII.

c *Vit. S. Anton. cap.* II.

MENTEM & cor Romualdi expugnare non valens callidus hostis, novas insidias fortissimo pugili paravit, & ut narrat Damianus, *per continuum fere quinquennium super pedes ejus & crura diabolus nocturno tempore jacuit, & ne huc, illucque se facile verteret, typo phantastici ponderis aggravavit*. Inaudita quidem ars, qua usum fuisse dæmonem adversus sanctos Dei viros non meminimus unquam alibi legisse; ut plane insolenti, & inusitato Romualdum adinvento adoriri voluisse videatur infernus hostis peculiaribus armis peculiarem ejus virtutem impugnans. Sed intrepidus Christi miles orationum frequentia & instantia, noctium præsertim tempo-

ANN. CHR. 933. ROMUALDI 26.

XVII. Cujus constantiam novis insidiis frangere quærit dæmon.

Ann. Chr. 933. Romualdi 26.

tempore, quas inquietas & pervigiles ducere cogebatur, cuncta diaboli artificia victor elusit. Adjecit dæmon & terriculamenta, varias bestiarum formas frequenter assumens, metumque incutere tentans Romualdo, qui divino fretus auxilio post asperrima verba, quibus diabolum excipiebat, ipsum ira & confusione plenum in fugam agebat. *Quis*, inquit Damianus, *explicare valeat, quot frementes vitiorum bestias pertulit? Quam sæpe præsentes iniquos spiritus durissimis increpationibus effugavit?* Magno siquidem eremitarum parenti Antonio etiam in ejusmodi certamine non impar, de quo Athanasius in vita ipsius tradit, *dæmones variis modis illi infestos fuisse, qui speciatim bestiarum & serpentium formas induentes, omnem protinus locum implevere phantasiis leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentium, scorpionum, nec non & pardorum atque ursorum, quos intrepidus excipiens Antonius, quasi de inimicis luderet, iisdem ita insultabat: si virium haberetis, sufficeret unus ad prælium, sed quoniam, Domino vos enervante, frangimini, multitudine tentatis inferre terrores, cum hoc ipsum infirmitatis indicium sit, quod irrationabilium formas induitis bestiarum*. Alias autem pugnas Romualdi cum diabolo locis & temporibus aliis Damianus describit, quas deinceps & nos suis annis referemus.

Ann. Chr. 934. Romualdi 27.

XVIII. Discipulos habet Romualdus in Venetis solitudinibus.

ENARRATIS *initio conversionis* Romualdi conflictationibus, quas a malignis spiritibus sustinebat, & adversus illos gerebat, subdit statim [a] Petrus Damianus: *Unde etiam, si fratrum aliquis silentii tempore cellam ejus quavis necessitate compulsus adiret, statim miles Christi paratus ad prælium, solito more, ipsum esse existimans diabolum claris vocibus increpabat dicens: quo tendis modo turpissime? Quid tibi in eremo de cœlo dejecte? Recede canis immunde, evanesce coluber veternose. His igitur & hujusmodi verbis declarabat se cum malignis spiritibus in acie semper assistere, & fidei se armis accinctum provocantibus hostibus in campum protinus obviare.* Quæ Damiani verba, si referantur ad tempus, quo Romualdus in eremo Marini degebat, ut contextus suadere videtur; nam conjunguntur cum iis, quæ *sub initium conversionis* fortissimus athleta pati cogebatur a dæmonibus, jam intelligimus alios simul eremitas, præter Marinum & Romualdum, in illa solitudine congregatos, & quidem sub Romualdi disciplina edoctos, a quo consilia salutis peterent, cui etiam deferrent, necessitatesque suas exponerent, ut clare indicant verba illa: *si fratrum aliquis silentii tempore cellam ejus quavis necessitate compulsus adiret;* præsertim cum silentii tempus sacrum sit juxta [b] regulam sancti patris Benedicti, cui *omni tempore debent studere monachi maxime tamen nocturnis horis*; & de his *horis incompetentibus* alibi dicat, quod *frater ad fratrem non jungatur; graviorique vindictæ subjaceat, si inventus fuerit quisquam prævaricari hanc taciturnitatis regulam*. Quamdam ergo superiorem auctoritatem in ceteros Romualdo concedere debemus, ob quam, ut semper usuvenit, licitum fuerit fratribus, quocumque demum tempore, etiam silentii, adire januam sui majoris pro consiliis capiendis, pro rebus ordinandis, pro qualibet demum spirituali vel temporali necessitate. Quod si semel admittatur, primum Romualdi in eremicolas magisterium non in Catalaunia, ut series & ordo capitum historiæ a Damiano conscriptæ indicare possent, sed ocyus in Venetis finibus est auspicandum; ipsius quoque Marini devotio erga dicipulum suum Romualdum, licet relata a Damiano occasione Gallicanæ solitudinis fortasse agnoscenda vel eo tempore, quo Venetas solitudines uterque incolebant. Facile itaque fuerit

Mari-

a *Vit. S. Rom. cap.* VII.

b *Cap.* 42. 48.

ANN. CHR. 934. ROMUALDI 27.

Marinum, poſtquam patientiæ & humilitatis Romualdi actus per aliquot annos ſuſpexit, ſtudiumque ejus cœleſtis contemplationis, & ſolitariæ vitæ perfectionem fuit perſcrutatus, magiſtri officio ſe exuiſſe, ac omnem ſuam auctoritatem in præſtantiſſimum diſcipulum transfudiſſe, & cum gaudio ſe Romualdo ſubjeciſſe, [a] *cui nuper fuerat prælatus*. Et revera quis in animum ſuum velit inducere, Romualdum anachoriticæ converſationis reparatorem a Deo deſtinatum, otioſum, deſidem, atque ſuo tantum profectui vacantem vitam duxiſſe quadraginta & octo annis, quot interfluunt ab anno 930. quo Claſſenſe monaſterium deſerens ſe ſub Marino recepit, ad annum 978. quo cum Urſeolo in Gallias tranſiit, & ſupra ſeptuagenarium tantum animum ſuum applicuiſſe ad eremiticæ vitæ præcepta tradenda?

a *Vit. S. Rom. cap.* VI.

XIX. Quando jacta prima eremiticæ vitæ fundamenta a Romualdo?

VERISIMILIUS eſt igitur ipſum prima hujuſce cœleſtis doctrinæ fundamenta jeciſſe in Venetiarum finibus, & quidem præterpropter circa medietatem ſeculi decimi, ut Paulus Juſtinianus in [b] conſtitutionibus, ſeu in regula vitæ eremiticæ, & Bernardinus Gadolus Brixienſis ſancti Michaelis de Muriano piiſſimus & doctiſſimus aſceta docent, quorum opinioni noviſſime adhæſit pater D. Bonifacius Collina in ſua recenti editione Vitæ ſancti Romualdi. Quod vero [c] Ventura Minardius Atheſtinus, [d] Lucas Hiſpanus, & Archangelus Haſtivillius ejus interpolator, [e] cardinalis Cæſar Baronius, [f] Stephanus Demalevicius in vita ſancti Bogumili archiepiſcopi Gneſnenſis, & eremitæ Camaldulenſis, Thomas Minius in vitis ſanctorum Johannis & Benedicti, ac in Catalogo Sanctorum ordinis Camaldulenſis, atque in [g] Hiſtoriis Camaldulenſibus mſs., & doctiſſimus Ludovicus Thomaſſinius [h] in celebri opere veteris & novæ eccleſiæ diſciplinæ de Beneficiis, aliique innumeri ad annos 970. vel 974. Romualdinam eremiticam inſtitutionem referant, id ab ipſis eo conſilio factum, quia a celebriore in Galliis cœtu eremitarum ſub parente Romualdo (aliquot tamen annis poſt 974. ut videbimus, collecto) epocham hujus fundamenti ſumpſere. Alias conjecturas, ad Romualdini inſtituti exordia figenda, antea quam proficiſceretur ipſe in Gallias, dabimus ſequentibus annis. Illud tamen non diſſimulamus, quod licet hæc a nobis ut probabilia exponantur, nequeunt tamen aſſeri ut certiſſima & explorata; fieri enim poteſt, ut Damianus eo capite, quo narrat tentationes Romualdo immiſſas a dæmone, primas quidem intelligere voluerit ei accidiſſe ſub initium ſuæ converſionis, poſteriores vero, in quibus aliorum fratrum ad cellam ejus confluentium mentio occurrit, voluerit aſſignare ad alia tempora; quandoquidem Damianus plura perſæpe ſimul conjungit, quæ vario tempore evenere, ut non ſemel eſt monendum.

b *Cap.* I.

c *De Balneis Calderii Dial.* I.

d *Hiſt. Romuald. Lib. I. cap.* V.

e *Annal. T. X.*

f *Cap.* 29.

g *Lib. I. cap.* 13. *Lib. II. cap.* 4.

h *Par. I. Lib. III. cap.* 25. *n.* 7.

ANN. CHR. 936. ROMUALDI 29.

XX. Conſurgit Veneta eremus prope Equilium.

AD hæc circiter tempora commode referri itaque poterit conſtructio eremi Venetæ facta a Romualdo, quæque forte primum fuit, ut ita dicamus, eremiticæ converſationis ſeminarium. Quadraginta poſt annos extitiſſe prope Venetam urbem eremitas docet nos Ratbertus ſcriptor vitæ ſancti Bononii, ut videbimus ad annum 976. Qui ceteris præerat *præpoſitus* appellabatur, ita ſaltem eum nuncupare placuit eidem Ratberto. Hujuſmodi eremitæ ipſius teſtimonio *vitam ſanctiſſimam agebant ab omni hominum conſortio remotam*, conſilia ſalutis dabant, fama ipſorum late pervagans trahebat quoſcumque, qui eorum haberent notitiam. Oratorium in eremo excitabant, ubi juxta ſancti Benedicti regulam hoſpites adventantes primum ſuſcipiebant; tuguriola pro habitatione ſibi ædificaverant, cibus ipſis modicus panis, ſorbitiunculæ ex herbis, atque radices,

Ann. Chr. 936. Romualdi 29.

dices; hortum pro expatiando sibi conseverant, nemora habebant, quæ ad solitudinem pietatemque invitabant; hi denique eremiticæ hujus philosophiæ magistrum & parentem Romualdum agnoscebant. Conjicit domnus Bonifacius Collina hujuscemodi eremum fuisse in nostra Venetiarum insula, quæ appellatur sancti Michaelis prope Murianum, de qua agemus annis sequentibus; verum cum in eadem vita Bononii a Ratberto scripta in Veneta, quam describit, eremo nemora admittantur, id potius intelligendum erit de solitudine Equilina, cujus ad annum 930. fusam narrationem dedimus, & prope Turrim-caliginis, quæ cum novem tantum milliaribus a Venetiis distaret, Veneta eremus poterat recte appellari, præsertim cum ea turris in Venetorum æstuariorum finibus tunc & hodiedum sit constituta. Sed de auctore & de auctoritate vitæ illius plura dicemus ad annum 976.

Ann. Chr. 940. Romualdi 33.

XXI. Romualdus incolit insulam S. Michaelis Venetiarum.

SOLITUDINI Equilinæ non ita addicti Romualdus & Marinus putandi sunt, ut alia sibi quandoque non quærerent loca, prout ipsis videbantur contemplationi atque eremiticæ vitæ statui convenientiora. Non spernendis monumentis edocemur, ipsos ad tempus commorationem suam elegisse in hac nostra sancti Michaelis insula Venetias inter & Murianum posita. Ea porro sunt hujusmodi. In antiquo chronico Veneto mss. quod servant eremitæ nostri Montis-coronæ insulam sancti Clementis Venetiarum incolentes, legitur Romualdum Venetias profectum se adjunxisse sancto viro, Marino nomine, qui paludem prope Murianum habitans ecclesiolam sibi construxerat in honorem sancti Michaelis archangeli: *San Romualdo venuto a Venezia se acompagnò con un S. homo dito fra Marino, el qual stava sopra un paludo apreso Muran, & avevasi fato una chiesiuola de San Michiel*. Hoc chronici fragmentum publici juris factum fuit primum anno 1727. ad calcem synopsis vitæ sancti Romualdi conscriptæ a Renato Monti, qui est domnus Apollinaris Montanarius abbas Camaldulensis, & secundis curis eo anno editæ. In altero veteri chronico, quod tribuitur cuidam ex familia Veneta patricia Barbara, & laudatur a Grandio ad vitam sancti Petri Urseoli, [a] quodque legimus nos mss. penes Cl. V. Marcum Fuscarenum equitem auratum, divi Marci procuratorem, atque de *Veneta literatura* optime meritum, hæc verba habentur. *Essendo in que zorni vegnudo a Venezia un frate del monestier Classense de Ravenna, nominado Romualdo, capitado a fin de visitar un fra Marin, che abitava in un paludo verso Muran, dove el detto avea fatto una cappelletta, e stava in quella solitudine in santissima vita &c.* Quæ in latinum idioma translata, ita sonant: „ Cum iis diebus advenisset Venetias frater cœnobii Classensis Ravennæ, nomine Romualdus, „ eo consilio ductus, ut Marinum quemdam viseret, qui paludem Murianum versus incolebat, in qua prædictus Marinus sacellum erexerat, „ & in ea solitudine degens vitam sanctissimam agebat &c. " Idipsum exscribunt plurimi Venetorum chronicorum auctores, quorum tamen testimonia proferre supersedemus, ne eadem verba repetamus. Hinc Philippus Ferrarius [b] in Catalogo Sanctorum, qui in martyrologio Romano desiderantur, agens de Marino ad diem VIII. augusti, ait: „ Ipse Marinus in vita monastica præceptor fuit (supple *Romualdi*). Is patria „ erat Venetus, in insula prope Muranum in ecclesia sancti Michaelis, „ quæ nunc est monachorum Camaldulensium, vitam asperam degens &c. " Etiam Bernardus Trivisanus [c] hanc, quam modo incolimus, sancti Michaelis insulam extitisse seculo decimo scribit, licet ædificationem ipsius eccle-

a Pag. 52.

b Pag. 320.

c Laguna Veneta pag. 79.

ecclesiæque in ea posítæ eodem seculo tantum vergente contigisse ex Savina auctore vitæ sancti Petri Urseoli, serius quam par sit, constituat. Fortunius quoque noster loquens de initiis cœnobii sancti Michaelis de Muriano [a] hæc habet: „ Antiquum delubrum in parva insula extructum „ priscis temporibus fuerat. “ Et revera in charta donationis insulæ hujus factæ Camaldulensibus ab episcopis Castellano & Torcellano, atque in altera exemptionis a jure parochiali, quam conscribere fecerunt plebani sanctæ Mariæ, & sancti Stephani de Muriano anno 1212. ecclesia sancti Michaelis non de novo condita supponitur, sed jam antea extasse, cum ea verba in tabulis donationis usurpentur: *donamus tibi ..... eximimus a jurisdictione nostra ecclesiam sancti Michaelis positam in palude juxta canalem de Muriano cum omnibus suis pertinentiis*. Charta exemptionis extat apud Ughellium [b] in episcopis Torcellanis, utramque autem donationis & exemptionis Cl. V. Flaminius Cornelius Senator edidit in suis ecclesiis Torcellanis illustratis. Traditio viget apud nos oratorium dicatum divo Andreæ apostolo, in primo monasterii claustro vetus capitulum inter & ecclesiam, ipsissimum locum fuisse, ubi habitacula sua statuere Marinus & Romualdus.

ANN. CHR. 940. ROMUALDI 33.

a Part. II. Lib. III. cap. 1.

b T. V. c. 1382.

c T. III. p. 51.

XXII. Amicitias init cum pluribus patriciis Venetis.

ATQUE hæc sunt monumenta, quibus innituntur ii, qui insulam sancti Michaelis præsentia & habitatione Romualdi decoratam sentiunt. Hinc facilius intelligere possumus, qua ratione sancti eremitæ in notitiam venerint complurium patriciorum Venetorum, qui & amicitiam cum illis inire optarunt; propinquitas enim loci, qui ne per dimidium quidem milliarii dividitur ab urbe Venetiarum, maxime confluebat, ut cives & patricii attracti odore sanctitatis, quam suspiciebant in piis solitariis, sacra colloquia cum illis frequentius miscerent, & ad humanam gloriam spernendam, perfectionisque viam calcandam animarentur. Testatur chronicon superius allatum Barbari, Petrum Urseolum familiaritatem contraxisse cum iis, & serio cogitasse de vita eremitica una cum ipsis amplectenda, & licet hoc asserat de Urseolo, ut duce, veri tamen similius est id consilii sancto viro sedisse, antequam ad patriæ primam dignitatem invitus traheretur: *Contrattò*, inquit ille, *il dose amicizia con que due padri, se determinò di far vita eremitica con essi*. Quamobrem non immerito, sicut Classense monasterium primo illustratum fuit a Romualdo in cœnobitica disciplina, sic hæc nostra sancti Michaelis insula gloriari poterit, unam ex primis solitudinibus fuisse, ubi idem Romualdus eremiticam perfectiorem vitam excoluerit.

XXIII. Pauli Justiniani epocha de ortu vitæ eremiticæ Romualdinæ.

d Cap. 1.

EAPROPTER ad hunc annum institutionem eremiticæ vitæ a Romualdo factam assignat Paulus noster Justinianus in constitutionibus seu regula vitæ eremiticæ [d] dicens: *Totum hoc tertium eremiticæ conversationis genus a sanctissimo viro eremita, eremitarumque omnium patre & institutore Romualdo, divina Sancti-spiritus illustratione afflato, anno post salutiferam divini verbi incarnationem 940. adinventum fuit*.

ANN. CHR. 943. ROMUALDI 38.

XXIV Antiquum monumentum monasterii S. Viti in urbe Fano.

PRIMA occurrit nobis præsenti anno memoria monasterii sancti Viti martyris, quod erat situm in civitate Fanensi. Monasterium hocce in charta Gualterii archiepiscopi Ravennatis, qua cœnobium Classense anno 1138. tribuit reformandum Azoni priori generali Camaldulensi, immo in præcepto Conradi imperatoris anni 1037. legitur Classensi unitum, & ex aliis diplomatibus imperatorum Ottonis III. & Henrici II. aperte liquet cœnobium Classense sancti Apollinaris in pluribus quidem urbibus, sed etiam in Fanensi multa monasteria, ecclesias, loca & bona obtinuisse.

Ann. Chr. 945. Romualdi 38.

Ne ergo venerabile antiquitatis monumentum depereat, chartam in Appendice sub hoc anno proferimus a nobis extractam ex tabulario archiepiscopali Ravennæ, maximo ipsius viventis archiepiscopi Ravennatis Illustriss. ac Reverendiss. D.D. Ferdinandi-Romualdi Guiccioli, olim abbatis Classensis, beneficio, qui nobis pro ea qua præditus est humanitate, copiam fecit, ut quæcumque documenta ad rem nostram forent opportuna, transcriberemus. Continet autem hæc membrana Petri Ravennatis archiepiscopi concessionem factam supradicti monasterii cum omnibus suis pertinentiis *Johanni presbytero & cantori sancte Marie Fanestre ecclesie*, & uni successori ejus, quem sibi eligere placuerit: *Anno Deo propitio domni Marini summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri sede tertio, sitque regnante domno Hugone piissimo rege anno nonodecimo, sede & domno Lothario item regem ejus filio anno quintodecimo, die duodecimo mensis februarii indictione tertia Ravenne*. Ex quibus notis præterea ediscimus post diem duodecimam februarii anni 942. Marinum cathedram Romanam conscendisse, cum præsenti anno adhuc tertius ipsa die numeraretur ejus sedis annus; simul etiam in notitiam venimus eadem die Hugonem nondum auspicatum fuisse vigesimum sui regni annum, & nondum numerare incœpisse sextum-decimum Lotharium ejus filium, quæ confirmant [a] Muratorii epochas statutas regni Hugonis, qui anno 926. post martium mensem electus fuit rex Italiæ, & Lotharii, qui mense majo anni 931. consors regni declarratus fuit ab Hugone patre.

a *Annal. T. V. p.* 307.

XXV. De codice chartularii monasterii S. Gregorii de Urbe.

Alterius vero, sed insignioris, abbatiæ sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe monumentum exhibet nobis hoc eodem anno membranaceus codex ipsius monasterii seculo xv. vergente, vel sub initium sequentis seculi exaratus a Tranquillo notario. Siquidem, ut adnotavit Cl. V. & amicissimus noster Constantinus Ruggerius bibliothecæ cardinalis olim Imperialis præfectus, „ Tranquillus de Romaulis Alexandri VI. pont. max. „ temporibus floruit, fuitque curiæ causarum Cameræ Apostolicæ notarius, „ atque anno M. D. XV. fato cessit. “ Is ex primigeniis instrumentis descripsit & recognovit chartularium Gregoriani monasterii singulis paginis signum suum aut in fine subscriptionem suam apponens. „ Aliud quoque „ publicæ auctoritatis indicium, subdit Ruggerius, esse potest foramen in „ extrema codicis ora, quod membranas universas permeat, nam ex ipso „ conjicitur sigillum plumbeum vel cereum cordulis sericis vel lineis innixum, chartario nostro appensum fuisse, quemadmodum in pontificiis „ diplomatibus conspicere licet, quæ in libri formam scripta sunt. Monumenta, quæ in codice continentur, ex autographis descripta fuisse „ patet quoque ex lacunis, quæ frequenter occurrunt in eorum contextu; „ nam cum autographa nimia forte vetustate exesa essent, vel a tineis & „ blattis male habita, eorum descriptor lacunas diligenter notavit, ne „ quid fidei chartulario deperiret. Ceterum quadraginta folia codex initio „ deperdidit (nunc enim incipit a folio XXXXI.) fine quoque mutilatus fuit, sed incertum quot folia desiderentur. Desunt etiam folia „ CC XVI. CC XVII. CC XVIII. sed levi fortasse damno; vacuas enim membranas in alios usus inde avulsas fuisse putandum est. “ Hæc in erudita præfatione sua codici præfixa Ruggerius; quibus addimus apprime convenire instrumenta hujus chartularii cum instrumentis ejusdem temporis tam in formulis, quam in notariis & testibus in chronicis Sublacensi & Farfensi, ac cum aliis ab Ughellio, Muratorio, Nerinio &c. in medium allatis.

ITAQUE in hoc chartulario sub præsenti anno 945. *anno* nimirum *Deo propitio pontificatus domni Martini* (Marini) *summi pontificis & universalis secundi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli anno tertio indictione tertia mensis januarii die quartadecima Albericus Domini gratia humilis princeps atque omnium Romanorum Senator, atque Sergius humilis episcopus sancte Nepesine ecclesie, necnon & Constantinus illustris vir atque Bertha nobilissima puella uterina & germani fratres Marozze quondam Romanorum Senatricis filii, necnon & Marozza seu Stephania nobilissima femina germane sorores & consobrine eorum, Theodore quondam Romanorum Senatricis filie* donant *Benedicto Christi famulo religioso presbytero & monacho abbati monasterii sancti Andree apostoli & sancti Gregorii quod appellatur Clivuscauri* integrum castellum, quod vocatur *Mazzano* positum in territorio Nepesino milliario ab urbe Roma plus minus vicesimo-quinto, & casale, quod vocatur *Mons Aureus cum oratorio Salvatoris, & sex fontane aque vive*, quæ olim fuerant Maroziæ eorum matris foris portam Portuensem juxta murum ejusdem portæ cum aliis latifundiis. Chartam donationis hujusce edidit Ughellius tomo I. [a] Italiæ Sacræ in Nepesinis episcopis sibi communicatam a cardinali Lelio Biscia juxta exemplar, quod ille acceperat a cardinali Scipione Burghesio hujus abbatiæ commendatario. Sed aliqua in apographo Ughelliano desiderantur, quæ ope codicis nostri supplentur; deficiunt enim Marozza & Stephania sorores filiæ Theodoræ, & ceterorum consobrinæ. Albericus princeps & senator ejus nominis junior filius senioris Alberici & Maroziæ filiæ Theodoræ fratres habebat Sergium episcopum Nepesinum, & Constantinum virum illustrem, præter Johannem XI. Romanum pontificem, quem Luitprandi & Gregorii auctoris chronici Farfensis testimonio, vel potius calumniis, filium volunt Sergii papæ III. ex infami concubitu cum Marozia. Soror insuper ipsis erat Bertha, sed tantum uterina, nimirum, ut suspicamur, nata Maroziæ ex Hugone Italiæ rege, & eadem, quæ his diebus desponsata fuit Romano filio Constantini Græcorum imperatoris, nam Marozia post mortem Alberici primi sui mariti ad secundas transiit nuptias cum Guidone Thusciæ duce, & demum hoc obeunte Hugonem Italiæ regem matrimonio sibi copulavit. Theodora mater Maroziæ & Stephaniæ, quæ postremo loco nominantur, non fuit Theodora Glycerii, quam impudentissimum scortum & Johannis X. Romani pontificis amasiam traducit Luitprandus, sed Theodora junior filia ipsius Theodoræ senioris, & soror Maroziæ senatricis, ex qua secunda Theodora natæ Marozia secunda & Stephania, quæ proinde appellantur consobrinæ Alberici, Sergii, Constantini & Berthæ; scimus enim ex eodem Luitprando primam Theodoram, quæ *non inviriliter monarchiam detinebat* habuisse *duas natas Maroziam atque Theodoram sibi non solum æquales, verum etiam Veneris exortivo promptiores*. Anne Stephania, nobilissima illa senatrix [b], cui locavit Pænestinam civitatem Johannes XIII. anno 970? Pariter si Bertha Alberici & ceterorum soror uterina filia fuit Hugonis regis Italiæ, non sub antecedenti anno, ut credidit [c] Muratorius, sed postea in conjugium tradita fuit Romano, cum hoc anno appelletur puella. Putavit [d] Mabillonius Maroziam Alberici junioris matrem famosam illam feminam, sed mala utique fama, subscripsisse huic donationi; verum ex ipsa donationis charta liquet Maroziam Senatricem vel seniorem hoc anno ulterius non fuisse inter vivos. Marozia ergo, quæ subscripsit, altera fuit a celebriore hujus nominis, & neptis senioris, hoc est filia sororis suæ Theodoræ. Intelligimus demum ex notis chronicis hujus paginæ, non

ANN. CHR. 945. ROMUALDI 38.

XXVI. Albericus senator Romanus donat monasterio S. Gregorii castellum de Mazzano.

a *Col.* 1026.

b *Murat. antiquit. medii ævi T. III. col.* 235.

c *Annal. T. V. p.* 355.

d *Anal. T. III. p.* 481.

Ann. Chr. 945. Romualdi 38.

solum ante quartam diem februarii, quod colligit [a] Muratorius ex bulla apud Dacherium, neque etiam dumtaxat ante diem vigesimam januarii anni 942. quod evincit ex alia apud Tattum in annalibus sacris Comi tomo II. sed ante quartam-decimam diem ejusdem mensis Marinum II. obtinuisse supremam cathedram Romanam. Chartam Alberici, qui beneficus per hæc tempora se ostendebat erga Farfense, Sublacense aliaque Romana cœnobia, quique ex Galliis Romam evocaverat Odonem sanctissimum Cluniacensem abbatem pro reformatione cœnobiorum in sua ditione positorum, ad illustrationem Gregoriani monasterii, cujus, ut ait Montfauconius in suo [b] Diario Italico, antiqua olim diplomata erant bene multa, manuscripti codices & archivum nobile, sed alio isthæc asportata fuere a commendatariis, damus in Appendice, in qua propriis annis reperientur omnia alia instrumenta ejusdem auro carioris codicis Gregoriani.

a *Annal. T. V. p. 352.*

b *Pag. 146.*

XXVII. Brevis historia ejusdem cœnobii.

Monasterium sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe ad Clivum Scauri prope basilicam sanctorum Johannis & Pauli (ut aliqua per compendium de ipso dicamus) quod Latinos primum, inde Græcos monachos aluit, cujus subinde cura & disciplinæ monasticæ instauratio demandata fuit variis ordinis sancti Benedicti congregationibus, devenit tandem duobus ab hinc fere seculis ad Camaldulenses monachos, tradente Gregorio XIII. pont. max. Sanctissimus Romanæ ecclesiæ præsul magnus Gregorius ex amplissimo, quod in Sicilia ei obvenerat patrimonio, sex in ea insula monasteria ædificavit, septimum vero Romæ in ædibus paternis ad dictum Clivum Scauri sub invocatione & tutela sancti Andreæ apostoli circa annum 575. ubi & monachum induit, quod validissimis argumentis probat contra Baronium Mabillonius. Aliud est monasterium sancti Andreæ in Clivo Scauri a monasterio sancti Andreæ apostoli, quod [c] *ita desertum, ut nullus superesset monachus, restauravit, monachisque adscitis ordinavit* Gregorius II. papa. Hoc enim appellabatur *Barbaræ, eratque prope ecclesiam sanctæ Dei genitricis ad præsepe*. Primus sancti Andreæ ad Clivum Scauri abbas Hilarion; secundus circa annum 577. Valentius, qui ex provincia Valeriæ huc se receperat ad fugiendas excursiones Langobardorum. Valentio successisse videtur Maximianus idem, qui fuit Syracusanus episcopus, tum Gregorius ipse monasterii conditor, inde Petrus, postea Cyriacus, quem Gregorius papa factus in Sardiniam misit ad Barbaricinos convertendos, deinde in Galliam & in Hispaniam ad res ecclesiasticas componendas, Candido vicario delegata interim cœnobii directione, quem etiam Sanct-Andreanum abbatem nominat epistola XI. libri VIII. & XXXIII. libri XI. indictionibus I. & IV. hoc est annis 598. & 601.

c *Anast. Bibliot.*

Affertur in serie abbatum & Maximus, cui donatam massam Claudianam & Decimanam cum castello & pertinentiis suis a Silvia Gregorii matre die vigesima-nona maii anno 603. tradunt, & auctoritate nituntur exempli anni 1297. die decima augusti. Qualis est, legitur interpolata, non commentitia, ut nos putamus, postremo loco ad calcem nostræ Appendicis Silviana donatio, in qua etiam erratum est quoad annum pontificatus Gregorii & quoad indictionem. Ad quam donationem hæc in suprarelato codice monet laudatus Ruggerius: „ Unum tandem superest, „ inquit, adnotandum chartularii nostri fidem neutiquam imminuere „ supposititium donationis instrumentum massæ Claudianæ, sanctæ Silviæ „ nomine exaratum, nam, ut docet Mabillonius lib. III. cap. V. §. VI. „ de re Diplomatica: *Illa censura severior censenda est, quæ ob unum* „ *falsum cetera reprobat, præsertim cum pleraque provenerint ex veris am-* „ *missis*.

„ *missis*. Quod sane de hac charta affirmare posse haud verendum est, „ ipsam nempe vera amissa seculis rudibus lucubratam fuisse. Etenim a„ pographum, quod in codice legitur fol. LI. ex veteri exemplo anni „ M. CC. XCVII. descriptum fuit; ex quo patet imposturam hujusmodi „ longe ante Tranquilli ætatem, immo ante seculum XIII. elucubratam fuis„ se, atque authentici exempli fidem meruisse, nam notarii & judices, qui „ apographum subscripserunt, ex originali Cosmæ tabellionis Urbis de„ scriptam & recognitam affirmant. " Cui adnotationi Ruggerii superaddimus, Anastasium abbatem sancti Gregorii anno 1115. producto instrumento donationis sanctæ Silviæ evicisse causam adversus scholam piscatorum stagni coram Paschale papa II. ut patet ex eodem [a] Gregoriano codice.

ANN. CHR. 945. ROMUALDI 38.

a Pag. lxxi.

An inter abbates ejusdem monasterii numerandi sint Probus & Pretiosus inquirit contra Baronium Mabillonius, qui tamen primum abbatem fuisse cœnobii potius sanctorum Andreæ & Luciæ, ut per nos reapse erat, censet; secundum vero præpositum dumtaxat sancti Andreæ ad clivum Scauri ostendit.

Perseverarunt monachi Latini, & quidem ordinis sancti Benedicti, ut inferius dicemus, usque ad medietatem seculi VIII. sed sub Stephano papa III. vel sub Paulo papa I. ejus fratre, qui Græcorum disciplinam diligebant, Græcis monachis commissum fuit regimen monasterii Gregoriani circa annum 757. Johannis Hegumeni [b] meminit Johannes diaconus scriptor vitæ Magni Gregorii; Megisti pariter Ostiensis episcopi apostolicæ sedis bibliotecarii præsidis monasterii, & Johannis præpositi ad tempora Leonis IV. hoc est ad dimidium seculi IX. mentionem [c] facit, & insuper Athanasii [d] viri *caritate conspicui*, qui *præfuit monasterio*. Lucidum episcopum Ficulinum, Ficoclensem nominat Petrus Damianus, memorat idem Johannes ad ætatem Benedicti papæ III. circa annum 856. [e] *monasterio præeminentem*, quem etiam brevi ex pestilentia defuncturum post *Johannem*, *Benedictum*, *Martinum*, *Palumbum & Antonium monachos*, *Laurentium cocum*, *Gemmosum carpentarium*, *Acceptum pistorem*, *Andream Romanum & Leonem laicos* manifestavit cuidam monacho sanctus Gregorius; quare Lucidus depositis episcopalibus infulis monasticam statim vestem assumpsit in eo cœnobio. Post Lucidum sub Nicolai I. pontificatu regimen monasterii obtinebat [f] Zacharias civitatis Anagninæ præsul, quod tenebat pariter temporibus Johannis VIII. An etiam *Thalassius abba & presbyter sanctæ Dei genitricis & beati Andreæ*, qui subscribit secundo loco concilio Lateranensi celebrato anno 649. contra Monothelitas, fuerit abbas monasterii sancti Andreæ in clivo Scauri, haud scit [g] Mabillonius, sed verisimiliter alterius monasterii abbas erat Thalassius natione Græcus, tempore, quod adhuc Latini perdurabant in eo cœnobio. De Euthymio Hegumeno, & de Dominico præposito verba facit in eadem sancti Gregorii vita supralaudatus [h] Johannes diaconus, qui scribebat sub Johanne papa VIII. cujus tempore adhuc Græci moderabantur monasterium Gregorianum, quod [i] *constat a Latinitate in Græcitatem necessitate potius, quam voluntate conversum*, & quod *fideliter præstolatur in Latinitatis cultum favente Domino denuo reversurum*; ad quæ verba Mabillonius: „ ut„ ut sit illud sancti Andreæ asceterium Benedictinis, juxta Johannis diaco„ ni votum, aliquando restitutum, tandem Camaldulensibus a Gregorio „ XIII. assignatum est. "

b Lib. IV. cap. 85.

c Ibid. cap. 86.

d Ibid. cap. 88.

e Ibid. cap. 90.

f Ibid. cap. 93.

g Annal. T. I. p. 407.

h Lib. IV. cap. 97.

i Ibid. cap. 82.

XXVIII. Viri illustres, aliaque ad idem monasterium pertinentia.

QUIS vero censum conficere valeat ingentis numeri servorum Dei, vel virorum illustrium, qui ex hoc sacro loco prodiere, quorum bene multi ecclesiasticis fastis sunt adscripti? Agmen ducit ipse Gregorius cœ-

nobii

Ann. Chr. 945. Romualdi 38.

nobii fundator, eumque sequuntur sanctus Augustinus Anglorum apostolus, monastici Benedictini ordinis per totam Angliam proto-parens, primusque archiepiscopus Cantuariensis ex Gregoriano monasterio cum quadraginta sociis monachis a sanctissimo pontifice ad convertendam insulam illam missus; sanctus Laurentius prædicationis collega, & Augustini successor in archiepiscopatu; sanctus Mellitus primus Londinensis, inde tertius Cantuariensis archiepiscopus; sanctus Justus quartus Cantuariensis præsul, antea Roffensis antistes; sanctus Paulinus Eboracensis, tum Roffensis episcopus & Nordamhumbrorum apostolus; sanctus Honorius archiepiscopus Cantuariensis; sanctus Petrus abbas sanctorum Petri & Pauli Cantuariæ; sanctus Johannes coadjutor primorum apostolorum Angliæ; sanctus Maximianus ex abbate Sanct-Andreano episcopus Syracusanus, qui obiit anno 595. sanctus Eleutherius abbas primum apud Spoletum, tum monachus & familiaris Gregorii; sanctus Johannes monachus Eleutherii forte frater; sanctus Antonius & sanctus Merulus, quorum felicem obitum describit ipse Gregorius; sanctus Valentius abbas Gregorii magister; sanctus Claudius ex monacho sancti Andreæ abbas sanctorum Johannis & Stephani in Classe; sanctus Gerontius cum Marcello, Valentiniano, Agnello & aliis monachis cœlesti visione, obitusque prædictione illustrati, ut narrat [a] Johannes diaconus. Præterimus Felicem & Cyriacum apostolos apud Sardos, & hunc Gregorii inde legatum in Gallias & in Hispaniam; Marinianum archiepiscopum Ravennatem, Sabinum episcopum Callipolitanum monachos monasterii sui, quibus alii addunt Isidorum antistitem in Sicilia, Birinum episcopum Dorcestriensem, Felicem Anglorum Orientalium apostolum, Johannem archi-cantorem ex monacho abbatem sancti Martini Romæ, tum archiepiscopum Cantuariensem, & sanctum Benedictum Biscopum Anglum abbatem celeberrimum, quem Romam venientem incoluisse dicunt Gregorianum monasterium sub Agathone papa. In veteri codice apud [b] Mabillonium legitur monasterium sancti Gregorii inter Alsatiæ montium juga, cujus loci originem prisca instrumenta tribuunt Childerico regi Francorum filio Chlodovei nepoti Dagoberti, fratri Chlotarii & Theodorici, a transitu beati patris Gregorii papæ anno quinquagesimo-quinto, hoc est anno 660. primitus excultum fuisse a monachis Gregoriani in urbe Roma monasterii, quod alias sancti Andreæ vocabatur.

In eo monasterio, tamquam in secreto loco, Petro diacono familiari interlocutore, res a viris sanctis in Italia gestas dialogice scripsit Gregorius, cum pressus onere pontificalis sarcinæ ad tempus secessum illum quærebat, ut docet codex bibliothecæ Heinsidlensis ante annos octingentos scriptus hac veteri inscriptione penes [c] Mabillonium:

In bibliotheca sancti Gregorii, quæ est in monasterio
Clivi-Tauri, ubi dialogos scripsit.

Sanctorum veneranda cohors sedet ordine ....
Divinæ legis mystica dicta docens.
Hos inter residens Agapetus jure sacerdos
Codicibus pulchrum condidit arte locum.
Gratia par cunctis, sanctus labor omnibus unus.
Dissona verba quidem, sed tamen una fides.

Sub Agapito forte abbate extructa bibliotheca.

Retrusus fuit in idem monasterium anno 768. tempore [d] Stephani IV. Theo-

[a] Lib. I. cap. 18.

[b] Annal. T. I. pag. 457.

[c] Veter. Analect. pag. 362.

[d] Apud Anast. Biblioth.

Theodorus episcopus & vicedominus Constantini papæ depositi; ibique Theutgaudus quondam Trevirensis episcopus, a Nicolao I. sacerdotali privatus officio, liberalitate Adriani II. pontificis mansionem suscepit, qui tamen luit pœnas, eo quod locum sanctum præsentia sua temerasset, ut narrat [a] Johannes diaconus, qui etiam subdit [b] reverentiam, quam eidem monasterio exhibuit Suppo Piceni comes, & ultionem, quam sanctus pontifex Gregorius sumpsit de Faraldo familiari Supponis, qui meretrices in monasterium invexerat, & de Indulfo homine comitis ad tempora ejusdem Adriani II. Romani pontificis circa annum 868.

ANN. CHR. 945. ROMUALDI 38.

a Lib. IV. cap. 94.
b Ibid. cap. 95. 96.

Mira sunt, quæ leguntur de speciali patrocinio, quo semper prosecuti fuere locum & cœnobitas ejus monasterii sanctus apostolus Andreas & sanctus pontifex Gregorius. De primo ipsemet Gregorius testatur in [c] epistola ad Rusticianam patriciam erga cœnobium illud beneficam, quod *tanta cura, tanta custodia monachorum in eodem monasterio ejusdem apostoli est, ac si specialiter abbas monasterii ipse sit*. Plura exempla recitat Baronius ad annum 601. ex eadem epistola XXXVIII. libri XI. juxta veterem, XLIV. juxta novam editionem. De secunda vero legendus Johannes diaconus aliique scriptores vitæ ipsius Gregorii.

c Ep. xliv. Lib. XI.

Regulam sancti Benedicti a monasterii Gregoriani origine ibidem unice agnitam copiosissimis & æquissimis rationibus demonstravere Mabillonius, aliique doctissimi congregationis sancti Mauri monachi, qui opera sancti pontificis Gregorii illustrarunt. Probabile est suscepisse Cluniacensem disciplinam decimo hoc seculo, quo Odo Cluniacensis abbas plura alia Romana cœnobia ad rectum tramitem reformabat, & quo Albericus senator, teste Hugone abbate Farfensi in suo Opusculo de destructione monasterii Farfensis, [d] *in tantum cupiebat monasteria in suo dominio constituta ad regularem ducere normam ..... ut de Gallia faceret venire Odonem sanctum abbatem, qui tunc temporis Cluniacum gubernabat monasterium .... & eum archimandritam constituit super cuncta monasteria Romæ adjacentia &c.* sed credibile quoque est Odone obeunte ad pristinam libertatem rediisse. Vide, quæ initio hujus libri diximus. Præter pietatem & doctrinam effloruit in eo cœnobio primis saltem seculis tenax monasticæ disciplinæ observatio. Justo monacho, cui morti proximo contra sancta instituta tres aurei reperti, nullum adstare in mortis agone præter Copiosum fratrem suum præcepit Gregorius, qui præterea jussit corpus ejus una cum tribus aureis in sterquilinium projici; quæ causa fuit salutis Justi, ut ejusdem fratri Copioso revelatum. Indixit ulterius, ut triginta continuis diebus Pretiosus præpositus salutare sacrificium pro eo offerret, quibus elapsis Justus nocte conspicuus visus est, *seque modo bene esse* asseruit. Hinc origo missarum, quæ communiter appellantur sancti Gregorii. Tempore Johannis diaconi servabatur *libra, omnisque mensura, quam idem beatus Gregorius instituit cum modio, de cujus mensura, si quis ad opus monasterii panes velit efficere, triginta & quinque fiunt, singulis dumtaxat trium librarum, si quis vero ad opus alterius, ad eumdem numerum numquam pertingit*.

d Ap. Murat. Antiq. medii ævi Tom. VI. col. 279.

Inter sacra lipsana ecclesiæ colebatur olim brachium sancti Andreæ, quod anno pontificatus sui secundo Gregorius abbati monasterii dono dedit; de eo fidem facit & alter Johannes diaconus in libro de ecclesia Lateranensi apud [e] Mabillonium, ubi enumerans viginti veteres Romanas abbatias privilegiatas, ut vocant, secundum locum tribuit abbatiæ sancti Gregorii, additque *sancti Gregorii in clivo Scauri, ibi est caput brachii sancti Andreæ apostoli*; colitur ibidem & alterum brachium ipsius Gregorii: mensa

e Museum Ital. T. II. in append. Ord. Rom. p. 574.

Ann. Chr. 945. Romualdi 38.

mensa insuper adservatur, super quam pauperes alere consueverat piissimus pontifex.

Atque hæc brevi, quantum fas fuit, calamo delibavimus circa historiam Gregoriani monasterii ad hunc usque annum, quo præsidebat in abbatem Benedictus. Lugemus defectum in codice XL. foliorum, quibus forte continebantur tabulæ antiquiores, quæ remotioribus seculis lucem afferrent. Suis annis de reliquis chartis erit dicendi locus.

Ann. Chr. 947. Romualdi 40.

XXIX. Varia genera jejuniorum Romualdi. De jejunio Sabbati ex decreto Silvestri papæ.

PROBABILIUS ad tempora antecedentia Aquitanicam solitudinem pertinent, quæ narrat de genere vitæ & jejunii Romualdi [a] Damianus. Saltem se exercuisse in hoc vivendi genere Romualdum scribit, antequam enarret idem sanctus doctor Urseolum ducem non potuisse vires suas accommodare austerissimo hujus generis jejunio. Præterquamquod, cum Romualdus varia in se jejunandi experimenta fecerit, & nonnullas subinde mutationes in suis jejuniis induxerit, primi ejus jejunii canones videntur adscribendi eo tempori, quo *quid sua virtus posset*, periculum faciebat, hoc est primis conversationis suæ eremiticæ annis. Sed Damiani verba audiamus. [b] *Contigit autem, ut aliquando librum de vita patrum legens in illum locum incideret, ubi continetur, quod quidam fratres per continuam hebdomadam singulariter jejunantes, sabbatorum die pariter convenirent, ipsoque & dominico die jejunii rigorem interponerent, & remissius victitarent. Quem vivendi ordinem statim Romualdus arripuit, & in eo quindecim fere annis, vel eo amplius continua austeritate permansit.* Hic liber *de Vita Patrum* pro Historia Lausiaca Palladii est accipiendus, cujus capita XXIIII. & CVI. quid simile continent. In regula [c] quoque sancti Antonii abbatis præscribitur: *Jejuna usque ad nonam singulis diebus excepto sabbato & dominica die.* Grave quippe & Aegyptiis exosum erat, æque ac Dominicæ, sabbati jejunium, excepto sabbato præcedenti sollemnem Resurrectionis Dominicæ diem; unde sanctus Athanasius in [d] syntagmate doctrinæ ad monachos inquit: *Sabbato & dominica ne jejunes, præterquam magno sabbato sancti Paschatis.* Et infra: *Præcaveto ne Marcionistæ te decipiant, vel hæresis alia sabbato æque ac dominica, ut jejunes.*

Qua ratione autem etiam sabbati die jejunandum proposuerit Romualdus, mutata vacatione jejunii sabbati in quintam feriam docet nos idem Damianus [e] his verbis: *Post hæc autem Romualdus iterum legens, quia sanctus Silvester urbis Romæ episcopus sabbatorum diem jejunandum esse, ut revera sancti Paschatis vigilias, instituerit, mox remissionem sabbati in quintam feriam commutavit, & sic infirmorum imbecillitati consulens, longum jejunium discretione habita facilius reddidit.*

Beati Silvestri sententia, quæ Romualdum compulit, ut in die sabbati jejunium præciperet, desumitur ex eodem Petro Damiano, qui hanc eamdem Romualdi doctrinam propugnans [f] ait: *Sed nos, ut ab hujus controversiæ*, inquit, *molestia feriemur, advocatum ventris ad beati Silvestri testimonia definitiva transmittimus, cujus utique verbis, si fides adhibetur, cuncta protinus inter nos jurgia conquiescunt. Silvestri siquidem verba sunt: Si omnis*, inquit, *dies dominicus causa resurrectionis Domini tenetur & colitur, justum est, ut omnis sabbatorum dies, causa sepulturæ, jejunii suscipiatur instantia, ut flentes cum apostolis de morte Domini, gaudere cum eis de resurrectione mereamur. Et rursus: Si omnis dominicus dies resurrectionis creditur gloria decoratus, omnis, qui antecedit eum dies sabbati, sepulturæ jejunio mancipandus est, ut merito gaudeat de resurrectione, qui de morte plora-*

a Vit. S. Rom. cap. VIII.

b Ibidem.

c Cap. II.

d Ep. 83.

e Vit. S. Rom. cap. IX.

f Opusc. LV. cap. III. pag. 425.

ploraverit. Hactenus Silvestri verba in medium protulit Damianus, ab ipso auctoritatis fonte hauriens, a quo hauserat Romualdus. Et tamen in vita sancti Silvestri, quæ Simeonis Metaphrastis nomen præfert, contraria leguntur his verbis: *Hic autem magnus pater cum decrevisset, ut in uno sabbato jejunarent fideles, in quo Dominus adhuc situs erat in sepulcro, jejunium abrogavit in reliquis; hinc in eum sunt exortæ apud Romanos calumniæ, quod patrios eorum ritus tolleret*. Silvestri statutum de jejunio sabbati comprobant duo Romani pontifices successores, Innocentius I. in epistola ad Decentium episcopum Eugubinum demonstrans sabbato esse jejunandum eadem ratione, qua utitur Silvester; & Nicolaus I. in epistola LXX. ad episcopos Gallicanos, *de jejunio sabbati*, dicens, *tempore sancti Silvestri satis discursum est, atque ut celebraretur per omnia definitum, nullusque post hæc ausu temerario contra istud statutum venire, aut saltem mutire præsumpsit*.

ANN. CHR. 947. ROMUALDI 40.

XXX. De Biduanis & Triduanis jejuniis, quibus sese exercebat Romualdus.

PROSEQUITUR Damianus narrationem instituti a Romualdo pro discipulis suis jejunii. *Hanc* [a] *nimirum vivendi regulam cunctis sectatoribus singularis vitæ præfigens, ut tunc se unusquisque eremiticæ vitæ jejunium tenere cognoscat, si per hebdomadam* TRIDUANAS *&* BIDUANAS *jejunando, quinta feria & dominicis diebus, olera vel quodcumque liquamen* (*legumen* legit beatus Paulus Justinianus *in Vita eremitica*) *cum gratiarum actione percipiat, exceptis videlicet duabus anni quadragesimis, in quibus non solum ipse, sed & plerique sui discipuli totius hebdomadæ soliti erant continuare jejunium*. Frequens *biduanarum* & *triduanarum* usus verborum in nostris constitutionibus, de quarum significatione late differit [b] Lucas Barcinonensis, alias Hispanus dictus. *Biduana* erat jejunium VI. feriæ & sabbati; *Triduana* jejunium II. III. & IIII. feriarum, ut etiam exposuit idem [c] Paulus Justinianus. Sed & antiquitus usurpatas has voces novimus, nam Beda in historia ecclesiastica gentis Anglorum Addamano Scotto confitenti pro pœnitentia injunctum [d] scribit: *Multum est, ut tota septimana absque alimento corporis perdures, sed* BIDUANUM *&* TRIDUANUM *sat est observare jejunium .... at ille memor præcepti ejus simul & promissi sui totum se lacrymis, pœnitentiæ, vigiliis sanctis & continentiæ mancipavit, itaut quinta solum sabbati, & dominica, sicut prædixi, reficeretur, ceteris septimanæ diebus jejunus permaneret*. Liber Sententiarum sanctorum patrum [e] de Eulalio narrat: *Cum autem iterum & frequenter accusarent eum, & secundum regulam monasterii* BIDUANA *&* TRIDUANA *jejunia ei indicerentur, ille omnia patienter tolerabat*. Arno in Scuto Canonicorum [f] apud Duellium, *antiquum ecclesiæ tenorem retinere* esse asserit BIDUANIS *vel* TRIDUANIS *jejuniis se castificare*. Illud interim advertendum hoc biduanarum & triduanarum jejunium appellatum a Petro Damiano, atque præfixum ut canonem vivendi a Romualdo cunctis sectatoribus *singularis* hoc est anachoreticæ vitæ numquam fuisse ab eo amplius mutatum, & in Cuxanensi solitudine pariter observatum; id quod affirmat de Petro Urseolo Rivipullensis ejus encomiastes his verbis: *Macerans carnem suam cum vitiis & concupiscentiis, jejunando* BIDUANAS *&* TRIDUANAS, *mortificabat membra sua super terram*. Ex qua Cuxanensium praxi aliud argumentum petitur ad sententiam nostram firmandam, Romualdum nimirum hæc varia jejunii genera, antequam in Gallias proficisceretur, adinvenisse, & in iis se suosque exercuisse, dum Venetas eremos habitaret. Addit [g] Damianus: *Et certe satis congruum erat, ut qui Deum in choro laudare semper studebat & tympano, præcipuas modulationis harmonicæ consonantias* DIAPASON *videlicet, &*

a *Ibid. cap.* IX.

b *Hist. Romuald. lib. V. cap.* III.

c *Reg. eremit. cap.* XXVII.

d *Lib. IV. cap.* XXV.

e §. 28.

f *Miscellan. T. I. pag.* 22.

g *Vit. S. Rom. cap.* IX.

Ann. Chr. 947. Romualdi 40.

Diapente, *atque* Diatesseron *jugiter in aures incircumscripti luminis personaret*. Inepta sane est Didaci Franchi in vita sancti Johannis Gualberti observatio, dum scribit „ psalmodiam, qua usus est sanctus Romualdus, „ per *Diapason*, *Diapente* & *Diatesseron* processisse, quam Beda *biscantum* „ vocat dicens: *Biscantus est aliquorum generum cantus duarum vocum seu* „ *trium*; *in quo manet proportionata consonantia Diatesseron*, *Diapente* & „ *Diapason*; “ inepta scilicet, cum de psalmodia hic loci non agat, neque de harmonia vocum usurpata a Romualdo, ejusque discipulis in psallendo Damianus, qui insuper probe sciebat, neque Romualdum unquam suis cantilenas præcepisse, neque eremitas condecere cantum, quem sæpe in operibus suis vetitum declarat huic hominum generi idem Damianus. Sed iis verbis utitur sanctus scriptor ad designandum Romualdi jejuniorum ordinem. Cum enim in duabus quadragesimis ipse & plerique sui discipuli per totam hebdomadam jejunabant, neque jejunium solvebant nisi dominicis diebus, hoc est qualibet die octava, *diapason*, nimirum octavam, in divinis auribus personabant; cum ceteris anni temporibus a dominica die usque in feriam quintam jejunabant, *diapente*, hoc est quintam; cum a feria quinta ad dominicam jejunio vacabant, *diatesseron*, id est quartam mysticam harmoniam concinnabant, & juxta præcipuas modulationis consonantias Domino spiritualiter concinebant. Idem Damianus [a] scribit: *Beatum Romualdum*, *ut sui consueverunt narrare discipuli*, *sic æstivi temporis hebdomadas alternasse*, *ut unam quidem a dominica in dominicam in pane & aqua jejunando transigeret*, *alterius vero hebdomadæ pulmentum quinta feria manducaret*.

a *Opusc.* xv. *cap.* xvi. *pag.* 171.

XXXI. Quid nomine jejunii? Discretio Romualdi erga discipulos.

Quid vero nomine jejunii veniret, explicat [b] idem sanctus doctor. *Jejunare autem*, inquit, *illos dicimus*, *qui panem cum sale & aqua percipiunt*; *ut autem præter hæc aliud aliquid additur*, *perfectum jejunium non vocatur*. Ratio autem jejuniorum Romualdi hæc erat; in eremo Aquitanica, ut idem Damianus narrat post expositam Urseoli conversionem, [c] *per continuum annum Romualdus nihil aliud in cibum habuit*, *nisi tantum per singulos dies ex uno pugillo elixi ciceris vixit*. In Sitriensi solitudine [d] scribit, quod *per unius quadragesimæ spatium nihil aliud neque in cibo*, *neque in potu penitus habuit*, *nisi de modica farina*, *& paucis herbis sorbitiunculam faciens*, *ex ea ad imitationem Hilarionis vixit*. *Quinque vero hebdomadibus nihil aliud comedens*, *ad modicum se infusi ciceris adstrinxit*. Aliud jejunii genus, quo se macerabat Romualdus, quod tamen a discipulis suis non exigebat, narrat idem Damianus: *Jejunare* [e] *autem omnino*, *hoc est diem absque ullo cibo transigere*, *licet ipse sæpissime fecerit*, *aliis omnimodo prohibebat*. *Dicebat enim ad perfectionem tendenti hoc summe congruere*, *ut quotidie comedat & semper esuriat*, *quatenus hoc caro per consuetudinem leviget*, *quod grave novitiis initio conversionis apparet*.

b *Ibid. cap.* vi. & *Opusc.* xiv. *pagg.* 161. & 167.

c *Vit. S. Rom. cap.* vi.

d *Ibid. cap.* iii.

e *Ibid. cap.* viiii.

Hæc consentanea erant iis, quæ docebat Hieronymus: *Melior est*, inquit, *rationabilis cum moderatione quotidiana refectio*, *quam per intervalla arduum longumque jejunium*. Theodoretus in sanctorum patrum religiosa historia [f] de Marciano ait: *Statuerat enim vespere comedere quotidie*, *nunquam autem satiari*, *sed semper quidem esurire*, *semper vero sitire* ... *dicebat insuper esse melius vesci quidem quotidie*, *nunquam autem expectare satietatem*, *verum enim jejunium est perpetua indigentia*; & abbas Pæmen apud Ruffinum [g] de vitis Patrum requisitus, quemadmodum oporteat jejunare, respondit: *Ego volo monachum ita esse quotidie parum comedentem*, *ut non satietur*, *nam biduana & triduana jeunia vanæ gloriæ vacant*. Immo talis erat

f *Cap.* iii. *apud de la Barre pag.* 93.

g *Lib.* II. *cap.* xlv.

erat Romualdi disciplinæ temperatio, ut sæpe suis discipulis dixisse perhibeatur apud eumdem [a] Damianum: *Dummodo frater quilibet cellam non deserat, etiam carnes permittatur ex discretione comedere, si tam inevitabilis videatur necessitas imminere*. Aliud Romualdi discretionis specimen adducemus in vita sancti Petri Urseoli. Hanc nihilominus in refectione discipulis suis cautionem proponebat Romualdus, ut sobrii simul essent, neque vanæ tamen gloriæ aucupio delectarentur. Id adnotavit Damianus in opusculo de perfecta monachi informatione [b] ad Marinum patruelem suum: *Nec ineptus*, ait, *applices*, *quod sæpe suis discipulis vir Domini Romualdus ajebat. Fratres*, *inquit*, *cum in quorumlibet conventu reficitis*, *intentis ad cibum ceteris*, *in ipso refectionis initio parcite*, *& cum jam illis ex parte satisfactum fuerit*, *vos inchoate*, *quatenus & hypocrisis notam possitis evadere*, *& sobrietatis regulam sine offensione servare*.

Ann. Chr. 947. Romualdi 40.

a *Opusc.* xv. *cap.* xvi. *pag.* 171.

b *Opusc.* xlix. *cap.* 9.

XXXII. De disciplina Romualdi in vigiliis noctis, & in psalmodia.

MODERATIONEM, qua erga alios utebatur ratione jejuniorum contra se ipsum austerissimus patriarcha Romualdus, adhibebat etiam in vigiliis noctis; quare [c] *vigilias temperate*, *& cum magna discretione faciendas maxime suadebat*, *ne cui fortasse contingeret*, *ut sopori*, *peractis nocturnis officiis*, *consentiret*. Hinc colligitur tantum temporis quieti fratrum indulsisse, ut nullus necessitatem haberet denuo post nocturnam synaxim cubile repetendi; & [d] *sane hujusmodi somnum vir sanctus in tantum habebat exosum*, *ut si quis ei confiteretur post duodecim psalmorum vigilias*, *vel maxime circa diluculum obdormiisse*, *nequaquam posset eo die cum ejus licentia sacra missarum sollemnia celebrare*. Nimiam etiam psalmorum modulationem suis fratribus non [e] præcipiebat: *Dicebat etiam melius esse*, *si possibile sit*, *unum psalmum ex corde & cum compunctione cantare*, *quam centum cum mentis fabulatione percurrere. Cui autem hæc gratia perfecte data non esset*, *hortabatur tamen nequaquam desperare*, *nequaquam vel ab ipsa corporali exercitatione tepescere*, *donec ipse*, *qui voluntatem dedit*, *tribuat etiam aliquando facultatem. Tantummodo orationis incensum mentis intentio in Deum semel fixa custodiat*, *quod exterius veniens cogitationum aura perturbat*. *Ubi enim est intentio recta*, *contra voluntatem cogitatio veniens*, *non est nimium formidanda*.

c *Vit. cap.* viiii.

d *Ibidem.*

e *Ibidem.*

XXXIII. Cetera ejus effata.

CETERA Romualdi judicia & effata erant hujusmodi: [f] *Parvipendebat autem*, *si quis ad tempus magnum quid inciperet*, *si non etiam in eo longanimiter perseveraret*. *Nihil juvat bene cœpisse*, ajebat Abbas Paphnutius, *nisi ad finem perseveres*. Pariter *tale propemodum*, dicebat Romualdus, [g] *est de eremo ad monasterium reverti*, *quale de monasteriali ordine ad seculum asportari*. Sanctus Johannes Climacus adprobat potius eos, qui solitudinibus relictis ad cœnobia se conferebant, ut aliorum societate fruerentur: *Qui* [h], inquit, *in solitudine residens agnovit imbecillitatem suam*, *migransque se ipsum obedientiæ vendidit*, *hic cœcus cum esset*, *sine labore respexit ad Christum*; hinc nonnullos anachoretas visitans, quos iræ obnoxios deprehendit, eisdem auctor fuit, ut *e solitudine ad monasteria migrarent*, *ne ex hominibus in dæmones verterentur*. Vera dicebat & suadebat Climacus eo tempore, quo nondum arctæ obedientiæ legibus obstricta erat vita eremitica, sed licuit Romualdo alia sentire, cum ad summæ perfectionis apicem, ad obedientiam nimirum atque subjectionem imperio majorum anachoresim ipsam elevavit.

f *Vit. cap.* viiii.

g *Opusc.* xv. *cap.* xvi. *pag.* 171.

h *Grad.* iv.

Ann. Chr. 948. Romualdi 41.

XXXIV. Almericus marchio bona donat monasterio Classis.

ALMERICUS sive Amelricus marchio, atque Francha comitissa illius uxor testamentum condunt hoc anno, quo hæredes bonorum suorum instituunt episcopalem ecclesiam Ferrariæ, & monasterium sancti Apol-

Ann. Chr. 948. Romualdi 41.

Apollinaris Classis Ravennæ. Supremas eorum tabulas protulit Muratorius [a] in Antiquitatibus medii ævi; nos ea in parte, qua munificos se exhibuerunt erga cœnobium memoratum sancti Apollinaris, subjungimus. *In nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno pontificatus vero domno nostro Agapito summo & universali papa in apostolica sacratissima beati Petri apostoli Domini sede duodecimo: sicque imperante domno nostro Ugo & Lothario filio ejus anno vigesimo secundo* XVIII. *die mensis julii indictione* VI. *Ferrarie. Omnipotens Deus pater celi & terre creator animarum & corporum & universe creature, animas, quas condidit, ad remedium salutis semper invitat. Ideoque ego bone memorie Almericus gloriosus marchio de civitate Mantua una cum Francha gloriosissima jugali, volumus & judicamus, atque disponimus per nostram ultimam voluntatem in hoc instrumento nostre dispositionis & ultime voluntatis nostre testationis testamur mentem nostram & judicamus omnia nostra bona & possessiones quantascumque habere & detinere ac possidere visi sumus in hoc regno Italie. In primis volumus & judicamus, ut &c. Alias autem res nostras, que in nostro territorio Comaclo habere visi sumus, & omnes insulas maris Adriatici ad monasterium sancti Apollinaris relinquimus &c. Leo tabellio hujus testamenti scriptor de suprascripto Almerico, & suprascripta Francha jugalibus vidi, & audivi & roboravi &c.* Plurima ex his bonis donatis ab Almerico monasterio Classensi assignata fuere postmodum cœnobio sancti Adalberti, cui recens constructo anno 1001. Otto III. imperator *contigua Classensis cœnobii prædia contulit*, alia huic bona in Firmana marchia concedens. Ceterum animadvertit idem Muratorius vitiatos esse annos Agapiti pontificis in hac charta, imperitumque notarium pro II. vel III. Agapiti anno substituisse XII. ad quem vitam minime protraxit mortuus decimo sui pontificatus anno Agapitus. Confudit etiam notarius annos Ugonis & Lotharii, perinde ac eodem, quo pater, incœperit anno regnare Lotharius filius, qui sexto Ugonis regni anno consors regii honoris declaratus fuerat a patre, hoc est anno 931. Pariter ante biennium vel saltem ante annum Ugo ab Italis despectus in Provinciam se receperat, solusque hoc anno in Italia regnabat Lotharius ejus filius. Hoc tamen anno 948. decurrebat indictio VI. in tabulis Almerici & Franchæ notata, adeoque Muratorius huic anno illigat præfatam ipsorum testamenti chartam.

Alterum ejusdem marchionis ipsiusque conjugis testamentum ipso anno confectum edidit idem Muratorius [b] in supralaudato suo opere, Comaclenses res, & insulas Adriatici maris Classensi monasterio sancti Apollinaris ultima sua voluntate assignantium *anno pontificatus domini nostri Agapiti summi & universalis pape &c. sede secundo, imperante domino Ugone & Lothario filio ejus anno* XII. *die* XVIII. *mensis julii indictione* VI. *Ferrarie*; in quo recte apponitur annus Agapiti pontificis, sed male copulatur cum anno XII. Ugonis & Lotharii, qui erat XXII. Ante decennium hoc est anno 938. [c] primas suas tabulas scripserat Almericus, quibus hæreditatem suam reliquerat ecclesiæ Adriensi: *domno nostro serenissimo augusto Ugone & Lothario ejus filio &c. anno duodecimo & anno octavo per indictionem* XI. In iis nulla mentio monasterii sancti Apollinaris. De Almerico plura dicemus ad annos 953. & 954. quibus ipse & Francha jugalis munificentiæ & pietatis suæ amplissima dederunt testimonia erga ecclesiam sanctæ Mariæ de Petra vel de Vangaticia, & erga monasterium ibidem adjunctum, cujus etiam videntur fuisse primi auctores.

a T. II. col. 173.

b Ibid. col. 177.

c T. III. col. 737.

VETE-

ANN. CHR. 950. ROMUALDI 43.

VETERIBUS chronicis & ſcriptoribus ſi qua fides ſit adhibenda, Romualdus una cum Marino loca ſubinde mutabat ſuæ ſolitudinis, non tamen mutabat eremiticæ vitæ rigorem & normam, ubicumque tandem degeret. Etiam prope Foſſam-clodiam maritimam urbem, XXV. milliaribus ab illa Venetiarum diſtantem, ſtationem ſibi elegiſſe reperimus. Scribit Petrus Morarius epiſcopus Juſtinopolitanus in [a] hiſtoria patria Clodienſi mſs. italice ſcripta, quam penes ſe nobilis vir Petrus Gradonicus patricius Venetus & literatorum amantiſſimus ſervat, narrare aliquos Romualdum extra eam urbem eccleſiam ædificaſſe in honorem ſancti Johannis-baptiſtæ, quod & ſibi incongruum non videri ſcribit, cum pluribus annis in iis æſtuariis vixerit Romualdus. Supereſt ad diem hodiernam eccleſia ſancti Johannis-baptiſtæ, quæ tempore belli Clodienſis anni 1381. plurimum damni in ædificiis paſſa fuit. Conſueverant porro Clodienſes die XXIV. junii, ſancto Johanni-baptiſtæ ſacra, ſollemnem ſupplicationem celebrare, eccleſiam cathedralem viſitando pro actione gratiarum, quod illos Deus a jugo Januenſium liberaſſet. Verum cum reparata fuiſſet eccleſia ſancti Johannis, prior ejus loci humilem principi Venetiarum libellum obtulit anno 1410. ut deinceps ſupplicatio ad eccleſiam hanc dirigeretur, cujus petitioni aſſenſit princeps; & quotannis Deo publicæ gratiæ referuntur uſque ad hanc diem in prædicta ſancti Johannis eccleſia. Hæc ex Morario, cujus aſſertionis quoad ædificationem eccleſiæ a Romualdo ſuſceptam vades nolumus eſſe, cum juxta chartas monaſterii ſancti Mathiæ de Muriano appareat eccleſiam ſancti Johannis-baptiſtæ in diœceſi Clodienſi conſtructam fuiſſe, & quidem non ſine oppoſitione vicarii & canonicorum Clodienſium, anno 1322. An vero antiquior ibidem extiterit eccleſia divo Johanni-baptiſtæ dicata ante eum annum, nobis non liquet, niſi ex præfato Morarii teſtimonio.

XXXV. Habitat Romualdus prope Foſſam-Clodiam.

a *Pag.* 83. *Lib. III.*

ILLUD potius animadvertimus medietati decimi ſeculi, huic proinde anno, Bernardinum Gadolum Brixienſem noſtrum ſancti Michaelis monachum, qui floruit ſeculo decimo-quinto labente, aſſignare initia ordinis, ut ipſe appellat, Camaldulenſis. Singulare is opuſculum *de origine & ſucceſſu ordinis Camaldulenſis* conſcripſit ad Jacobum-philippum Bergomatem, quod in bibliotheca noſtra ſancti Michaelis manuſcriptum [b] aſſervamus. In eo ſic habet: *Ordo Camaldulenſis circa annum Dominicæ repromiſſionis noningenteſimum quinquageſimum initium ſumſit.*

XXXVI. Gadoli epocha de Romualdino inſtituto.

b *Num.* 525.

STATUENDUM eſſe pariter ad hunc circiter annum ortum Bononii, futuri deinde ſancti Romualdi diſcipuli, inde celebris abbatis & Aegypti apoſtoli demonſtrat Collina noſter in ejuſdem ſancti Vita, quam ſex ante annos Bononiæ edidit Italico idiomate ex illa Ratberti a Grandio producta. Nos ipſius fundamenta, ne integræ hiſtoriæ curſum abrumpamus, ad annum 976. reſervamus, ubi ſimul, quid de ea vita ſentiendum ſit, aperiemus.

XXXVII. Ortus Bononii.

ANN. CHR. 951. ROMUALDI 44.

FUNDATUM fuiſſe anno 907. monaſterium ſancti Petri & ſancti Stephani de Venaco in inſula Corſica, ſub diſciplina & regimine abbatiæ ſancti Mamiliani de Monte-Chriſto, anno 1223. unitæ Camaldulenſi eremo, probabilibus innixi conjecturis narravimus ad annum 927. Ex chartis ejuſdem abbatiæ ſancti Mamiliani ad præſentem annum 951. notitiam habemus alterius cœnobii, quod appellabatur ſanctæ Mariæ de Canovaria prædictæ inſulæ Corſicæ, atque ſubjecti præfatæ Montis-Chriſti abbatiæ. Mathilda nobilis comitiſſa comitis Nerii filia, uxor vero Guilielmi comitis jam præmortui, qui habitabat in loco dicto *Cucuvelli plebatus de Ampogniano*

XXXVIII. De cœnobio S. Mariæ de Canovaria in Corſica.

ANN. CHR. 951. ROMUALDI 44.

pogniano proxima morti corpus suum sepeliendum judicavit apud prædictam ecclesiam sanctæ Mariæ, ut legitur in supremis ejus tabulis, quas in Appendice producimus, cui loco etiam *lectum* suum & *mantellum*, *&* *centuram de argento & libras quindecim pro uno calice legavit*. Item *ecclesie sancti Nicolay de Campilli* donavit *libras septem pro uno paramento*; *ipsi* vero *abbatie sancti Mamiliani insule Montis-Christi* adjudicavit omnes *terras & possessiones*, *quas* habebat *in Piagia in loco*, *qui dicitur in Pontigio*, *Mariane* autem vel *Alamane famule* suæ, quæ annis septem servitutis obsequia illi præstiterat, suas *tunicas & masseritias & viginti capras* reliquit; testibus *presbytero Raynuccio de Monte Dolmo*, *presbytero Nigello de Scata*, *Johanello*, *Sambucchello & Rosarello de Querceto*. Rogavit *Manuellus sacri imperii notarius*. Possessiones Pontigii, quas Mathilda donat abbatiæ sancti Mamiliani, emerat ipsa comitissa temporibus Simonis regis & domini Corsicæ anno 936. a quodam Henrico, pretiumque persolverat pro ipsis *libras* LX. *& tres boves boni & optimi*, *& duo napi argentei*, *& unum coopertorium de lecto librarum septem*. Rogavit idem *Manuellus apud sanctam Luciam de la Bacharacia testibus domino Riccobono episcopo Acciensi*, *Vivarello de Foriano*, *Guarduccio*, *domino Landolfo de Corba*, *& presbytero Grisso de sancta Lucia*. Quas pariter emptionis tabulas ex archivo monasterii nostri sancti Michaelis in Burgo Pisarum, ubi earum exemplaria asservantur, exarata manu Lanfranchi notarii, extracta anno 1361. ex vetusto codice abbatiæ Montis-Christi, in Appendice referimus, & quidem correctiores iis, quæ extant penes [a] Muratorium, qui eas sibi communicatas a Grandio edidit in suis Antiquitatibus medii ævi.

a T. II. col. 1063.

XXXIX. De altero SS. Benedicti & Zenobii de Ilaria in eadem insula.

ADNEXA erat eidem abbatiæ sancti Mamiliani Montis-Christi altera *sancti Benedicti & sancti Zenobii de Ilaria ordinis*, ut vocatur, *Montis-Christi*. Charta dotationis signatur *anno nativitatis Domini nonocentesimo .... indictione quinta duodecima die martii*, quo anno *domnus Berlingerius rex Dei gratia dominus de Corsica & de Sardinia dedit*, *quando fuit edificata abbatia sancti Benedicti & sancti Zenobii de Ilaria in loco*, *ubi dicitur lo cavo*, *tutto lo suo circulo quomodo est terminato*, *& circumdato da ogni parte de nostro proprio allodio de pater meus*, *& de mater mea. Et damus ad dictam abbatiam nostram possessionem terras agrestes & domesticas buschis & silvis*, *castagnetis & nocetis*, *sicut sunt terminate de piede in Ficarella*, *in Busso*, *& mette alle saline*, *& mette a sancta Justa*, *& mette a Verde*, *& mette allo Livelli*, *& mette in via publica fuit Fontaglione*, *& mette in Montalto & falla per lo Strigone & mette in Busso*, *& mette alle Ficarelle*; & post aliqua: *damus istas possessiones dicte abbatie cum licentia domini pape A. Actum in ecclesia sancte Marie de Mariana* præsentibus *domino Bruno archipresbytero Januensi legato in Corsica & Sardinia*, *& domino Lunergio episcopo Marianensi & domino Nicolao episcopo Acciensi*. *Johannes quondam Matthei sacri imperii notarius rogatus* scripsit, & *Buccaccius olim quondam Brancacii de Pirello plebis Alisani Corsice diecesis Aleriensis publicus notarius* exemplar confecit *sub anno Domini* M. CCCC. LIII. *die* XII. *augusti*. Muratorius [b] hanc quoque chartam a Grandio receptam edidit, sed inquit „ qui continuo monumentis hisce acquiesceret, ad annum 900. aut ad alium „ aliquem annum seculi X. statueret Berengarium Corsicæ & Sardiniæ regem, & catalogo episcoporum Acciensium Riccobonum (de quo mentio in tabulis Mathildæ comitissæ Corsicæ ad annum 936.) & Nicolaum adderet in charta hac memoratos, uti & Lunergium in Maria-

b Ibid. col. 1065.

„ nen-

„ nensium antistitum album inferret, episcopos Ughellio ignotos: quod „ reapse factum est in Italiæ sacræ editione novissima tomo IV. quum „ nescio quis (is fuit idem Grandius) editori Nicolao Coleto viro de „ literis benemerito notitiam hanc ministrarit, nullis aliis tabulis fretus, „ quam nunc a me evulgatis. Verum ego, quid plane sentiendum sit „ de hujusmodi chartis, decernere vix audeo. Confictas non facile cre„ dam; quotiescumque enim de apographis agitur, amanuenses imperiti „ errores creasse potuerunt, quos in ipsis authenticis minime deprehendas; „ & fortasse Buccaccius quondam Brancacii de Pirello plebis Alisani Cor„ sicæ diœcesis Aleriensis notarius, qui anno 1453. chartam hanc exscri„ psit, & malam orthographiam ibi se reperisse fatetur, ea caruit peri„ tia, qua ad intelligendam veterem scripturam est opus. Et præcipue „ deceptum reor in chronologicis notis describendis. Profecto ad annum „ 900. nequaquam spectat hæc charta, sed quidem ad seculum XI. aut „ etiam XII. Verba illa animadverte: *istas possessiones damus cum licen„ tia domini pape Alexandri*. Ergo charta scripta fuerit aut Alexandro „ II. in Romana cathedra sedente anno 1067. aut sub Alexandro III. „ anno 1172. Et mihi postremum hoc magis arridet &c. " Hactenus Muratorius, qui idipsum [a] asserit de charta sancti Petri & sancti Stephani de Venaco, quam anno 907. illigavimus, cum in ea mentio quoque habeatur Berlingerii regis & judicis.

ANN. CHR. 951. ROMUALDI 44.

a *Ibidem col.* 1068.

XL. Tempus constructionis ipsorum.

VERUM pace doctissimi viri ad tempora Alexandri III. non esse chartas has deducendas eo potissimum argumento suadere posse confidimus, quia in bulla Gelasii II. Romani pontificis a nobis descripta ex autographo archivi Fontis-boni, & relata etiam ab [b] Ughellio, inter cetera loca, quæ ipse confirmat *Henrico abbati monasterii sancti Mamiliani, quod in Monte-Christi situm est*, recenset anno 1119. *in Corsica monasterium sancti Stephani de Venaco*. Ergo eo anno 1119. ædificata jam fuerat ipsa abbatia, unita alteri illustriori sancti Mamiliani Montis-Christi. Itaque ante Alexandri III. tempora referenda est ædificatio monasterii sancti Petri & sancti Stephani de Venaco, multoque magis constructio cœnobii sancti Benedicti & sancti Zenobii de Ilaria antiquiori tempore existentis quam illud de Venaco, ut ostendemus inferius. Grandius itaque in notatiunculis mss. ad has chartas papam A. nominatum in donatione Berlingerii regis Corsicæ existimat esse Anastasium III. creatum Romanum pontificem anno 911. at nulla indictio V. occurrit eo biennio, quo sedit Anastasius. In aliis vero notulis ad easdem designari autumat Alexandrum II. & constructionem sanctorum Benedicti & Zenobii de Ilaria componit cum anno 1067. quo decurrebant indictio V. & annus VI. Alexandri II. Sed neque Alexandro II. Romano pontifici tribuendam esse concessionem hujusmodi licentiæ demonstramus, quia extructio cœnobii sanctorum Benedicti & Zenobii de Ilaria præcessit ædificationem sanctorum Petri & Stephani de Venaco; verum hæc secunda ædificatio contigit ante Alexandri II. tempora; contigit enim, cum cathedrales infulas Ravennates teneret Sinibaldus, qui profecto minime eam ecclesiam rexit pontificatu Alexandri II. sub quo Henricus erat Ravennas archiepiscopus, & ante Henricum Humphredus, Gebehardus, Heribertus, Arnaldus, Fridericus, Leo mutus, Gerbertus, Johannes XII. & XI. Honestus, Petrus, alter Honestus, Constantinus, Johannes X. Petrus IV. vel V. & *Sinibaldus*, alio nomine Theobaldus, qui ultra sesquiseculum vixit ante Alexandrum II. Ergo alius Romanus pontifex litera initiali A. signatus est requirendus, cui

b *T. III. col.* 379.

Ann. Chr. 951. Romualdi 44.

cui tribui debet licentia hujus donationis in utilitatem monasterii sanctorum Benedicti & Zenobii de Ilaria.

Quare, ut etiam nos conjecturas nostras proferamus, licet extremum in modum vitiatas chartas omnes ad abbatiam Montis-Christi pertinentes agnoscamus, quod etiam ad annum 927. observavimus, sic tamen adhibendas medicas manus arbitramur, ut retenta ædificatione monasterii de Venaco ad annum 907. causa Sinibaldi eo tempore viventis, erectionem antiquiorem alterius cœnobii sanctorum Benedicti & Zenobii de Ilaria ad aliquem annum anteriorem retrahamus. Illud autem primo monemus equidem in codice signato A. I. archivi sancti Michaelis in Burgo Pisarum, in quo exarantur antiquæ donationes factæ monasterio Montis-Christi in Corsica, legi integris literis: *damus cum licentia domini papæ Alexandri*; at in aliis exemplaribus ipsius donationis Berlingerii in eodem archivo adservatis, nomen pontificis adnotari per literam initialem dumtaxat A. Nec a vero abludit notarium, qui in codicem transtulit veteres donationes, sicut plura ausus est, ita etiam interpretatum fuisse literam A. pro frequentiori magisque cognito nomine Romani pontificis *Alexandri*; quo præmisso sic disponeremus chartas ejusdem codicis. Anno 902. qui conjungebatur cum indictione V. ædificata jam describitur abbatia sancti Benedicti & sancti Zenobii de Ilaria in loco ubi dicitur *lo cavo*; eam insuper ipso anno Berlingerius rex Corsicæ prædiis & bonis ditat pro anima sua, & patris & matris, ac germanorum suorum. Dominus *papa A.* cujus licentia eam donationem facere asserit, potuit esse Adrianus III. qui anno 885. obierat, & a quo forte Berlingerii pater, primus abbatiæ institutor, obtinuerat licentiam eam construendi & dotandi; sed sicut in rebus alicujus momenti contingere usuvenit, id non fuit unius anni opus; ut propterea, quod designaverat & incœperat pater, perfecerit & donationibus compleverit filius Berlingerius. Videtur Berlingerii pater fuisse *Simon*, qui eodem anno 902. (*indictione* nimirum *V.* adnotato) *comes Dei gratia & dominus de Corsica sanus mente & infirmus corpore* facit *judicium de suis bonis acquisitis, & pater meus & mater mea in presentia domnus abbas sancti Mamiliani insule Montis-Christi, & Silverii abbas sancti Benedicti & sancti Zenobii de Ilaria*, in cujus *ecclesia ordinis montis Christi* judicat *corpus* suum, itemque judicat *possessiones*, quas habet *de* suo *proprio alodio* &c. Hac ratione conciliabitur, quomodo post quinquennium, hoc est anno 907. Silverius ex abbate sancti Benedicti & sancti Zenobii de Ilaria evaserit abbas præstantioris monasterii sancti Mamiliani, ipsique, ut abbati sancti Mamiliani, Otto, Dominicus & Guido comites insulæ Corsicæ ante ejus præsentiam venientes, & coram Sinibaldo Ravennate archiepiscopo, ac Corsicæ legato sua bona obtulerint pro ædificatione alterius monasterii sanctorum Petri & Stephani de Venaco; cui cœnobio recens extructo Silverius præfecerit in abbatem Johannem, ad quem legimus Angelum comitem & Giliam comitissam, qui ipsi etiam nominantur in charta anni 907. accessisse anno sequenti 908. *indictione* XI. ut alia sancto loco bona offerrent. Simul etiam intelligimus cœnobium sanctorum Benedicti & Zenobii de Ilaria præextitisse ante fundationem alterius de Venaco, cum Silverius, qui anno 902. primum regebat, anno 907. quo statuenda sunt secundi exordia, ad monasterii principis præfecturam jam transiisset. Defuncto Simone Corsicæ comite vel rege anno 902. quo supremas tabulas confecit, eodem anno successit in regimine Berlingerius, vel Berlingherius aut Berengarius ejus filius memoratus etiam ad annum 907. sed ad annum 936. reperimus suffectum Berengario

ejus

ejus filium Simonem; hoc enim anno *Simon rex* appellatur in superius allata Mathildis comitissæ emptionis charta bonorum, quæ postea monasterio sanctæ Mariæ de Canovaria donavit. Guilielmus, Mathildæ vir, videtur fuisse ille *marchio & dominus in Corsica Guilielmus*, qui *indictione* IX. atque proinde, ut suspicamur, eodem anno *936. omnipotenti Deo & ecclesie sancti Mamiliani insule Montis Christi, & domno Johanni venerabili abbati Montis Christi* (is forte ex abbate Venacensi, quem fuisse anno 908. mox diximus, Silverio successerat in regimine majoris abbatiæ Montis-Christi) tradit *omnes* suas *possessiones*, quas habebat *de suo acquisito allodio in curia de Ampognano Corsicæ* &c.

Ann. Chr. 951. Romualdi 44.

Illud ulterius superest diluendum, qua ratione in donatione Berlingerii anno 902. *Johannes quondam Matthæi*; in testamento pariter Simonis comitis Corsicæ eodem anno *Marcus quondam Philippi*; in charta Ottonis, Dominici & Guidonis comitum anno 907. *Philippus quondam Aricii*; in donatione terrarum Angeli comitis domini Corsicæ anno 908. *Albertus*; & demum in emptione anni 936. ac in ultimis tabulis Mathildæ comitissæ anno 951. *Manuellus sacri imperii notarios* se inscribant; „ Præcedentibus enim seculis, ait Muratorius,[a] tabellionum mos erat se appellare „ notarios sacri palatii, & a multis etiam seculo XIII. usurpata est hu„ jusmodi subscriptio. Formula autem sacri imperii non ante Fridericum „ I. invecta videtur. Hoc idem animadvertas velim in cunctis subsequen„ tibus chartis. Quamobrem præcedentes quoque duæ chartæ, quæ anno 936. „ & 951. scriptæ in Corsica dicuntur, ad posteriora tempora sunt tra„ hendæ. " Verum hæc contra Muratorii motas difficultates reponimus; vidimus ante Friderici tempora, immo ante Gelasii II. Romani pontificis annos ædificatum fuisse monasterium sancti Petri & sancti Stephani de Venaco; attamen in charta fundationis ipsius Philippus quondam Aricii notarium sacri imperii se indigitat. Gelasius pariter testis est omni exceptione major alterum monasterium sanctæ Mariæ de Canovaria subjectum fuisse suo tempore abbatiæ sancti Mamiliani, ipsum inter cetera recensendo; & tamen in tabulis Mathildæ, quæ nisi parens, maxima loci videtur fuisse benefactrix, Manuellus sacri imperii notarium se facit. Dici itaque poterit imperitos notarios presbyterum Lanfranchum de comitatu Mediolanensi anno 1361. alium notarium, qui Blasii episcopi Aleriensis tempore anno 1364. & Buccacium quondam Brancacii de Pirello, qui anno 1453. exscripsere chartas autographas pertinentes ad abbatiam sancti Mamiliani Montis-Christi, sicut *ob malam orthographiam*, quam se reperiisse fatentur, ea caruerunt peritia, qua ad intelligendas veteres scripturas est opus, & sicut in chronologicis notis describendis in maximos offenderunt errores, summaque audacia suo marte latinum in vernaculum sermonem transtulerunt, ita pariter usurpasse formulam seculis ipsorum consuetam, nullam inter sacri palatii, & inter sacri imperii notarios differentiam agnoscentes. Atque hactenus dicta ut simplices conjecturas proferimus in tanta temporum illorum, & historiæ præsertim Corsicæ caligine. Ceterum admissa hac nostra chartarum conciliatione Lunergius episcopus Marianensis, & Nicolaus episcopus Acciensis ad annum 902. erunt revocandi, sicut etiam spectabit ad annum 936. Riccobonus episcopus Acciensis. Pariter ad annum 902. pertinebit Bruno archipresbyter Januensis legatus in Corsica & in Sardinia, ut ad annum 907. Sinibaldus de Ravenna archiepiscopus legatus; ex quorum etiam legatorum existentia alterum desumi poterit argumentum, has chartas non esse trahendas ad tempora saltem Alexandri papæ III. quibus non alii, quam archiepisco-

a *Antiq. medii ævi T. II. col.* 1066.

Ann. Chr. 953. Romualdi 46.

pus Pisanus legati titulum in Corsica & in Sardinia obtinebat. Chartas omnes superius laudatas, & monasteriorum in Corsica & in Sardinia ab abbatia sancti Mamiliani insulæ Montis-Christi pendentium historiam & originem illustrantes amandamus in Appendicem, correctis juxta allatas conjecturas nostras annorum erroribus.

XLI. Donatio facta ab Almerico & a Francha Vangaticiensi ecclesiæ.

ALMERICUS marchio & Francha ejus uxor ecclesiæ sanctæ Mariæ ad fluvium Athesim positæ, & Johanni presbytero, custodi & rectori scholæ sacerdotum, quæ erat instituta in ecclesia ipsius genitricis Dei virginis Mariæ, quam ipsi jugales a fundamentis ædificaverant, opulenta dona hoc anno conferunt. Chartam primus ex tabulario Vangaticiensi produxit Silvestrius [a] ex autographo, ut ipse ait; deinde Muratorius eamdem, cujus apographum legerat in illius monasterii archivo, recudit. Nos, qui membranas omnes celeberrimæ hujus abbatiæ excussimus, nonnisi exemplaria, antiquissima ea quidem, perspeximus, ex quibus pluribus in locis emendari poterunt Silvestrii & Muratorii lectiones. Primum exemplar a quatuor notariis Lanfranco, Bono judice, Gabuardo & Willielmo recognitum & confectum fuit, sed annus transcriptionis non apponitur. Alterum vero exemplar profert annum 1282. atque conscriptum fuit a Manfredino filio Nicolai sacri palatii notario, desumptum ex primigenio Ingelberti, & ex antiquiore exemplo Lanfranchi, Boni, Gabuardi & Willielmi. In Senesio nostro, qui duobus libris complexus est monasterii & patriæ simul suæ historiam, charta hujusmodi desideratur. Eam quoque, & quidem correctiorem plusquam in editis, habemus in ampla monumentorum veterum collectione, quam ante medietatem seculi præteriti curavit indefessus monachus noster domnus Romualdus Blancus Mantuanus, cujus in re antiquaria labores produnt perplura volumina, quæ sua manu descripta reperiuntur in variis monasteriis nostris; & demum eam inseruit in sua ms. Vangaticiensi historia domnus Theophilus Macchettius Venetus eruditus alter Camaldulensis monachus noster. Animadvertimus, post observationem Muratorii, indictionem XI. quæ revera decurrebat hoc anno, (ipse tamen Muratorius legit X. & anno præcedenti chartam illigavit) non posse componi cum anno V. Berengarii II. & Adelberti ejus filii, qui titulum regum Italiæ assumpserant anno 950. quare facile veteres hujusce chartæ exscriptores, loco quarti, quintum legerunt regum eorum annum, notam compendiariam forte non probe capientes; immo quintum fortasse loco tertii anni Berengarii & Adelberti legerunt; nam juxta breve chronicon regum Italiæ a Muratorio tomo IV. rerum Italicarum editum, quintadecima decembris die anni 950. Berengarius & Adelbertus coronati fuere reges Italiæ. Posset etiam, retento anno quarto Berengarii & Adelberti regum, mutari indictio XI. in XII. & tunc charta pertineret ad annum sequentem; sed malumus opinari amanuenses errasse potius in transcribendo anno regni, quam in transcribenda indictione: præsertim cum anno sequenti fato jam cessisset, saltem versus finem anni, Almericus marchio donator, qui vivebat mense augusto hujus, quo confecta fuit charta donationis, quam in Appendicem rejicimus.

a *Paludi Adriane p.* 40.

XLII. Illustratur nomen donatorum.

ALIQUA de Almerico ut dicamus, Senesius [b] Almericum sive Amelricum Estensem, filiumque Amizonis vel Obizonis II. comitis Comaclensis facit. Ipsum ab Hugone rege Italiæ in pretio habitum asserit, & Ferrariensem populum eum sibi delegisse autumat, ut eorum urbem regeret, cujus etiam absolutum dominium progressu temporis obtinuerit.

b *Frondi sparte pag.* 20. *Vangadizza p.* 13.

Bona

Bona quamplura illi obvenisse in territorio Parmensi a patruo Sigifredo, permulta etiam ipsum possedisse in territoriis Mantuano, Ferrariensi, Hadriensi atque Comaclensi, quibus propterea cum opulentissime abundaret, ditatas voluerit multas ecclesias, in his Ferrariensem sancti Georgii, & Hadriensem, ut in ipsius testamentis legitur, Classense cœnobium sancti Apollinaris pariter, & basilicam in loco Petra positam, quam a fundamentis construxit, Vangaticiensem postea dictam. Duas illi uxores tribuit, Atopergam, post cujus obitum Francham, Atopergæ neptem, matrimonio sibi conjunxerit, mortuumque facit anno 949. & corpus ejus conditum in ecclesia sancti Georgii Ferrariæ. Torquatum vero Tassum de eo sic canentem inducit: [a]

ANN. CHR. 953. ROMUALDI 46.

V' era Almerigo, e si vedea già fatto
Della città donna del Pò marchese,
Devotamente il ciel riguarda in atto
Di contemplante il fondator di chiese.

a *Canto XVII. Stan. 76.*

Ut certa ab incertis distinguamus, idem Almericus, sive Amelricus se marchionem de civitate Mantua una cum Francha gloriosissima jugali nominat in testamento anni 948. quo hæredem instituit ecclesiam episcopalem Ferrariæ apud Muratorium [b] ex collectaneis Peregrini Prisciani, & bona, quæ enumerat, erant posita in territoriis Ferrariæ, Comacli & Parmæ. In alio testamento ejusdem anni apud eumdem [c] Muratorium idem donator bona recenset constituta etiam in territorio Hadriensi, sicut & in tertio testamento, [d] quod ante decennium scripserat, anno nimirum 938. plurimos Hadrianæ diœcesis fundos sui esse juris manifestat. Salica lege vivebat Almericus, Langobardica Francha; in charta tamen hujus anni uterque vivere se lege Salica profitentur, quia uxor vivente marito legem sequebatur viri; obeunte autem viro, mulier vidua redibat ad legem nationis, ex qua nata erat. Jam ab anno 903. vivebat Almericus cum Francha conjuge sua; eo etenim anno [e] Azo diaconus sanctæ Ravennatis ecclesiæ & abbas præpositus sancti Vitalis multa prædia emphyteuticario jure ipsis concedit; alium [f] emphyteusis libellum ipsis anno 945. scripsit Petrus archiepiscopus Ravennas. Quare literæ mundiburdii seu protectionis concessæ [g] ab Hugone rege Italiæ Amelrico, qui & Amizo, habitatori Ferrariæ, ejusque uxori Theopergæ anno 928. videntur alteri Amelrico & ejus conjugi concessæ, potius quam Amelrico marchioni & Franchæ ipsius jugali; nam Francha, non Theoperga, ab anno 903. ad annos 945. & 953. reperitur Almerici uxor, nisi illud dicere velimus Francham binomiam fuisse, ac Theopergam quoque appellatam, atque Almericum marchionem pariter vocatum fuisse Amizonem. Ex his legitimis & certis chartis explicari & corrigi poterit Senesius noster. Ceterum hallucinatur Silvestrius, qui Francham matrem facit Almerici, cum conceptis verbis in testamentis superius allatis, in libellis emphyteuticis & præcipue in charta hujus anni nominetur ejus uxor, amboque maritus & conjux sint bonorum donatores, ut se produnt illis verbis: *Almericus filius bonæ memoriæ idemque Almerici & Francha honorabilibus jugalibus .... per hanc paginam tradere visi sumus &c.*

b *Antiq. medii ævi T. II. col.* 174.
c *Ibid. col.* 177.
d *Ibid. T. III. col.* 737.
e *Ibid T. III. col.* 143.
f *Ibid. col.* 145.
g *Ibid. T. V col.* 938.

ANN. CHR. 954. ROMUALDI 47.

XLIII. Altera Franchæ donatio eidem ecclesiæ.

OBIERAT Almericus marchio insignis excitator atque benefactor basilicæ sanctæ Mariæ ad Petram, sive de Vangaticia, hoc vel superiori anno. Francha ejus olim uxor, nunc vidua, eidem ecclesiæ donat an-

Ann. Chr. 954. Romualdi 47.

no præsenti quamplures fundos. Chartam primus exscripsit Senesius in suis mss. operibus, integram suæ collectioni adjecit domnus Romualdus Blancus, & in historia Vangaticiensi domnus Theophilus Macchettius. Ediderunt ex apographis Silvestrius & Muratorius; nos eam contulimus cum antiquis exemplaribus, quæ in ipsa abbatia supersunt, & præsertim cum veteri scripto anno M. CC. VIII. a Diairenio (sic) quondam Henrici imperatoris & sacri palatii notario, & denuo correctiorem tam in nominibus & testibus, quam in vocabulis locorum, in lucem producimus in nostra Appendice. Annus Berengarii & Adelberti quintus in charta notatus optime mense decembri convenit huic anno 954. si exordium eorum regni sumatur a die obitus Lotharii regis ipsorum prædecessoris; si autem initium regni auspicari quis velit a die coronationis, charta spectabit ad annum sequentem; pariter indictio XIII. qua pagina signatur, vel incœperat a mense septembri hujus anni, vel indicat annum sequentem, cum ceteroquin hujus anni indictio esset duodecima. Francha, quæ vivente marito in donatione anni elapsi legem profitebatur Salicam, post ejus obitum legem Langobardorum, in qua nata fuerat, usurpat in charta hujus anni; & Ildemarium presbyterum mundualdum suum Langobardica consuetudine eligit, cujus consensu donationem facit. Cum in aliquibus locis pagina sit corrosa, non liquet, an Johannes prosequeretur ecclesiæ Vangaticiensis regimen, ad quod assumptus fuerat ab Almerico & a Francha, an vero in ejus locum suffectus fuisset Ildemarius idem, qui erat mundualdus. Ceterum ex hac donatione apparet tunc temporis non unicum sacerdotem, sed plures & presbyteros, & levitas & clericos deputatos fuisse in servitium ejusdem ecclesiæ, qui insuper appellabantur *schola*, sive collegium. Ad breve tamen tempus perduravit hujusmodi collegium, introducta ibidem regula sancti patris Benedicti, & monachis ad cultum divinum substitutis, ut ad annum 961. videbimus, & fusius ad annum 993.

XLIV. Permutatio inter abbates S. Laurentii, & S. Gregorii de Urbe.

Legitur in codice Gregoriano, de quo ad annum 945. verba fecimus, permutatio hoc anno quorumdam bonorum composita inter Constantinum abbatem sancti Laurentii extra muros urbis Romæ, & inter Benedictum abbatem sanctorum Andreæ & Gregorii ad Clivumscauri. Casale Palumbarium vocatum cum terris & cum ecclesia deserta in honorem sanctæ Mariæ constructa una cum monumento suo, quod est crypta rotunda, positum foris portam Appiam milliario ab Urbe plus minus octavo vel nono, simul etiam & fundum *Tertium*, quæ monasterio sancti Laurentii donaverat Leander monachus, dedit Constantinus Benedicto, qui econtra curtem, quæ vocatur *sancti Genesii*, Constantino tradidit. Subscribunt post Constantinum Stephanus presbyter & monachus, ac Romanus diaconus & monachus ejusdem monasterii sancti Laurentii, Theodorus, Benedictus & Sergius nobiles viri. Stephanus autem scriniarius sanctæ Romanæ ecclesiæ chartulas binas confecit. *Anno Deo propitio pontificatus domni Agapiti summi pontificis & universalis junioris pape in sacratissima sede beati Petri apostoli nono indictione duodecima*. Nominatur in hac charta *monasterium ancillarum Dei salvatoris domini nostri Jesu Christi*, & mons donatus monasterio sancti Laurentii *a Maria nobilissima femina uxore quondam Gregorii superstite*. De fundo Tertio aliqua habet Nerinius [a] in historia basilicæ & monasterii sanctorum Bonifacii & Alexii de Urbe. Charta dabitur in Appendice.

[a] *Pag.* 175. 288. *&c.*

PETRUS

XLV. Dominicus abbas S. Apollinaris, & Gregorius S. Severi in Classe.

PETRUS archiepiscopus Ravennas conventum hoc anno in sua urbe habuit aliquot episcoporum & abbatum sibi subjectorum, in quo a patribus tractatum est de massa, quæ vocabatur Cuparia. Hæc siquidem, cum juris esset sanctæ Ravennatis ecclesiæ, injuste detinebatur a Martino episcopo Ferrariensi, ut conquerebatur Petrus; sed cum Ferrariensis demum cederet, & confiteretur revera eam ad Ravennatem pertinere ecclesiam, communi assidentium consilio definitum fuit, ut Petrus Martino & ecclesiæ Ferrariensi emphyteuticum libellum de massa illa conscriberet, atque episcopum & ecclesiam Ferrariensem in possessionem mitteret. Inter eos, qui affuere conventui: *anno Berengarii & Adelberti regum quinto indictione* XIII. nam „ Agapiti pontificis annus, quod esset exesus, „ legi non potuit, " (verba sunt [a] Rubei, ex quo hæc exscripsimus, qui conventum tamen hunc habitum fuisse anno antecedenti 954. refert,) leguntur: *Dominicus religiosus presbiter & abbas regularis sancti Apollinaris, qui vocatur in Classe. Martinus presbiter & abbas regularis sancti Severi.* Sed apud Amadesium in [b] appendice ad dissertationem de jurisdictione archiepiscoporum Ravennatum in diœcesi Ferrariensi, ubi integrum profert documentum, loco *Martini* recensetur: *Gregorius diaconus & abbas monasterii sancti Severi, ut supra legitur, interfui & ss. Martinus* vero appellatur *servus dilectissimi Dei apostoli & evangeliste Johannis &c.*, cujus monasterii proinde erat *abbas*. Adnotat [c] Mabillonius observandam esse abbatis *regularis* nuncupationem, quæ hoc seculo maxime in usu esse cœpit; nos vero semel monemus plures abbates vocari *presbyteros*, qui ideo ita appellabantur ad differentiam multorum abbatum, qui sacerdotio initiati non erant; exemplo sit *Gregorius diaconus, & abbas sancti Severi*, & quem attulimus ad annum *926. Ursus levita & abbas sancti Apollinaris*, ad tempora Dominici Ublatellæ archiepiscopi, qui insuper denominatur *abbas regularis* circa finem noni seculi.

a *Lib. V. p.* 257.

b *Pag.* 52. *n.* VI.

c *T. III. pag.* 524. *Annal.*



AN-



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER TERTIUS.

Ab anno CHRISTI DCCCC. LVI. *ad annum* DCCCC. LXXVII.

ANN. CHR. 956. ROMUALDI 49.

I. Ortus Lodulphi Avellanitarum institutoris.



ILLUSTRATUS fuit præsens annus insigni monastici ordinis lumine, natali nimirum beati Lodulphi monasterii atque congregationis, quam vocant Fontis-Avellanæ, fundatoris eximii; illum enim hoc anno in lucem prodiisse narrat [a] Jacobillius, eumque filium facit Petri comitis Montis-Gepsonis, Montis-Peschii, Valponis, Collis-Pamphilii aliorumque locorum in territorio urbis Eugubinæ, natum proinde ex nobilissima Pamphilia gente. Sibi tamen non constat Jacobillius, qui tomo I. [b] Sanctorum Umbriæ edito anno 1647. antequam Innocentius X. ex eadem Pamphilia stirpe summi pontificatus sedem obtineret, Lodulphum non Eugubinum, sed natione Germanum, Gepsonis sive Gessonis filium esse scripserat, neque certæ familiæ adjudicaverat; ut propterea videatur scriptor hic in gratiam regnantis pontificis, vel ejus nepotum eam opinionem adoptasse in tomo III. quem in lucem prodire jussit anno 1661. Nicolaus Angelus Caferrius [c] eamdem Lodulphi ex Pamphilia progenie derivationem vindicat. Idem asseruit abbas Lucentius tum in libro, cui titulus *Fulgor Fulginii*, tum in tomo I. *Auctarii Italiæ sacræ*. Hoc ipsum affirmat abbas noster Augustinus-Romanus de Floribus in vita ejusdem beati Lodulphi, quam Romæ edidit anno 1722. Plures auctores, pluraque monumenta Pamphiliæ stirpis genealogiam illustrantia congerit supra laudatus Jacobillius, qui æque ac noster Augustinus de Floribus plurimum fidunt veteri cuidam numismati, ut primus vocat, vel sigillo apud hujus gentis proceres asservato, ubi expressus dicitur Lodulphus ipse ad Fontem-Avellanæ cum gentilitiis insignibus Pamphiliæ stirpis. Cujus tamen exemplar, ubi primum videre licuit, statim animadvertimus, opus illud anaglypticum formatum fuisse detractis literis ex cavitate sigilli pertinentis ad aliquod monasterium, & fortasse, ut suspicabatur etiam Grandius, ad abbatiam sancti Galgani Volaterranæ diœcesis, accommodatum deinde Pamphilio stemmati; re enim vera sanctum exprimit nimbo redimitum, dextera

a T. III. pag. 323.

b Pag. 107.

c *Synthema vetustatis ad diem xx. januarii*.

tera sua gladium insigentem saxo, quod perforatur, & equum sine sessore prope se habentem; id quod sancti Galgani eremitæ conversioni, illustrique miraculo, potius quam beati Lodulphi peregrinantis, & ad Fontem Avellanæ consistentis historiæ adaptatur. Nam de sancto Galgano legimus, quod cum divinam propitiam sibi reddere misericordiam diffideret immanibus flagitiis a se irritatam, quadam die, sponsa rebusque omnibus derelictis, equum conscenderit, & in quamdam solitudinem se abdiderit, ibique pugionem e vagina extractum in saxum infixerit, dicens: fieri nequit, ut Deus æternam animæ meæ donet salutem, æque ac nequit fieri, ut pugio hic saxum istud perfodiat. Mirabile dictu, ac magnum miserentis Dei pietatis ostentum! Saxi durities, perinde ac mollis fuisset cera, victa fuit a gladio, qui acumine suo permeans intra ejus viscera fixus mansit; & ad rei novitatem obstupescens Galganus divinam agnovit erga se misericordiam, totumque macerationibus, vigiliis, corporisque voluntariis cruciatibus se addicens, antequam suæ ad bonam frugem conversionis impleretur annus, sanctitate clarus obiit die III. decembris anno 1181. quo eodem excessit e vivis Alexander III. summus pontifex concivis itidem suus Senensis, & ab Urbano III. in Sanctorum numerum fuit relatus. Altaria paullo post ipsius obitum in ejus honorem constructa, fundata insuper fuit abbatia Cisterciensis ordinis sub titulo sancti Galgani, ad quam pertinuisse dignoscitur hujuscemodi sigillum ad vivum exhibens prodigiosum hocce factum. Visuntur ad hodiernam diem gladius & saxum, super quæ ædificatum fuit sacellum, quod magna religione a Senensibus frequentatur & colitur. Mitra & columba cum olivæ ramo apposita ad beati viri pedes designant abbatiam sub sancti Galgani invocatione erectam fuisse, & insignia sunt alicujus abbatis regularis vel commendatarii ipsius monasterii. Sigillum hoc ære incisum primo Eugubii, tum Romæ, & recens a Sartio nostro in episcopis Eugubinis, oculis legentium heic loci denuo subjicimus.

Ann. Chr 956. Romualdi 49.



Certioribus propterea documentis indiget confirmari ea traditio, quæ Lodulphum inter majores Pamphiliæ gentis enumerat. Ad annum autem 977. concilia-

Ann. Chr. 956. Romualdi 49.

ciliabimus, qua ratione & Eugubinus, & Germanus potuerit dici Lodulphus. Quoad nomen etiam ejus patris, qui putatur fuisse Gisso vel Gepso, animadvertendum est cum eodem Sartio, occasionem fortasse dedisse huic opinioni chartam quamdam a nobis visam, qua domnus Presbyter episcopus Asculanæ sedis anno 1137. confirmat atque concedit *ecclesiam sancti Hilarii cum pertinentiis suis, que posita est in fundo Parengiani ad ecclesiam sancte Crucis, que edificata est in comitatu Eugubino, in loco qui dicitur Fontis Avellane, & in loco, qui dicitur Murrum, beneficium cujusdam hominis, nomen cujus hoc est* LODULPHUS FILIUS GISONIS *cum suo servitio, ut liberi hominis* &c. ubi clare constat non Fontem-Avellanæ, sed Murrum, qui locus est in Asculano territorio, fuisse beneficium *Lodulphi*, atque proinde sermonem ibi haberi de alio Lodulpho, non de Lodulpho constructore monasterii Fontis-Avellanæ.

Ann. Chr. 957. Romualdi 50.

II. Donationes factæ a Petro Ravennate archiep. monasterio Palatioli.

QUANDOQUIDEM insequentibus annis pluries occurret nobis occasio agendi de monasteriis sanctæ Mariæ de Palatiolo, & sanctæ Mariæ ad Hortum; illius quidem ad illustrandam Romualdi vitam; hujus vero ad concinnandam historiam cœnobii Classensis, cui seculo sequenti erat aggregatum, non incongruum visum est nobis chartam referre Petri Ravennatis archiepiscopi, qui hoc anno monasterio de Palatiolo, & Raimbaldo ejus abbati univit, & donavit cœnobia sancti Eusebii, & sanctæ Mariæ ad Hortum. Petri donationem ex archivo monasterii sancti Vitalis Ravennæ capf. L. n. 1797. edidit in suo bullario Casinensi Margarinius, [a] quæ præsenti anno est assignanda, & licet ob indictionem XIIII. in fronte chartæ expressam judicaverit Mabillonius [b] eam esse cum anno præcedenti conjungendam, erroreque factum putaverit commutatam ipsam fuisse in XV. ad calcem ejusdemmet diplomatis, reapse tamen indictio XV. ad finem chartæ notata est retinenda, emendata indictione, quæ initio legitur, quippe ibidem ponitur *ad diem* XXII. *februarii annus primus Johannis Romani pontificis*, qui ad hunc annum extra dubitationis aleam pertinet, & componitur cum *septimo anno Berengarii & Adelberti regum*, ad hunc pariter, non ad antecedentem Christi annum referendo, cum hi post februarium mensem anni 950. regni Italici habenas susceperint. Diploma ad ejusdem Margarinii fidem recusum legitur in nostra Appendice; ex quo intelligimus *monasterium sancti Eusebii confessoris Christi*, celebre olim in urbe Ravenna, & *piorum virorum largitate* dotatum, eo temporis *instantibus periculis & flagellis* jam *pene demolitum*, cœnobitis alendis, & intra septa retinendis omnino impar evasisse. Ubi foret hoc monasterium, non liquet: erat quidem olim Ravennæ *extra portam sancti Victoris non longe a fluvio, qui vocatur Fossasconti, basilica beati Eusebii in episcopio, quod Vvimundus episcopus temporibus Theodorici regis ædificavit*, quam basilicam etiam *reconciliavit sanctus Agnellus* archiepiscopus Ravennas, sed hæc *demolita* fuerat *a Valerio* itidem Ravennate antistite, *viginti sex annis* antequam hæc scriberet [c] Agnellus. Ex eadem Petri donatione novimus extitisse Ravennæ tunc aliud pariter *sanctæ Mariæ ad Hortum cœnobium situm in regione sancti Andreæ apostoli*: An vero sanctæ Mariæ ad Hortum, vel sanctæ Mariæ de Palatiolo abbas fuerit *Fredebertus* in charta nominatus, etsi certo non constet, videtur tamen potius sanctæ Mariæ ad Hortum fuisse abbas. Hæc vero cœnobia donavit Petrus monasterio de Palatiolo, quod sui celebritate, monachorum numero, & disciplinæ regularis sanctitate maxime tunc temporis pollebat, octoque circiter passuum millibus ab urbe Ravenna distabat, ea apposita lege, ut

a T. II. pag. 43. Constit. LI.

b Annal. T. III. pag. 534.

c P. II. pagg. 85. & 122.

die

die natalitio ejusdem Petri, hoc est *in festivitate sancti Viti annuatim* pro ipso canerent monachi *duodecim missas*, *&* *post* ejus *obitum*, *in die suæ depositionis*, *anniversarium cum* suis *vigiliis*, *&* *missis quinquaginta pro ejus anima* peragerent.

ANN. CHR. 957. ROMUALDI 50.

III. Erectio ipsius monasterii Palatioli.

INTRODUXERAT in hoc insulæ Palatioli monasterium ante centum annos, anno nimirum 858. non 898. ut scripsit Rubeus, monachos regulam sancti Benedicti servantes Johannes VIII. non IX. Ravennas archiepiscopus; cujus cœnobii institutionis paginam attulit supralaudatus [a] Margarinius. Verum, quia a nonnullis in dubium revocatur ipsius paginæ fides, simul etiam ut constet, qua ratione contra aliter sentientes eam Johanni VIII. & anno 858. adjudicemus, non abs re duximus ipsam reproducere in Appendice ad stabiliendam veram epocham primordiorum monasterii Palatiolensis.

IV. Vindicatio chartæ fundationis.

POTISSIMUM autem constitutio hæc referenda est ad Johannem VIII. archiepiscopum, non ad IX. ejusdem nominis, atque adeo ad annum circiter 858. non vero ad 898. ut contra putarunt Margarinius, Rubeus [b] & Mabillonius, [c] qui postremus etiam correxit, quod [d] alibi dixerat, nimirum „ sub finem octavi seculi conditum fuisse cœnobium in insula „ Palatiolo prope Ravennam; “ quia, ut observat quoque Coletus [e] in nova Italiæ sacræ editione, episcopi constitutioni huic subscripti iidem plane sunt, qui subscripti leguntur concilio Romano Lateranensi [f] Nicolai I. papæ anno 862. (melius 861. ut demonstrat annus IV. Nicolai I. compositus cum indictione X. mense septembri inchoata, & cum anno XI. Ludovici II. imperatoris) habito contra eumdem Johannem archiepiscopum Ravennatem; uno excepto Comaclensi episcopo, qui nequaquam in ea synodo sedit. Quis autem credat omnes episcopos illos ad annum 898. superstites fuisse, ut potuerint etiam Johannis IX. constitutioni subscribere? Quod insuper non tantum vero est absimile, quinimmo nedum possibile, cum alii earum sedium episcopi annis vixisse intermediis legantur; exempli gratia anno 879. Comaclensibus præerat Stephanus, non Cyprianus; item Cesenatibus Petrus anno 877. non Florus, & temporibus Stephani VI. papæ, qui in cathedra Romana sedit ab anno 885. ad annum 889. Foro-corneliensis ecclesia vacabat, cum idem Stephanus Romano de Calcinaria archiepiscopo Ravennati præceperit, ut Foro-cornelium se conferret, ibique clerum & cives de successore eligendo dissidentes componeret, ut legitur in illo Gratiani [g] decreto: *Nos & tuam fraternitatem volumus &c.*

Jam vero scrupulos adversus constitutionis hujus sinceritatem a Coleto motos examinemus, quos non satis solidos esse constat. Displicet in primis censori continua illa Johannis archiepiscopi allocutio cum beata Maria Virgine; at ipsa non caret exemplis præsertim in aliis donationibus Ravennatum antistitum, quas etiam nos afferemus. Sed multo magis displicet, quod *sacratissima* beatæ Mariæ *patrocinia* in templo illo *recondita* dicantur, & *sanctæ* ejus *reliquiæ* ibidem *humatæ* asserantur; nonne tot aliæ basilicæ de reliquiis capillorum, lactis, veli & vestium beatissimæ virginis gloriantur? Quid, quod in vita sancti Benedicti abbatis Clusini a Willelmo monacho scripta *patrocinia sancti archangeli in monte Gargani* leguntur apud Mabillonium [h] in appendice Tomi III. Annalium; & apud Baluzium in Marca Hispanica [i] inter cimelia sacra cœnobii sancti Michaelis de Cuxano ex recensione Garsiæ monachi notantur reliquiæ ipsiusmet sancti Michaelis, *de pallio* nimirum ejus *sanctæ memoriæ*? frustum nempe ornamenti desumptum ex ara montis Gargani celebris ob peculia-

a *T. II. pag. 37. Const.* XLVI.

b *Lib. V. p.* 252.

c *T. III. Annal. pag.* 303.

d *T. II. pag.* 209.

e *T. II. col.* 351.

f *Bacchin. in Agnell. P. II. pag. 89. Append.*

g *P. I. Distin.* LXIII. *cap.* XII.

h *Pag.* 714.

i *Col.* 1075.

ANN. CHR. 957. ROMUALDI 5°.

rem tutelam Angelorum principis. Addit insuper Coletus *monachos regulares* dictione insueta in ea constitutione nominari; nonne in actis synodi Ravennatis commemorantur *abbates regulares* cœnobiorum sancti Apollinaris & sancti Severi ad annum 955. & frequentissime in aliis donationibus? *Ursi* quoque *levitæ & abbatis regularis Classensis* meminimus alibi, qui vivebat eodem seculo, quo in Palatiolense cœnobium Johannes VIII. monachos vocavit. Postremo movetur ipse ad fidem negandam huic constitutioni, quia in ea monasterii hujus fines assignantur: *Padus* & *Renus*; nam ut de Pado non dubitat, ita de Reno vehementer ambigit, an unquam prope Palatiolum fluxerit. At voces illæ *Padus-Renus* non significant duos distinctos amnes, sed in unam sunt conflandæ, ut canalem indicent, quem infra *Padarenum*, alias *Badarenum*, & *Padorenum* idem Johannes archiepiscopus appellat, & appellant in plurimis aliis Ravennatibus chartis tam imperatores, quam archiepiscopi donatores. *Padarenus* nominatus reperitur etiam in designatione finium monasterii sancti Adalberti in Pereo; & Simeon archiepiscopus itidem Ravennas in constitutione CCXLII. apud Margarinium [a] loci Palatioli situm ita describit anno 1222. *Insula, quæ vocatur Palazzolus integram inter affines, cujus hi sunt: a primo latere Padus in mare per portum Primarii currens, a duobus* BADARENUS *exiens de Pado apud ecclesiam sancti Nicolai, quæ infra dictam insulam esse videtur, & usque ad catenam Ravennæ, & descendit per portum, qui dicitur sanctæ Mariæ, in mare, & a quarto mare ipsum ex latere orientis.* Superius dixerat *ipsum flumen, quod nominis mutatione recepta dicitur* BADARENUS. Numquid & huic Simeonis diplomati suppositionis nota est inurenda, præsertim cum integram Johannis prædecessoris sui, & de qua lis est, constitutionem suæ inserat? Quod, præter consuetudinem ejus ætatis, careat prædictum Johannis documentum chronologicis characteribus, negotium facere non debere judicabunt ii, qui plurima diplomata eodem defectu laborantia ab Ughellio, Dacherio, Mabillonio, Muratorio aliisque eruditis viris in medium allata, norunt a censu sincerorum monumentorum non esse eliminanda, cum vel vetustate, vel transcriptorum ignorantia, vel corrosione aliove casu deperire potuerint initia chartarum. Rubeus Johannis constitutionem ad annum 898. revocavit, quia, nondum publici juris facto monumento synodi Romanæ anno 861. habitæ, Constantini Ferrariensis episcopi Johannis donationi subscribentis tempora ad eam ætatem confirmandam cum aliis ejus propriis documentis conspirabant; neque suspicari poterat Rubeus præextitisse alterum nominis ejusdem Ferrariensem episcopum, præter eum, qui annis 892. & 898. in ejus ecclesiæ monumentis memorabatur, alterum nimirum, qui ante Viatorem ad annos 877. & 881. episcopum sederit, & subscripserit concilio Romano anno 861. Ceterorum quoque præsulum illustriores notitias non habuit Rubeus. Apud Ughellium in Sarsinatibus episcopis Apollinaris Saxinas vel Bobiensis episcopus, qui primus Johanni donationi subscripsit, præponendus erit Luponi, qui anno 875. cathedram illam obtinebat, non postponendus. De ipso Apollinari legitur in arce Cæulana hoc elogium alludens præfatæ, cui subscripsit, constitutioni.

Alta Palatiolæ monachis dat templa Ravennæ
Præsul, divinis laudibus ut resonent.
Assensit Bobii, simul assensere propinqui
Pastores, large dotet ut ille locum.

In eadem Johannis constitutione meretur adnotari monasterium nuncupatum

a T. II. pag. 255.

patum *ad Memoriam regis*, & *ad Pharum*, de quo mentio habetur etiam apud Agnellum in vita sancti Johannis archiepiscopi. Loquens enim Agnellus de sepulcro Theodorici regis: *sepultus est*, [a] inquit, *in mausoleum, quod ipse ædificari jussit extra portas Artemetoris, quod usque hodie vocamus ad Farum, ubi est monasterium sanctæ Mariæ, quæ dicitur ad memoriam regis Theuderici.* Memoratur in supradicta Johannis donatione etiam *monasterium sancti Georgii martyris* constructum non longe ab illo Palatioli: Agnellus in [b] vita sancti Agnelli: *adquisivit rura in ecclesia Ravennæ Argentea quæ dicitur, & infra ipsius ruris monasterium beati Georgii a fundamentis ædificavit*. An de eo loquitur Johannes in sua constitutione? Plura Ravennæ & extra urbem sub invocatione sancti Georgii extabant monasteria, nam *præter episcopium* [c] *beati Georgii, quod Arianorum temporibus ædificatum est*, & [d] *reconciliatum a sancto Agnello*, & denique [e] *demolitum a Valerio* archiepiscopo, reperiuntur *sancti Georgii monasterium foris portam Artemidonis*, cujus abbates *Johannes* anno 955. & *Sergius subdiaconus* anno 977. & *sancti Georgii foras portam Tremeduli de Ravenna*, cujus abbas *Sergius* anno 964. monasteria forsan diversa ab alio *sancti Georgii*, cui præsidebat in abbatem *Leo clericus & notarius* anno 900. & *Sergius* anno 1015. & ab altero *in Taula sive Tabula foris portam Artenectorum de Ravenna* monialium, cujus *abbatissa Ratilda* anno 1019. quæ omnia constant ex chartis archiepiscopatus Ravennatis. Hæc occasione monasterii Palatiolensis, cui hoc anno Petrus archiepiscopus Ravennas cœnobia sancti Eusebii, & sanctæ Mariæ ad Hortum dilargitus est.

Ann. Chr. 957. Romualdi 50.

a *P. I. pag.* 280.

b *P. II. pag.* 126.

c *P. II. pag.* 85.

d *Ibid. pag.* 122.

e *Ibid. p.* 85.

FRANCISCUS Barbaranus ex ordine fratrum Cappuccinorum, auctor Historiæ ecclesiasticæ Vicetinæ [f] editæ Vicetiæ anno 1649. refert circa hæc tempora donationem quamdam in loco appellato *Salanica* factam fuisse sancto Romualdo a comitibus Pileis, Sossani dominis, quos etiam sancti viri consanguineos existimat. Utinam chartam hujusmodi donationis protulisset, vel si injuria temporum autographum perierat, saltem indicasset nobis, ubinam existebant vetera mss. illa, quibus fidem adhibendam esse scribit, & unde prædictam notitiam eruit. Majoris luminis itaque inopia, neque chartam, neque mss. codices consulere nobis licuit, quæ, ubi delitescerent, divinare non fuit animus. Salanica corrupto vocabulo hodie appellatur *Sajanega*, distatque duobus milliaribus ab oppido supradicto Sossani, & uno a Campilia, inter rivos Leonam & Sironem. De Salanica mentio habetur in vita sancti Theobaldi eremitæ, quam contexuit Petrus abbas Vangaticiensis; de eo loco verba facit etiam alter ejus vitæ scriptor Reinerius Leodiensis. Theobaldus Salanicam incoluit, prope quam traditio fert Romualdum cum discipulis suis prius inhabitasse, & in qua eremum jam fundaverat, cum ecclesia sanctis Hermacoræ & Fortunato sacra. Plura habet Barbaranus, quibus Pileorum antiquitatem illustrat, & eorum opinionem conciliat, qui putant Carrarienses, postea celebres Patavii principes, fuisse etiam Sossani dominos, & suadere volens Pileos eosdem esse cum Carrariensibus. Ex hujus eremi constructione, & nostra, & illorum sententia confirmatur, qui arbitrantur Romualdum non in Aquitania, sed in Italia ante transitum suum in Gallias, prima jecisse eremitici instituti semina, atque proinde circa dimidium decimi seculi auspicanda esse familiæ, quæ postea Camaldulensis dicta fuit, exordia.

Ann. Chr. 960. Romualdi 53.

V. Romualdus erigit eremum prope Salanicam.

f *Lib. I. pag.* 155.

ANN. CHR. 961. ROMUALDI 54.

VI. Berengarius & Adelbertus reges donatores monasterii Vangaticiensis.

VANGATICIENSI sanctæ Mariæ monasterio præsidebat hoc anno Martinus, quem prius vixisse sub Romualdi magisterio (nimirum in eremo Turris-caliginis, vel in aliis Venetæ regionis solitudinibus) affirmant domnus Severus Senesius, & domnus Fulgentius de Tomasellis Athestinus decretorum doctor & abbas noster Camaldulensis; eaque initio seculi elapsi inter terræ Abbatiæ Pollicinii præcipuos viros vigebat opinio, quam expressis verbis innuunt in supplici libello porrecto serenissimo Venetiarum principi, Communis ipsius nomine, interventu Matthæi de Vecchiis nuntii & oratoris destinati anno *1609.* die veneris XX. februarii, ut eruditis literis domni Johannis-benedicti Tassis Camaldulensis abbatis edoctus fuit olim Grandius noster, sed & nos ipsi legimus in mox laudato supplici libello typis edito eodem anno.

a *P. I. p.* 154.
b *T. V. col.* 403.

Insigni autem diplomate, quod retulit Cosmus de Arena [a] in serie ducum Etruriæ, & post ipsum edidit denuo Muratorius [b] in antiquitatibus medii ævi, quodque nos dabimus in Appendice juxta exemplaria Vangaticiensia, & juxta collectanea auctorum nostrorum, Berengarius & Adelbertus Italiæ reges eidem Martino abbati terram quamdam in insula Carpi positam atque contiguam silvæ ejusdem monasterii una cum variis ipsius pertinentiis largiuntur hoc anno.

VII. An Hugo magnus marchio Thusciæ tunc viveret?

c *Ut supra P. I. pag.* 154.
d *P. I. cap.* XV. *pag.* 137. *Antich. Estensi.*
e *T. II. Opusc.* LVII. *capp.* 3. *&* 5.
f *Histor. lib. III.*
g *Antiq. medii ævi Dissert.* XXII. *col.* 257.

VERUM cum in eodem diplomate legatur terram illam concessam fuisse *interventu & petitione Ugonis marchionis Thusciæ nostri dilecti fidelis* dubitarunt eruditi viri, an is censeri debeat magnus ille Hugo, Uberti filius, & regis Hugonis nepos, legem Salicam professus, an alius ab eo diversus. Cosmus de Arena [c] posteriorem sententiam amplexus est, priorem [d] Muratorius. Nos huic postremo subscribimus, illud tamen addentes Petrum Damianum Thuscæ historiæ sua narratione tenebras minime offudisse, ut ipse Muratorius existimat, cum narrat idem Damianus [e] Hugonem quinquagenarium obiisse, & Ubertum ejus patrem indignationem incurrisse Ottonis I. imperatoris. Quis enim vetat credere anno *961.* Ubertum, cujus nulla amplius his annis occurrit mentio in veteribus chartis, naturæ debitum jam exsolvisse, post cujus obitum marchiam Thusciæ administrandam assumpserit ejus filius Hugo, qui novennis fuisset hoc anno? Similiter nil a vero abludit Ubertum ejus parentem gratia excidisse, atque iram non effugisse Ottonis I. quem Damianus per anticipationem imperatorem appellavit, anno *952.* eo nimirum tempore, quo Otto, licet nondum rex Italiæ, neque imperator, Italiam tamen ita moderabatur pro libitu, ut testantibus [f] Witichindo, Luitprando in legatione, sanctimoniali Hroswitha de gestis Ottonis, continuatore Reginonis, Annalista Saxone, Ottone episcopo Frisingensi, & abbate Urspergensi in chronico, omnibus ad eum annum, Berengarius & Adelbertus regnum Italiæ tamquam in feudum ab Ottone agnoscerent? quo eodem anno marchia Veronensis & Aquilejensis Henrico fratri regis Ottonis commissa fuerat regenda? Ut ex his pateat Ottonem liberrime de Italia disposuisse, & Ubertum Thusciæ ducem effectum potentiorem, quam exposceret ratio principis imperio subjecti, declinare nequivisse potentiam Ottonis, cujus auctoritatem effugere non potuere supremi Italiæ reges. Re enim vera post annum *952.* quo apud [g] Muratorium in Lucæ conscripto instrumento reperitur: *Uberto marchio legem vivente Salica bonæ memoriæ domni Ugoni regi*, nullibi gentium reperitur amplius Uberti marchionis nomen in publicis chartis adnotatum. Quare haud ægre credi potest ipso eodem anno in exilium ab Ottone I. damnatum fuisse in Pannoniam, relicta interim majoris Bonifacii marchionis filia Guilla conjuge sua prægnante, ex qua susceperit eo anno filium

Hugo-

Hugonem; post aliquod vero temporis intervallum redeuntem in Ottonis gratiam Italiam repetiisse, & reperta, cum *grandiuscula jam prole*, Guilla uxore, eo tentamine, quod narrat Damianus, agnovisse innocentem conjugem, atque legitimam prolem. Ita profecto hujusmodi narratio Damiani nullis tenebris involvet, illustrabit quinimmo Thuscam hujus temporis historiam aliunde obscuram, caligineque respersam.

ANN. CHR. 961. ROMUALDI 54.

VIII. Primordia Vangaticiensis monasterii.

ALTERUM observatione est dignum in suprarelato Berengarii, & Adelberti regum diplomate, hoc nimirum anno, ut animadvertit idem [a] Muratorius, jam Vangaticiense monasterium extitisse. A vero itaque absonum non erit putare, vel Franchæ Almerici marchionis viduæ opera, quæ benefica extiterat erga ecclesiam sanctæ Mariæ, vel ejus hæredum pietate, ab anno 954. quo obiit Almericus, ad annum 961. ædificatum fuisse prope basilicam monasterium, ac pro schola sacerdotum introductam fuisse scholam seu collegium monachorum; & cum in his partibus, atque in tota Veneta ditione longe lateque diffusa esset per hæc tempora fama Romualdi, confugisse auctores hujus monasterii ad ipsum, qui in abbatem præfecerit Martinum suum discipulum, & quidem circa hunc annum. Id testatur præ ceteris Johannes-hieronymus Bronzerius [b] in sua historia *originum & conditionum locorum principalium Pollicinii Rhodigii*; ubi tamen cum asserat Hugonem Thusciæ marchionem monasterium Vangaticiense ædificasse intra annos 994. & 998., & sanctitate celebris Romualdi discipulos ibidem statuisse, dato ipsis in abbatem Martino, respexisse videtur ad auctiorem ædificationem ipsius monasterii; cum ceteroquin ex allato diplomate jam ab hoc anno Martinus Vangaticiensis monasterii esset abbas. Quare probabile est, primordia hujus cœnobii, ut passim usuvenit, atque ex constructione ceterorum monasteriorum potest demonstrari, fuisse modica & humilia hoc anno, sed maxima subinde recepisse incrementa ex donationibus ejusdem Hugonis marchionis, quas in medium proferemus ad annos 993. 996. & 997. ubi iterum mentio recurret Martini abbatis Vangaticiensis, quinimmo occurret & ad annum 1013. in charta cujusdam litis cum monasterio sancti Zachariæ Venetiarum. Verum de iis, & an idem fuerit Martinus abbas, qui ad eos annos supervixerit, agemus suis locis.

a *Antiq. medii ævi T. V. col.* 403.

b *Pag.* 144.

Ex dictis jam clare patent initia monasterii Vangaticiensis, ut proinde assentiri nequeamus Mabillonio, qui cœnobium istud suam debere originem sancto Anselmo Nonantulano abbati asseruit in Seculis Benedictinis, ad vitam sancti Anselmi, [c] atque idipsum in notis præviis ad [d] vitam eremitæ nostri sancti Theobaldi, & in [e] Annalibus docuit. En verba antiqui scriptoris vitæ sancti Anselmi, ex quibus id deduxit Mabillonius: *Statuit etiam idem vir sanctissimus xenodochium ex proprio suo in finibus Vicentiæ in loco, qui dicitur Vicus-Domnarici* (alias *Vicus-Domanum*) *ubi constituit duo oratoria sanctæ Mariæ, & sancti Petri, & monachos ibi servientes, ac pauperes & debiles perplures, exinde quotidie viventes, ex illius quoque beneficio pauperes ducentos per omnes calendas pascebantur*. Ubi sit Vicus-Domnarici vel Vicus-Domanum frustra quæsivimus a doctis Vicetinis; sed certe pace Mabillonii sermo ibi non est de abbatia sanctæ Mariæ Vangaticiensi, quæ constructa fuit in loco a veteribus appellato *Petra*, ut elucet ex chartis, & modo antonomastice *Abbatia* vocatur, neque aliquando fuit, nec modo est in territorio Vicetino, a qua urbe distat triginta milliaribus. Præterquamquod ipse Mabillonius sibi constitisse non videtur, nam ad annum 997. relata charta donationis factæ eidem monasterio ab Hugone marchione subdit: „ Hæc „ prima nobis occurrit notitia illius monasterii, cujus auctor ignoratur; “ quare

c *Sec. IV. Par. I. pag.* 10.

d *Sec. VI. Par. II. p.* 163.

e T. *IV. pag.* 681.

Ann. Chr. 961. Romualdi 54.

quare & [a] Muratorius ante nos nulla esse Mabillonii fundamenta scripsit. Ceterum flocci sunt faciendæ, ut facit etiam Bronzerius, oppidanorum traditiones, qui Vangaticiæ nomen derivant huic loco ab instrumento rustico, vulgo *Vanga*, quod est etiam insigne abbatiæ; dum alii instrumentum hoc sub terra repertum autumant, cum ea foderetur pro ecclesiæ fundamentis jaciendis, alii in ipsius terræ effossione medio illo instrumento natum hujusmodi ecclesiæ ædificandæ consilium asseverant. Illud unum observamus plura loca hoc Vangaticiæ nomine fuisse donata, & inter cetera nostrum divi Severi cœnobium in Classe prope Ravennam nominatur extructum *in villa Vangadicia*, uti legitur etiam apud [b] Rubeum, & clarius in charta Classensi anni 1013. de qua ad eum annum verba faciemus.

a T. V. col. 430.

b Lib. V. p. 320.

Heic autem loci ad nostrum, nostrique operis nobilissimum ornamentum, silentio minime prætereundum est, Vangaticiensi abbatiæ singularissimum additum fuisse decus temporibus nostris, quibus maximo divini numinis munere factum est, ut præsit illi doctissimus & eminentissimus cardinalis dominus Angelus-maria Quirinus S. R. E. bibliothecarius, cujus magnificentiam basilica cathedralis Brixiensis, quam sanctissime regit, abbatia nostra sancti Gregorii de Urbe, ecclesiæ passim & monasteria, sacraque loca non facile numeranda declarant, testantur, loquuntur; ipsa in primis Vangaticiensis ecclesiæ sarta tecta, atque clericorum collegium & seminarium abbatiæ adjunctum, certisque proventibus munifice & large dotatum; cardinalis insuper is, quem omnigenæ sapientiæ & eruditionis sacrarium laudant, suspiciunt, venerantur Europæ regna omnia, atque quorumlibet ordinum & capitum etiam regiorum genera. Et oh utinam gravissima, quibus pro ecclesia Dei perfunctus est, officia, otia illi reliquissent, ad conscribendam, adornandamque *historiam Italiæ monasticam*, quam animo semel conceptam, & prodromo etiam auspicatam semper in optatis habuit, quam etiam scimus ab ipso animos addente promotam saltem quoad insigniores abbatias, cujusque amplissima jam congesserat gloriosa monumenta; ceteris profecto ipsius præstantissimis beneficiis cumulus is accessisset, quo ex hujuscemodi historiæ lectione multa & fere omnia profecisse vel nos gauderemus in hac Annalium Camaldulensium editione.

IX. Donatio Balduini comitis monasterio SS. Petri & Martini de Urbe.

Balduinus gloriosus comes Romana in urbe constitutus Benedicto religioso presbytero, monacho & abbati monasterii sanctorum Petri apostoli & Martini confessoris, siti Romæ in regione secunda sub monte Aventino, in loco, qui vocatur Orrea, donat casale vocatum ad Sex-columnas positum foris portam Appiam milliario ab urbe Roma sexto vel septimo pro redemptione animæ suæ, & Saxiæ olim conjugis suæ. Videtur monasterium sanctorum Petri & Martini pertinuisse ad cœnobium sanctorum Andreæ & Gregorii, cujus abbas per hæc tempora erat Benedictus, cum pariter hæc donatio reperiatur in codice Gregoriano, de quo annis antecedentibus egimus, atque ex præcepto Ruberti abbatis sancti Gregorii exemplar hujus donationis confectum fuerit. Fit mentio in hac charta monasterii *Cella-nova*; ipsum juxta Petrum Mallium est abbatia *sancti Sabbæ, ubi dicitur Cella nova*; & Leonis protoscriniarii. Fallimur, si Leo hic idem non est cum Leone laico protoscriniario constituto Romano pontifice a concilio Romano post biennium vivente Johanne XII. cujusque memoria occurrit apud [a] Muratorium etiam in chartis annorum 952. & 958. Johannes papa XII. nominatur sanctissimus & *coangelicus*. Facta autem fuit donatio *anno pontificatus domni Johannis summi pontificis & universalis duodecimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli sexto indictione quarta mensis aprilis die vicesimo*. Ex his notis temporariis Johannes

c T. I. col. 163. & T. VI. col. 203.

nes

nes duodecimus Romanam cathedram conscendisset ante vicesimam diem aprilis anni *956.* atque proinde Agapiti prædecessoris obitus statuendus esset ante eam diem. Subscribunt Balduini donationi Georgius secundicerius, Andreas arcarius, Theophilactus eminentissimus consul & dativus, Benedictus dativus, Demetrius dux, quorum plurium nomina apparent in chartis hujus seculi apud Muratorium. Locus appellatus Orrea erat sub Aventino monte inter ripam Tiberis & Testaceum montem, ubi erant disposita centum-quadraginta horrea populi Romani ampla & oblonga, ut referunt Andreas Fulvius libro IV. & Lucius Faunus libro III. de Urbis antiquitatibus. Extabat seculo XIII. ibidem ecclesia seu capella sancti Jacobi in Orreis subjecta monasterio sancti Gregorii, cujus mentio fit in charta anni *1297.* apud Nerinium [a] in appendice ad historiam de templo & cœnobio SS. Bonifacii & Alexii de Urbe. De utraque ecclesia, scilicet de monasterio SS. Petri apostoli & Martini confessoris in Orreis, ac sancti Jacobi in Orreis non meminit Martinellus, ubi agit de templis obsoletis Urbis. Integra Balduini donatio dabitur in Appendice.

ANN. CHR. 961. ROMUALDI 54.

[a] *Pag.* 480.

REFERUNTUR sub hoc anno in eodem codice Gregoriano plures donationes factæ monasterio sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe. Leo filius Constantini *anno pontificatus domni Johannis &c. duodecimi &c. sexto indictione quinta mensis decembris die tertia;* hoc est, ut conjicimus, sub finem anni antecedentis, indictione inchoata a mense septembri, Benedicto abbati monasterii; pariter Mercurius filius quondam Theodori & Aneta jugales *anno pontificatus domni Johannis &c. duodecimi &c. septimo, imperante domino perpetuo augusto Ottone a Deo coronato magno imperatore anno primo indictione quinta mensis aprilis die vicesimo quarto,* eidem Benedicto abbati; demum Agatha *anno pontificatus domni Johannis &c. duodecimi &c. septimo indictione quinta mensis novembris die decima* domno Johanni religioso abbati venerabilis monasterii sancti Andreæ apostoli & sancti Gregorii, qui vocatur Clivuscauri, terras donant in territoriis Castellano, & Colinense. Hæ notæ chronicæ pariter innuunt mortem Agapiti Romani pontificis ante eam diem mensis aprilis anni *956.* cum ipsa die septimus numeretur Johannis duodecimi, qui ei in cathedra Romana successit, annus. Obitus etiam Benedicti Gregoriani abbatis contigit eo intervallo temporis, quod fluxit a die vicesima-quarta aprilis ad diem decimam novembris. Chartæ leguntur in Appendice.

ANN. CHR. 962. ROMUALDI 55.

X. Variæ donationes monasterio S. Gregorii de Urbe.

REPERITUR in codice tabularii sancti Michaelis Pisarum, in quo exarantur donationes factæ abbatiæ sancti Mamiliani Montis-Christi, de quo codice plura monuimus ad annos *927.* & *951.* sub præsenti *anno novicentesimo sexagesimo tertio indictione* XII. *Rugerium Dei gratia dominum de Corsica* (is forte Simonis regis pariter Corsicæ filius) emisse possessiones ab Asinuculo & Nutuccio & Leone filiis quondam Biancone de Amondasti *in loco dicto in flumine de Solo, videlicet, ubi dicitur la Rogente, qualiter est terminata pro terminis da piede lo ponto de la Lezia & de capite lo Castellare & de latere la strata a lo molino & lo Gargalo di Chasaluna, quæ sunt casis casamentis &c.* persolvisse autem pro pretio venditoribus *duos equos infrenati & insellati, ac etiam septuaginta pecore & viginti capras & decem & octo mezzini grani &c.* Nemo non videt vitiatas in his tabulis notas chronologicas, cum decurreret hoc anno *963.* indictio VI. non XII. quare substituendus videtur annus *969.* qui optime componitur cum indictione XII. Cur vero emptionem hanc anno *969.* potius

ANN. CHR. 963. ROMUALDI 56.

XI. Rugerii comitis Corsicæ donationes monasterio S. Mamiliani Montis-Christi.

ANN. CHR. 963. ROMUALDI 56.

tius quam 984. consignemus, ea est ratio, quia hæc eadem bona, quæ emit Rugerius, reperimus ipsum anno 981. obtulisse monasterio sancti Mamiliani insulæ Montis-Christi. Sic enim oblationis charta inscribitur. *Anno a nativitate Domini nongentesimo octuagesimo primo indictione nona die septima martii ego dominus Rugerius Dei gratia dominus de tota Corsica inrevocabiliter inter vivos do & trado & offero simul cum uxore mea Pantasilea omnipotenti Deo & ecclesie sancti Mamiliani insulæ Montis Christi solum hoc pro remedio animarum nostrarum & antecessorum in manu domini Mauri abbatis monasterii sancti Mamiliani insule Montis Christi omnes meas possessiones, quas habeo in loco ubi dicitur lo Rogente in flumine de Solo, qualiter est terminata per terminis de piede lo ponte de la Leccia & da capite lo Castellare, de latere la strata a lo Molino & lo Gargalo de Chasaluna* &c. *Actum in ecclesia sancti Salvatoris de l' Aquajo. Testes Ambrosius episcopus Aleriensis & dominus Andreas quondam Ruberti &c. Ego Landulphus imperiali auctoritate notarius. Ego Fregolinus de Pero plebis Tavarie notarius sacri imperii hanc chartam copulavi & scripsi &c. E questo abbio fatto alli preghi di don Paolo abate di sancto Mamiliano insule Montis Christi presentibus testibus Francesco de Saja & Jacopo & Mariano tutti di Filetta. E questo fu nell' anno del Signpre* M.CCC.LVI. *die* VIII. *augusti nel castellazzo di Casincha. Signum meum apposui consuetum*. Suppleri potest ope hujus chartæ immanis lacuna Italiæ sacræ Ughellii [a] in episcopis Aleriensibus ab anno 646. ad annum 1252. quo temporis intervallo nulli reperiuntur ejus sedis episcopi, Ambrosium episcopum statuendo ad annum 981. Mauri quoque abbatis sancti Mamiliani tempus utcumque dignoscitur, qui forte successerat Johanni abbati, de quo ad annum 951. verba fecimus. Conjungenda quoque est cum supradicta donatione altera, quæ annum quidem præfert dominicæ incarnationis M. XXXVIIII. diem autem decimam augusti, sed præterpropter ad hæc tempora trahenda, cum, præter Rugerii comitis, Landulphi etiam notarii nomen in utraque charta appareat. Hac postrema charta Rugerius *sanus mentis & corporis sui pro remedio & salute anime sue & parentum suorum* dat *dicto monasterio sancti Mamiliani insule Montis Christi terras, que sunt prope allodio & dovicie de suprascripto domino comes Rugeri. Hoc est Arnosa col Poccio arenoso & Plano Brincecoli & lo Podio de le Mortelle, quomodo sunt terminata da via publica & mette a la Bertolaccia & descende per Senone usque in Petra rossa & mette in Gargalo, Coccia panio, & drinetro sancti Marcelli & mette in mare. Et l' altri latere Savagene & mette a la Ficarese & mette in mare salvo reservato infra detto circolo & do vico sancti Laurentii & lo do vico de sancto Vito de Gorgono* &c. *Actum in ecclesia sancte Marie de Canovaria. Ego presbyter Landolphus &c.* Hæc ad illustrationem abbatiæ sancti Mamiliani Montis-Christi.

a T. III. col. 502.

XII. Alia donatio monasterio S. Gregorii de Urbe.

ANNO *pontificatus domni Johannis &c. duodecimi &c. octavo, imperante domno perpetuo augusto Ottone coronato magno imperatore anno secundo indictione septima mensis octobris die secunda* Gregorius & Marozza ancilla Dei filii bonæ memoriæ Gilioro & Gregoriæ jugalium, atque Theodorus & Benedictus germani & consobrini fratres Johanni abbati sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe tradunt terras in territorio Castellano. Indictio septima, quæ usurpatur, incœperat a mense septembri hujus anni, cum ceteroquin præsenti anno decurreret indictio sexta. Integras tabulas habes in Appendice.

Mo-

ANN. CHR. 965. ROMUALDI 58.

XIII. Sanctorum corporum Probi, Eleuchadii &c. delatio ex Classe in urbem Ravennam.

MONACHI Classenses sancti Apollinaris a tempore Valerii archiepiscopi Ravennatis, qui circa annum 794. in ea cathedra sedere cœpit (nisi forte & sub antecedentibus archiepiscopis) præter divinum, quod in propria basilica impendebant servitium, in beatorum pariter Probi & Eleuchadii ecclesiis parum dissitis ab illa sancti Apollinaris, religionis officia exercebant. Id clarissimis verbis testatum nobis reliquit canonicus Ravennas anonymus, qui ad præsentem annum 965. vivebat & scribebat. Postquam enim introductionem monachorum in basilicam sancti Apollinaris factam a Sergio archiepiscopo Ravennate narravit, [a] subdit : *Sed nobis absurdum quidem permisceri canonicorum ordinem videtur, qui activam summo tenus peragunt vitam, cum cœnobitis, qui cœnosam, videlicet mundanam, spernentes vitam, si veri cœnobitæ sunt, contemplativam cœlestem amplectuntur, scilicet properant summis ad patriam studiis. Eo tamen tempore uterque ordo sedulas laudes conditori nostro digne efferebat Deo. Ad beatorum igitur Probi ac Eleuchadii ecclesias canonicorum indefessis ordo excubiis divina impendebat officia, simulque etiam cum cœnobitis Dei seorsum peragebat obsequia in beati ecclesia Apollinaris. Protelante vero per curricula tempore labentia Valerius primi apicis Ravennatis ecclesiæ suscepit officia, qui super aram sanctissimi civorium, uti ipsius meretur Probi dignitas, fieri jussit, atque diversis p.... variis coloribus decoravit, & utraque scilicet cœnobitarum canonicorumque instaurans officia, fideliter suo tempore Deo ubique annuente disposuit cuncta. Sita* erat beati Probi *ecclesia*, teste eodem anonymo, *in partibus orientis, & in nullis ecclesiis infra civitatem Ravennæ & Classim, missa super populum celebrabatur, nisi in ista sola. Ædificata* fuerat *jam vero dicta basilica juxta ardicam beatæ Euphemiæ, quæ vocatur ad mare, quam nunc demolitam esse videmus*. Maximianus archiepiscopus eam extruxerat, *devotoque apparatu musivi exterius* decoraverat, *ibique sub altare ejus sarchophagum* statuerat. Existimamus sancti Probi ecclesiam *monasterium* esse illud, *quod vocatur sancto Probo*, cujus mentionem facit Johannes papa VIII. [b] in epistola ad Ludovicum II. imperatorem, qua se præfatum monasterium cum ceteris ibidem nominatis non abstulisse a Ravennate archiepiscopo, sed ab antecessoribus suis possessum jure proprio retinere asserit.

Verum seculorum infelicitate in vitia dilapsus, quod fuit & ceterarum urbium commune infortunium, uterque canonicorum & monachorum ordo, deses & piger in debitis officiis, statuta quoque postposuit paulatim obsequia, quam negligentiam mœrens exposuit sequentibus verbis suprarelatus canonicus. *Ad probra tandem lubricaque utrique tempore delapsi vergente ordines, Deum exorabilem reddiderunt inexaudibilem. Sancta nempe statuta a priscis patribus edita profanando, dilectionem odio, pacem jurgio, castitatem nefario conjugio, largitatem tenacitatis vinculo, prædia ad peregrinorum sustentationem largita turpissimis scortis, eorumque natis diversis ingeniis largiendo, Deum, ut diximus, exorabilem cum prædecessoribus nostris eorumque sequentes nequitias, reddidimus inexaudibilem*. Tum enarrat direptionem ecclesiæ sancti Apollinaris factam a Saracenis vel Sclavonicis, de qua nos fuse ad annum 926. & prosequitur : *In his enim pressuris atque angustiis nullus ex omnibus se toto nisu conamineque Deo adhæsit, sed magis magisque ad pejora delapsi publice cuncta sunt illicite perpetrati. Cœnobitæ, qui monasterium floccipendentes, mulierum consortiis utentes, quæque poterant a fratribus monasterii auferentes, nefariis illicitisque natis, consortiis etiam sibi caris, ferebant latenter. De nostro etiam magis silendum fore reor ordine, quam aliquid proferre, ut .... cum in eodem sese*

[a] *Script. rer. Ital. T. I. P. II. p.* 554. & *seqq.*

[b] *Misc. Baluz. T. V. p.* 489.

ANN. CHR. 965. ROMUALDI 58.

nequiter luto voluti .... inserit sedule. Interea ipsa, quæ verbo tenus ore latrante officia agere soliti erant, diei noctisque per hebdomadas sæpe deserentes, negotiis & opibus secularibus operam dantes, extra se ecclesias cum monasterio dimittentes, redactæ sunt, ut (pro dolor!) piratarum speluncæ. Interim hoc adolevit flagitium, ut monasterii officinæ fierent caulæ pecudum, Sanctorum denique multodudum a christianis venerata studio corpora ab incolis aliquando forent spreta. Postmodum indocti & nescii infra eorum septa sternebant cubilia, sectatoresque ferarum secum illic accubare faciebant canum, permittentibus custodibus præfectisque sævis, agmina. Per omnia ab incolis ecclesia beati Probi devenerat oblita statutis obsequiis, nunquam privata tamen divinis. Inter hæc sæva portenta nonnulli conati sunt auferre Sanctorum corpora. Sed omnipotens Deus non permisit ab iisdem frustrari urbem Ravennæ, quæ quidem non propriis meritis, sed eorum servatam precibus Sanctorum non ambigo, immo firmiter credo &c.

His motus Petrus Bononiensis, simulque, ut a latronum incursibus sacrum Probi corpus tueretur, optime factum putavit sacra ejusdem beati episcopi ossa ex Classe in urbem Ravennam inferre. Pergit narrare auctor historiam hujus translationis, quam circa hunc annum contigisse scribit [a] Rubeus his verbis: „ Hoc tempore Petrus archiepiscopus divorum „ Aderiti, Caloceri, Probi, Proculi, Dathi, Liberii, Agapiti, Marcellinique sancta cadavera ex templo divi Probi, quod erat ad mare, Ravennam in ædem Ursianam transferenda curavit, iisque omnibus sanctissimis archiepiscopis aram ejusdem Ursiani templi maximam tertio „ nonas martii consecravit & dedicavit. “ *Hoc autem*, inquit supralaudatus anonymus, *junior quartus curriculo temporum Apostolorumque utebatur antistes nomine Petrus, Ravennatum pontificalem præsulum regebat ecclesiam. Hic sæpius abbatem cum subditis monuit monasterii beati Apollinaris, ut sanctorum Eleuchadii & Probi ecclesiis statuta inferrent officia temporibus singulis. Hos quoque nec blandimentis ad hoc studium provocare valuit, nec terroribus sæpe cum flagris inclinavit. Idem talia cernens, adhibito clericorum optimatumque urbis consilio, nisus est beati Probi corpus, ut Deo annuente perfecit, infra urbis deferre ecclesiam. Nonnulli tamen quasdam opponentes iis, qui talia gessissent, contrarietates, antistes tactus formidine, iis negotiis noluit interesse, quas ideo ne tædium auditoribus inferrent, omisimus referre inclyte narrationis magna prolixitate. Non solum se, sed alios, quos magno opere firmabat, diligenter antistes subtrahere voluit. Sed Dei prædestinatio omnipotentis in his gestis & omnibus prævaluit. Igitur pridie kalendas februarii, quibus hoc Deus, quod gestum est, dignatus est pandere, aliquanti ex omnibus pene ordinibus cleri ad ecclesiam ut ambigui devenere beati Apollinaris, ab eisdem ibi multa cum gemitibus & lamentis fusa prece, hoc concepto vigore ad sancti Probi ecclesiam permanere. Hi dum irent, quidam monachorum retulit uni nathinæorum, quam vidit visionem. Ajebat enim vidisse hunc in somnis nocte ad ecclesiam sancti nostri institutoris Apollinaris venire, & ab eadem tres ingentes libros magnis apicibus exaratos auferre; sed aliquantos ibi sinebat librorum apices. Quod ut nathinæus audivit, magno tripudio exultavit, secum tamen referens, multumque volutans, quod a monacho audiverat: Confido, inquit, in Domino, quod hodie nostrum ad effectum perveniet votum. Non mediocriter hic satagebat nathinæus, sancti Probi ut infra mœnia duceretur corpus, fidens quia erat labore pro hoc ab eo consequuturus emolumentum. Ad eamdem autem jam sæpedicti beati Probi ecclesiam devotissime quum venimus*, (hic & passim subsequentibus verbis luculenter tempus, quo vixit,

[a] *Lib. V. p. 261.*

xit, manifestat auctor hujus narrationis) *humo prostrati multas Domino preces obtulimus, ut dignaretur complere, si sibi libitum nostrum foret votum. Erecti tamen multa inter nos contulimus, quid gerendum esset de tam tremendo actu, ignorantes ubi sacrum corpus, jaceret humatum. Ajebant quidam, quod non talia auderent inchoare, quia cæmentariorum ignorabant artes, ne dum incaute lapides tractarent magis ad damni cumulum, quàm ad augmentum esset. Idem qui supra concito cursu equitem pro cæmentario nathinæus direxit, sociosque tantum circumquaque fodiendo incitavit, ut desiderabilem Deus suis donaret thesaurum famulis. Arrepto itaque quidam imbecillium sacerdotum sarculo, circa aram circumquaque pergebat fodiendo. Alii lapides miræ magnitudinis digno elevabant studio; sed minime reperiebant cupitum thesaurum. Is autem, qui sarculum parvitate virium gestabat, sacerdos circumquaque, ut diximus, circa aram fodiebat, laterinum lapidem percutiens, exiguum latenter sub altare foramen aperuit arcæ. Quo viso altaris mensam cum sacerdotibus quibusdam renitentibus submovimus magno lætantes gaudio. Inferiorem cum columnellis, quibus mensa fulciebatur, lapidem, sustulimus: ad arcæ operimentum Sanctorum nomina invocantes devenimus. Quod ingens operimentum inscia mens hominum non æstimabat sine discrimine elevari posse per hos, qui intererant, homines a decem viris Deo alubescente sublevatum est facile.*

Ann. Chr. 965. Romualdi 58.

His gestis omnipotentis munere industria sine cæmentariorum, adest præ magnitudine imbrium humidus magister latomorum, qui talia ab insciis imbecillibusque etiam gesta cernens viris, una nobiscum Dei magnalia glorificavit. Cernuo universi, qui aderant, intro vultu aspicientes, viderunt vas ligneum jam in inferiori parte in aliquantis carie præ vetustate consumtum, superiore tamen integrum. Quod apertum, tria ibi humata cernunt corpora Sanctorum; duo simul, tertium ligni interpositione sequestratum. Inter se quoque innumera agitantes, quia nihil adnotationis vel inscriptionis repererunt, qui essent, quove nuncuparentur in seculo, dum adviverent, nomine. Aestimabant tamen, qui aderant, sequestratum beatum fore Probum, unitos sanctos Aderitum & Calocerum. Summa igitur cum devotione Sanctorum corpora ex arca sustulerunt cum ligneo vase. Ibi aliquanta reliquerunt ex Beatorum cadaveribus ob illorum commemorationem. Linteamina circum vas, cupitumque thesaurum diligenter, ut competebat, nectentes institis reposuerunt omnia super sedem antistitis. Visio tunc, quam cœnobita nathinæo retulerat, ad liquidum est completa. Illico, ut diximus, quia enormitas erat nimia imbrium, cæli serenitas emicuit ad purum. Hoc pius Dominus ostendere dignatus est pro suis Sanctis primum fidelibus miraculum. Tanta denique inundatio fuit præterito pluviarum mense, ut pene omnis, ad morem amnis, inundaretur ecclesia; sed mox ut foris delata sunt e tumulo corpora Sanctorum, serenitate perspicua, ut exaratum est, emicuit cœlum. Quidam nimia febre corripitur, Moyses nomine, monachorum mox hortatu plurimorum, nostrorumque, ut Sanctorum ferculum ad gestandum tetigit, omnium membrorum sanitatem recepit. Deo nostro laudes, Sanctisque, voce, ut competebat, extulit. Tunc cum hymnis laudibusque sacris Beatorum corpora ad sancti Apollinaris delata sunt ecclesiam. Illic a discipulis digna cum fletibus ac lamentis modulata sunt carmina. Inde ad comparem beatum Severum, cujus sequenti festa die irradiabant, cum ingenti properavimus lætitia; prima nimirum februarii die sancto Severo sacra: quare *præteriti mensis aquarum inundatio*, de qua superius loquitur anonymus, contigit mense januario. Intelligimus etiam ecclesiam sancti Probi, quæ erat juxta ardicam beatæ Euphemiæ, sitam fuisse pone illam sancti Apollinaris pro-

ANN. CHR. 965. ROMUALDI 58.

pius versus mare, cum ejusdem Sancti corpus ex propria basilica primitus in illam sancti Apollinaris, subinde in aliam sancti Severi, & demum in Ursianam Ravennæ a gestatoribus sacræ sarcinæ delatum fuerit.

Paratis rite missarum sollemniis ac vespertinis, ob laborem refocillata sunt corpora cibis. Sed ne a clandestino quid fure reparetur de Sanctorum cadaveribus, debito custodita sunt honore a christianis fidelibus. Vergente quoque sole stellis fulgentibus dedit indicium, quod per magna horarum spatia digne Deo Sanctisque ejus modulantes insomne deduximus. Titane denique radiante, peracta sacra missarum sollemnitate, Sanctorum sublata sunt corpora, quæ digno cantico cum obsequio cordeque trito pergebant Ravennam. Occurrit omnis populus ad tantum spectaculum; veste clarus fulgida gestabat luminaria. Adolescentum cuneus discrete cum juvenibus, seorsum & femineus aderat sexus; plurimorum hos cum singultibus subsequebatur, ut mos est, turba senilium; chorus namque sacerdotum digne laudabat Deum. Suffusa præsul facie retro lacrymis, tegmine indutus venit, ostendens quanta gerebat in mente: dapsilis cibi inopum tribuendo munusculum, affuit quoque ipse tunc levamen pauperum. Stravit se totum illico cernua mente in humo. Effusis dignis precibus supplex surrexit protinus. Tunc imperat, ut ardua sonent voce micantia excelsi poli sidera dulcisona per carmina. Interea cœpto, ut præsul dixerat, cum carminibus itinere, per diversos civitatis concurrebat uterque sexus additus summa cum devotione. Quantus illic lacrymarum excreverit ex fausto omine rivus, sermo nequibit centeno explicare gutture humanus. Ad Ursianam igitur quum omni pervenisset devotione ecclesiam, ut destinaverat, Sanctorum ibi præsul jussit reponi corpora. Sic tandem universi ad singula redierunt hospitia. Refectis denique cibo corporibus, qui supra reversus est, ad instantem præfatam ecclesiam nathinæus, Sanctorum cernens, ut decebat, locata corpora, missus est cum quodam sacerdote, transferre, ubi sibi visum melius fuerat. Sed quum levare ea conatus est; sed vires, quia non decenter, ut oportuerat, egit, corpora defecere. Qui meliori roboratus igitur consilio semetipsum redarguit. Cum prædicto sacerdote spiritalia Deo, Sanctisque suppliciter carmina cecinit. Talia tandem dum agerent, Sanctorum prece vires corporis rediere, sicque illorum sublata ab eis corpora, ut vix pondus sentirent mole ex pristina.

XIV. Miracula ad eorum sacra corpora patrata.

PROSEQUITUR auctor referre miracula, quæ ad eorum Sanctorum corpora divina virtute patrata fuere. *Eodem quippe*, inquit, *momento quædam mulier, Perpetua nomine, oleum cum vitreo vase eisdem misit, ob immensum, quem patiebatur, corporis languorem: cui mox præstiterunt validissimam ex corporis incommodo sanitatem. Si cuncta, quæ præstiterunt, sanctitatis indicia referre cupimus, nox citius extremum telluri officium reddet, quam ordinabiliter ea referamus. Quanti vero a febribus, quantique ab adversis corporis languoribus eorum precibus sanitati sunt restituti, eloqui non valemus. Communi namque præsulis ac omnium decreto ex proconisis illis est constructum lapidibus in præfata dudum ecclesia mausoleum, quod dum strueretur, nostri quidam sanguinis particeps, quum in immensum pateretur febrium ardorem, nihil hæsitans, sed firmiter credens, venit. Cæmentarios, quibus indigebant, ministravit: finito opere ab infirmitatis onere se ob illorum merita sanum erexit. Tertio autem martii nonas illorum felicissimo pro honore a Bononiense præsule* (is erat Albertus, seu Adalbertus, cujus mentio occurrit anno 968. in chartis tabularii Ravennatis archiepiscopii, & anno 970. in placito Ecciconis missi Ottonis imperatoris) *dedicatum est studiosissime perfecteque altare, ubi eorum suffragia suppliciter ab omnibus cernua exposcuntur mente. Quia extrinsecus collata benefi-*

cia

cia a Sanctis retulimus, quæ intrinsecus nobis largita sunt, silere non debemus. A caris videlicet viris cernitur, quid de perceptis beneficiis gratis ministrantibus nobis Deus largitur. Decimo kalendas majas languor aurium me immensus irrepsit, non dolorem intulit, auditum sed pene exemit. Magis enim verba ex oris cognoscebam figmento, quam aurium attributo officio. Et si forte auribus ejus, qui circa me loquebatur, verba sensissem, ita mihi videbatur, ut paries muri a me divideret loquentem. Nocte igitur sequentis diei ad Sanctorum corpora exiguo cum munere me totum detuli; quibus egebam devotissime rogavi. Ad ipsius diei horam tertiam adhibito hirundinum medicamine, ipsis intervenientibus, aurium officia recepi ex integro. Domino mox laudes, ipsisque mente cernua detuli, ac postremum me in illos totum injeci, itaut nullus, dum advixero, præteriet dies, quin cupiam memet ab eisdem meo studio faciente fulciri.

ANN. CHR. 965. ROMUALDI 58.

Tum subdit, quomodo inventa fuerint corpora alia sanctorum archiepiscoporum. *Post quorum quarto vel quinto die curationem Sanctorum nostro cuidam vir quidam Urbano adstitit, honorabilis vultu, canitie decoratus visu, qui dictis eumdem informaverat talibus: Satis plane peregistis juste, qui Sanctorum non permisistis esse corpora divisa sine factione; quinque sed alios sevistis ibique non ab eis, quos detulistis, existunt inferiores. Hæc, quæ prædiximus, Urbanus quum retulisset, præsulis pervenerunt multorum relatione ad aures, secumque volvere cœpit, qui essent, quos Deus taliter decrevit manifestare. Accitis ecclesiarum ordinibus, quid de prædicto sentirent, sciscitatus est visu. Sed per jam sæpius nominatum nathinæum intellexit, beati Apollinaris fore discipulos, sicut in gestis repererat Ravennatum præsulum. Præcipue tamen hæc seriose asserebat, quod in beatissimi agone Apollinaris viderat exaratum esse, quod Aderitum & Calocerum prædictus pontifex & athleta presbyteros ordinasset; Martianum & Eleuchadium philosophum diacones statuisset. Sex etiam clericos promovisset, cum quibus die noctuque Domino psalmos caneret. Martianus vero post pontificalem infulam ecclesiæ Ravennatis tandem martyrio coronatus est. Eleuchadius autem ab Italorum rege Aistulpho ad Ticinensem delatus est civitatem. Ex qua re manifeste colligitur, quod ex decem prædictis discipulis octo apud Ravennates corpora remanserunt, quorum nomina hæc sunt: Aderitus, Calocerus, Proculus, Probus, Dathus, Liberius, Agapitus & Marcellinus. Quibus præsul cognitis eumdem nathinæum cum primatibus quibusdam, illiusque affinibus civitatis, ad horum corpora indaganda direxit. Quæ strenue inquirentes in prædicta sæpius beati Probi æde, duo multo tandem sudore sepulcra repererunt, diversoque cum studio latentia, ingenioseque aperta, & in altero horum tria, in altero duo humata videre corpora. Hæc autem ex ligneis, quia admodum vetustæ erant capsis abstrahentes, & in sindone condientes, Ravennam detulerunt multis cum hymnis magno gaudio exultantes. Sed quia erat dies secundus Rogationis ante celebritatem Dominicæ ascensionis, tota plebs cum ipso præsule, ut prædiximus, obviam venit nobis. Tunc quidam infirmitate artactus, quam medici maniam vocant, dum Sanctorum corpora ad Ursianam gestarentur ecclesiam, a suis filiis valde furibundus ipse est delatus, quos ut ei erat possibile, vorare morsu nitebatur. Sic tamen coactus usque ad præfatam ecclesiam cum eisdem est perductus, istisque ac tribus prioribus multa vi est suppositus; quamquam non illico suo præpediente delicto, esset a languore ereptus, tamen non diu illorum precibus protelatum est tempus, quod sanitati est redditus; quem nos satis modestum postmodum ac devotum ad prædictorum corpora Sanctorum supplicantem vidimus. Hunc quoque, si bene valeret, percontati sumus: ita se reponebat,*

San-

Ann. Chr. 965. Romualdi 58.

Sanctorum non suo merito, prece, verecunda facie, Deo favente, sanum esse, ut nihil de præteriti languoris imbecillitate sentiret. Horum sed denique quinque corpora Sanctorum nondum condita sunt humo. Adhuc enim sindone manent super quamdam cameram in voluta ecclesiæ super testudine.

Demum concludit: *Beati igitur Probi, cujus diem solemniter hodie celebramus, dum aliqua ex ejus mirabilibus retulimus, per ejusdem socios immorando, quamquam ex his deflorando, valde ab eo digressi sumus. Nunc autem ad ejus patrocinia redeamus, eumque omni nisu cum sociis deprecemur, ut sicut cum patribus nostris initia piæ intulerunt prædicationis, sic pro nobis interveniant apud auctorem & principem totius bonitatis, ut remotis, ipsorum interventu, nostra digna pœnitudine facinoribus cunctis, compotes esse valeamus sempiternis. Quod ipse præstare dignetur, cujus regni majestas nec incipit, nec desinit in secula seculorum, amen.*

Diximus superius Rubeum ad hunc circiter annum referre horum sanctorum corporum translationem. Ex anonymi, quam integram attulimus, narratione hæc dumtaxat scimus, trigesima prima januarii effossa fuisse corpora beati Probi archiepiscopi & duorum sociorum; prima & secunda februarii deducta per basilicas sancti Apollinaris & sancti Severi, ac demum deposita in templum Ursianum; quinta die martii dedicatum fuisse in hac postrema ecclesia altare in Sanctorum illorum honorem; vigesima-secunda aprilis correptum se aurium languore, & post unum vel duos dies eorum meritis aurium officia recepisse; quarta vel quinta die post suam curationem (ipsa est vel XXVII. vel XXVIII. dies aprilis) apparuisse virum honorabilem vultu Urbano cuidam manifestantem alia in Probi basilica delitescere sacra corpora; ea reperta die secunda Rogationum ante celebritatem Dominicæ Ascensionis Ravennam fuisse delata. Porro hoc anno dies Ascensionis Domini occurrebat quarta maji, Pascha enim celebratum fuerat die XXVI. martii, cum litera dominicali A. signaretur præsens annus 965. Secundus itaque Rogationis dies componebatur cum die II. maji, quinque nimirum aut sex diebus post visionem, quam habuerat Urbanus. Ad hunc proinde annum probabilius pertinet hæc sanctorum corporum detectio & translatio, quam ad annum 963. ad quem eas statuere placuit Muratorio; quo scilicet anno literam dominicalem D. præferente Paschatis festum celebratum fuerat die XIX. aprilis; Ascensionis autem occurrerant sollemnia XXVIII. maii, atque XXVI. ejusdem mensis secundus dies Rogationis, & propterea integro mense post Urbani visionem. Idem anonymus narrationem hanc vel orationem habuit die X. novembris, quæ sacra erat beato Probo, & qua die nondum condita humo fuerant sacra quinque corpora sanctorum archiepiscoporum posterius reperta.

XV. An ea delatio tribuenda sit Petro, vel Honesto archiepiscopis Ravennatibus?

Quod autem scribit anonymus Ravennas canonicus translatum a Petro archiepiscopo corpus beati Probi, & collocatum in basilica Ursiana, id intelligendum est de translatione & collocatione minus sollemni; nam sollemnior præstita fuit post Petri obitum ab Honesto ipsius successore, qui hanc sibi tribuit in charta tabularii archiepiscopalis Ravennæ anni 974. in qua ipse Honestus conceptis verbis *sancto ac venerabili altari beati Probi confessoris Christi infra ecclesiam sancte nostre Ravennatis ecclesie, ubi sacrum ejus corpus a nobis collocatum est sub dominio & potestate ambarum scholarum, scilicet cantorum & lectorum, curtem integram* concedit &c. Idipsum confirmat Rubeus, qui postquam a Petro factam recenset translationem corporum sanctorum archiepiscoporum Ravennatum in ædem Ursianam, hæc de Honesto habet: [a] „ Honestus archiepiscopus sacris rebus intentus divi Probi cadaver in Ursiana æde sub testudine honestis-

„ sime

a Lib. V, p. 266.

„ sime propriis manibus collocavit, aramque ejus nomini, quæ nunc non „ exitat, consecravit ac dedicavit, addixitque illi, ut ipsius Honesti verbis utar, sub dominio &c. " Tum refert partem chartæ donationis ipsius. Nos, in complementum superenarratæ historiæ, eamdem chartam, quia nullibi integra vulgata fuit, in Appendice totam referimus, scriptam *anno Deo propitio pontificatus domni Benedicti summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri sede secundo; sitque imperante domno Ottone a Deo coronato pacifico magno in Italia anno septimo .... mensis februarii indictione secunda Ravenne*; ipse est Benedictus VI. qui proinde mense februario anni 974. nondum a Bonifacio apostolicæ sedis invasore in carcerem fuerat conjectus.

Ann. Chr. 965. Romualdi 58.

XVI. Libellus factus de re olim juris S. Apollinaris Petro de Traversaria.

Hoc eodem anno 965. *anno* scilicet *Deo propitio pontificatus domni Leoni summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri sede secundo, sitque imperante domno Ottone magno imperatore in Italia anno quarto die vigesimo septimo mensis madii indictione octava Ravenne*, Petrus filius quondam Pauli ducis de Traversaria vineam positam in fundo Vedaciano territorio Liviensi *plebe sancte Marie, que vocatur in Aqueductu*, quæque in sanctam Ravennatem ecclesiam obvenerat per commutationis paginam a Dominico presbytero & abbate regulæ monasterii sancti Apollinaris siti foris murum dudum civitatis Classis, recipit in emphyteusim a domino sancto & meritis beatissimo, atque apostolico patre patrum domno Petro sanctæ catholicæ Ravennatis ecclesiæ archiepiscopo. Inter eos, qui subscribunt, præter Petrum filium Pauli ducis de Traversaria, nota digni sunt *Dominicus consul*, *Johannes consul pater civitatis*, & alter *Johannes filius Johannis patris civitatis ex genere ducis*, & *Andreas magister militum*. Integram tamen chartam autographam ex tabulario Bonifacii marchionis Rangonii a nobis exscriptam in gratiam lectorum nunc primum publici juris facimus in Appendice; ex qua in cognitionem venimus, Leonem ejus nominis VIII. antea protoscriniarium, laicum, sed nihilominus electum Romanum pontificem a concilio Romano initio mensis novembris anni 963. vivente adhuc Johanne XII. subinde die 26. februarii anni 964. a patribus alterius concilii Romani e sede dejectum, declaratumque illegitimum throni pontificii occupatorem, & postremo 23. die junii ejusdem anni, spoliato pontificalibus ornamentis ab Ottone I. imperatore Benedicto V. a Romanis in Leonis locum electo, ab eodem imperatore in cathedram Romanam restitutum, superstitem fuisse saltem usque ad mensem majum anni 965. & Ottonis potentia recognitum fuisse universalis ecclesiæ pontificem, licet tunc viveret Hamburgi verus pontifex Benedictus V. qui tamen & ipse obiit hoc eodem anno.

Ann. Chr. 966. Romualdi 59.

XVII. Romualdus se includit in Origario.

Romualdum per quadraginta & octo annos Venetas non incoluisse semper paludes vel silvas ab ea urbe parum dissitas, auctorum & traditionis testimonio ostendimus ad annos 960. & 961. ostendemus & aliis argumentis in aliquo ex posterioribus annis. Hinc, licet Damianus inclusionem Romualdi in palude Comaclensi narret, postquam retulit præceptum ipsi factum in monte Catria a beato Apollinare Ravennam ad suum monasterium redeundi, quod præceptum ad annum 991. spectare videtur, cum tamen sanctus doctor non utatur dictione *eo tempore*, *post id temporis*, sed vagam usurpet *quodam tempore*, hinc facultatem nobis facit assignandi ad alia tempora moram venerabilis viri in eadem solitudine Comaclensi, neque eam statuendi post annum 991. ut ceteroquin Damianicus narrationis ordo postulare videretur. Si enim anno 983. in palude

Classis

Ann. Chr. 966. Romualdi 59.

Classis, in loco, qui Pons-petri dicitur, ubi & cellulam sibi ædificavit, brevi tempore, ut dicemus, commoratus est, ne imbecillitatis occasione, modicum quid abstinentiæ suæ rigoris relaxaret, veri non apparet simile, quod post octennium, & annorum gravedine magis infirmatus, iterum se incluserit anno 991. in loco cœnoso; tantumque tunc temporis ibidem immoratus fuerit, ut tumore concepto, pilis e cute decidentibus, speciem quodammodo amisisse videretur, & non quidem ob metum ægritudinum corporis, non ob horrorem nauseamque fœtoris, sed ne abstinentiam præcipuam suam virtutem remittere cogeretur, ob cujus majus desiderium paludem Classensem anno 983. deseruerat. Quare Comaclensem incolatum malumus, post Collinam nostrum, a quo observationem hanc mutuati sumus, retrahere ad aliquem indeterminatum annum, antequam in Gallias proficisceretur. Locus hujus paludis appellabatur Origarium: *Inclusus est etiam*, ait Damianus, [a] *quodam tempore vir venerabilis in palude Comaclensi, quæ dicitur Origarium, unde postmodum præ nimio palustris cœni fœtore, & corrupto aere ita totus tumefactus, & depilatus exiit, ut nequaquam eadem, quæ inclusa fuerat species, videretur, nam & caro ejus tota eatenus erat viridis, ut vix stellioni discolor appareret*. Multos ibi delituisse annos Romualdum asserit [b] Johannes-franciscus Ferro Comaclensis, locumque designat prope alveos & canales quosdam portus Primarii & Caprasiæ, vulgo *i Lungari della Serilla*; additque „ longo tempore rosas ibi „ floruisse a sancto viro plantatas contra soli indolem, quarum tamen, „ tempore suo, majorum incuria, germen perierat, nihilominus locum „ adhuc servare vetus nomen *barro delle rose*. " Similia enarrat Angelottus in relatione Comaclensi apud Grandium in vita mſ. sancti Romualdi & apud Collinam; ait enim, „ prope ecclesiam sancti Longini „ insulam quamdam reperiri rosarum plenam, unde & rosarum locus appel„ latur, easque a tempore, quo ibi Romualdus habitavit, florere cœpisse, „ uti communis fert incolarum traditio; cum viceversa adjacentes insulæ „ nullo prorsus germine fœcundæ sint, quod ipsa loci conditio postulat, „ nam salsis ab undis frequenter invaduntur æstuaria illa, unde mirum „ est in Origario quidem rosas servari, in proximis insulis vero nec „ herbæ filum adolescere posse. " Illud etiam narrat primus auctor Ferrus, „ in maceriis ejus loci petras & marmora reperiri, recensque edu„ ctam parvam columnam, quæ indicant vel oratorium, vel cellam ini„ bi ædificatam undecimo seculo, (melius decimo) quo in iis partibus „ florebat Romualdus. Miratur tamen cives Comaclenses antiquos ad mo„ numentum tam gloriosum conservandum mansionis Romualdi apud ipsos „ ulla pietate & devotione stimulatos non erexisse ecclesiam vel orato„ rium, sed per supinam negligentiam in oblivionem posuisse rosarum pro„ digium; id quod erit, prosequitur ipse, vituperationis nota per omnia „ futura secula dignum. "

a Vit. S. Rom. cap. xx.

b Histor. di Comacchio Lib. I. cap. VI. pag. 65.

XVIII. Ubinam Origarium?

Ceterum nos potius miramur Comaclenses auctores nullam Origarii mentionem fecisse in suis historiis, atque proinde ignorasse nomen, cum tamen hoc seculo insigne ibi extaret monasterium in honorem *superexaltate semperque virginis Dei genitricis Marie, quod vocatur in Auregario*. Rem gratam facturos arbitramur, si chartam ex tabulario archiepiscopali Ravennæ in medium proferamus, qua ante decennium, *anno* nempe *Deo propitio pontificatus domni Agapiti summi pontificis, & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri sede ....cimo* (intellige *decimo*) *regnante vero dominis Berengarius & Adelberto ejus filio ambobus piissimis regibus anno sexto die duodecimo mensis augusti .... decima* (supple

ple *indictione quarta* decima, quæ ponitur in fine libelli) *Comiaclo*; quæ notæ respondent anno 956. *domnus Marinus per domini misericordiam venerabilis presbyter & monachus atque abbas* ejus loci bona aliqua ipsius monasterii in emphyteusim tradit Ingicæ filiæ Leonis; præsertim cum a vero non abludat Romualdum, qui ita vitam eremiticam instituere sibi proposuerat, ut eam a cœnobitica non dissociaret, solitudinem data opera sibi elegisse in paludibus, quæ ad ipsum monasterium pertinerent, ad hoc ut facili negotio cum abbate & monachis ejusdem cœnobii posset communionis beneficio potiri. Chartam & quidem autographam more nostro ad Appendicem remittimus, qua etiam confirmatur Papebrochii, Pagii & Muratorii sententia Agapitum menses aliquos attigisse hujus anni 956. cum mense augusto adhuc in vivis esset; hæc tamen hypothesis non cohæret cum aliis chartis Johannis XII. successoris ejus, quas attulimus ad annum 961. quare error aliquis cubat, forte in mense, in charta Ravennate.

ANN. CHR. 966. ROMUALDI 59.

BONONIUS in patrio sancti Stephani cœnobio hoc anno monasticum amplectitur institutum juxta fundatas Collinæ nostri deductiones. Nos cum ceteris, quæ ad Bononium pertinent, ad annum 976. de ea re agemus.

XIX. Bononius fit monachus.

PRIMA hoc anno in chartarum nostrarum collectione occurrit mentio monasterii sancti Severi confessoris in Classe. Ejus originem, variasque subinde vices plene exponemus ad annum 982. quo Sergius, Romualdi nostri pater, monachus in eo vivebat; illud tantum hoc loco narrandum suscipimus, quod cum ipsum cœnobium in maximam devenisset spiritualium rerum & temporalium desolationem, adeout possessiones ecclesiæ perfracte invaderentur a laicis, abbates & rectores ipsius eisdem omnia bona alienarent, vel in emphyteusim traderent, ecclesiæ tecta dilaberentur, parietes minitarentur ruinam, ædes sacræ, & altaria ac basilicæ ornamenta a pluviis & a ventis miserandum in modum devastarentur, atque ob extremam rerum omnium penuriam monachi ad regulæ observantiam adstringi nequirent, Otto I. imperator hoc anno residens in supradicto monasterio una cum Radaldo Aquilejensi patriarcha, cum Petro Ravennate archiepiscopo, Dieterico Metensi & Landuardo Mindensi episcopis tractantibus de statu ecclesiæ, audiens monachorum sancti Severi querimonias, ut eorum indigentiis consuleret dono eis & eorum ecclesiæ dedit *insulam* suam *domnicatam exinc usque ad mare, a flumine scilicet Padareno ad Candiani portum usque* cum jure pascendi & piscandi. Exscripsimus ex tabulario nostro sancti Apollinaris Classis, cui unitum est illud sancti Severi, diploma, in quo sigilli ex cera viridi fragmenta aliquot conspiciuntur ad hanc diem, & in Appendice integrum edimus. In diplomate Johannis XIII. hujus anni mense aprili dato ex Ravennatensi concilio, quo deponit Heroldum archiepiscopum Salisburgensem, Fridericum vero ejus loco archiepiscopum creat, Radaldus Aquilejensis patriarcha appellatur Rodoaldus, & Landuardus Mindensis episcopus Lamwardus; desideratur autem inter episcopos Dietericus Metensis. Datum est præceptum Ottonis pro cœnobio sancti Severi VII. *kalendas decembris anno Dominice incarnationis* DCCCC. LXVII. *imperii vero domni Ottonis piissimi cesaris* VI. *indictione* XI. (incœpta scilicet mense septembri) *Actum in prefato monasterio*. Ex quibus chronologicis notis intelligimus Ottonem bis hoc anno constitisse Ravennæ, tempore nimirum paschatis mense aprili, & mense novembri. *Anno dominicæ incarnationis* DCCCC. LXVII. *Otto* impe-

ANN. CHR. 967. ROMUALDI 60.

XX. Otto I. imp. donat monasterio S. Severi in Classe insulam domnicatam.

Ann. Chr. 967. Romualdi 60.

imperator, ait continuator Reginonis in chronico, *natalem Domini celebravit*, intellige Romæ .... *inde progrediens per Spoletum Ravennam adiit, ibique pascha celebrans cum domino Johanne papa plurimos ex Italia & Romania episcopos coadunavit, & habita synodo multa ad utilitatem sanctæ ecclesiæ adinvenit*. Concilium hocce habitum fuit in ipsa basilica sancti Severi, ut habetur in charta institutionis archiepiscopatus Magdeburgensis factæ in ipso [a] concilio apud Labbeum. *Habita est synodus Ravennæ in suburbio in ecclesia beati confessoris episcopi Severi residentibus domno Johanne summo universali pontifice, & pluribus Italiæ, Germaniæ & Galliæ præsulibus, & de statu ecclesiæ tractantibus, adstante etiam innumerabili clero & populo*. Iisdem diebus dedit Otto ibidem diploma Donnino abbati monasterii sancti Benedicti siti ad Leones: x. *kalendas madias indictione* x. *actum in loco, qui dicitur sancto Severo, ubi dominus Otto imperator præerat*, apud Bacchinium in appendice documentorum ad [b] historiam monasterii sancti Benedicti Padolironis. Ex eodem Reginonis continuatore, & ex Annalista Saxone habemus Ottonem inde in partes Thusciæ & Lucaniæ secessisse. Mense junio die duodecima erat prope Volaterras.

a T. XI. Concil. col. 911.

b Pag. 12.

Verum cum ex superius allato diplomate ad favorem cœnobii sancti Severi, in eodem monasterio constiterit die vigesima-quinta novembris, dicendum Ottonem secunda vice hoc anno ante eam diem Ravennam rediisse, & concilium insuper inchoatum mense aprili in basilica sancti Severi, continuatum fuisse usque ad mensem novembris, minore fortasse episcoporum numero, sed ad eum finem ibidem ulterius commorantium pro habendis tractatibus *de statu ecclesiæ*, ut loquitur diploma nostrum.

XXI. Variæ mansiones Ottonis hoc anno.

Nono kalendas januarii vergentis ejusdem anni Romam pervenit Otto imperator cum Ottone filio, teste Annalista Saxone, [c] vel in Campaniam juxta Capuam secessit assertione Ditmari. [d] Illud tamen obiter animadvertimus septima die decembris hujus anni Ottonem fuisse Hostiæ. Id colligimus ex altero ipsius imperatoris præcepto, quod asservatur autographum in tabulario Camaldulensi Fontis-boni, quo *Gaufredi fidelis sui filii quondam Ildebrandi ad petitionem Adallieid* suæ *dilecte conjugis imperatricis auguste* bona posita in pluribus curtibus comitatuum Arretini & Clusini confirmat. *Datum* VII. *idus decembris anno Dominice incarnationis* DCCCC. LXVII. *imperii vero domni Ottonis piissimi cesaris* VI. *indictione* IX. *Actum Hostia in Dei nomine feliciter*. An heic sermo sit de urbe Hostiensi, ubi in mare exonerat aquas Tiberis, vel potius de Hostilia prope Mantuam, per quam, Annalistæ Saxonis testimonio, uterque Otto transiit post celebrationem festi omnium Sanctorum in urbe Verona, ceteris examinandum relinquimus. Nos vero, quoniam præceptum istud multa bona enumerat, quæ devenerunt subinde in possessionem eremi Camaldulensis, & alia ex parte, quia anecdotum est, in Appendice publicamus.

c Apud Eccardum.

d Chron. lib. 2.

Ann. Chr. 969. Romualdi 62.

XXII. De abbatia S. Savini prope Pisas.

Extabat per hæc tempora ad Arnum fluvium tribus milliaribus ab urbe Pisarum posita insignis sancti Savini abbatia, quæ post sesquiseculum disciplinam eremi Camaldulensis recepit eo tempore, quo, ut ait Paschalis II. *congregationes diversæ in unam congregationem* (Camaldulensem) *Dei gratia* convenerunt, *& loca plurima disciplinam unam, ordinem unum* continebant. Hanc & Oddonem ejus abbatem præsenti anno Otto I. imperator decoravit diplomate, quod videre nobis non licuit, asservatum [e] Mabillonii testimonio in celeberrimi Cluniacensis cœnobii archivo

e Secul. V. pag. 747. & Annal. T. III. pag. 320.

chivo, in quo hæc leguntur. *Recipimus Oddonem abbatem sub nostri tuitione mundiburdii cum abbatia sancti Sabini in loco, qui dicitur Tuscana. Datum* VIII. *idus julii anno incarnationis Dominice* DCCCC.LXVIIII. *Ottonis* VIII. *indictione* XII. *Actum in Plista*. „ Quis sit Oddo iste abbas, quod„ ve ejus monasterium non capio, ait Mabillonius in Actis Sanctorum; „ fortasse id in Italia situm erat: " & in Annalibus haud scit, an Ottonis magni diploma de monasterio sancti Sabini prope Placentiam intelligendum sit. Verum cum diploma datum fuerit abbatiæ sancti Sabini positæ *in loco, qui dicitur Tuscana*, melioribus conjecturis nos ipsum referimus ad monasterium illud, quod in territorio Pisano, loco dicto *Cerasiolo*, tempore Caroli magni fundavere vel dotavere Gumbertus abbas, & Ildibertus ac Gumbardus clerici fratres ejus germani, filii bonæ memoriæ Auricauli anno 780. ut ex charta liquet apographa, sed vetustissima, quam ex tabulario Fontis-boni a nobis desumptam ad Appendicem amandamus. Ex hac igitur charta in notitiam venimus *regnante domno karolo rege anno regni ejus in gente Langobardorum sexto die ante kalendas majas indictione tertia* prædictos Gumbertum, Ildibertum & Gumbardum, qui pro amore Dei seculum reliquerant *de ante hos annos*, & *devota mente, tonso capite, religiosa vita* deserviebant Domino, *venerandam ecclesiam in honorem Dei, & beatissimi sancti Savini habitando monasterio* fundasse, & *per hanc chartulam* confirmasse, *qualiter a modo presentibus & futuris temporibus omnibus diebus semper sit fundatum monasterium de abbate & congregatione monachorum in observatione sanctam regulam semper hic deserviendo*. Tum enumerant supradicti donatores domus, curtes & ecclesias, quas in dotem sancti loci offerunt, ac inter eas recensent sequentes: *ecclesiam sancte Marie & sancti Petri puellarum, & sancte Eufraxie capella, curte sancti Torpis* (hoc est sancti Torpetis martyris Pisani) *in Sambra, curtem & ecclesiam sancti Michaelis de Calci, ecclesiam sancte Marie in Puzzale, ecclesiam sancti Quirici in Cultano, ecclesiam sancti Justi in Patriniana, ecclesiam sancti Martini de Wlniano, ecclesiam sancti Pancratii, que est in Massa, ecclesiam sancte Marie in Strada, ecclesiam sancti Justi ad Campora, ecclesiam sancti Gregorii prope monte Magno, ecclesiam sancti Anastasii, que est in Creti prope plebem, ecclesiam sancti Michaelis in Impore, ecclesiam sancti Quirici in Mussignano, ecclesiam sancti Sentii cum curte in loco, qui dicitur Cerreto, curtem ad Pontorme* &c. *curtem ad Canneto, que est prope sancto Genesio, curtem ad Porcari* &c. *ecclesiam sanctorum Johannis & Pauli in Vada* &c. *ecclesiam sancti Michaelis in loco, qui dicitur in monte Noculi, curtem in monte Vaso* &c. *ecclesiam sancte Marie in loco, qui dicitur colle Grimperti, curtes in Corsica* &c. *In ea vero ratione, ut dum ego Gumbertus abbas advixero hec monasterio omnis congregatio istorum monachorum, qui presentes & ingressi fuerint subjectis in observatione sancta regula ego indignus gubernare & regere debeam mihi Domino auxiliante potestate confirmo. Ideo & nos Ildibertus, Gumbrando abjiciendo seculi tenebras de potestate nostra eximus tibi domno Gumberti abbati nostro nos & ipso monasterio & omnis supradicta res ad ipsum monasterium pertinentes in tua tradimus potestate* &c. Post suum autem obitum vult Gumbertus, ut copiam habeant monachi eligendi sibi abbatem, *qui similiter secundum Deum & sanctam regulam sancti Benedicti eorum fiat abbatem* &c. *Et si de ipsa electione inter eos intentio exorta fuerit, tunc debeant petere sibi ad consilium abbatem monasterii Domini & sancti Salvatoris de Pontiano* (aliud exemplar habet *de Datiano*) *& abbatem de monasterio sancti Petri de Monte*

Ann. Chr. 969. Romualdi 62.

Viride, qui *habeant Deo retributore propter intentionem inter eos tollendo*, *quam ipsi providerint de ipsis monachis plus esse secundum Deum*, *ipse fiat eorum abbatem*. Insuper Gumbertus & fratres *pro legis Falcidie* volunt, *ut Adneago abbas germano nostro*, *& Alperga sorore nostra habeant casa una massaritia in Corsica in villa Germana* &c. *Actum in Cerasiolo in curte ipsius monasterii indictione supradicta*. *Ego Martio notario hanc chartam scripsi post tradita in ipso altario*.

XXIII. Obiter de monasterio S. Petri Palatioli in Monte-viridi.

Monasterium sancti Petri de Monte Viride, cujus abbatis consilio terminari contentiones, si quæ forent, circa electionem abbatis sancti Savini vult Gumbertus, notius monasterium est; Palatiolense scilicet illud, quod anno 754. non 748. ut putavit [a] Mabillonius, condidit Walfredus vir non minus pietate, quam genere illustris ex Thuscia oriundus, qui cum in casto ac legitimo conjugio quinque filios procreasset, cum conjuge æque religiosa de seculo relinquendo tractans sexaginta ab urbe Luca passuum millibus secus Viridem montem, locum a Deo episcopo per visum designatum in monasterium convertit in honorem sancti Petri. Distabat hic locus a Thyrreno mari millibus passuum non amplius duodecim, ab urbe & portu Populoniense milliaribus fere triginta; monasterium in arduo positum nonnisi per arctam & angustam viam adiri poterat. Sed quodnam vel ubinam gentium situm erat monasterium Domini & sancti Salvatoris de Pontiano, cujus etiam abbatis consilium, si lites forent de successore, decrevit Gumbertus monachos sancti Savini petere debere? Mabillonius eodem Annalium loco ex Andrea scriptore vitæ Walfredi, a Walfredo, Forti & Gundualdo sociis atque extructoribus cœnobii sancti Petri in monte Viridi ædificatum fuisse asserit alterum monasterium Salvatoris, & beatæ Mariæ in loco dicto Pytiliano, duobus a mari passuum millibus, ad radicem montis secus fluvium Verziliam, Cluverio Vesiliam, haud longe ab arce Motronis ditionis Lucensis, octuaginta quinque passuum millibus a Palatiolo disparatum. Verum hoc conditum fuerat pro sequiori sexu, quod nimirum conjugibus suis pari devotionis ardore succensis incolendum tradiderunt. Consulentibus nobis chartam ædificationis monasterii sancti Petri de monte Viridi occurrit cœnobium istud sub titulo sancti Salvatoris in loco Pontiano, quod per ea tempora extabat, cujusque abbatis providentia Walfredus corrigi statuit errores, vitiave reperta in eodem monasterio sancti Petri. *Si aliquo error*, ait ipse, *per ordinationem abbatis ortus fuerit*, *aut pravum aliquod vitium repertum inter fratribus*, *quod ipsi inter se ad rectitudinem aut regule instituta corrigere neglexerit*, *tunc accedant in ipso monasterio sancti patres quoepiscopi*, *idest sedis ecclesie sancte Pisane*, *& sedis sancte Marie Volaternensis*, *& sedis sancte ecclesie Popoloniensis*, *ceu &* ABBAS MONASTERII DOMINI SALVATORIS LOCUM PONTIANUM, *item & abbas monasterii sancti Fridiani*, *ubi & ejus corpus quiescit humatum civitatis Lucense*. *Et iis quinque sanctissimi & venerabiles viri in omnibus habeant licentiam malum aut pravum vitium*, *quod ortus fuerit instigante diabolo*, *ad Domini revocare præcepta* &c. Et ad calcem ejusdem chartæ, *volo*, inquit, *ego*, *qui supra Walfredus*, *ut caballos boves & vaccas monasterii Domini Salvatori*, *quem nos edificavimus super campo Pisanica Hlunierni semper gubernare debeas supra conscripti monasterii sancti Petri cum suas similes peculias in erba & ..... enutrire*. Tres vero chartas hujusce donationis confecit Walfredus, primam servandam *in monasterio sancti Petri*, secundam *in domo sancte Pisane ecclesie*, *ubi domnus Andreas episcopus esse videtur*, tertiam *in monasterio Domini nostri Salvatoris*, *ubi abbas Guidisberteo*

[a] *Annal.* T. *II. pag.* 141.

berteo ad iste esse videtur. Si monasterium sancti Salvatoris, loco Pontiano, idem est ac monasterium sancti Salvatoris inferius nominatum, ut plura suadent, intelligimus ex hac Walfredi fundationis charta etiam coenobium sancti Salvatoris de Pontiano ab illo constructum fuisse; vel si monasterium sancti Salvatoris loco Pontiano, diversum certe ab illo sancti Salvatoris pro sacris mulieribus condito, diversum quoque sit ab altero sancti Salvatoris ad calcem memorato, intelligimus saltem postremum originem suam debere Walfredo. Chartam erectionis monasterii Palatiolensis sancti Petri ex apographo Celsi Cittadinii, qui autographum invenerat in civitate Massae, edidit [a] Muratorius a Philippo Bonarota sibi communicatam, sed mutilam pluribus in locis. Nos operae pretium facturos existimamus, si eam ex tomo V. [b] manuscriptorum instrumentorum domini Huberti Benvoglientii patricii Senensis, olim a Grandio nostro transcripta, lectorum oculis post [c] Soldanium, qui idem praestitit, subjiciamus in Appendice ad illustrationem monasterii sancti Salvatoris de Pontiano, quod, ut constat, fundatum fuerat etiam ante constructionem monasterii Palatiolensis. Prope Lucam monasterium erat sanctorum Philippi & Jacobi *in Pontiano*. Monasteria sancti Petri, sancti Salvatoris & sancti Savini videntur praeter regulam sancti patris Benedicti eadem servasse statuta, iisdemque usibus & institutis fuisse communita. Si coenobium sancti Petri a Walfredo conditum fuit anno 754. indictione VII. anno VI. Aistulfi regis Langobardorum (IV. habet Andreas ejusdem loci abbas tertius, scriptor vitae Walfredi) Sturmius abbas Fuldensis lustrando anno 748. Thusciae monasteria (quod habet Eigil abbas in libro de ejus vita) Palatiolense adire non potuit, ut observat Mabillonius, multoque minus illud sancti Savini post triginta & duos annos fundatum; an vero visitare potuerit illud sancti Salvatoris *in campo Pisanica* ante aliud sancti Petri constructum, non liquet; potuit enim, si Walfredus ante adventum Sturmii in Italiam monasterium hoc aedificavit.

Ann. Chr. 969. Romualdi 61.

a *Antiq. medii aevi T. V. col.* 1007.

b *Pag.* 31. & *seq.*

c *Histor. monast. Passinianen. pag.* 18.

Atque haec occasione abbatiae sancti Savini, de qua seculo XII. & sequentibus plura dicemus. In commendam abiit nobile hoc coenobium, postquam diutissime in congregatione Camaldulensi permansit: postremo religioni equestri divi Stephani cessit sub Cosmo I. magno Etruriae duce.

In transumpto membranae servatae in archivo archiepiscopali Ravennae, in qua continetur definitio facta anno 970. ut emphyteutae sanctae Ravennatis ecclesiae tam servi, quam liberi residentes in Ferraria non debeant ire ad placitum, nisi ad archiepiscopum Ravennatis ecclesiae, transcripto per Reverendissimum domnum Petrum-paulum Ginnanium de Ravenna abbatem Casinensem, doctissimum rerum ecclesiasticarum, patriae praesertim suae, investigatorem, multisque nominibus de nobis, & de hac nostra historia meritum; quod etiam transumptum integre publicatum reperimus ab Amadesio in [d] appendice documentorum ad suam dissertationem de Jurisdictione Ravennatum archiepiscoporum in civitate & dioecesi Ferrariensi, cujusque compendium tantum attulit olim [e] Rubeus, recensentur inter ceteros nobili placito assistentes, *Romualdus .... germanis ducibus*, *Romualdo ......* & inferius expressis verbis *Romualdus dux*, *Adelbertus & Sergius germani*, *seu Romualdo filius supradicti Sergius dux*. Sub Romualdi hujus postremo loco nominati, Sergii nempe ducis filii, si superis placet, Romualdum nostrum, expressum confidentissime asserunt aliqui apud eumdem Amadesium [f], quos ipse confutat, atque ex eo documen-

Ann. Chr. 970. Romualdi 63.

XXIV. An Romualdus anno 970. adhuc esset in seculo?

d *Pag.* 49.

e *Lib. V. p.* 262.

f *T. XLIV. Opusc. Filol. pag.* 462.

Ann. Chr. 970. Romualdi 63.

cumento clare deduci autumant, Romualdum consecutione necessaria hucusque in seculo vixisse, & nonnisi post hunc annum monachum induisse in cœnobio Classensi, patrocinium præbente Honesto archiepiscopo, qui anno tantum sequenti per cessionem Petri Ravennatem ecclesiam gubernandam suscepit, & fere post quadriennium, Petro obeunte, solus eam usque ad annum 983. rexit.

XXV. Plures Romualdi his temporibus in urbe Ravenna.

Verum si ad mentem revocentur ea, quæ alibi diximus de Romualdi ætate, & si conferantur cum iis fortioribus argumentis, quæ ad annum 1027. allaturi sumus, ipsa luce meridiana clarius compertum erit Romualdum in placito hujus anni residentem distinguendum omnino esse a Romualdo, monacho inde, & eremita sanctissimo. Sano consilio minime agere se manifestant, qui patiuntur se eodem Romualdi nomine decipi, cum ceteræ circumstantiæ nomen a nomine discernant; alioquin quoties in Ravennate historia Romualdi nomen occurrit, posset alius asserere, indigitari ibi Romualdum nostrum. Quinque vel sex alios Romualdi nomen hoc seculo gerentes reperiit in chartis Ravennatibus idem [a] Amadesius; primum sub finem seculi IX. [b] *anno secundo Formosi, & tertio Widonis imperatoris*; is est *Romualdus* Sergii ducis filius, qui una cum Anastasio filio Constantini consulis testis subscripsit tabulis, quibus Ravennæ Lucia ancilla Dei, jam Pauli consulis filia donavit Ingeradæ illustrissimæ comitissæ fundos de Incisio & Biotargolo [c] ait Rubeus. Secundum nominatum scribit Amadesius anno 927. [d] & temporibus quidem Honesti I. archiepiscopi; erat is *Romualdus* dux, pater Henrici viri Ermengardæ Erminzæ nobilis feminæ. Tertius anno 955. [e] subscriptus reperitur *Romualdus* dux una cum Honesto subdiacono filio quondam Johannis, qui vocatur Johannes dux, & cum Johanne duce quondam Sergii ducis, & cum Sergio nobili viro filio Johannis ducis, & cum Natale duce quondam Johannis ducis, & cum Petro filio quondam Pauli ducis, & demum cum Eleutherio filio quondam Honesti ducis. Quartum indicat Amadesius anno 964. [f] qui appellatur *Romualdus* dux. Quintum & sextum denique anno 968. [g] *Romualdum* scilicet ducem, qui cum Adelberto & Sergio fratribus, cum altero *Romualdo* filio dicti Sergii ducis, & cum Petro subdiacono, & filio quondam Johannis ducis subscribit. Nos alium *Romualdum* ducem, Gisulfi patrem, in charta donationis anni 855. ad annum 907. primi in scenam produximus ex archivo marchionis Rangonii. Alium *Romualdum* ducem patrem Henrici ad annum 965. & ad eumdem annum *Romualdum* patrem Martini, qui terras & mobilia propter nuptias donat Laurentiæ sponsæ suæ reperimus in chartario Pomposiano, ubi etiam capsula E. [h] nominatur filius *Romualdi* Mercurius, cui Paulus abbas sanctorum Johannis & Barbatiani filius Pauli ducis de Traversaria, terram concedit in emphyteusim anno 983. præter *Romualdum* [i] levitam & abbatem ad annum 958. *Romualdum* [k] diaconum ad annum 974. & *Romualdum* [l] abbatem sanctorum Mercurialis & Gratii ad annum 979. (qui forte unus idemque *Romualdus* sunt) nominatos in chartis tabularii archiepiscopalis Ravennæ. Et quoad *Sergios* præter laudatos ibidem invenitur ad annum [m] 964. Adelbertus dux filius *Sergii*. Sed quid, quod alius *Romoaldus* & quidem filius Sergii, & Henricus filius [n] *Romualdi* ducis præsentes fuere anno 973. conventui Mutinensi, in loco ubi dicitur Marcialia? Si Romualdus anno 970. indicatus noster monachus est, quis vetat credere Romualdum quoque anno 973. subscribentem eumdem esse? Statuamus igitur Romualdum post annum 973. monasticum schema induisse in cœnobio Classensi, & præter propter circa annum 974. vel 975. vel

977. ad

a *Ibid. pag.* 463.

b *Capf. F. n.* 2324. *Arch. archiep.*

c *Rubeus Lib. V. p.* 248.

d *Capf. F. n.* 2082.

e *Capf. B. n.* 489.

f *Capf. E. n.* 1852.

g *Capf. I. n.* 4480.

h *Il. I.*

i *G.* 2398.

k *F.* 2376.

l *B.* 374.

m *I.* 4548.

n *Rubeus Lib. V. p.* 264.

977. ad hos enim annos ejus conversionem narrant [a] Rubeus & Bollandus, & quidem vicennem, ut ex Damiano liquet, nullusque in dubium unquam revocavit. Statuamus pariter triennium in monasterio Classensi, eodem teste, transegisse, antequam vitam eremiticam sub Marino profiteretur; profecto ejus appulsus Venetias ante annum 978. determinari nequiret. Qua ratione autem in mentem nostram inducamus, ut eo ipso anno vigesimum-tertium ætatis vix assecutus, nullam solitariæ vitæ disciplinam expertus, cujus tamen periculum aliquo tempore fecisse colligitur ex eodem Damiano, homo insuper idiota, quique sæpius a Marino vapulabat, una cum Petro Urseolo duce & nobilissimis Venetis viris, derelictis eremis in ea regione vix enatis, in Gallias secesserit, immo adhibitus fuerit in consilium a sapientissimo & piissimo viro Petro Urseolo? *Accersitis*, ait Damianus, [b] *Marino & Romualdo* hoc *sibi communi jubetur sententia, ut seculum simul cum ipso, quem per nefas invaserat, ducatu relinqueret.*

ANN. CHR. 970. ROMUALDI 63.

a Lib. V. p. 266.

b Cap. v.

XXVI. Oeconomia & ordo Petri Damiani in vita S. Romualdi.

NULLUM vero debet negotium facessere, quod Petrus Damianus probationi vitæ eremiticæ, quam subiit Romualdus, statim subnectat conversionem Petri Urseoli per illa verba: *eodem vero tempore Petrus cognomine Urseolus &c.* Is enim est, ut hoc non semel monere debemus, in historia sancti Romualdi Damiani ordo, ut contempta temporum ratione, gestorum ipsius narrationem instituat, vel juxta loca, quæ habitavit Romualdus, vel juxta miraculorum, virtutum, persecutionum affinitatem & analogiam, quam habent ea, quæ est inde prolaturus, cum iis, quæ mox retulit. Et ne hujus Damianicæ methodi ex aliis sancti doctoris opusculis congeramus exempla, quibus passim abundant omnia ipsius scripta, non abs re erit heic loci de industria capitula strictim percurrere ejus, quam præ manibus habemus, sancti Romualdi vitæ. Prætermissis primis capitibus, quibus ipsius secularem & monasticam vitam in Classensi cœnobio describit, eremiticam statim sub Marino in finibus Venetiarum capite IV. enarrat Damianus conversationem; tum capite V. omnia, quæ Romualdo Venetiis posito contigere, in medium profert; consilium scilicet datum Urseolo, & fugam cum ipso in Gallias. Usque ad caput XII. varias dæmonis impugnationes, varia jejuniorum genera enumerat, quæ tum in Venetis finibus, tum in Galliis passus vel expertus fuit, demum ejus cetera gesta in Catalaunia ob oculos ponit. Reditum Romualdi in Italiam refert capitibus XII. & XIII. De Sergio & de Johanne Gradonico agit capitibus XIV. & XV. de illo propter quem rediit, de isto cum quo eodem tempore rediit. Capite XVI. varia loca a Romualdo perlustrata post Sergii correptionem describens Damianus ait, eum habitasse in loco, qui Pons-Petri dicitur, inde prope ecclesiam sancti Martini in Silva. Quæ ei tunc contigerint cum dæmonibus pugnæ narrat eodem capite, ac prosequitur capite sequenti; occasione harum persecutionum subdit, dæmonem non contentum per se vexare famulum Dei, *discipulorum ejus animos adversus eum in malitia incitare solitum, quocumque ibat*; tum capite XVII. specimen harum vexationum affert, persecutionem exponens, quam Romualdus passus fuit a monachis sancti Michaelis in Balneo. Regreditur denuo Damianus capite XIX. ad numerationem locorum, quæ incoluit sanctus pater dicens, ipsum habitasse nimirum non longe a Catria; capite XX. aliquando inclusum vixisse in Origario; capite XXI in insula Pereo, & incendium, quod miraculose a se in eo loco propulsavit, describit. Caput XXII. exorditur Damianus his verbis: *eodem vero tempore*, ut exorsus fuerat caput V. ex qua profecto scribendi ratione clare liquet

gesta,

Ann. Chr. 970. Romualdi 63.

gesta, quæ Damianus narrat, cum utitur formula *eodem tempore*, non esse referenda ad tempus gestorum præcedentium, sed apud Damianum idem esse *eodem tempore*, quod suo tempore, tempore quo acciderunt, aliquo tempore, sed in eodem loco; eo enim capite refert, quæ Romualdo in Pereo habitanti contigerunt, adventum scilicet Ottonis III. ut eum præficeret abbatiæ Classensi, qui adventus referendus est ad annum 996. & formam ejus regiminis. Eadem opportunitate, qua loquitur de susceptione, extemplo subdit dimissionem ejusdem abbatiæ; tum iter Romualdi Romam versus describit capite XXIII. & quæ egerit ad Tiburtinorum favorem, quæ consilia dederit Venerio eremitæ capite XXIV. Conversionem Tammi, pœnitentiam impositam Ottoni capite XXV. Iter Casinum versus cum Tammo, Bonifacio & ceteris Teutonicis capite XXV. & iis narratis statim regreditur ad id, quod sibi assumpserat capite XXI. nimirum ad prosecutionem earum rerum, quæ Romualdo ulterius contigere in Pereo, dicens: *Cum his igitur omnibus superius nominatis ad Pereum, ubi dudum habitaverat, rediit*. Enarrat subinde vitam Perensium, & potissimum capite XXVII. Bonifacii, cujus martyrium copiose & graphice refert. Prosequitur capitibus XXVIII. & XXIX. destinationem factam eremitarum Perensium Johannis & Benedicti ad disseminandum evangelium in Poloniam, & ipsorum martyrium. Tum capite XXX. alia describit gesta Romualdi in Pereo; nec plura de eo loco. Capita XXXI. XXXII. & XXXIII. ea continent, quæ acta fuere a Romualdo Parentii, ubi ex Pereo se receperat. Capite XXXIV. narrat adventum ejus Bifurcum. Capitibus XXXV. & XXXVI. exponit Romualdi transitum in marchiam Camerini, ipsius prædicationem, eremi Vallecastrensis & monasterii puellarum ædificationem, sicut capitibus XXXVII. & XXXVIII. extructionem monasterii Urbevetani, & vitam filii Guidonis comitis ipsius loci monachi. Capite XXXIX. post erectionem trium aliorum monasteriorum, describit profectionem in Hungariam, reversionem in Italiam, reditum in monasterium Urbevetanum, & Romualdi habitationem in dictione Rainerii marchionis; data occasione capite XL. de eodem Rainerio verba facit. Capite XLI. ædificationem monasterii Massiliani, expulsionem abbatis Classensis intrusi; capite XLII. alteram Romualdi navigationem Parentium, & reditum in Italiam; capitibus XLIII. & XLIV. habitationem Romualdi in faucibus Callensium montium, & in monte Petrano. Quia vero in eisdem partibus contigit prodigiosa latronum detectio, eam subnectit. Capite XLV. narrat ejus reversionem in Vallem de Castro, & Capite XLVI. transitum ad Aquabellam non longe ab Apennino monte. Non multa locorum distantia Aquabellæ seu Vallisumbrosæ, & Camalduli ansam dat Damiano differendi etiam, de eremo Camaldulensi capite XLVII. & miraculum affert fagi ibidem aliorsum projectæ. Motus Damianus analogia hujus prodigii cum alio de ilice lapsa super rusticum, & eum minime lædente, subdit non dissimile miraculum, quod rectius spectaret ad caput XLIII., cum contigerit in monte Petrano. Capite XLIX. descensum narrat Romualdi ex Apennino, & Sitriæ montis ascensum & incolatum; inde in medium affert, quæ ibi a discipulis suis passus fuit; capite L. pœnitentiam ei impositam, & jussionem divinam ne amplius a sacro faciendo abstineret; cujus visionis occasione aliam de anima propria habitam aliquando visionem subjungit capite LI. Deinde capite LII. exponit austeriorem vitam Romualdi in Sitria. Ne tamen, cum tantam Romualdi austeritatem describit, putarent lectores ipsum hilaritatem omnem exuisse, exemplum hilaritatis ipsius, quo Gregorii fratris capitis dolorem sanavit, refert

refert capite LIII. ex dolore capitis sanato transitum facit capite LIV. ad curationem insani, & capite LV. ad liberationem ejusdem Gregorii a gravi morbo. Quia tamen subsannabant aliqui ejus hilaria dicta vel facta, poenas refert, quibus Deus in sontes animadvertit capitibus LVI. LVII. LVIII. & LIX. Poenæ mulieris improbæ in amentiam versæ, ac *si patenter a dæmonio vexaretur*, subnectit capite LX. liberationem alterius pueri dæmoniaci. Hinc capitibus LXI. LXII. & LXIII. totus est in enarrandis dæmonum impugnationibus, quibus indeterminatis temporibus & locis Romualdus fuit impetitus. Ex tam longa digressione auspicatur Damianus caput LXIV. his verbis: *Taliter autem in Sitria vivebatur*, & cum austeriore vita Romualdi magistri copulat districtam discipulorum vitam. Tum ejus secessum Bifurcum, & capitibus LXV. & LXVI. colloquium cum Henrico imperatore, & ex dono ipsius receptionem monasterii Montis-Amiati, persecutiones demum, quas ibi pertulit ab abbatibus & a monachis. Capite LXVII. designationem eremi de Vivo, cibumque illi cœlitus delatum; & prodigium affine piscis inventi in Sitria narrat capite LXVIII. quod referendum videtur ad caput XLIX. Denique capite LXIX. ait Damianus: *Vir sanctus per multa alia habitavit loca, multa alia præcipue a suis discipulis perpessus est mala, plura quoque per eum facta sunt miracula;* & mox: *Post cuncta igitur habitationum suarum loca, cum jam finem suum imminere conspiceret, tandem ad monasterium, quod in Valle de Castro construxerat, rediit*, ac sanctissimum ejus obitum describit; ut conjicere liceat ex minuta & fortasse fastidiosa hujusmodi recensione & analysi, quam facimus, Damianum non attento temporum ordine, sed tantum locorum, vel etiam rerum affinitate permotum ea, quæ ad Romualdi vitam pertinebant, excepisse ab ejus discipulis Classensibus, Perensibus, Parentinis, Bifurcensibus, Vallecastrensibus, Camaldulensibus, Sitriensibus &c. quos data opera vel epistolis, vel præsentia convenit, & in scripta redegisse, quæ ab ipsis seriatim sibi narrabantur. Hæc sint dicta pro intelligenda œconomia operum Damiani, & ne arguamur, si aliquando ordinem ipsius invertere justis de causis cogemur; tum etiam ne ex dictione illa *eodem tempore* argumentum desumatur differendi conversionem Romualdi vel post præsentem annum, & totam ipsius gestorum seriem majoribus tenebris obvolvendi.

ANN. CHR. 970. ROMUALDI 63.

PEREUM, insigne postea eremitarum & apostolicorum virorum seminarium, incoluisse Romualdum ante finem hujus seculi, hoc est ante annum 998. quo ibi se recepit cum Bonifacio & Tammo, aliisque Teutonicis [a], testem omni exceptione majorem habemus Damianum, qui scribit, sanctum virum *cum omnibus superius nominatis ad Pereum, ubi dudum habitaverat*, rediisse, ut proinde explodenda sit eorum opinio, qui monasterium sancti Adalberti ab eremo Perei minime distinguentes, hujus eremi primordia vel isto desinente, vel ineunte novo seculo statuenda decernunt. Illud potius inquirendum, quantam temporis extensionem pati queat dictio illa Damiani *dudum*, & an proximum, vel etiam remotum tempus indicare valeat. Proximum tempus respiceret, si Damianus intelligere vellet annum *996.* quo Romualdus vivebat in ea solitudine, ex qua ipsum eodem anno extraxit Otto imperator, ut Classensi abbatiæ præficeret; indeterminatum vero tempus, & etiam remotum, si ei anno allusit, quo incendium in solitudine illa exortum extinxit, dum in ipsa cum venerabili eremita Willelmo degebat. Nihilotamen secius potuit miraculum hoc suppressi incendii contigisse etiam post

ANN. CHR. 971. ROMUALDI 64.

XXVII. Romualdus construit eremum Perei.

a *Vit. S. Rom. cap.* XXVI.

Ann. Chr. 971. Romualdi 64.

Romualdi e Galliis reversionem, licet eo tempore divertisse potius frequenter Romualdum ad Pereum putemus, quam fixam inibi habitationem sibi decrevisse. Duplici itaque altero fundamento innituntur ii, qui existimant venerabilem virum Romualdum Pereum excitasse, & in eo domicilium fixisse ante Gallicanam transmigrationem. Primum desumunt ex vita sancti Bononii scripta a Ratberto auctore subæquali, de qua nos ad annum 976. eo enim anno 976. Bononius ad Romualdum Pereum inhabitantem directus dicitur. Alterum vero ex vita sancti Johannis archiepiscopi Ravennatis, inde per abdicationem archiepiscopatus eremitæ in montibus Taurinensibus, quem ajunt Romualdi discipulum in vita solitaria, antequam ad ecclesiam Ravennatem regendam vocaretur. Porro Johannes post mortem Honesti anno 983. assumptus fuit ad insulas ejus ecclesiæ, eo scilicet tempore, quo vix redux Romualdus e Galliis vitam transegit vel in monasterio sancti Severi, vel in palude Classis in loco, qui dicitur Pons-Petri, vel in prædio prope ecclesiam sancti Martini, quæ appellatur in Silva, ut ad eum annum videbimus. Quare nisi Romualdi magisterium statuatur ante Gallicani itineris susceptionem, ægre, inquiunt, reperitur tempus, quo Johannes archiepiscopus Ravennas potuerit esse ipsius discipulus in vita solitaria. E contra si admittatur Romualdum Pereum excitasse, antequam in Aquitaniam concederet, facile, subjungunt, componetur, quommodo & quo tempore Johannes sub ejus disciplina militaverit, aliquot nimirum annis, priusquam Italiam relinqueret Romualdus in Gallias profecturus. Nos de Johanne, ex Romualdi discipulo & eremita, archiepiscopo facto Ravennate ad fidem vetustæ inscriptionis, quam profert Grandius, & nos producemus ad annum 1000. quo etiam illam ad examen revocabimus, & conjecturas nostras patefaciemus, pluribus agemus anno 985. eo enim anno archiepiscopatu se abdicavit, ut solitariam conversationem repeteret in Taurinatibus montibus; & anno 1000. quo obiisse creditur. Interea tenendum inconcusse Pereum saltem longe ante annum 998. ædificatum fuisse & inhabitatum a Romualdo.

Ceterum ad Perensem eremum, & quidem circa hoc tempus ædificatam, allusit Verhovius[a], qui „ Camaldulense, scripsit, fuisse eremitorium „ a sancto Romualdo circa annum 970. erectum, quod plurimos ecclesiæ „ pro variis Europæ gentibus apostolos & martyres protulit. “ Locus is erat a pirorum forte copia Piretum dictum, inde Peretum & Pereum; sic enim in variis codicibus & exemplaribus effertur hoc nomen. Eremum de Peretello vocat Hieronymus Pragensis; Dugloſſus autem canonicus Cracoviensis vitiato vocabulo Pireneum. Turpius fallitur Castagnizza, dum Pereum prope Romam constituit, cum duodecimo ab urbe Ravenna, vel a Classe milliario distaret, ut recte insinuat Damianus, ad Padi ostia, ubi insulæ formam exhibebat, cujus, & monasterii prope illam eremum extructi fines in diplomate Ottonis III. anni 1001. sic describuntur: *Pado, Juveniaco, Fossa-augusta, que per Humanam in Padum descendit, Padoreno & medio Grangeno*. Vulgo nunc appellatur *santo Alberto* a cœnobio inde ædificato sub Romualdo in honorem sancti Adalberti martyris, & modo circumscribitur a fluvio appellato *il Poatello* & *il canale di santo Alberto*. Sed de sancti Adalberti monasterio ad annum 1001. Hunc vero locum solitudini aptissimum reperiens Romualdus novam in eum deduxit eremitarum coloniam, de quo loco & de illustribus eremitis, qui ex eo prodierunt, plura in annis sequentibus sumus dicturi.

a T. III. Act. SS. junii. pag. 907.

CON-

CONTIGIT sub hoc tempus, ait Mabillonius[a], Majolum Cluniacensem abbatem sanctissimum in Italia occupari tum reformandis antiquis Italiæ monasteriis, tum novis condendis. In his *beati Apollinaris cœnobium, quod per viginti quatuor stadiorum spatium a Ravennate urbe fertur sepositum, ad beati Benedicti instituit*, idest restituit, *tramitem, ibique suum ordinavit abbatem*, inquiunt Syrus & Aldebaldus [b] in vita sancti Majoli; sed & Nalgodus [c] sancti viri discipulus *in ecclesia*, inquit, *beati Apollinaris Ravennatis posuit religionis abbatem*. In elogio historico sancti Majoli [d] idem Mabillonius reformatum hoc monasterium existimat anno *966.*, quo Majolus Ticini degebat; quod tamen minus credibile est, cum ex concilii Remensis auctoritate eo anno & sequentibus abbas Classensis esset Honestus, qui anno dumtaxat *971.* Petro in archiepiscopatu Ravennate successit. Grandius [e] de alio monasterio, quam de Classensi ibi sermonem haberi existimat, eo quod neque Syrus, neque Aldebaldus, neque Nalgodus mentionem faciant Classis; verum cum Syrus dicat hoc cœnobium distasse ab urbe Ravenna *viginti quatuor stadiorum spatio*, de nullo alio intelligi potest, quam de Classensi ita revera distante; nisi dicere velimus reformatum a Majolo quoddam monasterium sancti Apollinaris titulo decoratum, quod Syrus monachus confuderit cum celeberrimo illo prope Ravennam.

ANN. CHR. 972. ROMUALDI 65.

XXVIII. Visitatio monasterii S. Apollinaris in Classe facta a S. Majolo.

a *Annal. O.S.B. T. III. p. 616.*

b *Lib. II. n. 23. apud Mabill. Sec. V. pag. 777.*

c *Ap. Bolland. cap. 2. num. 21.*

d *Secul. V. pag 751.*

e *Dissert. III. Cam. cap.* VII. *n. 7.*

CETERUM etiamsi dicatur circa hæc tempora reformatum monasterium Classense, hæc reformatio existimanda potius est visitatio, quam reparatio ordinis sancti Benedicti in eo cœnobio, vel certe nequit appellari introductio disciplinæ Cluniacensis, ut minus periti affingunt monasteriis Italiæ hoc & sequenti seculo absque ullo discrimine. Cur enim viginti quatuor ab hinc annis Otto III. ut illud in melius restitueretur per sanctum Romualdum, nulli operæ pepercit? Et quomodo tam corruptos adhuc monachorum mores ibidem Romualdus expertus est, ut ad dimissionem abbatiæ compulsus fuerit? *Idem Otto imperator Classensem abbatiam ordinare desiderans optionem fratribus*, testante Petro Damiano [f], *dedit, ut quem ipsi vellent indubitanter eligerent. At illi continuo expetunt Romualdum*. Si porro ad normam ceterorum monasteriorum per sanctum Majolum reformatum fuisset cœnobium Classense, abbatis electio ad Cluniacensem generalem abbatem pertinuisset, neque Romualdus, prælaturam accipiens & deponens, Ottonem & archiepiscopum Ravennatem, sed Cluniacensem præsulem adiisset. Similiter cum simoniaco abbati idem Classense monasterium eripere Romualdus voluit, non ad Cluniacensem patrem provocavit, sed [g] *illuc protinus ire miles Christi impiger studuit, diversisque modis ex eo monasterium purgare tentavit*. Ex quibus liquido constat Cluniacensium jugo subjectum non fuisse Classense monasterium, sed in suo jure semper permansisse, sub imperatoris dumtaxat, & Ravennatis archiepiscopi tutela ac ditione constitutum, & sub reformatione Romualdi, qui idipsum præstabat in aliis regulæ sancti Benedicti monasteriis. Præterea plura sunt, ut animadvertit etiam Grandius loco citato, quæ astruant, Classensium monachorum habitum album fuisse ex epistolis [h] Petri Damiani; ex his enim colligitur inter Classense & Avellaniticum cœnobia communicatio: quare, cum constet Avellanitas albis vestibus usos, idem facile de Classensibus præsumi poterit; e contra si Cluniacense jugum recepissent, atras etiam vestes adoptassent. Videnda pariter, quæ ex Mabillonio diximus ad annum 928.

XXIX. An ibidem tunc introducta disciplina Cluniacensis?

f *Vit. S. Rom. cap. 22.*

g *Vit. S. Rom. cap. 41.*

h *Lib. II. ep. 2. V. 15. 26.*

ANN. CHR. 972. ROMUALDI 65.

XXX. Præceptum Ottonum impp. pro S. Apollinare in Classe.

CERTIUS est duos Ottones I. & II. imperatores hoc anno insigni diplomate, relato a Muratorio [a], *consensu domni Johannis summi pontificis spiritualis patris*, archiepiscopis Ravennatibus, & Classensibus præsulibus interdixisse, ne res monasterii sancti Apollinaris in Classe minuerent, commutarent, vel aliquod loco illi præjudicium inferrent, ut actum fuerat sub archiepiscopis prædecessoribus, qui ita bona ejusdem dissipaverant, ut *cœnobitæ cunctis necessitatibus indigerent*; Ottonum vero tempore ita *restauratum* cernebatur, *ut bonis universis abundaret*; quod quidem intelligi potest, tum ob rectam administrationem Honesti abbatis, cui Petrus archiepiscopus Ravennas sedem ecclesiæ cesserat anno præcedenti; tum etiam ob Ottonis I. pietatem, cui *magna erat circa monasteria devotio*, ut ait supralaudatus Syrus. Diploma cum autographo existente in archivo Classensi a nobis collatum ad Appendicem rejicimus. *Datum* VII. *kalendas junii anno Dominice incarnationis* DCCCC. LXXII. *imperii vero domni Ottonis serenissimi & augusti* XI. *& item Ottonis* V. *indictione* XV. *Actum Ravenne*. Diem & mensem, cancellarii incuria, vel amanuensis defectu, suprascripto diplomati deesse asserit [b] Muratorius, sed in autographo a nobis transcripto minime desideratur. Quare, cum ad eam diem Johannes XIII. Romanus pontifex nominetur, corroboratur id, quod ipse Muratorius asserit, eumdem scilicet Johannem tunc in vivis fuisse, verumque esse posse, quod eruitur ex ejus epitaphio a Baronio relato, ipsum supervixisse usque ad diem VI. septembris.

a *Antiq. med. ævi. T. VI. col.* 216.

b *Annal. T. V, pag.* 436.

XXXI. Ortus Brunonis Bonifacii.

NATUM hoc anno Brunonem Bonifacium insignem Romualdi discipulum, & celeberrimum Russorum & Prussorum apostolum, martyrem demum, qui vitam & sanguinem dedit pro Christi honore, asserit noster Collina in ejusdem vita. Conradus Janningius S. J. in actis Sanctorum nativitatem Bonifacii ad annum 976. differt. Nos fusissime de Bonifacio agemus ad annos 998. & sequentes.

ANN. CHR. 973. ROMUALDI 66.

XXXII. Chartæ pertinentes ad monasterium S. Gregorii de Urbe.

PRAECEDENTI sub anno, *anno* nimirum *pontificatus domni Johannis &c. tertiidecimi &c. septimo, imperante domno perpetuo augusto Ottone a Deo coronato imperatore anno decimo, juniore vero filio ejus anno quinto indictione quintadecima mensis februarii die decima octava* Stephania terras donaverat in territorio Castellano Johanni abbati sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe. Notarius tamen rectius egisset, si undecimum consignasset Ottonis senioris annum per sexdecim dies a decima-octava februarii jam incœptum, cum, Hepidanno teste, Otto anno 962. *in purificatione sanctæ Mariæ die dominico a papa Octaviano*, hoc est a Johanne XII. benedictus fuerit. Hoc anno pariter, scilicet *anno pontificatus domni Benedicti summi pontificis & universalis sexti pape in sacratissima sede beati Petri apostoli primo, imperante domno perpetuo augusto Ottone a Deo coronato magno imperatore anno duodecimo, juniore vero filio ejus anno sexto indictione prima mensis januarii die vigesimo secundo*, alteram donationem eidem Johanni abbati fecit Marozia relicta quondam Urso. Anno sequenti *pontificatus domni Benedicti summi pontificis & universalis septimi pape in sacratissima beati Petri apostoli primo, imperante domno Ottone a Deo coronato magno imperatore anno septimo indictione secunda mensis martii die octava* Gregorius alias terras donat Johanni pariter abbati sanctorum Andreæ & Gregorii. Ex his chartis emendari aliquatenus potest chronologia Romanorum pontificum per hæc tempora insigniter confusa. Putavit Muratorius [c] post Pagium Benedictum VII. cathedram Romanam conscendisse ante aprilem mensem anni 975. Donumque II. ejus antecessorem obiisse

c *Annal. T. V. pag.* 443.

eodem

eodem anno 975. vel labente anno 974. Similia habet ad annum 978. Constat tamen ex nostra Gregoriana charta eumdem Benedictum VII. octava die martii anni 974. possessionem jam iniisse supremæ dignitatis. Quare sic verisimiliter series annorum pontificum Romanorum per id temporis erit restituenda. Johannes XIII. vivebat anno 972. ad diem XVIII. februarii, immo ex alio nostro Classensi præcepto, quod attulimus anno præcedenti, ad diem XXVI. maji. Post eam diem & etiam post diem VI. septembris Benedictus VI. renuntiatus fuit Romanus pontifex; die XXII. januarii anni 973. decurrebat ex secunda charta Gregoriana annus ejus primus; decurrebat similiter die IX. februarii ex alia Sublacensi; die IX. septembris ex placito apud Rubeum [a] indictione II. incœpta a septembri adhuc numerabatur Benedicti VI. annus primus; hæc fortasse confirmarent Pagii opinionem pontificatum Romanum post mortem Johannis XIII. vacasse ad tres menses, & electionem Benedicti VI. auspicandam esse post diem IX. septembris anni 972. A die nona septembris anni 973. ad diem octavam martii anni 974. ea omnia evenere, quæ a scriptoribus vitarum Romanorum pontificum enarrantur; obitus nimirum Benedicti papæ VI. quem carceri addictum impie suffocari jussit Bonifacius Franco filius Ferruccii cardinalis diaconus, violenta occupatio throni pontificii facta ab eodem Bonifacio, & ejus tyrannis in Urbem, a qua tamen *post unum mensem expulsus est*, ut ait Hermannus Contractus, electio subinde Doni II. qui ad breve tempus sedit; & demum subrogatio Benedicti VII. nepotis Alberici olim Romani principis, cujus ordinatio contigit ex tertia nostra Gregoriana charta ante diem VIII. martii anni 974. Quare non sub finem anni 974. multoque minus sub initium sequentis 975. ut hactenus existimatum est, differenda est Benedicti VII. electio in Romanum pontificem. Chartas Gregoriani codicis publici juris facimus in Appendice nostra.

ANN. CHR. 973. ROMUALDI 66.

a *Lib. V. pag.* 264.

STEPHANUS illustris vir filius quondam Ildebrandi consulis & ducis Johanni abbati sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe, ejusque monasterio largitur templum, quod *septem solia minor* vocabatur, pro tuitione turris monasterii, quæ *septem solia major* dicebatur. Concedit etiam cryptas omnes, quas ipse habebat in porticu, quæ vocabatur *μωδρωμρωγγ*, quæque erant supra dicta septem solia, & mœnia palatii, ubi dicebatur *Balneum imperatoris: Anno Deo propitio pontificatus domni Benedicti summi pontificis & universalis septimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli primo, imperante domno Ottone piissimo perpetuo augusto anno ejus octavo indictione tertia mense julio die vigesimasecunda*. Ex charta anni antecedentis constat Benedictum VII. sedisse in cathedra Romana ante diem VIII. martii anni 974. die itaque XXII. julii hujus anni 975. secundus numerandus esset ipsius sedis annus. Hæc nulla alia ratione componi posse nobis videntur, nisi dicamus turbatum fuisse primis mensibus regimen Benedicti VII. forte a Bonifacio Francone invasore sedis apostolicæ, & notarios diversimode, diversoque tempore auspicatos fuisse initium ejus regiminis vel ab ipsius electione, vel ab expulsione Bonifacii, qui sub ipso Benedicto in *magna synodo damnatus est*, teste Gerberto archiepiscopo Remensi in actis concilii Remensis apud Baronium [b]. Quid sibi velit Græca dictio illa *μωδρωμρωγγ* incassum quæsivimus a viris linguæ Græcæ doctis. Domnus Helias Fromond monachus noster, & in Gregoriano collegio S. Theologiæ lector, Romanarumque antiquitatum investigator vitiata orthographia vocem illam transcriptam fuisse a notario existimat,

ANN. CHR. 975. ROMUALDI 68.

XXXIII. Donatio templi, quod dicebatur Septem solia minor, eidem monasterio.

b *Ad an.* 992.

Ann. Chr. 975. Romualdi 68.

ſtimat, levique literarum reſtitutione legendum eſſe ιπποδρομιας, quæ, ut ex veſtigiis ſuperſtitibus colligitur, ſita erat in declivitate ejus lateris collis Palatini, quod e regione eſt monaſterii ſancti Gregorii, taliterque ædificata fuerat, ut ab uno extremo ſubjectum ei foret Septizonium Severi, ſuperque poſitum balneum imperatorum, ab alio vero extremo conjungeretur cum arcu triumphali Titi. Porticus hæc variis cryptis exterius unitis componebatur, prope ipſam planum vel platea erat conſtituta, in qua ad curſum exercebantur equi, dicta propterea Hippodromus; plateæ fines erat terra vacans & vellaria; vacans, quia nulla ædificia ſuper ipſam exurgebant, vellaria vero aut velia a vellendis gregum lanis juxta Varronis opinionem appellata. Ita dictionem illam explicat, recteque finibus in charta Gregoriana aſſignatis reſpondere demonſtrat Fromondius noſter, cui libentiſſime ſubſcribimus, rejicientes chartam ipſam donationis in Appendicem.

Ann. Chr. 976. Romualdi 69.

XXXIV. Bononii vitæ ſcriptores.

Bononium monachum ſancti Stephani in urbe Bononia, majoris perfectionis gratia, diſciplinæ ſe Romualdi hoc anno in Pereo ſubjeciſſe ſcribunt Grandius & Collina. Ut agnoſcatur, qua auctoritate id aſſeruerint, non abs re erit aliqua in anteceſſum de ſcriptoribus vitæ Bononii monere. Duos libellos, alterum de vita, alterum de miraculis ſancti Bononii abbatis ſcripſit quidam monachus anonymus Lucedienſis, ut notat [a] Mabillonius. Auctor hic contemporaneus fuit Bononio, & ætatem ſuam prodidit in libro de miraculis non uno in loco; nam in prologo ait: *quæ refero, plura ego ipſe vidi, & quæ non a me viſa, a veridicis & fidelibus viris audivi, multorum teſtimoniis confirmata*. Et num. VII. aſſerit matrem ſuam a ſancto Bononio etiam tunc vivente ſanatam fuiſſe; & num. X. teſtem ſe adducit miraculi, quod anno ipſo mortis ejuſdem ſancti viri accidit. Videri etiam poſſunt numeri IX. XV. XVI. XVIII: XIX. Eruti fuere hi libelli, ſed producti ſtilo mutato a Surio, ex ms. codice monaſterii ſancti Stephani de Bononia, quod Jeruſalem appellatur, olim monachorum nigrorum, nunc non Ciſtercienſium, ut ait [b] Mabillonius, ſed Cœleſtinorum. Eoſdem indidem acceptos primigenio ſuo ſtilo reſtituit in *Actis Sanctorum* idem Mabillonius. Codex ille ſancti Stephani multas alias vitas continens hanc habet in fine clauſulam. *Anno ab incarnatione domini milleſimo centeſimo octuageſimo, abbatiante domino Landulfo abbate diſcretiſſimo, Deo & hominibus diligendo, fama ſparſim notiſſimo, anno videlicet abbatiæ ejus* XVIII. *die ſcilicet veneris, qui quarto die poſt feſtum ſancti Martini epiſcopi ſecutus eſt, completus eſt in monaſterio beatiſſimi protomartyris Stephani de civitate Bononia, quod vocatur Jeruſalem, liber iſte, & theſauris armarii jam dicti monaſterii aggregatus. Quod utique ad omnium hominum notitiam venire volumus &c.* Eoſdem libellos ex codice membranaceo eccleſiæ Vercellenſis exſcribi ſibi fecit Benedictus XIIII. Pont. Max. [c]; qui, præter leves mutationes, iidem ſunt cum actis codicis ſancti Stephani, ut mirum proinde ſit, qua ratione [d] pater domnus Cœleſtinus Petracchius, in ſua hiſtoria baſilicæ ſancti Stephani anno 1747. Bononiæ typis mandata, tamquam ineditam efferat vitam exiſtentem in eodem codice ſancti Stephani. Licet enim ea, quam ex ipſo codice ſibi tranſmiſſam a cardinale Gabriele Paleoto Bononienſi antiſtite edidit Surius, quoad ſtilum aliquam paſſa fuerit mutationem, illa tamen, quam ex eodem codice protulit Mabillonius, & ex codice Vercellenſi ſanctiſſimus Pontifex Benedictus XIIII. ſimilis, immo

eadem

a *Seculo VI. Ord. S. Ben. p.* 237.

b *Ibidem P. I. pag.* 237.

c *Lib. II. De Serv. Dei beatif. App. IV. pag.* 418.

d *Pag.* 127.

eadem est cum ea, quam, ut novam, nobis obtrudit Petracchius. Ipsam etiam ante Petracchium edidere ad diem XXX. augusti Bollandi continuatores ex ms. membranaceo bibliothecæ Barberinæ, sed præter propter respondentem actis Vercellensibus, qui & ipsi, ut diximus, respondent actis codicis sancti Stephani. In chronico basilicæ sancti Stephani Donatus Pullienus putat auctorem hujus vitæ monachum fuisse sancti Stephani, sed erroris convincitur ex pura ejusdem vitæ lectione, ubi auctor se Lucediensem monachum, & coævum sancto Bononio clarissime manifestat.

Ann. Chr. 976. Romualdi 69.

Præter Lucediensis anonymi libellos, alia extat Bononii vita a Ratberto monacho item Lucediense conscripta, quam primus edidit Grandius [a] in collectione opusculorum nostri domni Angeli Calogierà. Illam sibi amice communicatam, & ad exscribendum concessam a domno Benedicto Bacchinio abbate Casinense, cum illum Ferrariæ commorantem invisit anno 1721. fatetur Grandius, quam Bacchinius hauserat e ms. codice reginæ Sueciæ. Majorem profecto uterque nobiscum iniissent gratiam, si & pluteum, & numerum codicis indicassent, quo & nobis licuisset eum consulere; frustra enim hucusque illum quæsivimus inter Suecanos codices, &, ut fieri solet, forte delitescit in alicujus alterius bibliothecæ angulo; sed neque inter Bacchinii schedas exemplum ejusdem vitæ amplius reperiri, ab amicis nostris monachis sancti Benedicti de Ferraria admonemur. Ad Bacchinii itaque & ad Grandii fidem; ne etiam rigidi nimium putemur censores chartarum, codicum & operum, quæ nostris oculis non perspeximus, suis quælibet annis gesta Bononii referemus. Eam vitam scripsit Ratbertus rogatu Arderici Vercellensis ecclesiæ episcopi. Porro Ardericus ex regia stirpe natus ad eam sedem promotus fuit post Leonis mortem anno 1026. eamque tenuit ad 1041. & mens Ratberti in ea edenda fuit, ut suppleret gesta Bononii omissa a suo consodali, nempe, sicut putare licet, ut supperadderet ea, quæ deerant in priori vita anonymi monachi Lucediensis, de qua superius disseruimus. Quare non ad annum 1030. ut arbitratur Grandius, sed aliquanto post esset referenda Ratberti scriptio. Cum enim Ardericus anno tantum 1027. obtinuerit erectionem altaris super corpus sancti Bononii, & anonymus Lucediensis [b] asserat vota liberatorum intercessione Bononii, ut puta *circulum ferreum confractum multo tempore pependisse ante ejus altare ob rei memoriam*, *sanatos pariter usque hodie gaudere sanitate*, *in eadem salute degere* [c], hi dicendi modi alicujus temporis exigunt intervallum, post quod scripserit Lucediensis; ac proinde vita a Ratberto conscripta post vitam editam ab alio anonymo differi debet ad aliquem annum supra millesimum trigesimum; nisi dicere velimus allusisse Ratbertum ad aliam vitam Bononii antiquiorem ea Lucediensis, vel hodie non extantem, vel saltem nedum cognitam.

Ratbertus aliunde nobis ignotus, vir est pro illius seculi genio satis comptus & accuratus, ac ipsi sancto Bononio coævus, & qui actis Sancti hujus ex parte interfuit, partim vero ab iis, qui familiarius Bononium tractarunt, accepit. Sed præstat prœmium ipsius legentibus exhibere [d]. *Rogasti, venerabilis domine, ac semper nobis observandissime, ut cum in gestis piissimi patris nostri Bononii per consodalem nostrum super expositis nonnulla deesse dixerim, quæ scriptoris illius, alias industrii, diligentiam effugerunt, eadem, collato laboris suffragio, supplere utcunque tentarem, ne quid ex ejus virtutum memoria excidere posset, ad posteritatis ædificationem profuturum. Nibil itaque cunctandum ratus, manum operi non invitus admoveo, tua præsertim benedictione fretus, & spicas aliquot ex uberrima illa*

a Opusc. Filolog. T. XXI. pag. 205.

b Num. XIII.

c Num. XVIII.

d Ibidem pag. 207.

ANN. CHR. 976. ROMUALDI 69.

la messe residuas colligere aggredior. Utinam vero in vivis esset præpositus olim noster Alcherius, qui virum sanctum diutius comitatus, cum multas actuum illius circumstantias nobis suggessit, tum longe plura post ejus felicem obitum, si suo tempore contingeret, se revelaturum promiserat; verum quadriennio illum præcedens viam universæ carnis ingressus est, quominus promissa adimplere posset; unde pauca dumtaxat, quæ ipso nobis referente, ac reverendissimo Petro antecessore vestro dudum prædicante, cognovi, & quibus ipse pariter ex parte interfui, fideliter annunciabo, fastidiose tamen non repetam, quæ satis exacte ab alio collega expressa jam sunt, nisi quatenus scriptionis ordo postulaverit, illa pariter indicare ad perfectiorem intelligentiam ceterorum. Sic votis tuis obtemperandi meritum non amittam, & sancti viri patrocinium mihi conciliabo, pauca hæc minuta de paupertate nostra conferens ad illius acta illustranda, ut in illis Deus ipse laudetur, qui tot signis & prodigiis ipsum magnificare, & glorificare non cessat.

XXXV. Bononii vita.

PRAEMISSA notitia scriptorum vitæ sancti Bononii, jam de illo aliqua dicamus. Natus est Bononius Bononiæ circa annum 950. ut probabilibus rationibus deducit noster Collina in ejus vita anno 1747. Bononiæ edita; cum enim certo certius sit ipsum obiisse anno 1026. ut anonymus Lucediensis tradit in vita ex codice sancti Stephani, & in miraculis [a] ex eodem & ex Vercellensi codicibus; ac ex Ratberto [b] habeamus ipsum obiisse post sexagesimum conversationis suæ annum, schema monasticum induisse videtur circa annum 966. Rursus cum Lucediensis anonymus referat Bononium se mancipasse divinæ servituti sub prætextu monastico a pueritia [c], facile deducitur quindecim vel sexdecim annos natum monasticum abripuisse institutum, & consequenter circa annum 950. stabiliendum esse ejus ortum. Hæc habet de ortu, & de primis Bononii annis anonymus Lucediensis. *Beatus igitur*, inquit [d], *Bononius Bononiæ oriundus fuit, ibique a pueritia se sub monastico prætextu divinæ servituti mancipavit. Inter cujus crepundia plurima claruere virtutum insignia, qui a primæva ætate meditatus, quid futurus erat, sicut legerat, utpote omnem vitam sapientis esse meditationem mortis, cotidie moriebatur mundo, ut viveret Christo. Quatuor principales virtutes Scripturarum assertionibus noverat appetendas, prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam, ita sibi invicem nexas, & mutuo cohærentes, ut qui unam non habuerit, omnibus careat; quas omnes sic habuit vir venerabilis, ut tamen emineret in singulis. Mundum, & ea, quæ in mundo sunt, posthabuit, Domino adhæsit, secularia judicia contempsit. Legerat enim primam virtutem monachi esse, hominum judicia contemnere, & semper apostolicam sententiam ad memoriam revocare: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Cumque per annos aliquot in eadem urbe in monasterio sancti Stephani protomartyris carnem suam crucifixisset, & ætatis ac morum perfectione adolevisset, charismata meliora æmulatus, excellentiorem vitam est aggressus.* Et statim narrat ejus iter Babylonem versus. At Ratbertus longe plura addit, quæ hic exscribimus [e]. *Bononius itaque nomine suo patriam referens, in perampla Bononiæ urbe ex honestis valde & piis parentibus natus, ab infantia Deum timere didicit, & sancta illius urbis loca visitare, quæ ad imaginem Palæstinæ beatissimus Petronius in patria constituerat: unde monasterium sancti Stephani præ omnibus dilexit, ubi frequentiora Dominicæ passionis mysteria expressa videbat. Intima namque cordis compunctione Domini sui doloribus compatiens, dum singulas obiret memorias despecti sui Salvatoris tam dira pro nobis passi, & ipse despici ab omnibus, & ipse pro amore Christi pati plurima cupiebat. Calcatis ergo seculi insanientis illecebris,*

a *Num.* x.
b *Cap.* xxii.
c *Num.* i.
d *Ibidem.*
e *Cap.* i.

bris, monasticam vestem in eodem sancti Stephani cœnobio induit, ut virtutum tirocinia poneret sub sanctæ regulæ jugo, id quod pluribus annis ibidem, cum summa fratrum ædificatione, alacriter portavit. [a] *Sed majoris adhuc perfectionis studio incensus, ac crebras parentum & familiarium visitationes, in eo monasterio sibi occurrentes, pertæsus, dum secum animo revolvit, quomodo quietam solitudinem suis desideriis congruam obtineret, cupido subiit in Palæstinam contendere, ac sacris passionis Christi vestigiis propius contemplatis, mox se in Aegypti deserta recipere, ac veterum Patrum vitam in latibulis illis sacratissimis illis æmulari. Abbati suo, quid mente versaret, non occultavit, qui nec propositum juvenis damnare ausus est, nec omni ex parte approbare: quod immaturum esse diceret; ne tamen eum contristaret, aut ejus fervori obicem importunum opponeret, Lucii ejus patrui consilio adhibito, tandem optatam eundi veniam indulsit.*

Ann. Chr. 976. Romualdi 69.

a Cap. II.

Ex hac narratione Ratberti colligitur verum sancti hujus monachi nomen esse *Bononium*, *nomine suo referens patriam*; non vero ut quidam habent *Boninum*, *Bonolium*, aut *Bonum-hominem*, vel *Homobonum*, ut eum appellat Ughellius in episcopis Vercellensibus [b], ubi narrat „ Petrum ejusdem urbis episcopum excussisse vincula carceris opera *Boni-hominis* monachi, prædictoque monacho comitante Byzantium pervenisse, inde Vercellas, ubi Lucedii abbate fato functo, ut beatissimi illius monachi propiori contubernio frueretur, abbatem Lucedii renunciandum ipsum curavit; " & in Arderico: „ cum *Homobonus* miraculis inclytus excessisset e vivis, Ardericus Romam profectus a pontifice impetravit, ut pie defuncto ponere arcam sibi liceret. " *Bonum-hominem* appellat & Mabillonius [c] exscribens Ughellium, dum dicit, „ Vercellensis episcopus (*Petrus*) e Jerosolymitano reversus itinere *Bono-homini* monacho itineris sui socio hanc abbatiam concessit; " in margine habet: „ *Bonus-homo abbas Bremetensis*, (sed legendum *Lucediensis*.) *Homo-bonus* porro miraculis post mortem claruisse dicitur, quare Ardericus episcopus Romam profectus a Johanne X. (corrige XX.) impetravit, ut pie defuncto ponere arcam sibi liceret. " *Bonolium* autem nominat [d], cum loquitur de monasterio sancti Michaelis sito in castello Marturi. Alii etiam vocant ipsum *Bolonum*, & frequentius *Bolonium*. Codex Vercellensis prima vice nominat *Bononium*, de cetero semper *Bolonium*. Conjicit Grandius Lucium Bononii patruum eundem forte censendum cum Lucio Zenobio Albergato, de quo [e] Ghirardaccius & [f] Macchiavellius. Sed hoc indigere validiore probatione asserit sanctissimus pontifex Benedictus XIIII. [g] sicut & id, quod scripsit Malvasia in suis Marmoribus Felsineis, [h] Bononium reponendum esse inter eos Bononienses, qui ætatem centum æquarunt annorum, quod postremum etiam falsum nos existimamus.

b T. IV. col. 774.

c T. III. Annal. p. 131.

d Ibid. p. 115.

e Histor. Bonon. P. I Lib. II. pag. 48.

f Augustal. Apolog. pag. 75. ad ann. 976.

g Annotaz. sopra gli Atti &c.

h Pag. 77.

XXXVI. Bononius se recipit ad Peream sub Romualdo.

Ceterum uterque scriptor tam anonymus Lucediensis, quam Ratbertus asserunt Bononium commoratum fuisse in monasterio sancti Stephani, ille *per aliquot annos*, hic *pluribus annis*, hoc tamen discrimine inter ipsos, quod Lucediensis statim ab egressu monasterii sancti Stephani auspicatur Bononii peregrinationem Babylonicam, Ratbertus vero plura Bononio contigisse asserat, quæ anonymus ille omisit, antequam in Babylonem & in Aegyptum se conferret. Hæc porro, quæ omissa a Lucediensi anonymo supplet Ratbertus, hoc anno accidisse conjicimus, ut inferius ostendemus; sed Ratberti narrationem prosequamur [i]. *Itaque Bononius sese festinus itineri accinxit, seque fratrum orationibus rite commendans, Venetias adnavigavit. Ubi pervagante sanctorum quorumdam eremitarum fama, qui in finibus illis vitam sanctissimam ab omni hominum consortio remotam*

i Cap. III.

Ann. Chr. 976. Romualdi 69.

motam agebant, divinitus se inspiratum sensit sanctissimus juvenis, ut ad eorum visitationem diverteret, pro consiliis salutis impetrandis. Vix eremum illam ingressus, venerandum senem Georgium, eremi illius præpositum, obvium habuit, qui proprio nomine ad se accedentem salutavit. Ille obstupescens, unde ipsi innotescere potuisset, in terram procidit, & pedes præpositi ejusdem osculari tentabat. Quem senex erigens: ne facias, *inquit, frater, conservi enim sumus ejusdem piissimi domini Salvatoris, qui tuum mihi adventum nunciavit. Eamus potius in oratorium, & inde parvam refectionem simul sumemus, mox tibi aperiam, quid te oporteat facere, ut divinæ voluntati obsecundes. Lætus Bononius, non aliter verba senis auscultabat, quam si angelum Dei secum loquentem audiret.* [a] *Post orationem igitur simul cum illo in ecclesia factam, in tuguriolum quoddam inductus est, ubi sorbitiunculam ex herbis cum modico pane, & radicibus aliquot utrique paratam offendit. Consederunt ergo, & postquam cum gratiarum actione simul refecti sunt, in hortum ad expatiandum descenderunt. Prior igitur senex ita Bononio loquutus est. Desiderium tuum, frater, sancta loca visitandi, & in Aegypti recessibus solitariam tibi mansionem deinceps constituendi, probat quidem Dominus; sed, ut in aliud tempus differas exequi, quod animo concepisti, per meam parvitatem tibi dignatur significare. Paratum animum tuum illi te ostendisse nunc sufficit; alias & opere implebis, quod in corde tuo destinasti. Sed antea te exerceas oportet in solitariæ vitæ palæstras, ut non adeo rudis & imparatus ad singulare certamen cum hoste descendas. Nondum ejus artes, dolosque varios didicisti, quibus impugnare solet servos Dei ab aliorum consortio remotos. Nondum satis versatus es in occultissimis adversarii fraudibus, & præstigiis detegendis. In his prius te erudiri convenit, ne absque idoneis fundamentis tantum ædificium moliaris.* [b] *Tunc Bononius hilariter adjecit: ecce me ad omnia tua jussa paratum, & si in hac solitudine me cum filiis tuis permanere, ac Domino servire permiseris, usque in tempus a Deo meæ peregrinationi destinatum, plane meæ sortis contentus, sub tuo magisterio vivam, & solitariæ disciplinæ rudimentis imbuar, donec securus contra malignum spiritum pugnare cum divino auxilio sufficiam. Tum ille: Per me quidem non repugnarem, & in consortium horum nemorum te promptus admitterem. Verumtamen profectui tuo magis conducet, ut peritiorem solitariæ hujus philosophiæ magistrum eligas. Consulo itaque, ut ad Romualdum in Pereo apud Ravennam latitantem declines, ejusque te arbitrio totum committas. Hisce auditis Bononius, benedictione a sene accepta, lætus discessit, ac prospero itinere Ravennam adnavigavit; inde ad Romualdum perrexit, ejusque se disciplinæ subjiciens, in cellam adduci rogavit. Gaudens novum discipulum Romualdus suscepit, atque alumnis suis aggregans, eremiticæ vitæ rigidissimum tenorem servare docuit.*

[a] *Cap. IIII.*

[b] *Cap. V.*

Fieri quidem potuit, ut hæc omnia contigerint post reversionem Romualdi a Catalaunia, quod si quis asserere voluerit, perfracte per nos non negabitur, nihilo secius adducimur potius, ut credamus, hæc contigisse ante Romualdi appulsum in Gallias. Id suadet modus, quo se explicat in Bononii vita Ratbertus, qui postquam narravit ipsum pluribus annis virtutum tirocinia posuisse sub sanctæ regulæ jugo circa annum *966.* statim subdit majoris perfectionis studio incensum quietæ solitudini inhiasse, & cupidum factum fuisse visitandi Palæstinæ loca. Decem quidem anni tanti sunt, ut Bononio concupiscenti solitudinem plures fuerint, & illi, qui ægre patiebatur crebras parentum & familiarium visitationes, quæ initio conversionis sunt frequentiores, satis fuere duo lustra ad aperien-

dam

dam abbati intentionem suam sacra loca adeundi, & post eorum visitationem solitudinem incolendi, quæ fuere prima Bononii sub ipsa infantia desideria. Alias per viginti, nisi forte per plures annos, cogeremur dicere Bononium piam suam præconceptam cupiditatem in corde retinuisse, cum non statim a Galliarum reditu Romualdus incoluerit denuo Pereum, sed prius in palude Classis, inde apud sanctum Martinum in Silva domicilium fixerit, tum Pereum redierit, sed ad breve, ut videtur, tempus, nam in Vergaretano castro, subinde apud Catriam, postea Classensi in cœnobio partim, partim in Pereo vitam duxisse Romualdum ab anno 986. ad annum 996. ex Damiano colligimus. Alia ex parte ipsum ante Cuxanensem solitudinem eremos fundasse in Venetiarum finibus, & in territorio Vicetino superius vidimus, ut propterea Georgius prior, qui præpositus vocatur a Ratberto, fuerit alumnus Romualdi, ad quem idcirco, utpote magistrum celebratissimum in vita eremitica direxerit ipse Bononium; cum inverisimile non sit hoc tempore eremitas omnes, illos præcipue, qui parum a Ravenna, a Comaclo, a Venetiis distabant, Romualdi disciplinæ se subdidisse, cui jure merito ecclesia honorem tribuit institutionis novi anachoretice vivendi generis.

ANN. CHR. 976. ROMUALDI 69.

XXXVII. Antiquitas monasterii S. Mariæ de Urano.

INSIGNE habemus antiquitatis cœnobii sanctæ Mariæ in Urano ad territorium Foro-pompilii, nunc Brittonorii, spectantis monumentum in libello Honesti archiepiscopi Ravennatis, quo concedit Johanni venerabili abbati regulæ ejusdem monasterii, & quinque ejus successoribus curtem *Campo-Gallani*, quæ nostris etiam diebus ad prædictum monasterium pertinet, idemque nomen servat; ea adjecta conditione, ut quotannis per dies triginta missas centum successores & fratres canere deberent pro remedio animæ suæ a die suæ depositionis. Libelli multis in locis exesi hæ chronicæ notæ possunt excerpi: *Anno Deo propitio pontificatus domni Benedicti summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri sede quarto s........ nono ...... domino sancto & meritis beatissimo atque apostolico patri patrum domno Honesto sanctissimo sancte catholice Ravennatis ecclesie arch episcopo*; & ad calcem *sub die mense & indictione predicta quarta*. Indictio quarta spectat ad annum 976. & optime componitur cum anno Ottonis II. imperatoris nono, computato scilicet imperio ab anno 967. quo *æquivocus imperatoris junior Otto, quem peperit inclyta mater Adelhaidis, in nativitate Domini Romæ imperator effectus est, patre jubente, ac tunc in Campania juxta Capuam commorante*, ait Ditmarus [a] in chronico; & licet signanter Ottonis nomen ob chartæ corrosionem non appareat, attamen τὸ *nono* nequit ad alium referri, nisi ad ipsum, & ad annum nonum imperii ejus. Habita ergo indictionis & imperii Ottonis cum anno præsenti convenientia, corrigendus est annus *quartus* Benedicti papæ VII. qui vel secundum, vel ad summum tertium tunc numerabat pontificatus annum. Alias Ravennates chartas ex V. Cl. Ginannio abbate sancti Vitalis ejusdem urbis producit in annalibus Muratorius [b], in quibus ante annum, vel ante biennium signatur Benedicti VII. promotio ad pontificatum, quam revera contigerit, & putat id ex eo provenisse, quod Ravennates sextum & septimum hujus nominis pontifices confuderint, & crediderint Benedictum VI. carcere solutum perseverasse in Romano pontificatu ab anno 972. usque ad annum 983 Chartam autographam ex Ravennate archiepiscopali tabulario a nobis transcriptam producimus in Appendice ad illustrandam historiam Uranensis monasterii, quod post duo ab hinc secula Camaldulensi eremo donatum, adhuc

a *Lib. II.*

b *Annal. T. V. pag. 453.*

Ann Chr. 976. Romualdi 69.

inter insigniora congregationis nostræ monasteria, post varias, quas passum est, vices, non infimum locum tenet.

XXXVIII. Petrus Urseolus fit dux Venetiarum.

Praesenti anno Petrus Urseolus *quinquagenarius*, ut habet anonymus Aquilejensis & Dandulus, juxta plausibilem magisque receptam sententiam, ad primam patriæ dignitatem, Venetiarum scilicet ducatum, evectus fuit, eo tempore, quo jam gaudebat Marini & Romualdi eremitarum familiaritate, sed integram historiam ad annum 978. reservamus, quo, post biennium ab adepto principatu, ipsorum consilio monachus factus, supremum honorem raro exemplo deposuit.

Ann. Chr. 977. Romualdi 70.

XXXIX. Lodulphus solitudinem Avellanensem petit.

Lodulphum, de quo ad annum 956. mentionem fecimus, paterna e domo exeuntem sedem suam fixisse una cum socio, quem appellant Julianum, ut solitariæ quieti indulgeret, in valle posita inter altissimos montes Catriam & Cornum in territorio Eugubino, nunc Calliensi, prope Fontem, qui ad Avellanarum arborum radices scaturiebat, asserunt Fortunius, Jacobillius, Lucentius, & Augustinus de Floribus. Ajunt quoque Johannis Eugubini episcopi licentia oratorium in honorem sancti Andreæ apostoli sanctos illos eremitas construxisse, & per aliquot annos Deo & sibi vixisse, donec sociorum eamdem vitam amplectentium numero aucto, cœnobium vel eremum Avellanensem fundarunt circa annum millesimum, ad quem præterpropter annum ipsius monasterii originem refert post ipsos etiam [a] Mabillonius. Fortunium non audimus, qui Lodulphum in eremum secessisse *ad Arianam sectam fugiendam* ex veteri elogio narrans, ad valde anteriora tempora, & si superis placet, ad finem quarti seculi, vel ad initium sequentis ejus fugam determinare videtur, vel saltem putare reliquias Arianæ hæreseos desinente primo millenario superfuisse. Grandius [b] noster ad annum 979. retrahit. Nos obscuram fatemur Avellanensis cœnobii originem, & primo quoad ejus auctorem, licet aliqui in dubium revocaverint, an unquam Lodulphus hic extiterit in vivis, eum tamen extitisse, immo monasterium fundasse, & congregationem Avellanensem instituisse, comprobari posse nobis blandimur, auctoritate veterum scriptorum Eugubinorum, & præcipue Griffolini Valeriani, qui floruit circa annum 1304. Servatur in archivo Armanno urbis Eugubinæ hæc Griffolini historia, sive potius historiæ fragmenta inscripta: *Gesta Eugubinorum ab ædificatione civitatis usque ad annum Domini* 1300. transumpta anno 1349. per Nicolaum Vannis notarium ex codice Memoriarum reperto in conventu sancti Francisci Eugubii, non integro quidem sed pene lacero; mox ex eodem codice historiam eamdem transcripsit manu sua cardinalis Cervinus episcopus Eugubinus, inde Marcellus II. Romanus pontifex; pluraque subinde confecta fuere exemplaria, quorum unum inter mss. codices bibliothecæ Ghisianæ in folio plut. F. ord. 20. custoditur; alterum extabat apud Hieronymum Berardelli canonicum cathedralis Eugubinæ, alterum vero penes Hieronymum Mariam Venetum canonicum regularem sancti Secundi ipsius urbis. In his fragmentis hæc de Eugubio habet Griffolinus Valerianus [c]: *Carolo Francorum regi & imperatori strenuissimo ad civitatem appropinquanti omnes Eugubini in sono tubæ & jubilationis obviam ierunt plaudentes & clamantes: Ave rex salus nostra. Quamplurima dona, & maxima beneficia civitas Eugubina ab ipso accepit, & quasdam insignes Sanctorum reliquias ipso largiente recuperavit, & nonnullos dominos & comites de exercitu, & aula regis eadem civitas reaquisivit, qui multas possessiones, castra & oppida possederunt, fuerunt*

magni

a *Secul. VI. pag.* 253.

b *Dissert. IV. cap.* 11. *n.* 12.

c *Pag.* 37.


magni & potentes, & ab illis descenderunt clarissimi viri, & inter ceteros hic beatus Lodulphus, qui a nomine suæ columbæ, & vitæ puritate denominatus fuit Columbinus. Alludit nimirum ad congregationem Avellanensem ab ipso excitatam, quæ progressu temporis congregatio *Columbæ* fuit appellata. Ex qua etiam auctoritate intelligere possumus Lodulphi majores ex Germania una cum imperatore in Italiam descendisse, & domicilium suum sibi elegisse Eugubii, ut propterea ratione originis Germanus, ratione nativitatis Eugubinus dici potuerit. Quo vero tempore id præstiterit Lodulphus, qualve leges in suo noviter extructo cœnobio condiderit, credibile est circa hoc tempus solitudinem petiisse, annis procedentibus socios illi se adjunxisse; Romualdum vero nostrum post duodecim circiter annos advenisse, qui locum solitudini aptum prospiciens, eremum informi ritu inchoatam melioribus auspiciis stabiliverit, & incolas eremi sanctissimis suis legibus fulcierit. Affinitatem rituum Camaldulensium cum ritibus Avellanitarum jam demonstravit Grandius in sua peculiari [a] Dissertatione; id alibi nos præstabimus. An patriæ fuerit episcopus anno 1009. Lodulphus, ex silentio Petri Damiani, qui necessario de ipsius episcopatu & dimissione sermonem instituere debuisset, potius inficiamur, sed de ea re ad annum 1009. Demum agnoscimus densa caligine respersam historiam priorum annorum hujus postea celeberrimi cœnobii; nihilo tamen minus ad annum circiter 990. posse aliquo modo statui Avellanensis eremi originem, sub antecedenti anno 989. ostendemus.

ANN. CHR. 977. ROMUALDI 70.

a *Dissert. IV. Camald.*



AN-



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER QUARTUS.

Ab anno CHRISTI DCCCC.LXXVIII. *ad annum* DCCCC.LXXXV.

ANN. CHR. 978. ROMUALDI 71.

I. Petri Urseoli exaltatio ad primam patriæ dignitatem.



ICET aliqua a Romualdo gesta in eremo Marini, & in finibus Venetiarum annis præcedentibus produxerimus, latuerunt tamen plurima, quæ spatio quadraginta & octo annorum par est credere, sanctum virum pro Dei gloria sollicitum, & animarum zelo inflammatum perpetrasse. Hoc tandem anno ex certis historiis exploratius aliquid & illustrius habemus, abdicationem nempe Veneti ducatus factam a Petro Urseolo, atque fugam ipsius una cum Romualdo, & sociis in Gallias. Quomodo autem hæc peracta fuerint, altius est repetendum. Venetæ reipublicæ dux creatus fuerat anno 959. Petrus IV. Candianus, non Vitalis, ut in [a] Damiani narratione habetur; Damiano enim solitario, & remoto in loco scribenti facile fuit circa nomen errare, neque *magnopere curavit videri auceps nominum, dummodo non excideret series & ordo gestorum*, ut de se ipse [b] testatur. Quod tamen etiam ex amanuensium errore potuisse contingere probat Grandius [c], eo vel maxime, quod Andreas Dandulus, & anonymus Camaldulensis, ille in Veneta historia, hic in Vita sancti Petri Urseoli verba ipsa exscribant Damiani, cum factum hoc narrant, & tamen non Vitalem, sed Petrum Candianum Urseoli prædecessorem nominent. Si enim in Damiani textu ab ipsis lecto reperiissent nomen Vitalis, vel ipsi etiam ejusdem Vitalis nomen usurpassent, vel adnotatione aliqua lectores admonuissent mendum irrepsisse in Damiani textum. Petrus IV. itaque Candianus Venetorum dux *in conjugium germanam Hugonis magni illius marchionis acceperat*. Hæc Valdrada, & Valderada atque Gualdrada, seu Valderta & Walderta a scriptoribus appellatur, quæ filia erat Uberti marchionis & Etruriæ principis, de quo agit Damianus [d] opusculo *de principis officio* ad Gothifredum marchionem, atque soror Hugonis ducis & marchionis Thusciæ. In [e] codice Trivisaneo in instrumento anni 976. sic seipsam nominat: *Ego Waldrada relicta quondam Petri ducis Candiani filia boni Petri* (corrigendum *b. m.* Uberti

a *Vit. S. Rom. cap.* v.

b *Lib.* I. *epist.* x. *seu Opusc.* xx. *cap.* v.

c *Vita S. Petri Urseoli cap.* IV. *p.* 8.

d *Opusc.* LVII. *Par.* II. *cap.* III.

e *Grandi Vit. S. Petri Urs. p.* 23.

Uberti ducis, vel habita relatione ad maritum *filii b. m. Petri ducis*). Sansovinus [a] aliud documentum laudat anni *979.* quo Vitalis Candianus Gradensis patriarcha filius extincti Petri Candiani ducis, & primæ Petri uxoris Johannæ, appellat secundam patris sui conjugem Waldradam: *Quod vos per commune consilium dedisti Waldrade matrinee mee*. In diplomate concesso monasterio Vangaticiensi anno *997.* appellatur *Gualdrada filia b. m. Uberti*, *qui fuit marchio*, & in altero Hugonis ejusdem anni *per remedium anime Gualdrade germane mee filie supradicti b. m. Uberti marchio*. Waldradam Candianus, repudiata Johanna conjuge, in matrimonium sibi copulaverat, & Hugonis fratris uxoris suæ potentiam exæquare insuper volens, militiam numerosam conflaverat, itaut potius quam Reipublicæ dux, videretur tamquam Dominus ad tyrannidem aspirare. Quare subdit Damianus, *Aemulatione leviri suadente*, *Candianus multos ex Langobardiæ & Thusciarum partibus milites*, *profligatis pecuniarum stipendiis*, *acquirebat*. *Hoc autem Venetiarum incolæ non ferentes*, *clam iniere consilium*, *ut repentino impetu ducis palatium armati violenter irrumperent*, *eumque cum omni domo sua in ore gladii absque ulla retractatione necarent*. *Hujus denique conventiculæ conjuratione comperta*, *Vitalis dux*, *nocturnis diurnisque vallatus excubiis*, *hostiles insidias ad nihilum redigebat*. *Illis autem hæc & alia tentantibus*, *sed ad incœptæ factionis effectum attingere non valentibus*, *tandem visum est*, *ut domum Petri* (intellige Urseoli), *quæ ducis palatio adjacebat contigua*, *prius incenderent*, *istoque modo & ducem caperent*, *& universa ejus domestica concremarent*. *Istius vero rei experiendæ consensum a Petro*, *qui eorum consilii particeps fuerat*, *flagitantes*, *hujus tandem mercedis fœdere pacti sunt*, *ut pro una ejus domo*, *quam igne consumerent*, *totam ditioni illius Venetiam subderent*, *& deleto illo*, *quem exosum habebant ducem*, *hunc loco ejus protinus subrogarent*. *Hoc igitur modo Petrus Dalmatici regni adeptus est principatum*, *qui postmodum ambitionis suæ jam voluptate potitus*, *respectu divinæ gratiæ demum corde compunctus est*.

Ann. Chr. 978. Romualdi 71.

a *Pag.* 209.

II. An culpabilis in ea assequenda?

HACTENUS Damianus, cujus narrationi consentiunt Veneti scriptores omnes, in eo tantum ab ipso discordes, quod Petri Urseoli innocentiam tueantur, præter unum Andream Dandulum, qui in omnibus Damiani auctoritatem sequens, ejusque verba laudans scripsit: *Tandem nequam consilium Petri Ursiolo secuti*, *ut ait Petrus Damianus*, *propinquas domos &c.* Anonymus etiam Camaldulensis Damianum exscribit addens: *Hæc tamen non minuunt devotissimam sanctitatem*, *cum non sit novum lapsos erigi*, *& laqueatos vitiis divino spiramine fore factos frequentius excellentissime virtuosos*. Nec videtur admittenda conciliatio Mabillonii [b], qui putat Rivipullensem monachum scriptorem vitæ Petri Urseoli, atque Venetos scriptores has circumstantias in suis narrationibus silentio præteriisse, ut Petri ducis famæ consulerent, & ne quid eximii ducis existimationi nocerent. Id enim pugnaret cum sinceritate Venetorum scriptorum; credendum potius ipsos scientes Petrum obnitentem fuisse exaltationi suæ, & coactum repetitis populi vocibus, in commodum reipublicæ dignitatem sibi exhibitam dumtaxat suscepisse, improbabile existimasse, accedente etiam pia & laudabili Urseoli vita, partem ipsum habuisse in nece sui antecessoris, & in ambitioso hujuscemodi pacto. Sabellicus tamen ad annum *976.* asserit „ fuisse ea tempestate, qui putarent Petri Urseoli, qui „ post Candianum princeps declaratus est, suasu, populum ignem in pro„ pinquas ducario ædes conjecisse; “ & in codice ms. historiarum Venetarum, quem citat Wion, [c] sibi commodato a Johanne Zeno patricio Veneto,

b *Sec. V. p.* 847. *& not.* 1.

c *Martyrol. Monast. ad diem* XI. *januar.*

ANN. CHR. 978. ROMUALDI 71.

Veneto, legitur: *Urseolum multas persecutiones passum fuisse a domo ducis occisi*; ex quo colligitur interfecti Candiani propinquos Urseolum judicasse principalem necis auctorem, cujus rei suspicionem augebat cernere electionem novi ducis reapse cecidisse in eum, cujus domus conflagrarat, ut flammæ ibi conceptæ palatium contiguum ducis invaderent.

Dicendum ergo, ad conciliandam Damiani auctoritatem cum ceteris scriptoribus Venetis, Urseolum assensum præbuisse populo ad tollendum de medio ducem, passumque fuisse incendium propriæ domus pro combustione ducalis palatii, sed simul putasse id a se posse præstari indemni conscientia, cum de tyranno ageretur; pietas enim in Deum non repugnat pietati in patriam. Fieri quoque potuit populum primam dignitatem Urseolo pollicitum fuisse, sed verisimile non videtur, Petrum pactum tale firmasse, cum alienum esset cor ejus ab ambitione, quam alienationem declaravit tunc potissimum, quando legitime electus, multum temporis, antequam consentiret, obluctatus est. Cum tamen ex una parte nota esset exhibitio ducatus facta a populo, & ab altera parte, ab eventu scilicet, non alius in ducem, quam Urseolus creatus extitisset, nil mirum, si in vulgus disseminatum sit ipsum ambitioso fœdere ducatum Venetum mercatum fuisse. Refectio ecclesiarum incensarum, quam ipse dux constitutus curavit, abdicatio pariter dignitatis post duos annos rem credibiliorem effecere, ipsum facti pœnitentem, conscientiæ adactum stimulis, male partum deposuisse principatum. Hinc intelligitur, cur Damianus famam undique diffusam secutus, ea de Petro Urseolo scripserit, quæ protulimus.

III. Auctores, qui ipsius innocentiam tuentur.

ELECTUS ergo fuit Petrus Urseolus Candiani successor in Veneto ducatu die XII. augusti ann. 976. *qui ad tantæ dignitatis provectum scandere contemnebat, timens ne secularis ambitione honoris propositum amitteret sanctitatis*, ait [a] Dandulus; & [b] Sabellicus: *Reformidabat ingenium illud a teneris justitiæ assuetum popularem administrationem, in qua rarus relinquitur innocentiæ locus*; cum quibus consentit & anonymus Camaldulensis dicens: *Veneti vero justum & idoneum perquirentes, Petrum Urseolum multifariam renitentem præfecerunt in ducem, magistratumque adire recusantem.* Prosequitur Sabellicus: *Populi preces, ne rempublicam ea temporum novitate desereret, omnino flexerunt, quamquam idipsum constet ægerrime ab eo impetratum, sed patriæ caritas, cui primo, ut divinus ait Plato, nascimur, effecit, ne in tanto discrimine civibus deesset suis.* Et Dandulus: *Tandem importune interpellante populo, non humano favore, sed reipublicæ commodo, hujusmodi principatus apicem accipere non recusavit.* Quæ in principatu gesserit, quæ ædificia reparaverit in urbe, vel nova erexerit, quas leges sanctissimas tulerit Urseolus, in medium non proferimus. Hæc enim copiose narrata extant apud Venetæ historiæ clarissimos auctores, atque in sancti Petri Urseoli vita a Guidone Grandio abbate nostro anno 1733. conscripta, hortante Petro Garzonio senatore & historiographo Venetæ reipublicæ, ex qua plura decerpsimus nos, & quæ in progressum referemus, accepturi sumus.

a Lib. VIII. cap. 15. part. 1.
b Ad ann. 976.

IV. Scriptores ejus vitæ.

LEGI etiam possunt scriptores veteres vitæ Petri Urseoli, inter quos tres potissimum habemus, monachum videlicet, ut vulgo creditur, anonymum monasterii Rivipullensis, alium auctorem chronici Cuxanensis, tertium demum, quem appellabimus anonymum Camaldulensem, de quibus aliqua hic, post Grandium, præmittemus ad auctoritatem firmandam iis, quæ in medium eorum verbis adducemus. Vita scripta a Rivipullensi monacho extat apud Mabillonium [c], qui ipsum appellat Urseoli encomia-

c Seculo V. Act. O. S. B. pag. 847.

comiastem. Ex codice monasterii illius erutam Mabillonio communicavit eruditissimus vir Stephanus Baluzius. Auctorem ejus, seculo integro, Urseolo posteriorem haud fuisse quis conjiciat ex his verbis: [a] *Multa quidem mira per eum Deus egit, quæ nobis sunt incognita, quia non sunt scripta, nec oratione illorum, qui eum viderunt, relata. Omnes enim, qui ejus præsentiam viderunt, jam a seculo migrarunt.* „ Quæ sane verba nonnisi „ homini, qui Petri ducis contemporaneos videre potuerit, recte conve- „ niunt. “ Hæc Mabillonius. Grandius insuper putat Rivipullensem scripsisse post Petrum Damianum, qui vitam sancti Romualdi circa annum 1042. exaravit. Scripsit enim Rivipullensis, ut ipse cum Mabillonio observat, post mortem Olibæ episcopi Ausonensis, qui obiit anno 1047. cum [b] affirmet: *Olibam sancti Michaelis, in quo requiescit, admodum in omnibus curis dilexisse cœnobium.* Præterea existimat Grandius certum non esse, auctorem hujus vitæ fuisse monachum, & monachum Rivipullensem; nam loquens hic auctor de Cuxanensibus monachis, qui ejus corpus honore funeris prosecuti sunt, ait [c]: *Non mirum quidem si consodales & coadjutores sui ordinis sibi debiti obsequii hymnos modulabantur.* Ubi dixisset *nostri ordinis*, si & ipse monachus fuisset, attenta præcipue peculiari communicatione utriusque monasterii Cuxanensis & Rivipullensis. Pariter [d] hæc verba scriptor ille usurpat: *Altera autem die veniens dux illius provinciæ*; & paullo post: *Inclytus vir Oliba rector ejusdem patriæ*, quibus verbis se exterum profitetur, dicere enim debuisset: *dux hujus provinciæ, rector hujus patriæ*.

Ann. Chr. 978. Romualdi 71.

a *Ibid. n.* XVII.

b *Ibid. n.* XXI.

c *Ibid. n.* XVIII.

d *Ibid. n.* XIX. XXI.

Cuxanensis alter scriptor vitæ Urseoli videtur potius chronogaphus ejusdem monasterii, cujus chronici pars sit hæc vita. Codex archivi, ex quo hæc historia deprompta, fuit, appellatur *Liber viridis*. Titulus vitæ sic se habet. *Incipiunt actus seu vita illustris viri domini Petri Urseoli ducis Venetie & Dalmatie, ac monachi cenobii beati Michaelis de Cussano in Helenensi diecesi.* Exordium vero. *Tempore, quo regebat prefatum cenobium reverendus pater Guarinus abbas, iter suum dirigens ad Romanam curiam per mare, portum adit Venetiarum.* Auctor videtur pene ad verbum Rivipullensem exscripsisse.

Tertius demum Urseoli biographus est anonymus pariter scriptor existens in codice ms. bibliothecæ sacræ eremi Camaldulensis, in quo aliæ Sanctorum vitæ leguntur a Bollandistis sæpius in suo eruditissimo opere allatæ. Auctor non uno in loco se prodit duodecimo, vel tertiodecimo seculo vixisse; character quoque, licet non primigenius, vetustatem sapit multam. Præfigitur titulus. *Vita vel obitus sancti Petri Urseoli confessoris mense januarii die* XI. Fontaninius testatur aliud exemplar vitæ ab hoc anonymo conscriptæ existere in bibliotheca Aniciana, a quo desumpta fuit ea, quæ cum aliquibus mendis in summario *Postulationis* Romæ factæ ad obtinendam extensionem cultus, & concessionem officii sancti Petri Urseoli, impressa fuit. Alia exemplaria ejusdem anonymi extant pariter in archivo Cuxanensi. Hæc vita brevior est illa Rivipullensis, sed aliquas continet frustra alibi quærendas notitias peculiares Urseoli; neque iis erroribus respergitur, quibus scatet anonymus Rivipullensis. Ad distinctionem Rivipullensis & Cuxanensis appellabitur anonymus Camaldulensis. Hactenus ex Grandio. Sed jam Damiani textum prosequamur, & quomodo Urseolus se ducali dignitate abdicaverit, ipsius verbis enarremus.

e *Vit. S. Rom. cap.* V.

V. Guarinus abbas Cuxanensis venit Venetias.

QUIDAM *autem*, [e] inquit, *venerabilis abbas, Guarinus nomine, ex ulterioribus Galliæ finibus, orationis gratia, per diversas mundi regiones peregrinari*

Ann. Chr. 978. Romualdi 71.

grinari solitus erat. Hic quoque ad ducem veniens, ab eo protinus, ut sibi ad evadendum tanti reatus periculum, consultum præberet, exactus est. Accersitis igitur Marino & Romualdo, hoc sibi communi jubetur sententia, ut seculum simul cum ipso, quem per nefas invaserat, ducatu, relinqueret; & quia ad alienæ dominationis arcem injuste proruperat, ipse se alienæ potestatis dominio subjugaret. Ille autem homo nimirum in potestate positus, quia conversionem suam manifeste facere ausus non est, tutum putavit hoc utendum esse consilio. Imminente igitur festivitate sancti cujusdam martyris, ex cujus vocabulo basilicam in propria possessione adhuc privatus habuerat, illic pridie uxorem suam præmisit, ipse quasi mox secuturus; hoc ei præcipiens, ut & ornatum ecclesiæ accuratissimum provideret, & secum venientibus sumptuosas epularum delicias in crastinum præpararet. Ipse autem post conjugem remanens, his de suis thesauris, quæ sibi videbantur, ablatis, cum quodam suo familiari, Johanne scilicet Gradonico, qui præfatæ conjurationis conscius fuerat, & cum tribus illis beatis viris, quos præposuimus, navem ascendit, deinde in Galliam ad monasterium abbatis Guarini magnus conversus aufugit.

VI. Suadet Petro Urseolo dimissionem ducatus.

Guarinus, sive Warinus aut Varinus, *angelus vel cœlestis homo, admodum in rebus prudens, & ad docendum ex tempore plebem sufficiens, in ornatisque studiis perfacile lucens*; his enim elogiis ipsum celebrat monachus Garsias in epistola, quam anno 1040. scripsit ex monasterio Cuxanensi ad Olivam episcopum Ausonensem & abbatem ejus monasterii, relata a Baluzio [a] in Appendice Marcæ Hispanicæ, abbas erat ecclesiæ & monasterii sancti Michaelis de Cuxano, ut etiam in actis consecrationis ejusdem ecclesiæ factæ anno 974. in [b] eadem Appendice legitur, ubi dicitur principem Seniofredum locasse ibi *abbatem egregium, nomine Guarinum, qui, ceu ut sydus lucidum, affatim vibrare satagit cosmum*. Laudatur quoque [c] in epistola a Gerberto, postea Silvestro II. cum quo *familiaritatem* Guarinus habebat. Consuetudo ei abbati inerat visitandi loca sancta, & peregrinandi ad Sanctorum sepulcra. Ipse idem hoc eodem anno, ineunte martio, interfuerat elevationi corporis sancti Hilarii secundi episcopi Carcassonensis factæ *e tellure*, ubi jacebat, *ad saxeam arcam post altaris arulam*, ut narrat historia in sepulcro ejusdem sancti episcopi inventa, quæque legitur apud [d] Mabillonium. Post peractam cum ceteris episcopis & abbatibus piam actionem, itineri se commiserat, rectaque Venetias se contulerat, veneraturus corpus evangelistæ sancti Marci. *Lustrata autem ibi basilica & expletis deprecationum vocibus*, subdit [e] anonymus Rivipullensis, *hospitium petiit requirens a quodam indigena, qui sibi fertur tale dedisse responsum; cur a me petis hospitium, cum minime sim ausus, o domine, tibi vel alicui huc ad reliquias beati Marci venienti concedere? At ille, quare? respondit. Dux patriæ hujus, qui susceptor est omnium peregrinorum huc advenientium, constituit decretum, ne ab aliquo nostrorum hospitetur quilibet peregrinus, nisi ab ipso solo, aut de ejus licentia. Aedificatas namque habet maximas domos hospitum, simulque xenodochium, in quibus divites pauperesque hospitantur, quibus etiam & necessarium præbet victus stipendium &c.* Similia habet chronographus Cuxanensis. Alludunt nimirum ad hospitales domus, quas sanctus dux super plateam divi Marci construxerat, ubi hodie cernuntur novæ procuratorum sancti Marci ædes. Sequitur Rivipullensis. [f] *Hæc audiens prudens abbas Guarinus fiducialiter ingrediens palatium ducis, interrogat palatii custodes, si fas sibi esset introeundi ad ducem; qui dixere, quis es tu, o abba venerabilis, qui nostrum potentissimum ac dilectum dominum inquiris? Qui-*

a *Tit.* 222.

b *Tit.* 119.

c *Epist.* xliii.

d *Secul.* O.S.B. *T.V. pag.* 850.

e *Ibid. num.* vi.

f *Num.* vii.

Quibus ille ait : Sum Varinus ex longinquis veniens partibus. Et quoniam jam beati Marci ingressus sum oratorium, necessarium peto hospitium. Dictum mihi quidem fuit, hic petere debere, sed ignoro, a quo debeam postulare. Confestim audientes illustres domestici suscipiunt abbatem, ducuntque ad ducis cubile. Cumque illum dux inspiceret, quantocyus surrexit ei obviam, & amplexus pacis tribuit osculum &c. [a] *Altera autem die illum accersiri jussit, & accedentem, cum eo salutis consilium iniit.* Damianus addit, accitos fuisse a duce Marinum & Romualdum, qui cum Guarino in communem abierunt sententiam, ut Urseolus seculum cum ducatu relinqueret. Hæc duorum eremitarum vocatio demonstrat Petrum Urseolum veterem amicitiam cum iis coluisse, & fortasse etiam ante susceptam ducalem dignitatem, itaut verisimile sit pluries ipsos invisisse, aliqualem etiam cum ipsis solitudinem ad tempus expertum fuisse, & animo jam a multo tempore desiderium fovisse se cum ipsis sociandi.

ANN. CHR. 978. ROMUALDI 71.

a *Num.* VIII.

Guarinus interea prosecutus fuit suum iter Romam versus, recipiens sancto duci se intra breve tempus reversurum Venetias, post quod votum suum exequi posset pius princeps. Chronici Aquilejensis auctor putat Guarinum prius Romam ad Apostolorum limina properasse, & in suo reditu appulisse Venetias, *ibique aliquantis diebus orationis studio, & domni Petri ducis precibus constrictum commoratum fuisse, quo tempore abbas expertus est ducem terrena parvipendere, habitamque dignitatem non ambitionis studio, sed subditorum solatio obtinere; injunxisse, itaque ei, ut relinqueret mundum, & in monasterio Deo servire festinaret. Cui dux, egregie, inquit, pater & animæ meæ lucrator, summa aviditate tuis monitis obtemperare gestio, sed aliquanti temporis spatium rogo; interim meam facultatem disponere queam, postea vero in monasterio, tuique regiminis vinculo submissus, Deo militare cupio. His itaque determinatis certum diem decreverunt, quo abbas Venetiam ad eumdem suscipiendum reciprocaret. Tunc accepta licentia monasterium repedavit* &c. *Super hæc statuta die prælibatus abbas ad Venetiam reversus est ea occasione, quod Hierosolymam ire vellet. Quem Petrus dux libenter suscepit, & prima nocte dicti diei kalendarum septembrium* &c. *de Venetia exierunt.* Paria habet Dandulus. Credibilior tamen est narratio supradicta Rivipullensis & anonymi Camaldulensis, præsertim cum redux Guarinus una cum Urseolo ad monasterium Cuxani secum asportaverit corpus sancti Valentini martyris ex Urbe delatum, quod profecto prima vice reliquisset, si post colloquium primum cum duce ad Cuxanense suum cœnobium perrexisset.

ROMAM itaque profectus Guarinus, limina Apostolorum salutavit, Benedicti papæ VII. pedibus provolutus, ut anonymus Camaldulensis scribit, non Sergii, ut [b] Rivipullensis & Cuxanensis anonymi errore habent, corpus obtinuit *beati Valentini martyris* (*Valentianum* appellat anonymus Camaldulensis), & eo thesauro onustus ad præstitutam diem Venetias reversus est. Tunc dux Urseolus Romualdum & Marinum admonuit, ut ad iter suscipiendum parati essent; Johannem quoque Gradonicum & Johannem Maurocenum in suam sententiam pertraxit, atque cum his, & cum Guarino itineri se commisit: & licet Damianus nullam mentionem faciat Johannis Mauroceni, eum tamen ceteris adjungunt Dandulus & anonymus Rivipullensis [c], qui postremus econtra una cum chronographo Cuxanensi Marinum omittit. Johannes Gradonicus falso nominatur Jacobus in quodam Veneto ms. Appellatur a Damiano conscius conjurationis in necem Candiani, quæ verba eodem modo intelligenda sunt, quo intelliguntur ea, quæ protulerat de Urseolo. Cum enim esset

VII. Fugit Urseolus cum Guarino, Romualdo & ceteris.

b *Num.* IX.

c *Num.* XI.

ANN. CHR. 978. ROMUALDI 71.

familiaris Urseoli, creditus fortasse fuit particeps occisionis tyranni. Ceterum Dandulus eum nobis describit tamquam virum sanctissimum; & [a] *cum gelida corpora, genitoris scilicet & geniti, Petri Candiani & ejus filii ob ignominiam primitus exigua nave ad forum macelli deducta essent, interpellante sanctissimo viro Johanne Gradonico, ad monasterium sancti Ilarii delata fuere*. Auctor cujusdam chronici Veneti, scripti anno 1412. nepotem Johannem Gradonicum facit Petri Urseoli; sicut ejusdem generum vocat alterum Urseoli comitem Johannem Maurocenum.

a *Lib. VIII. cap. 13.*

Inscriptio, quæ reperitur supra januam sacrarii prioratus sancti Galli Venetiarum (hic in jura successit antiqui hospitalis, quod ædificaverat Petrus Urseolus post suam assumptionem ad ducatum, in beneficium peregrinorum, qui sacra Jerosolymorum loca visitaturi Venetias adveniebant) inscriptio hujusmodi memorat supradictos omnes comites itineris Petri Urseoli, & in ea hæc leguntur,

ARAM. DEO. OPT. MAX. AC. DIVO. MARCO. EVANGELISTAE. TVTELARI VRBIS. ERECTAM. A. PETRO. VRSEOLO. VENETIARVM. DVCE. QVI. PRINCIPATV. DEPOSITO. VT. SE. TOTVM. RELIGIONI. DARET. AC. PRIVATIS SVIS. AEDIBVS. PAVPERVM. DIVERSORIO. CONSTITVTIS. GVARINVM AQVITANVM. MONACHVM. ROMVALDO. AC. MARINO. RAVENNATIBVS MONACHIS. COMITANTIBVS. VNA. CVM. GRADONICO. ET. MAVROCENO GENERIS, SECVTVS.

SILVESTER. DEL. BEN.

INSTAVRAVIT

ELOGIVM. ADDIDIT. MD.LXXII.

Antequam tamen itineri se committeret Urseolus, uxori præcepit, ut ad rus divertens sollemnitatis cujusdam martyris festum pararet. Conjux Urseoli *Felicia* appellatur a Dandulo, & fere ab omnibus; a Sansovino *Felicita*, quæ in veteri altaris tabula ad sanctum Johannem de Judaica Venetiarum congregationis nostræ Camaldulensis cognomento *Maripetra* vocatur, cujus nominis etiamnum nobilissima vulgo *Malipiero* familia extat. Piissima hæc femina fuit, quæ unico edito filio, nempe Petro Urseolo II. duce, una cum sponso castitatis perpetuæ votum vovit Deo, & calcatis rebus humanis, *animo cœlestium bonorum tantum contemplatione gavisam esse, potentemque in opere fuisse* prædicant anonymus Camaldulensis, Sabellicus & Justinianus, *monialemque factam ordinis sancti Benedicti* asserit [b] Buccellinus. Contra apertum sensum verborum Damiani, eam tunc mortuam fingit auctor cujusdam chronici Veneti, qui forsan hoc sibi persuasit, eo quod arbitratus fuerit ea vivente Urseolum monasticum votum suscipere nequivisse. Verum cum jam ambo mutuo consensu castitatem despondissent, novus non requirebatur consensus; præterquamquod dici potest, hunc assensum Feliciam Urseolo præstitisse, quoties occasio sese præberet seculum relinquendi.

b *Ad an. 978. in Annal. Benedict.*

Martyr, cujus solemnitas occurrere debebat die fugæ Urseoli, fuerit sanctus Ammon diaconus & martyr Heracleæ, de quo mentionem facit

mar-

martyrologium Romanum kalendis septembris; quo die conveniunt Dandulus, chronicon Venetum & Aquilejense, Urseolum deposito ducali paludamento cum supradictis civitati se subtraxisse, & cymba consensa navigasse ad locum sancti Ilarii ad Gambararias, ubi tunc temporis consurgebat monasterium ordinis sancti Benedicti, anno 819. ab Angelo & Johanne Participatiis ducibus Venetis erectum, secum asportatis suppellectilibus, & gemmis dono dandis monasterio Cuxanensi.

ANN. CHR. 978. ROMUALDI 71.

VIII. Pervenit Cuxanum.

MANE facto [a], cum juxta morem non convenisset sanctus dux ad matutinam synaxim basilicæ sancti Marci, frustra diu intra palatii penetralia conquisitus, creditus fuit effugisse, quare missi, qui eum inquirerent; cumque insecutores pervenissent ad monasterium sancti Ilarii, Urseolus ne detegeretur, facto signo crucis, Guarinum precatus est, ut barbam sibi raderet, simulque ut veste monastica & lebete eum contegeret. Circumeuntes exploratores agnovere Guarinum, quem apprehendentes, ubinam esset eorum dux, postularunt. [b] *At ille, ecce ego adsum, & omnes mei mecum, intuemini aspectus omnium, perquirentes vestrum dominum. Tunc ipsi perspicientes faciem omnium ac ducis, non agnoverunt eum, posuerunt enim super suum caput lebetem, abscissa barba, ideoque erat incognitus. Verumtamen non diffiditur hoc Dei nutu fore factum, cum ipsi staturam corporis ejus admirantes contuendo vultum, oculos, manus, atque cetera membra minime agnoscere poterant.* Itaque insecutoribus discedentibus iter prosecutus fuit Urseolus cum sociis Veronam usque, & [c] *cum Veronam applicuissent, ne forte per exploratores ejus haberetur notitia, dux beatissimus insequitur pedes mulorum, & humilis mulio factus, provincias Langobardorum ignotus evasit*, ait anonymus Camaldulensis. Postea *equos ascendentes, velocissimo cursu viam carpere cœperunt, intantum ut tertia die Mediolanensium rura transeuntes, Vercellensem urbem conspicerent*, subdunt auctor chronici Aquilejensis ac Dandulus; & Camaldulensis: *Demum Narbonam attingunt, ibi triduo requiescunt.* Restauratis viribus iter resumpsere intraturi in Catalauniam, & videntes candidum apicem montis Canigonis, appellati etiam montis candidi ob nivium albedinem, cognovit dux se monasterio proximum esse, & [d] *appropinquantibus illis ad cœnobium, ait abbati*; verba sunt Rivipullensis & Cuxanensis anonymorum: *Videtur mihi jam esse juxta locum, quo imus nos, quia cor delectatur meum in vicinitate ejus. Respondit abbas; ut quid interrogas domine mi? Ait dux; ideo nempe interrogo, quia non tam superbe equitando ad curiam angelorum primatis properandum est, sed humiliter, ut dignum est, ego, qui tot habenis innexus scelerum dignoscor, venire volo. Famulus enim ad dominum proprium veniens, non fastigio voluntatis, non torvosa cervice, non patula fronte, debitum debiti juris solvere debet, sed deposita iniquæ voluntatis imagine, transmutans se in habitum humillimæ pœnitudinis, per spatia reptando telluris, de propriis excessibus veniam obsecrando, petere debet. Et hoc ajens, mox ab epipida pedem relaxans, festinanter a cruribus extrahit zangas cum calcaribus, residens in nudo dejectus cespite. Igitur discalciatis pedibus, nititur velut quadrupes carpere gressum adeuntis cœnobii.* Zangæ sunt calceamenta pedum. Agnellus in Maximiano: *Non amplius* [e] *inde habeo, nisi quantum in ventrem, & in zanchas expendi. Ille cogitavit, quod de victu dixisset corporis, & de calceamentis pedum &c.* Prosequitur anonymus Camaldulensis: *Deposito ornatu mundano nudis pedibus cœnobium adiit, cui fratres per milliare occurrunt hymnicis cantibus Dominum collaudantes, & cum processione sollemni corpus beati martyris in ecclesiam deferentes.* Et chronographus Cuxanensis.

a *Num.* x.

b *Rivipull.* xi.

c *Anonym. Camald.*

d *Rivipull. n.* 12.

e *Part. II. pag.* 84.

Ann. Chr. 978. Romualdi 71.

sis. *Tunc & duci, abbatique obviam fratres cum crucibus, lampadibus, hymnis, & choris, & thymiamate fere per unius spatium milliarii, & ita processionaliter cum martyris reliquiis, & cantuum spiritualium hymnodicis melodiis devenere ad templum beati Michaelis.*

IX. Aliqua de Cuxanensis monasterii historia.

Antequam Petrum Urseolum cum ceteris nobilibus viris Venetis habitum monasticum recipientem videamus, non abs re erit aliqua producere ad historiam spectantia cœnobii hujus sancti Michaelis de Cuxano, ut lector agnoscat, quo in statu tunc floreret. Cuxanense monasterium originem suam duxit ab alio Exalatensi, quod fluvii Thetis, seu Taydi inundatione dirutum anno 878. in Coxianam vallem translatum est; quo anno superstites monachi Exalatenses ecclesiam quamdam apud Cuxanum tumultuario opere ex luto & lapidibus excitarunt in honorem sancti Germani episcopi Antisiodorensis. Ita Protasius se abbatem sancti Germani nominat in testamento a [a] Baluzio relato. Mansit hæc pauperrimo cultu excitata ecclesiola usque ad tempora Seniofredi comitis Barchinonensis, qui cum post adeptam paternam hæreditatem in Confluentem vallem venisset, eamque sacram ædem tam copioso monachorum cœtui imparem vidisset, novam ex calce lapidibus dedolatis condidit, ad cujus dedicationem Riculfum episcopum Helenensem anno 953. invitavit, qui prompte adveniens ipsam in honorem sancti Michaelis archangeli, & sancti Germani episcopi & confessoris consecravit. Adfuere huic sollemnitati, præter Seniofredum, etiam Oliba comes Ceritanensis frater Seniofredi, Ava eorum mater, Bernardus vicecomes Ceritaniæ, Gondefredus abbas ipsius monasterii cum monachis suis; variis autem donis ea occasione cœnobium locupletarunt tam Ava comitissa, quam Seniofredus & Oliba comites, necnon Guitardus, & Bernardus vicecomes, & Isnardus atque Recosindus, qui deinceps sancti Germani confessoris & sancti Michaelis archangeli vocabulo eamdem ecclesiam in tabulis donationum nominant. Exarata sunt acta dedicationis anno Domini DCCCC. LIII. die III. kal. augusti anno Ludovici regis XVIII. [b]

Cuxanense cœnobium illustravit anno 957. Pontius abbas, quem Garsias monachus itidem Cuxanensis in epistola ad Olivam Ausonensem episcopum vocat *clarissimum virum, eximiæ nobilitatis, probabilisque vitæ*. Extat Mironis archidiaconi Gerundensis, fratris Guifredi comitis Bisuldunensis, & Seniofredi comitis Barchinonensis facta donatio [c] eidem Pontio; sicut anno sequenti eidem fit confirmatio [d] bonorum & ecclesiarum a Lothario Francorum rege. Duæ aliæ donationes Seniofredi & Avæ ejus matris leguntur in Appendice Marcæ Hispanicæ [e] pertinentes ad annum 961. atque aliæ ad annum 962. ex commissione recens defunctæ Avæ. Anno autem 974. ut vidimus, abbas erat Guarinus, sub quo præsenti anno deducta nobilissima colonia, de qua sermonem habemus.

Hoc monasterium a Damiano locatur *in ulterioris Galliæ finibus*, nec perperam; nam, ut Mabillonius [f] adnotavit: „ Cuxanense sancti Michaelis cœnobium, quamquam in Catalaunia positum, in Galliæ finibus rite locatum est, quandoquidem Barchinonensis tractus, Ceritania, aliique ad Lubricatum amnem comitatus, jampridem Gallicæ ditioni accesserant. " Hæc tamen Damiani loquendi ratio doctissimo Johanni Bollando erroris præbuit occasionem, putandi nimirum Guarinum præfectum fuisse monasterio *sancti Michaelis in eremo*, quod situm est in ultimis Pictonum finibus, & Hastivillio scribendi monasterium illud fuisse *sancti Michaelis in periculo maris*.

a *Marc. Hispan. Append. tit.* XXXVIII.

b *Ibidem tit.* XC. *& seqq.*

c *Marc. Hisp. ut sup. pag.* 395.

d *Spicileg. Dacherii T. III. p.* 375.

e *Tit.* 99.

f *Observat. ad vitam S. Petri Urseoli n.* 4.

Cu-

Cuxanensi ergo in cœnobio Urseolus cum sociis monasticen amplexus est hoc eodem anno 978. Cum autem ejus fuga mense septembri evenerit, mense fortasse sequenti monachum induit, sed a quo veste monastica donatus fuerit, silet Damianus, silent & anonymi Rivipullensis, Cuxanensis, Camaldulensis. Augustinus tamen Fortunius [a] de Petro Urseolo loquens „ ad cœnobium, inquit, ipsius Guarini delatus est, ubi „ per manus sancti Romualdi factus monachus una cum ipso Johanne „ Gradonico &c. " In synodo abbatiæ Cuxanensis edita die 14. aprilis 1717. titulo *de reliquiis & veneratione Sanctorum* [b], missa ad Clementem XI. pro confirmatione die XVIII. ejusdem mensis a priore claustrali & a monachis ipsius monasterii, ad promovendum cultum immemorabilem sancti Petri Urseoli [c], legitur „ Sanctus Petrus Urseolus, olim serenissi- „ mus dux Venetiarum, mox vero sub ven. abbate Marino, & sancto „ abbate Camaldulensium parente Romualdo, hujus nostri monasterii Cu- „ xanensis in Confluentinis, vel ante finem decimi seculi religiosissimus „ cœnobita; " nulla facta mentione Guarini, qui potius videtur fuisse tamquam abbas præpositus pluribus abbatiis, neque semper in Cuxanensi cœnobio resedisse, præcipue cum ejus spiritus peregrinationibus esset deditus juxta morem eorum temporum; quare Mabillonius testatur [d]: „ Guarinus abbas Cuxanensis, velut generalis præpositus monasteriorum „ in illis partibus erat. " Ceterum ne veritas suo jure fraudetur, credimus errore scribentis, vel etiam typographorum factum, legi Urseolum cœnobitam *sub ven. abbate Marino*, & arbitramur substituendum potius *sub ven. abbate Guarino*, qui indubie tum hoc anno, tum sequentibus præfecturam una cum ceteris monasteriis obtinebat Cuxanensem; Marinum e contra, testimonio Damiani, eremitam fuisse, & socium itineris Romualdi, nunquam vero, & nusquam abbatis titulo decoratum agnoscimus. Porro licet sub Guarino monasticen professus fuerit Urseolus, potuit tamen synodus Cuxanensis addere, & sub sancto abbate Camaldulensium parente Romualdo, ea nimirum ratione, quia, consentiente forte Guarino, monasticum habitum Urseolo tradidit Romualdus; nam in authentica attestatione facta die VII. martii anni 1703. a priore & a monachis Cuxanensibus circa cultum sancti Petri Urseoli, habetur „ ejus sacrum cor- „ pus quiescere sub ara sancti Romualdi, qui exhibetur in pictura dicti „ altaris induens habitu sancti Benedicti eumdem sanctum Petrum Ur- „ seolum. " Attestatio legaliter confirmatur a Francisco des Pres vicario generali episcopi Helenensis sub die XIIII. martii ejusdem anni, munita ipsius sigillo Perpiniani, & subscripta a secretario Maisonade. Similiter in descriptione dicti altaris facta anno 1723. ab abbate Nicolino Alcalà doctore & sacerdote, viro magnæ probitatis, qui sponte se captivum dedit Algerii, ut alium sacerdotem regularem redimeret, habetur. [e] *In pictura* (ejus altaris) *repræsentatur sanctus Petrus genuflexus ad pedes sancti Romualdi stantis, a quo monachalem habitum suscepit*. Demum [f] auctor vitæ beati Johannis Gradonici asserit Petrum Urseolum & socios Romualdum spectasse & veneratos esse, ut patrem.

Ann. Chr. 978. Romualdi 71.

X. Urseolus a Romualdo recipit vestem monasticam.

a Par. II. Lib. I. cap. VIII.

b §. sed cum in his regionibus.

c Apud Grand. Vit. S. Pet. Urseoli pag. 115.

d Annal. Bened. T. IIII. lib. 53.

e Ap. Grand. pag. 70.

f Pag. 24.

Venerabilis *dux*, Petrus nimirum Urseolus, *introiens in cellam novitiorum, ut moris est*, verba sunt Rivipullensis [g], *inclytæ monachorum juxta præceptum constitutæ disciplinæ providus erat obsecutor, intimusque divinæ institutionis auditor. Eductus autem a cella novitiorum, monachizatur, & cucullato capite incedens, videbatur omnibus esse justitiæ speculum. Fit mortuus vivens inter vivos, fitque mortuus ad exemplum vivificator*,

Ann. Chr. 979. Romualdi 72.

XI. Urseolus & Gradonicus monachi; Romualdus & Marinus eremitæ.

g Num. XIII.

ANN. CHR. 979. ROMUALDI 72.

cator, fitque lanigeris cilicinista, fitque byssinis vili texentis genicio laniger, fit etiam inremotus claustriger impiger, fit silens, fit vigilans, & per omnia in omnibus cœnobita, & perfectus in exsequendis divinis mandatis optimus terapeuta. Enim vero ita induens pro thorace justitiam, postulat ab abbate sibi dari obedientiam, qua possit obediendo exercere cultum activæ vitæ, satagens tendere ad contemplativæ speculationem; poscitque, ut sibi sit licitum lavernas (chronicon Cuxanense habet *herbas*) *præparare necessarias, ac aquis lavare latrinas, campestriaque ferre manibus propriis secessibus manutergia.* (Cuxanensis chronographus legit *anitergia*; simile officium laudat Damianus [a] in Leone Nonantulano) *Injunctum quippe atque concessum petitionis optatum officium suscipiens, perficiebat quicquid ad hoc officium pertinebat, dispensans proprias escas indigentibus, & ægrotis pauperibus & peregrinis. Omnibus erat subjectus & mansuetus, hilaris atque benivolus, necnon in corde & verbis pacificus. Si quando aut jurgium vel dissidium inter fratres auditum fuisset, ut sapiens medicus curabat mores & pectora, dando divina antidota, & permulcendo iracundorum animos, apponens lenia cataplasmata. Itaque assuefaciens se in talibus exercitiis &c.* Brevius describit ejus virtutes anonymus Camaldulensis: *Mirabiliter in ipso duce apparuit donum Dei, qui seculum ex toto despiciens, dudum natus renascitur, senex in mundo, juvenescit in Deo, imperare solitus, obedientiæ se submisit; & de domino factus servus, immo vero de servo dominus, disciplinis & vigiliis deditus, humilis, misericors & virtuosus in omnibus vitam ducit.*

a *T. III. p.* 220.

Interea, dum in monasterio Cuxanensi Petrus Urseolus, Johannes Gradonicus & Johannes Maurocenus tirocinii tempus transigebant, Romualdus & Marinus parum remoti a cœnobio in solitario loco exercitiis vacabant vitæ eremiticæ, quibus primi, statim ac ipsis concessum fuit, alacriter se junxere. *Petro igitur*, inquit Damianus [b], *& Johanne monachis in sancti Michaelis cœnobio factis, Marinus & Romualdus non longe a monasterio degentes, ad singularem vitam, cui assueti fuerant, revertuntur, quibus etiam ipsi jam dicti fratres, peracto vix annuo spatio, ad perferendam ejusdem solitudinis districtionem aggregati sunt.* Auctor [c] vitæ beati Johannis Gradonici existimat Urseolum & socios statim ac assumpsere habitum monasticum, expetiisse seipsos etiam recipi in solitudinem; verum Romualdum renuisse, quia, ut scribit [d] Demalevicius, „ nonnisi „ in regula sancti patris Benedicti exercitatos ad solitariam veteranorum „ militum vitam, in qua culmen perfectionis situm est, admittebat „ (Romualdus) ut etiam duos illos primos instituti sui sectatores „ Urseolum & Gradonicum, non prius eremiticæ vitæ voluerit esse con- „ sortes, quam professionem in cœnobio sancti Benedicti fecissent. “

b *Cap. v.*

c *Pag.* 28.

d *Vita S. Bogumili archiep. Gnesnen. cap.* IX.

XII. Mos Romualdi ædificandi eremos prope monasteria.

COLLIGITUR ex Damiani textu mos Romualdi ædificandi prope monasteria ab illo erecta vel inhabitata eremos, quod ex aliis ejusdem sancti doctoris textibus a Romualdo frequenter actitatum in decursu conspiciemus. Probabile quoque est ipsum Guarinum aliquoties se adjunxisse sanctis eremitis, non dimittendo regimen sui monasterii, sed juxta disciplinam Romualdi abbatibus iis præscriptam, qui regebant monasteria proxima alicui eremo, ducendo dies feriales in solitudine, & se conferendo ad cœnobia, & ad monachos suos invisendos, diebus festis. Immo cum apud Mabillonium [e] Aster monasterii sancti Michaelis Cuxani abbas legatur ad annum 1015. ut constat ex Borelli episcopi Rotensis electionis decreto, quod in Capitularibus eruditissimus Baluzius [f] retulit, & cum ante Asterum abbas Guifredus nominetur in charta [g] facta a Bernardo comite

e *Sec. V. pag.* 850.

f *T. II.*

g *App. Marc. Hisp. col.* 954.

comite Bisuldunensi donationis monasterii sancti Pauli Monisatensis cœnobio sancti Michaelis, ut ibi observantiam monasticam introduceret juxta mores, *quos venerabilis memorie Warinus decessor tuus juxta regulam dilecti Domini Benedicti te edocavit .... Data anno Dominice incarnationis millesimo indictione* XIII. *octavo calendas martii regnante Rotberto rege*. Alia vero ex parte cum diploma [a] habeatur, Johanni papæ XIX. adtributum, anno M. VIII. *scriptum per manum Benedicti scriniarii sancte Romane ecclesie in mense junio indictione* VI. quo confirmat abbati Guarino curam quinque monasteriorum, hoc est sancti Petri Lezatensis in comitatu Tolosæ, cujus abbas Benedictus, sancti Hilarii Carcassonæ, sanctæ Mariæ Elettensis, sancti Petri Garnensis, quod regebat Ugo abbas, & sancti Michaelis Cuxani, cujus erat Guifredus abbas; ut hæc concilientur, vel dicendum Guarinum fuisse ad instar abbatis generalis congregationis, quæ eligeret abbates proprios singulorum monasteriorum, vel prædictos abbates sibi suffectos fuisse a Guarino, & præsertim in abbatia Cuxanensi, dum ipse, quietioris vitæ desiderio, Romualdi solitudinem, tempore, quo Romualdus mansit in Aquitania, & etiam post ejus discessum coleret, iis exceptis temporibus, quibus peregrinationibus vacabat. Neque id foret sine exemplo. Initio sequentis seculi Guido abbas Pomposianus, ut narrat scriptor vitæ ipsius apud [b] Mabillonium, *regebat monasterium suum, subrogatis per temporum vices, quos e subditis elegerat, abbatibus aliis, quorum primus fuit Vitalis, quo decedente elegit Petrum, post cujus obitum Theobaldus fuit, post Theobaldum constituitur Leo, post omnes, qui admirabilis ejusdem etiam nominis eligitur Guido. Hi suo quique tempore præfuerunt fratribus, & monasterium gubernarunt. Porro ille*, sanctus nimirum abbas Guido .... *habitabat in silva longe a monasterio milliaribus tribus &c.*

ANN. CHR. 979. ROMUALDI 72.

a Append. Mart. Hisp. col. 966.

b Sec. VI. P. I. pag. 351.

XIII. Romualdus ceteris prælatus.

INTEREA, prosequitur Damianus, *accenso mentis desiderio cœpit Romualdus de virtutibus in virtutes mirabiliter crescere, & reliquos fratres sanctæ conversationis gressibus longius anteire, ut jam quidquid inter fratres sive de spiritualibus, sive de temporalibus ipse decerneret, cunctis volentibus ejus omnino sententia prævaleret. Ipse quoque Marinus gaudebat Romualdo esse devotus, cui nuper fuerat ipse prælatus.* Quæ de Romualdi super ceteros auctoritate Damianus hic habet, possunt etiam referri ad tempus, quo Turris-caliginis eremum vel partes Venetiis proximiores incolebat. Verum si non ad ea tempora velit quis ea referre, exploratissimum est hoc saltem contigisse in Aquitania hoc anno, quo collecta apud Romualdum multitudine, omnes ex ejus tam quoad spiritualia, quam temporalia, nutibus pendebant; pendebat & ipse ejus magister Marinus; quam Marini subjectionem laudans noster Aurelius Antonellus hæc habet. „ Obstupescens ingenuus senex magisterii munus repente sibi a novitio „ esse præreptum, non livorem contraxit, sed dilatavit amorem, non tædio, sed gaudio affectus mira exultatione gestiebat. Gloriosum militem „ suum ad currendam viam mandatorum Dei videbat summo studio expeditum, & se ergo illi non ficta caritate devinxerat, ut post eum libenter curreret, quem paulo ante præibat. “

XIV. De eremo Longaderæ prope Cuxanum.

LOCUS hujus eremi vocatur hodie *Longadera*, extatque prope nemus monasterii. Eo in loco fuerit necesse est inter ceteras cella illa angustissima, quam sibi ædificandam curaverat Urseolus, in qua vir beatus proceræ staturæ nequibat stare super pedes, nec supinus jacere. *Cellulam*, ait anonymus Camaldulensis, *parum distantem a monasterio sibi constituit tantæ parvitatis, quod nec se erigere poterat vel extendere*. Et Rivipullensis mo-

ANN. CHR. 979. ROMUALDI 72.

nachus [a]: *Cellam sibi non longe a monasterio ædificari petiit ..... denique in tam angusta cella stans, vix sedere aut jacere poterat.* Extat etiam hodie saxum, super quo brevem somnum capiebat. Sed juvat processum legere. Hic est *de sanctitate, cultu & miraculis sancti Petri Urseoli confessoris, cujus corpus requiescit Cuxani nullius diœcesis in monasterio sancti Michaelis archangeli comitatus Ruscinonensis in Catalonia, alias in Gallia Narbonensi Commentarius publica auctoritate confectus Prattæ in episcopatu Helenensi, vulgo Perpinianensi a die* III. *aprilis ad diem* XXV. *septembris A. D.* 1715. *coram illustri & admodum reverendo Domno fratre domno Bonaventura de Roccabruna & de Villalonga, olim religioso professo priore beatæ Mariæ Virginis de Riquer, ac etiam priore claustrali, vicario generali, & officiali prælibatæ abbatiæ & monasterii;* quem commentarium edidit Justus Fontaninius archiepiscopus Ancyranus ad calcem *Dissertationis de sancto Petro Urseolo duce Venetorum. Romæ anno* 1730. In hoc processu ergo ista habentur: [b] *Esse lapidem in quodam oratorio paucis ab hinc annis constructo, nemus inter monasterii & campum,* LONGADERA *appellatum, super quem lapidem sanctum Petrum Urseolum, ut somnum caperet, jacuisse asseverant;* & [c] deinde: *Nemus inter monasterii agrumque* LA LONGADERA *vulgo appellatum, lapidem inesse, super quem prædictum sanctum noctes egisse integras, publica fama est, plurimaque illius sancti intercessione miracula perpetrari.* Et synodus Cuxanensis anno 1717. [d] *Lapis ille, ubi sanctus dicitur etiam ad pœnitentialem corporis mortificationem in proximo antiquitus habitæ eremi loco requieturus jacuisse, super quem lapidem devoti propter ipsius sancti meritis impetrandam capitis sanitatem, solent corpus suum reclinare*. De eo lapide ita etiam loquitur anonymus Camaldulensis. *In ea quippe cellula lapis erat marmoreus suæ longitudinis, super quo sæpissime dormiebat; qui lapis usque in præsentem diem ibi habetur, cujus virtute multi diversis languoribus liberantur.* Addit Jacobina de Blemur in suo *Anno Benedictino* [e], nescimus cui monumento innixa, *petram mollescentem impressionem recepisse sancti viri*: Typus sacelli & petræ habetur apud Grandium in vita sancti Petri Urseoli.

In hoc agro Longaderæ *tribus annis Romualdus & Johannes Gradonicus sarculis terram frangentes, & triticum seminantes, ex manuum suarum labore vixerunt*, ait Damianus [f]. An & Urseolus se exerceret in agro excolendo, non exprimit sanctus doctor; sed valde credibile est ad fugiendam otiositatem, & ad macerandum laboribus corpus, Urseolum participem fuisse exercitationum earumdem, præcipue cum dicat Rivipullensis ipsum semper persistentem fuisse in oratione, aut in labore manuum. Quæ alia forent Urseoli exercitia narrat [g] idem auctor. *Petebat itaque innumerabiles venias in die & in nocte, & ante horas nocturnales explebat assidue integre psalterii psalmodiam. Oculos ad cœlum erigens, pectus cum compunctione tundens, obnixius deprecabatur Dominum pro salute sua & omnium fidelium. Rigantur genæ lacrymis dulcifluis, moventur labia postulationibus intimis, tremulosa suspiria emittunt speciem angelicam. Die noctuque contemplans*, sequitur anonymus Camaldulensis, *cor ad Dominum erigebat*. Et demum concludit Rivipullensis: [h] *Cujus adventu atque conversatione universa gens illius regni gratulabatur, cernentes humilem atque pudicam vitam multimodis virtutum floribus decoratam. Quem etiam agnoscebant quasi patrem domestici, quasi indigenam accolæ, quasi consanguineum pauperes. Putabatur enim esse quasi optimus athleta in stadio currens hujus tumultuantis æquoris, celer in componendis gressibus, ut quiret accipere æternale bravium.*

a Num. 17.
b Cap. 10.
c Cap. 11.
d Ap. Grand. pag. 118.
e T. I. p. 81.
f Vit. S. Rom. cap. VI.
g Num. XIIII.
h Num. XV.

SE-

SECUNDUS hic annus eſt, quo terram exercens Romualdus cum Johanne Gradonico, & forſan cum Urſeolo, manuum ſuarum labore aſperrimam ducebant vitam [a]. *Qui nimirum dum agriculturam exercebant, pondus jejunii duplicabant*, ait Damianus. Quod duobus modis poteſt intelligi, & quod agricultura, quæ corpus debilitabat, reddebat graviorem tolerantiam jejunii, & quod agrum excolentes multiplicarent jejunia, vel ſolito abſtinentiores viverent. Diximus Urſeolum ipſum probabiliter ſe non ſubtraxiſſe laboribus exercendi corpus in agrorum cultura, quod ex ſequenti narratione confirmatur, quam verbis Damiani proferimus. [b] *Petrus autem dux, quia multis educari deliciis ſolitus fuerat, jam jam ſub tam diſtricti jejunii pondere ſuccumbebat. Unde ſe ad pedes beati Romualdi humiliter ſtravit, juſſus vero ut ſurgeret, neceſſitatem ſuam cum verecundia coactus aperuit. Pater, inquit, quia magnum corpus habeo pro peccatis meis, ex hac paximatii medietate ſuſtentare me non poſſum. Romualdus igitur fragilitati ſuæ compatiens, conſuetæ menſuræ quadram paximatii ſuperaddidit, & ſic labenti jam fratri, ne omnino deficeret, miſericordiæ manum tetendit, & ad peragendum bene vivendi iter, quod cœperat, confirmavit*. Paximatii medietas forte ſuffecerit Petro Urſeolo, ſed laboranti non ſufficiebat. *Paximatium* apud nonnullos panis eſt ſubcinericius vel hordeaceus. Paulus Juſtinianus in [c] regula eremitica edita anno 1520. in monaſterio Fontis-boni prope eremum Camalduli ſcribit: „ Erat illis quotidiani cibi menſura per ſingulos pars dimidia *paximatii*, ideſt ſicci aut biſcocti panis dimidium. " Hæc interpretatio eſt ad mentem Suidæ dicentis in Lexico. *Biſcoctus panis, qui apud Romanos dicitur paxamas*. Arabes etiamnum biſcoctum panem vocant *paxmat* ex Macrii vocabulario eccleſiaſtico; ſic dictus forte a Paxamo, qui ſcripſit de re piſtoria, & in uſum militiæ biſcoctum panem invenit ex Columella *lib.* 12. *cap.* 4. Paximatium conſtabat duabus libris, quarum una uni, altera alteri eremitæ miniſtrabatur. Quadram addidit Romualdus Urſeoli portioni, nempe quartam partem paximatii, itaut ceteri eremitæ duodecim unciis contenti eſſent, Urſeolus vero ob ſuam corporis vaſtitatem minus quam quindecim unciis vivere nequiret. In Theodemari abbatis Caſinenſis epiſtola ad Carolum M. [d] legitur *panis ponderans quatuor libras*, cujus deberent fieri quatuor portiones totidem monachis diſtribuendæ, ideoque cruce erat ſignatus, quo facilius æquæ partes fierent. Sed in regula [e] Magiſtri panis potius ponderabat duas libras, & panis per medietatem diviſus menſura erat eremitarum, pro quibus regulam conſcribebat Magiſter. *Medius panis*, inquit, *penſans libram unam ſingulis fratribus in die ſufficiat*.

Mitioris abſtinentiæ diſpenſatione non ſemper tamen utebatur Urſeolus, qui quærens perficere in ſe, præter ceteras, etiam hanc virtutem, atque *vitam aſperiorem eligens*, inquit anonymus Camaldulenſis, *panem hordeaceum, & ſolum groſſa cibaria ſumebat*. Et Rivipullenſis [f]: *Non aſſumens cibum niſi pauca olera & panem hordeaceum, tenens apoſtolicum victum, & pabulum theoricum, nam* [g] *pulmentaria, & panem ſuæ prebendæ accipiens dabat pauperibus, ipſe vero modicas, ut ita dicam, panis hordeacei micas comedebat; & macerans carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis, jejunando biduanas & triduanas, mortificabat membra ſua ſuper terram*.

QUIS iſta audiens, atque Urſeolum ſubjectum Romualdo, & Romualdum leges dantem Urſeolo animadvertens, litem movebit, vel in dubium revocabit, an ſanctus vir Urſeolus dici debeat verus diſcipulus & aſſecla Romualdi, cum ejus conſilio ſeculo valedixerit, monachum induerit, perfecte ipſius inſtructionibus exequendis operam dederit, moderationem ca-

ANN. CHR. 980. ROMUALDI 73.

XV. Urſeolus ſub Romualdi obedientia, ipſique ut moderatori paret.

XVI. Jure dicendus Romualdi diſcipulus.

a Cap. VI. Vit. S. Romuald.

b Ibid. cap. VIII.

c Cap. XXVIII

d Epiſt. 2.

e Cap. XXVI.

f Num. XVII

g Num. XVI.

ANN. CHR. 980. ROMUALDI 73.

nonis quotidiani victus acceperit, sub ejus obedientia ad mortem vixerit, seseque integre subdiderit regulari disciplinæ a Romualdo præscriptæ in suis eremis? Immo cum omnes, quos novimus, Romualdi discipulos, obitu suo felicissimo præcesserit, merito appellari potest filius primo in Christo genitus sancti patris. Quæ hic notasse non abs re fuerint, ut lectores agnoscant, quo fundamento innixus Grandius noster in fronte vitæ sancti Petri Urseoli, quam edidit anno 1733. Venetiis, primo apposuerit: *Vita del glorioso principe san Pietro Orseolo doge di Venezia primo discepolo di san Romualdo*. Insignem Romualdi & Petri Urseoli picturam vitreo diversicolore opere elaboratam in cimeliarchio nostro habemus, quæ ad seculum XIV. vel ad initia XV. ad summum pertinet. In ea conspiciuntur Romualdus venerabilis senex alba cuculla indutus cum pastorali baculo, & cum literis super nimbum capitis SCS. ROMVALDVS. ABBAS. & Petrus Urseolus regio paludamento amictus, ducali cornu deposito, capite tamen cooperto albo galericulo, & cum literis PETRVS. VRSIOLVS. DVX. qui manibus junctis, & flexis genibus commutationem quodammodo secularis cum monastica veste a Romualdo efflagitat. Plures alias picturas tabulæ vel telæ applicitas in medium proferre possemus, in quibus Romualdus, & ad ipsius pedes Petrus Urseolus, vel consilium audiens, vel ducalem vestitum exuens, vel panis mensuram ostendens, repræsentantur, sed ab his describendis, veteres licet sint, quia tamen eam antiquitatem non redolent, abstinemus.

Anno Deo propitio pontificatus domni Benedicti &c. septimi pape &c. sexto, imperante domno Ottone a Deo coronato pacifico imperatore anno tertiodecimo indictione nona mensis octobris die decima; hoc nimirum anno 980. melius quam 981. indictione incœpta a septembri, ut ceteræ notæ congruant, Constantinus nobilis vir tradit Johanni abbati monasteri sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe portionem fundi in Abezano, quam sibi donaverat *per suum fidelissimum servitium Crescentius qui dicebatur a Flamine olim senior suus*.

ANN. CHR. 981. ROMUALDI 74.

XVII. Vita, pugnæ cum dæmonibus, & spiritualia exercitia Urseoli.

VITAM, gesta, pugnas dæmonum ceteraque spiritualia Urseoli exercitia sub silentio præteriit Damianus, utpote quæ ad scopum suum præcipuum, qui erat vitam virtutesque Romualdi describere, non pertinebant. Supplebimus Damiani silentium narrationibus Rivipullensis monachi, & anonymi Camaldulensis. A dæmonum impugnationibus exordiemur. *Interdum*, inquit Camaldulensis, *humani generis inimicus æmulans tanti boni a sacro proposito eum removere totis viribus satagebat. Quadam enim vice in forma virginis accedens ad eum ait, præcipe quod vis, dum sim obedire parata. Qui virtute divina eam diabolicam suasionem esse cognoscens, præposito crucis signo, in virtute nominis Jesu Christi eum furore & clamore confusum abire coegit.*

Interea commendata fuerat Petro cura oratorii & rerum sacrarum: *Post biennium*, idem Camaldulensis ait, *sacrista fuit fidelissimus, deinde custos humillimus, & quanto plus præponebatur, tanto magis se abdicatis servitiis exponebat. Luminaria in choro, libros & alia universa, sacro cultui opportuna, diligenter præparabat.* Quid autem moliretur dæmon contra ipsum fungentem suo ministerio, prosequitur Camaldulensis anonymus. *Accidit etiam, quod dum esset in oratorio suo contemplans, invidus hostis cuncta luminaria furiose admodum extinxisset, beatum Petrum pœnis amarissimis flagellavit, ipse tamen intrepidus volens accendere cereum, sensit splendorem cœlitus venientem cuncta luminaria visibiliter accendisse, &*

gratias

gratias agens Deo, prostratus coram altare in multo profluvio lacrymarum trium puerorum canticum decantavit. Luminaria autem pene assidue divino vel angelico ministerio accensa notat Rivipullensis; *Post biennium*, [a] inquit, *efficitur sua obsecratione sacrista, ascendens ad majorem gradum obedientiæ in domo Domini custos constitutus. Tunc cœpit esse obsecutor templi emendans assiduæ sordes increpti pulveris, accendens lampades, ministrans omnibus sacerdotibus, diaconibus, subdiaconibus ac ceteris ordinibus ecclesiæ .... Dæmon sollicitus assidue conturbare Dei famulum sive conflictibus, aut multarum concussionum terroribus, extinguebat templi luminaria, utpote nulla facultas sibi esset videndi; sed obscuritas diræ formidinis, cui contradicebat perfectio constantiæ spiritualis. Tunc famulus Dei Petrus accipiens exstinctum a diabolo cereum manu gerebat; qui signum crucis imprimens, statim sine incensione visibilis ignis spirituali lumine accendebat, faciebatque opus divinum intrepidus, gratias referens Deo de suis tentationibus: & ut posset esse fortis agonista, postulabat intima prece indeficiens ab oratione. Nam pene assidue sibi contingere solebat, ut compulsus sollicitudine sui officii anxiaretur in luminaribus accendendis, qui, ut solitus erat, dum festinus accelararet lumina accendere, confestim divina administratione intuebatur accensa, & ille prorumpens humili voce cantabat Domino hymnum trium puerorum.*

ANN. CHR. 981.
ROMUALDI 74.

a Num. XIV.

Alias idem Rivipullensis dæmonis tentationes beato Petro immissas subnectit his verbis [b]: *Igitur diabolus invidens ejus benivolæ voluntati, quasi specie sanctitatis transfigurans se in angelum lucis, vaferrimo ingenio istigat cordi ejus, ut revisere debeat parentes, patriam gentemque, ea videlicet ratione, ut a parentibus & amicis exquisita multa dona sancto Michaeli proprioque cœnobio deferret. Hoc autem existimans vir Dei divino esse instinctu, enarravit quibusdam fratribus, a quibus abbas audiens, convocato taliter alloquitur duce. Est ne verissimum, quia vis remeare ad patriam? Si verum est, formido hoc esse instinctu diaboli. Verumtamen, ut probemus, utrum Deo placeat an non, ora tu Deum, nosque simul orabimus tecum, quod si justum sit revelando, aut augeat tibi conceptam voluntatem eundi, sin autem displicet suis oculis, tribuat cor pœnitendi. Et hoc dicens abbas, vehementer tristari cœpit, ne eum amitteret occasione, aut præventu mortis, aut amore parentum, sive retentu propriæ gentis, quem jam adduxerat magno certamine. Et ita totum diem ducens in mœrore, postulabat Dominum cum omni congregatione, ne ab eis dissociaret tantum virum. Itaque paraclytus & artifex omnium electum vas componit inspirando velut plenitudinis scientiæ armarium, docens accendendo cor ejus, atque perlustrans eum radiis justitiæ phæbi per summum præsagium. Aufert ab eo hujuscemodi sycophantas cogitationes, addens illi stromeatreas actiones, cogitque in crastinum veniam petere, præsentibus cunctis in schola philosophiæ, idest in capitulo .... Prostratus itaque in terra dixit se reum, clamatque se imprudentem, dignumque flammis, eo quod diabolicis suggestionibus spiritualibus armis armatus minime resisteret.* Et anonymus Camaldulensis: *Juxta statuta abbate & cunctis fratribus die noctuque orantibus, ut scire mererentur in hoc, quid melius esset agendum. Die sequenti beatus Petrus ad fratres accedens ait: abbas, vere deceptus fui, inimicus noster fuit, habuique revelatione divina, quia Deo placet, ut vitam perficiam in hoc sancto cœnobio, & gaudentibus omnibus, & abbate præcipue, qui timebat plurimum perdere tantum virum, Dominum collaudaverunt. Illicoque beatus Petrus virgam accipiens, correptionem ab abbate multa devotione petivit, & demum cohortatus ab omnibus ad oratorium se reduxit.* Quod clarius explicat Rivipullensis dicens:

b Num. XV.

Ann. Chr. 981. Romualdi 74.

cens: *Exuensque nobilem cilicinam interulam ait abbati lingua propriæ nationis. O abba, rogo te, frusta me, hoc est virgis cæde me, credule mihi, idest crede mihi, quod sibi mos erat dicere, merito debeo verberari, quia non restiti dæmonum tentationibus, & hoc sæpissime repetens, insistebat cum lacrymis pœnitentiam agens. Videntes denique abbas & omnes fratres tantæ ejus humilitatis pœnitudinem, cœperunt omnes amarissime flere, mirantes præ gaudio, atque exultantes in compassione ejus amoris. Et hoc factum creditur Dei judicio, ut fratres roborarentur exemplo hujus pœnitentiæ, caverentque se Dei præsidio ab insidiis dæmonum.*

XVIII. Novi dæmonis doli ad deterrendum Urseolum.

Minime destitit perfidus tentator novis dolis aggredi Dei famulum. *Quadam enim nocte*, ait [a] Rivipullensis, *eutice flens, dum Domino in mentis theoria positus se commendaret, insidiator omnium bonorum instinctu invidiæ ductus cum terribili forma adstitit ei dicens: desine jam tot mihi impendere injurias, & recede ab hoc oratorio citissimo gressu. Quod si non feceris, non alacer hinc abibis, sed aut te interficiam, aut tua ossa confringam. Hæc ut audivit vir Dei electus, dux Venetiæ, Petrus, dux quidem divini collegii in æterno palatio adfuturus, ait: quid hic astas atrox & livida species, qui adversaris cunctis fidelibus velut horridus hydrus? Sicne existimas tuis me lacerare fomentis? Promove tuos dolos ab aure famulantis Domino omnium dominanti, nisi enim velociter me dimiseris, verecundus atque confusus Michaelis archangeli mei patroni gladio interibis.* Et postquam eadem narravit Camaldulensis, *Tunc magno*, prosequitur, *furore perfidus hostis molam contra eum injecit ab alto, quæ divino nutu cadens super cornu altaris in duas se partes divisit, & extinguens omnes lampades velocissimo cursu evanuit, absque ejusdem aliqua læsione. Vir autem Dei ad altare procedens, & ibi intrepidus se prosternens, creatorem pro triumpho laudavit, & visibiliter per angelos accensis lampadibus molam ante altare confractam suis solidatam manibus ipse junxit.* Cuxanense chronicon habet *magnam molam cerri*, rectius profecto Rivipullensi, qui scribit *magnam molam cere*, qua *diabolus furibundo ictu percutere eum volens percussit cornu altaris: quæ mola divisa est in duabus partibus, sicque antiquus hostis exstinguens omnia lumina lampadarum, magnum strepitum injecit cum magna concussione super omne cœnobium. Vir autem Dei intrepidus stans, ut lampades vidit extinctas, projecit se ante altare in oratione, ob nixius cum lacrymis flagitans Dominum, ut extincta lumina juberet accendere per manus angelorum. Confestim itaque nutu Dei omnipotentis, & ejus oratione, omnes in ecclesia accensæ sunt lampades, & miro rutilo atque candore universa fulgorabant templi composita loca. Tunc vir Dei grates Deo referens, hilaris efficitur: moxque adspiciens molam ceræ, duabus in partibus divisam, assumpsit utrasque partes, & simul conjungens benedixit, atque ad integritatem duas partes, uno in corpore solidavit.* Hic postremus auctor addit, quod [b] *dum jaceret in ecclesia custos ecclesiæ factus, inimicus humani generis & adversator omnium bonorum, impellebat ei multa insidiarum jacula, nitens pervertere ejus simplicem boni propositi conscientiam, nam multoties, dum in soporem quiesceret, nocturna tempestate accedebat ad eum idem prædictus æmulus totius bonitatis, & dira excussione aliquando terrorem illi incutiens agitabat: aliquando lenissimo tactu palpitans cogebat eum dormire dicens: dormi & requiesce fiducialiter, ego enim te excitabo certo tempore ad sonandum signa matutinalis synaxis. Ad hoc ille non ignarus, fraudulentas inimici strophas, indito signo* (chronographus Cuxani scribit *inclyto signo*) *crucis, procul a se pellebat, atque sæpissime quibusdam ictibus percutiebat.*

[a] *Num.* XVI.

[b] *Num.* XIV.

Atque

Ann. Chr. 981. Romualdi 74.

Atque hæc de tentationibus & insidiis diaboli, ac de pugna Urseoli auctores ejus vitæ, non in monasterio dumtaxat, sed etiam in eremo, nam ait Rivipullensis [a], quod *in ea cellula, quam sibi non longe a monasterio ædificari petiit, ibique nocturnis ac diurnis excubiis incumbens multa tentamenta dæmonum sustinuit*; ex quibus colligere possumus, quantum ad imaginem expressus fuerit sui patris & magistri Romualdi, cujus tentationes & conflictus enarravimus ad annum 932. & ad sequentes. Porro probatus tantis molestiis Urseolus, purgatior evasit ante oculos Dei, magisque in ejus animo amor Dei, & virtutum profectus crevere, ita sane, ut si dæmones tantas ei intulerunt molestias, spiritus angelici plura illi a Deo impetraverint beneficia, non tantum lampades extinctas accendendo, ut vidimus, sed & cum ipso psallendo *sæpissime quidem prospiciens visionem angelicam, læto ac forti animo inter ceteros spiritus ipse spiritualis spiritualiter Domino laudes concinebat*, ait Rivipullensis; & mentem ejus illustrando, ut etiam ventura prospiceret. Celeberrima inter ceteras fuit prædictio, quam de Veneto ducatu fecit Petro filio suo; eam verbis Damiani [b] narrabimus. *Hunc*, nempe Petrum Urseolum, *filius ejus sibi æquivocus, vir valde secundum seculum prudens, aliquando visitavit. Cui pater, nescio utrum prophetiæ spiritu, an revelatione aliqua, quæcumque sibi eventura essent, prædixit. Novi, inquit, fili mi, proculdubio, quia ducem te constituent, & prosperaberis. Tu tantummodo satage, ut & ecclesiis Christi sua jura conserves, & erga subditos alicujus amore vel odio a justitia non declines*. De visitatione filii, & de prophetia patris silet Rivipullensis; Damianum exscribit anonymus Camaldulensis. Respondit effectus prophetiæ; nam post decennium, hoc est anno 991. junior Petrus Urseolus hujus nominis II. qui tunc triginta vitæ annos habebat, ad thronum ducalem Venetum fuit assumptus, neque degener a piis sancti parentis actionibus, temporalia æque ac spiritualia summa peritia curans, antecessorum suorum memoriam superavit, Dalmatiamque Venetis subjecit, juxta titulum in camera ducali appositum.

XIX. Urseoli virtutes & donum prophetiæ.

a *Num.* XVII.

b *Vit. S. Rom. cap.* VIII.

Subjugo DALMATIAM *Communis commoditate*,
Sponte bona multi colla dedere jugo.

Hinc ipse Petrus Urseolus II. gloriosum additum illud, quod ceteri postea duces retinuere, primus usurpavit: DVX VENETIARVM ET DALMATIAE, ut [c] ait Dandulus.

c *Lib. IX. cap. I. Par. XXXI.*

XX. Defenditur Damianus titulum *ducis Dalmatiæ* tribuens Petro Urseolo I.

Damianum recte defendit Grandius, quod loquens de Petro Urseolo I. ejus patre appellaverit Dalmatici regni principem: *Petrus cognomine Urseolus Dalmatici ducatus gubernabat habenas*. Dalmatici ducatus tribuit Damianus regimen Urseolo I. licet ab ejus tantum filio titulus hic incœperit, quia tempore, quo scribebat, Dalmaticus ducatui Veneto unitus erat; quare antecessorem ornat ea dignitate, quæ propria fuit successorum, ut usuvenit apud omnes: sic appellamus *eminentissimos* cardinales Baronium & Bellarminium, licet defunctos, antequam Urbanus VIII. Pont. Max. titulum hunc S. R. E. cardinalibus concederet. Et de ipso Petro Damiano scripsit cultissimus ac doctissimus Danthes [d]:

d *Paradiso Canto* XXI.

Poca vita mortal m'era rimasa,
Quand' io fui chiesto, e tratto a quel capello.

Cum tamen pilei rubri ornamento cardinales honestaverit Innocentius papa

pa

ANN. CHR. 981. ROMUALDI 74.

pa IV. Quoties in martyrologio Romano refertur martyrium aliquorum Sanctorum tamquam Constantinopoli peractum, cum tamen sub Diocletiano & Maximiano impp. non Constantinopolis, sed Byzantium appellaretur urbs illa? Neque solus fuit Petrus Damianus, qui Petrum Urseolum *ducem* DALMATICI *regni* appellavit; Rivipullensis monachus, cujus auctoritas ad astra tollitur ad enervandam auctoritatem Damiani, quater eamdem denominationem tribuit Petro Urseolo I. In titulo operis: *Incipiunt gesta vel obitus domni Petri ducis Venetiæ atque* DALMATIAE; num. I. vitæ: *Unde nos vitam eximii Venetiarum atque* DALMATIARUM *ducis &c.* num. IX. *Petrus itaque eximius dux Venetiarum atque* DALMATIARUM; & num. XXII. *Corpus ven. Petri ducis Venetiarum atque* DALMATIARUM. Hucusque Grandius [a], cujus verba ex materna in latinam linguam transtulimus, excerpta ex vita sancti Petri Urseoli. Per anticipationem locutum fuisse Damianum sentit & Muratorius in [b] Annalibus.

a *Vita di S. Pietro Urseolo cap.* XIX. *nota* (*b*).

b T. *V. pag.* 446.

Cetera, quæ ad Petri Urseoli sanctitatem faciunt, & ad prodigia a Deo ejus intercessione patrata, brevi sermone complexus est Rivipullensis: *Multa*, inquit, [c] *quidem mira per eum Deus egit, quæ nobis sunt incognita, quia non sunt scripta, nec oratione illorum, qui eum viderunt, relata. Omnes enim, qui ejus præsentiam viderunt, jam a seculo migrarunt, quorum imperitia vel negligentia ejusdem virtutum insignia minime sunt exaratione prudentis eloquii manifestata.*

c *Num.* XVII.

XXI. Romualdus punit comitem raptorem.

DIMISSO parumper Urseolo, ad Romualdum convertamur. Postremus hic est ex tribus annis, quo una cum Johanne Gradonico terram exercens in sudore vultus sui, victum sibi comparabat. Circa hoc tempus; nam, *dum in Galliæ finibus morabatur*, contigisse narrat Damianus, annum præcisum non signans, mortem cujusdam comitis, qui vaccam rapuerat agricolæ. [d] *Quodam vero tempore, dum adhuc in Galliæ finibus moraretur* (Romualdus) *familiarem sibi quemdam habebat agricolam, qui sibi & utensilia, quibus in cella opus est, aliquando faciebat, & si quid ei opportunum esset, ditior caritate, quam rebus, de suæ paupertatis inopia hilariter ministrabat. Hujus vaccam comes quidam superbus & tumidus missis parasitis impetu barbarico rapuit, ejusque carnes præparari sibi ad prandium cum magna gulæ aviditate præcepit. Ecce autem rusticus cellam Romualdi festinus aggreditur, jacturæ suæ casum clamosis ululatibus vociferatur, spem suam, & suæ domus ablatam esse conqueritur. Sanctus itaque Romualdus ad eumdem comitem concito gradu nuntium dirigit, &, ut pauperi animal suum reddat, humillima supplicatione deposcit. Cujus preces lubricus comes protervo spiritu respuit, & quem saporem crassæ vaccæ lumbi potuissent habere, quia ipso die esset gustaturus, asseruit. Adveniente autem hora prandii, apposita mensa, vaccæ carnes allatæ sunt, & divinæ ultionis jam imminente sententia, in ipso edendi initio comes frustum bovini renis abscindens, sibi in os misit. Quod repente in illius gutture tam immobiliter hæsit, ut nec ad interiora descendere, nec foras ejici ullis conatibus potuisset. Sicque inter suorum manus, intercluso spiraminis aditu, terribili morte necatus est, & unde contra Dei servum concupiscentiam carnis explere ad saturitatem voluit, inde justo Dei judicio carnalem vitam adhuc jejunus amisit.* Hieronymus de Praga addit, minitatum fuisse Romualdum comiti divinam, quæ postmodum secuta est, vindictam.

d *Cap.* x. *Vit. S. Rom.*

XXII. De variis comitibus Catalaunensis provinciæ.

QUIS porro fuerit hic comes, in tanto comitum numero, quibus abundabat hæc pars Galliæ finitima, & a Gallis suæ ditioni adjuncta, divinare non est animus. Nam, ut observat ex regum præceptis [e] Petrus

trus de Marca, cujus verba afferimus: „ diœcefis Helenenfis, quæ fola angulum Gallicum Narbonenfis provinciæ occupat, in tres comitatus diffipata eft, Rufcinonenfem videlicet, Confluentinum, & Vallafpirienfem. „ Gerundenfis, cui jam tum adjuncta erat Emporitana, in quatuor comitatus fecta eft, Gerundenfem, Emporitanum, Petralatenfem & Bifuldunenfem. Tres inftituti in diœcefi Aufonenfi, Aufonenfis primum, tum Manrefenfis & Bergitanus. In Urgellenfi itidem tres, Urgellenfis, Ceretanus feu Cerdanienfis, & Palliarenfis. In Barcinonenfi quoque admiffa eft fectio, intra cujus limites furrexit etiam comitatus Penitenfis. Immo Vallenfem quoque pagum, qui fæpius confunditur cum comitatu Barcinonenfi, comitatus titulo donatum reperio in quibufdam refcriptis regiis. In Ripacurcia, quæ, fi qua fides Belafcuto, comitem fuum habuit temporibus Gothorum, veteres tabulæ ævo Caroli magni præferunt Bernardum ducem, marchionem & comitem .... Jaccenfis etiam urbs fuos habuit comites, qui Aragonenfes dicti funt ... Pampilonenfis denique civitas proprios habuit comites. “ Hucufque Petrus de Marca. Facile tamen fuerit comes aliquis diœcefis Helenenfis, in cujus territorio erat monafterium Cuxanenfe, a quo non longe habitabat agricola, cui fubrepta fuit vacca, & proinde etiam comes raptor.

ANN. CHR. 981. ROMUALDI 74.

a *Mar. Hifpan. Lib. III. cap.* VII. *n.* III. *col.* 253.

XXIII. Converfio Olibani comitis facta a Romualdo.

NUNC vero ad alium comitem, quocum agendum fuit Romualdo, fed ad falubritatem ejus animæ, nempe ad Olibanum, fermo convertatur. Prius tamen, quid dicat Damianus, infpiciamus. [b] *Alius quidem comes, Olibanus nomine, in eifdem Galliarum partibus erat, fub cujus jure monafterium quoque Guarini abbatis fuerat pofitum. Qui fublimi quidem culmine terrenæ poteftatis erectus, fed multis erat peccatorum molibus aggravatus. Hic aliquando Romualdum gratia vifitationis adiit, & ceteris extra cellulam manentibus folus cum folo geftorum fuorum feriem narrare, quafi per confeffionem, cœpit. Cui vir venerabilis his, quæ ab eo referebantur, auditis, refpondit, aliter eum falvari minime poffe, nifi mundum relinquens ad monafterium convolaret. Comes autem mente turbatus ait: quia videlicet fui fpirituales viri, qui ejus acta cognofcerent, nequaquam ita fentirent, neque tam intolerabilem rem fibi aliquando fuaderent. Accitis itaque epifcopis & abbatibus, qui fecum venerant, cœpit in commune perquirere, ita res, ficut Dei fervus teftabatur, fe haberet. Illi autem beati Romualdi fententiam omnes una voce confirmant, fe autem id comiti eatenus non dixiffe, terrore conftrictos excufant. Tunc comes femotis omnibus, hoc cum beato Romualdo fecreto valde confilio pepigit, ut ad Cafinum montem fub prætextu orationis pergeret, & in monafterio fancti Benedicti divino fe fervitio irrevocabiliter manciparet.* Quem fimplici titulo *comitis* nominat Damianus, *Patriæ dominum* & *ducem illius provinciæ* vocat [c] Rivipullenfis. Erat porro Olibanus comes Bifuldunenfis & Ceritanenfis, cognomento *Cabreta*, filius Mironis comitis Barcinonenfis, qui obierat anno 928. juxta veterem codicem monafterii Canigonenfis, frater Seniofredi Barcinonenfis comitis, & Mironis poftea epifcopi Gerundenfis, atque vir Ermengardis. Is anno 950. per mortem Suniarii comitis Urgellenfis, qui tutorio nomine comitatum Barcinonenfem, ceterafque Mironis fratris ditiones adminiftrabat, Ceritanenfis comitatus poffeffionem acceperat. Anno 968. Romam orationis gratia profectus fuerat ad beatiffimorum apoftolorum Petri & Pauli facratiffima corpora, eaque occafione obtinuerat ab Johanne papa XIII. ut monafterium Arulenfe, quod a fratre avi fui conftructum fuerat, fub ditione atque tuitione fedis apoftolicæ poneretur. Condidit anno 977. Olibanus in ferra feu monte de Taxo domicilium monachorum

b *Cap.* XI. *Vit. S. Rom.*

c *Num.* XVIII. XIX.

Ann. Chr. 981. Romualdi 74.

a Coll. 385. 388. 392. 394. 400. 402. 406.

una cum Mirone Gerundensi episcopo fratre suo, cui præfecit Troylanum abbatem, & monasterium sancti Petri Bisuldunensis, Seniofredo & Mirone fratribus adjuvantibus. Hæc de Olibano excerpta ex [a] Marca Hispanica. Cetera de ipso comite ad annum sequentem remittimus. Quod autem Olibano Romualdus, qui ejus confessionem audierat, transitum ad monasticum statum pro pœnitentia imposuerit, quam episcopi & abbates ejus regionis nimis timidi ausi nunquam fuerant comiti imponere, mos erat hujus seculi, ut qui criminibus forent gravati, potentes licet, seculum relinquere cogerentur. Id factum vidimus a Romualdo cum Petro Urseolo sive vero, sive prætenso ambitionis criminis reo; id videbimus ab eodem factum cum Tammo, immo cum Ottone III. qui Romualdo monachum se redditurum promiserat. Id forsan factum circa hæc tempora etiam cum Sergio Romualdi parente, qui nos in Italiam revocat ex Galliis, & a cujus narratione annum sequentem exordimur.

Ann. Chr. 982. Romualdi 75.

XXIV. Sergius pater Romualdi fit monachus in cœnobio S. Severi Classis.

b Vit. S. Rom. cap. XII.

Sergius igitur nonagenarius vel coactus, vel sponte, vel demum, ut usuveniebat ea tempestate, *ad succurrendum* forte monachus effectus occasione præsentissimi vitæ periculi, quod postea evaserit, seculum reliquerat, habitationemque sibi elegerat in cœnobio sancti Severi prope Ravennam, eo temporis intervallo, quo filius ejus Romualdus Cuxanensem solitudinem incolebat. Sed non multo elabente tempore facti pœnitens, ex diaboli suasu, seculum, cui valedixerat, denuo repetere moliebatur. Admonitus Romualdus, Galliarum rebus compositis, Cuxanum quantocyus deserit, & patris salutem curaturus in Italiam revertitur. *Interea Sergius* [b], inquit Damianus, *pater Romualdi, monachus efficitur; sed aliquanto post, suadente diabolo, factæ conversionis pœnitens, in Aegyptum redire conatur. Quod protinus monachi, cœnobii videlicet sancti Severi, quod non longius ab urbe Ravenna est positum, ubi corpore, non corde, habitabat Sergius, beato Romualdo indicare per nuntium studuerunt. Hac ille sinistra relatione perculsus, necessarium esse decrevit, ut Guarinus abbas & Johannes Gradonicus una cum comite ad ejus conversationem pergerent, ipse vero pereunti patri quantocyus subveniret.*

XXV. Origo & historia ejusdem monasterii.

Coenobium sancti Severi, in quo Sergius monasticen professus fuerat, quodque alteri nostro sancti Apollinaris in Classe dudum copulatum fuit, sed nunc penitus dirutum, cujus ad hanc diem ecclesia dumtaxat perseverat, ac prope eam vetustissimæ ingentis quadratæ turris vestigia, celebre olim, & numerosum fuisse constat. Et ut brevem conficiamus de ipso historiam, *fundavit ecclesiam beati Severi confessoris Christi in regione, quæ vocatur Vico-salutaris* [c], inquit Agnellus, circa annum 575. *Petrus* hujus nominis tertius, sed melius quartus, quem *seniorem* dicunt, archiepiscopus Ravennas; post *beati Petri amissionem, opus inconsummatum, quod reliquerat, id est ecclesiam beati Severi confessoris consummavit, & usque ad effectum perduxit Johannes* hujusce nominis tertius, [d] *qui corpus beati Severi confessoris in medio dedicavit templo mira magnitudine visibus* (forte *versibus*), *ornavit; sublatum est ab eo sanctum corpus de monasterio sancti Rophili, quod ipsius ecclesiæ latus suffultum est virorum parte, & in media ecclesia collocavit*. Rubeus [e] putat templum insigne divo Severo Ravennatum archiepiscopo ædificasse Petrum, vel potius majus nobiliusque, quod jam extabat, facere fuisse aggressum, Johannem autem perfecte absolvisse, consecravisseque; „ ut ex iis, ait, carminibus constat, quæ in ipsius divi Severi testudine jam legebantur. Hæc autem sunt: [f]

c P. II. pag. 173.

d Par. II. p. 191.

e Lib. III. p. 177.

f Ibid. p. 178.

Mul-

Multorum lucens divino fabrica cultu
Esse sacerdotum se manifestat opus.
Cœperat egregius hoc Petrus condere pastor,
In quo nescit eum mors retinere virum.
Sed quæ tecta senes, necdum perfecta reliquit
Romæ vir natus hocce peregit opus
Successor prudens Petri, pastorque Johannes,
Qui quod inest tanto tulit honore decus.
Ipse pater populi veniens Romanus ab urbe
Digna suis meritis hæc monimenta dedit.
Hæc est prisca domus sancto renovata Severo,
Cujus honore Deo psalluntur cantica vero.
Quingentis Domini sub denis septies annis
Amplius his quinque, bone lector, in ordine junge:
Imperium retinente secundo Justiniano
Annis undenis regnando vivus in orbe
Virginis a partu, quæ peperit absque reatu.

ANN. CHR. 982. ROMUALDI 75.

Ex his versibus corrigenda Bacchinii in vita Petri nota marginalis, quæ fert de Petro: *Fundavit ecclesiam beati Severi circa annum* V.LXXVIII. & substituendus annus D.LXXV. Similem errorem habet auctor Appendicis ad librum pontificalem Agnelli. Basilica divi Severi *marmoreo tabulatu decenter erat ornata*, ut in vita ejusdem Sancti [a] habet auctor monachus, circa beati Petri Damiani ætatem scribens, in eadem Appendice. Quandonam in servitium ejusdem ecclesiæ deputati fuerint monachi, non liquet. Laudat Rubeus [b] Sergium nobilissimum natum ex Stephano filio Importuni Traversarii, qui Theodorico a secretis fuerat, vitæ innocentia ac religione singulari in divi Severi archiepiscopi templo Deo servientem, & cucullatum tranquille vitam confecisse. Hoc probaret antiquitatem vitæ monasticæ in cœnobium illud invectæ. Supralaudatus Agnellus in vita sancti Petri I. Ravennatis archiepiscopi testatur tumulum ejusdem Petri sibi fuisse indicatum per [c] *Georgium presbyterum Classensis ecclesiæ*, qui *illo tempore regebat curam sancti Severi confessoris Christi; hic erat vir valde venerabilis, constans in omnibus, firmus absque imbecillitate*, quique proinde Agnelli ætate, qui hæc scribebat ante annum 836. (nam non uno anno suam complevit historiam, sed pluribus perfecit) videtur fuisse basilicæ sancti Severi præpositus, an vero collegii monastici etiam abbas, non constat. Tempore ipsius Agnelli corpus sancti Severi servabatur in prædicta ecclesia, in qua ad tumulum sancti viri sanatum puerum infirmum [d] narrat; sed non diu post translatum fuit in Germaniam, anno nimirum 836. una cum corporibus Vincentiæ uxoris & Innocentiæ filiæ, ut Liudulfus Moguntinus ejus temporis presbyter scriptis tradidit a [e] Bollando sub die prima februarii editis. Narrat autem [f] Liudulfus, Felicem quemdam clericum sibi cognitum, qui quæstus causa per provincias vagabatur, & quas poterat Sanctorum reliquias suffurabatur, cum quibusdam sociis ad sancti Severi advenisse monasterium, quod inter urbem Ravennam & sanctum Apollinarem erat situm, & ibi tamquam hospitem susceptum, & non secus ac loci monachum victum percepisse, qui etiam, ne quid de se sinistrum fratres suspicarentur, sacramento se obstrinxerat, numquam de eodem monasterio recessurum. Familiaritate inita cum ecclesiæ custode, sedulus is erat in obsequio, donec opportunitatem nactus, corpora prædicta furatus est, & cum sociis fugæ se dedit. Re cognita missi undique nuntii,

a *Pag.* 18.
b *Lib. III. p.* 156.
c *Par. I. p.* 230.
d *Ibid. p.* 167.
e *Act. SS. T. I. Febr. p.* 90.
f *Lib. II. apud Bolland.*

Ann. Chr. 982. Romualdi 75.

tii, qui sacrilegos perquirerent, sed incassum; nam isti per devia nocte incedentes Ticinum tandem se receperunt, & ibi aliquanto tempore delituere. Supervenerat Ticinum Otgarius archiepiscopus Moguntinus, una cum Hilduvino Virdunensi antistite, & comitibus Warino & Adalgiso, missus a Ludovico Pio ad filium Lotharium pro dissidiis inter ipsos enatis componendis. Hunc in suo hospitio convenit Felix, sacrarum reliquiarum thesaurum a Ravenna asportatum illi obtulit, magno inde præmio & pretio obtentis. Mane facto, tractaturi de modo legationis, Otgarii cubiculum intrant Hilduvinus, & prædicti comites, sed insolito timore perculsi se sentiunt in ipso conclavis ingressu, & jam infelicis exitus suæ legationis argumentum desumunt. In spe roborat ipsos Otgarius, non aliam eorum trepidationis causam assignans, nisi præsentiam sacrarum reliquiarum, quas de novo acquisiverat, & in scriniis servabat, quibusve debitam non præstiterant venerationem. Illi ergo statim genua flectunt, patrocinia Sanctorum invocant pro felici exitu legationis; sequenti die perbenigne a Lothario suscepti, rebus apte compositis, in Germaniam redeunt sacra pignora secum asportantes, una cum Felice raptore, qui in eorum comitatu latebat. Otgario curante juxta altare sancti Albani in loculo ossa sancti Severi posita sunt, mox Erfurtum in Thuringia ad ecclesiam sancti Pauli apostoli translata; quæ omnia idem Liudulfus presbyter [a] narrat, qui post Romanam peregrinationem Ravennam veniens [b], ut sancti Severi vitam, & translationis modum addisceret, in eodem sancti Severi cœnobio humaniter exceptus ab abbate, a quodam monacho de omnibus edoctus, quæ didicit, monumentis consignavit. Consentiunt circa annum hujus translationis Lambertus Schafnaburgensis, & Siffridus presbyter. Post annum 846. monasterium sancti Severi a Saracenis vastatum fuit, ut contigit etiam Classensi sancti Apollinaris, monachi partim fugati, partim in vincula conjecti, quorum unus ille ipse fuit, qui Liudulfum instruxit, sed non multo post ad sua tuto redire permissi cœnobii ruinas repararunt, ut ex ejusdem Liudulphi relatione patet, qui addit suo tempore numerosos fuisse ejusdem loci monachos. Anno 955. ut ostendimus ex Amadesio, *Gregorius erat diaconus & abbas monasterii sancti Severi*; ita enim se subscribit in actis concilii celebrati eo anno a Petro archiepiscopo Ravennate; hoc anno 982. aut idem Gregorius erat abbas ejusdem cœnobii, aut Bonizo, cujus monumenta habentur ad annum 988. Decoratum quoque fuerat cœnobium insigni Othonis I. diplomate anno 967. septimo kalendas octobris, quod ad eum annum retulimus, & basilica nobilitata celeberrimo episcoporum concilio, qui de statu ecclesiæ tractaturi, ibidem eodem anno cum Romano pontifice Johanne XIII. convenerant; præter insignia, quæ jam obtinuerat privilegia annis præcedentibus ab Anastasio, Leone & Benedicto Romanis pontificibus, memorata ab Alexandro papa II. in bulla anni 1062.

a *Ibid. Lib. II. cap.* 11.

b *Ibid. Lib. I. cap.* 1.

XXVI. Cœnobium S. Severi videtur tunc fuisse sub disciplina S. Romualdi.

Monasterium hoc, ut plura alia ejus regionis, videtur fuisse hoc tempore sub disciplina sancti Romualdi, vel ipsius saltem recepisse reformationem. Quid enim opus erat, ut Romualdus e Galliarum finibus evocaretur ad confirmandum nutans Sergii propositum? Non imus inficias arctissimum sanguinis vinculum, quo erat obstrictus cum Sergio Romualdus, magnum etiam nomen, quod sibi comparaverat prius in Venetorum provincia, & postea in Catalaunia, cujusque fama apud Italos quotidie percrebrescebat, existimari potuisse maximo adjumento futura ad emolliendum cor Sergii patris; sed neque incongruum est putare abbatem & monachos

nachos sancti Severi, Romualdi disciplinæ obnoxios, eum evocasse, quo opem ferret pereunti patri. Videbimus paullo post, hoc est ante annum 1010. Guidonem monachum Pomposianum a Martino abbate Pomposiæ electum abbatem sancti Severi. Quid juris Pomposiano in monasterium sancti Severi? Martinus nempe Pomposianus non alius videtur fuisse, quam Martinus, qui eodem titulo, quo Willelmus & Romualdus, appellatur *eremitarum pater & doctor* a chronographo Sanbenigniano in vita sancti Willelmi abbatis Divionensis, quippe qui eodem divino spiritu ducti, concordesque in idipsum, status monastici fuerint restauratores & eremitici propagatores, atque propterea, sicut Martino Pomposiano subjiciebatur monasterium sancti Severi, ita verisimile admodum est, quod subjiceretur etiam Romualdo; etenim non spernendis fundamentis asserere possumus Romualdum, qui inter eremitarum patres & doctores primum tenebat locum, ante suam transmissionem in Gallias, incubuisse reformationi regulæ Benedictinæ in aliquibus cœnobiis Italicis, & insuper semina eremiticæ vitæ effudisse prope Ravennam & Comaclum, sicut effuderat in Venetis regionibus; & Martinum, Willelmum, ipsum Guidonem, quos coluisse constat solitariam conversationem, & quidem ad normam Romualdi, cum subjectione nimirum obedientiæ erga prælatos suos, ejus instituti rationem didicisse ab ipso, cui ecclesia honorificum tribuit anachoreticæ vitæ reparatoris elogium.

Ann. Chr. 982. Romualdi 75.

XXVII. Petri Urseoli obitus.

ANTEQUAM Gallias linqueret Romualdus in Italiam reversurus, optimum factu putavit, ut innuimus, rebus suis consulere, ne se absente res ad maturitatem prope adductæ infectæ redderentur. Olibani conversionem ipse promoverat, & ad monasticum votum capessendum induxerat, sed Olibanus ope alicujus indigebat, qui fortem in proposito illum teneret. Obierat anni initio Petrus Urseolus, discipulus in primis carus Romualdi, carus quoque Olibano. Verendum proinde summopere erat, ne ab Urseolo & a Romualdo derelictus Olibanus piam intentionem suam mutaret. Sed prius jam secutam Urseoli mortem contra aliorum opinionem demonstrare, recteque huic anno consignatam ostendere nobis incumbit.

Sufficeret Petri Damiani auctoritas scribentis: *Petrus autem dux extremum jam diem feliciter clauserat*. Sed alia ejus obitus ad hunc annum referendi argumenta proponamus, & a mortis ejus sanctissimæ narratione exordiamur. *Cum itaque sciret Urseolus imminere obitus sui diem, ante altare prolixius orans deprecabatur Dominum*; verba sunt Rivipullensis [a], *ut dignaretur sibi ostendere notitiam sui obitus. Completa itaque oratione, visum sibi fuit, quasi quodam jaculo retro feriretur, & exiliens Domino ait: scio, Domine, me modo in hoc jaculo a te esse correptum, & hujus labentis vitæ non diutius differre terminum. Et quoniam munia tua devotus hactenus exhibere* (*numina tua devotus hactenus venerari*, habet auctor Cuxanensis) *studui, precor clementiam tuam, ut usque in finem me reddas credulum & fidelem, ac tuæ Deitatis sine reprehensione cultorem. Postmodum vero exiens ab oratorio, recollocavit se in suo nobilissimo stratu, cœpitque agitari modicis febribus, sicque advocans ad se fratres, manifeste confessus est post triduum suum fieri ab ergastulo transitum. Assignato itaque die adveniente, persistens in vigiliis & orationibus, nocte dieque efficacius ad omne erudimentum divinæ contemplationis se sollicitum, ac elucubrantem exhibens, præscius temporis sui obitus, advocat fratres cum monasterii patre, eisque pacem tribuendo vale dicens, corpore & sanguine Domini assumpto, & benedictione ac absolutione viatica suscepta, in cinere & cili-*

a Num. XVIII.

ANN. CHR. 982. ROMUALDI 75. *cilicio jacens, rogat se paululum super cathedram residere. Tunc interrogat, ut antea exposcerat, si illius patriæ dominus antequam migraret, relinquens ergastulum corruptibilis naturæ, causa videndi eum, in extremo colloquio sanctæ memoriæ veniret, quo sibi daret utile consilium ac pacis osculum: respondentibus igitur fratribus se illum expectare dicentes, resedit super cathedram.* Similia brevius habet anonymus Camaldulensis: *Die quadam*, inquit, *orans beatus Petrus optans a Domino præscire finem suum, quasi jaculo sensit se retro percussum, & ex hoc ejus extrema prædestinans humiliter Domino supplicavit, ut ipsum servare dignaretur credulum, fidelissimum & attentum; & statim febri levissima molestatus, convocatis fratribus exitum suum prædixit, iisdemque hortans eos orationibus & patientiæ insudare, ipsosque in pace deosculans, devotissime sumpsit corpus & sanguinem Jesu Christi. Tunc vir nobilis Oliba, illius patriæ dominus, ducem venerabilem videre desiderans, accessit ad eum, quo præscito beatus Petrus super cathedra positus Olibam ad eum humiliter venientem osculo pacis recepit, hortans eum mundum despicere, & Deum colere, in tantum quod ejus suasionibus Oliba vitam monachalem & sanctam elegerit.* Prosequitur Rivipullensis. *Sic usque ad horam nonam plurima referens vix promovendo linguam de institutione divini cultus; in hora autem nona fratribus omnibus circumstantibus* IIII. *idus januarii commendans se Deo, ac fratribus, jam reddito fructu* XVIIII. *ad alta siderum cacumina oculos elevans, quemadmodum Christus in hora nona, dignum Christo reddidit spiritum*; & anonymus Camaldulensis: *Et his sermonibus hora nona, qua Dominus expiravit eadem verba dicens, videlicet: in manus tuas Domine commendo spiritum meum, tertio idus januarii* VIIII. LXXXX. *quinto anno sui monachatus de hac vita misera cœlestem patriam est adeptus.* Denuo Rivipullensis subdit. *Ad cujus transitum mox catervæ fratrum alternante concentu ac tremulis lacrymarum vocibus hymnicina solvebant obsequia. Non mirum quidem, si consodales ac coadjutores sui ordinis sibi debiti exsequii hymnos modulabantur, qui in angelorum manibus inter æthereos emicantis gloriæ spiritus ovanter susceptus choris junctus est Sanctorum. Altera autem die veniens dux illius provinciæ cum primoribus suæ dominationis, dum in feretro aspiciunt jacere pia membra, magno ejulatu flent in exsequiis ejus positi decessum ejusdem nobilissimi ducis. Tunc in ecclesia ductum honorabile corpus, celebratis missarum sollemniis, cum omni honore ac devotione mentis sepelierunt eum in claustro juxta ostium ecclesiæ, laudantes & benedicentes Dominum, eo quod talem meruissent habere a longinquis regionibus venientem, ex ea congregatione moderno tempore, succedentibus suis munificentiis muniti patronum.* Anonymus Camaldulensis perinde ac comes Olibanus induxisset monachos ad sanctum ducem Urseolum eo modo sepeliendum, habet: *Dux autem provinciæ honorabiliter sociatus corpus beati Petri, juxta portam introitus ecclesiæ, mirificis hymnis & laudibus collocavit.*

XXVIII. Quo anno revera contigerit? AGEDUM Petri obitum hoc revera anno contigisse demonstremus. Tres in classes dividi possunt auctores agentes de Urseoli anno emortuali. Alii ad annum 997. ejus mortem referunt; alii in incerto relinquunt; alii postremo ab hoc anno removendam non esse arbitrantur. Qui ad annum 997. protrahunt, verbis profecto Rivipullensis ad hoc inducti videntur, nam Rivipullensis asserit: *In hora autem nona, fratribus omnibus circumstantibus*, IIII. *idus januarii, jam reddito fructu* XVIIII. *ad alta siderum cacumina oculos elevans reddidit spiritum.* Porro quid sibi velit Rivipul-

vipullensis illo XVIIII. *fructu* cogitans Mabillonius, addidit inter duas parentheses, *annorum*; ita asserunt duo celebres monachi congregationis sancti Mauri auctores historiæ Occitaniæ: *Pater Mabillonius*, inquiunt, *qui in textu verbum* ANNORUM *inter duo signa posuit. Reddito fructu* XVIIII. (ANNORUM); & putant etiam ipsi indicari ibi annos professionis monasticæ, & mortem Urseoli. Cum enim certo certius sit Petrum petiisse Cuxanum anno 978. addendo his annos decem & novem, colligitur ipsum anno 997. obiisse. Ex veteribus Dandulus eamdem opinionem tuetur. Idem tamen [a] Mabillonius, qui ad annum 997. vitam ex Rivipullensi dat Petri Urseoli, etiam ad secundam classem pertinet. „ Incertum est, „ inquit, quot annis Petrus dux in Coxano monasterio degerit. Decem „ & novem assignant Franciscus Camps, Arnoldus Wion aliique recentio„ res; idque ex anonymo hausisse videntur, qui eum *reddito fructu* XVIIII. „ scilicet annorum, decessisse scribit. Ad certum quoque annum Urseoli „ mortem, non figit [b] Pagius. Anonymus, ait, qui fuse de ejus virtu„ tibus disserit, aitque mortuum IIII. idus januarii jam reddito fructu XVIIII. „ (annorum) anno nempe incerto. " Hæc Mabillonius. Similiter Petrus de Marca [c] loquens de sancti viri obitu ad ann. 997. eo anno, aut circiter obiisse Petrum Urseolum ducem Venetiarum & monachum autumat, Rivipullensis auctoritati omnino tamen non fidens.

Ann. Chr. 982. Romualdi 75.

a *Sæcul. Observ. præv. n.* IIII.

b *Crit. Baron. ad an.* 997.

c *Marc. Hispan. col.* 416.

Tertiæ classis auctores rectius ejus mortem consignant ad præsentem annum 982. Ad hanc classem pertinent anonymus Camaldulensis, ut inferius demonstrabimus, Fortunius, Grandius & omnium novissimus P. D. Bonifacius Collina [d] in vita sancti Romualdi, qui rem plane conficit, & ad oculum demonstrat Urseolum hoc anno decessisse. Omnibus præivit Petrus Damianus, ex cujus verbis originem habet hæc sententia.

d *T. II. pag.* 51.

XXIX. Demonstratur ex anno monachatus Olibani comitis Petrum obiisse anno 982.

PRIUSQUAM autem horum rationes in medium proferamus, illud animadvertendum est, Rivipullensis auctoritatem tantam non esse, ut conferri certe possit cum Damiani auctoritate; quod Grandius & Mabillonius observant, & quod aperte deducitur ex erroribus permultis, qui in Rivipullensis narratione occurrunt. Ejus generis sunt [e]. *Petrus eximius dux Venetiarum atque Dalmatiarum congregavit principes & omnes regni sui optimates, dans coram omnibus suis duobus filiis principatum sui ducaminis, adclamante omni populo*; quod contra morem gentis esse omnes norunt, & contra veritatem historiæ, cum Petro Urseolo suffectus fuerit Vitalis Candianus, tum Tribunus Memus, inde filius primi Petrus Urseolus II. neque constet Petrum nostrum, præter Petrum postea ducem, alios suscepisse ex Felicia uxore filios. Ita pariter dum [f] scribit: *Ad honorem ducatus in florigero felicis flore juventutis positus a cunctis Venetiarum turmis eligitur*, cum tamen prope quinquagenarius ad ducatum evectus fuerit Urseolus I. Verum non tantum in pluribus erravit; sed ridiculus audit apud Mabillonium, quando [g] *Coxani* vocabulum repetit a *coxa vaccæ*, *quæ persolveretur domino prisco loci*. Ineptissimus etiam est in aliis etymologiis, ut [h] *capituli*, *qui dicitur a capitolio*, *eo quod capitalia distributa vel principalia necessitatis negotia judiciario jure*, *vel æquo consilio capiant*. Fontaninius attamen Rivipullensis auctoritatem supra illam Damiani attollit saltem in iis, quæ tempore monachatus Urseolo contigere; qua in re, si recte judicet, malumus silentio supprimere, quam pluribus Ancyranum antistitem carpere. Rivipullensis is profecto est, qui, ut notat [i] Mabillonius, diem obitus Urseoli in calce suæ narrationis assignat IV. *idus januarii*, cum sub vitæ initium III. *idus* præfigat. Rivipullensis [k] de *jejuniis Biduanarum & Triduanarum*, quæ Urseolus observabat, loquitur,

e *Num.* IX.

f *Num.* III.

g *Num.* VI.

h *Num.* IX.

i *Num.* 4. *Observ. præv.*

k *Num.* XVI.

quæ

Ann. Chr. 982. Romualdi 75.

quæ certe a disciplina Romualdi profluxere, & tamen Urseolum nonnisi versus vitæ finem [a] eremitam facit; nonne probabilius est quod asserit Damianus *peracto vix annuo spatio* ipsum junxisse se Romualdo & ceteris sociis? Rivipullensis obscurissimas chronicas notas usurpat ad Urseoli vitæ vel professionis terminum designandum; Damianus certam chronicam notam statuit. Operæ tamen pretium erit efficacioribus argumentis Damiani sententiam roborare, & reapse ostendere ejus de obitu Urseoli anno 982. opinionem unice veram esse. Romualdus anno 982. e Galliis discessurus, & in Italiam reversurus, socios itineris recens conversi comitis Bisuldunensis Olibani statuit abbatem Guarinum, Marinum & Johannem Gradonicum. Si superstes fuisset Urseolus, quomodo hunc Gradonico concive, amico, ac fugæ & conversationis monasticæ comite privasset? quomodo non solum Gradonici, sed & Marini & Guarini societate orbasset? quomodo etiam sua & illa Johannis Mauroceni, qui, ut videbimus, hoc eodem anno redux in Italiam fuit? Illud præterea a nobis probatur, Olibanum hoc anno Montem-casinum petiisse, monasticam vestem assumpturum. Fontaninius Olibani iter protrahit ad annum 986. testimonio usus Leonis Ostiensis scribentis, Olibanum Montem-casinum se contulisse sub abbate Mansone, qui anno tantum 986. successit abbati Aligerno. „ Itaque, sic habet [b], ex his patet, egregium virum (*Mabillo-* „ *nium*) libro XLIX. eorumdem Annalium num. XXI. Olibani & socio- „ rum Cuxano ad Casinates iter illigare non debuisse A. D. 982. quo „ Manso nondum erat Casini abbas, sed toto quadriennio serius, quo „ Aligerno successit. “ Verum fallitur archiepiscopus Ancyranus. Leo quidem Ostiensis [c], ante narrationem mortis abbatis Mansonis loquitur de itinere Olibani, hac phrasi utens, *circa hæc tempora*, sed nunquam asserit hoc iter sub abbate Mansone contigisse. Illa loquendi ratio annum peculiarem non denotat, sed spatium etiam decem annorum potest comprehendere, eodem modo quo capite præcedenti Romualdi iter ad Casinum montem una cum Bonifacio & aliis Teutonicis describit, quod nullus profecto, ex quo a Leone relatum sit ante adventum Olibani Casinum, dixerit accidisse ante iter hujus, cum acciderit anno 998. octo annis post Olibani mortem, eo scilicet tempore, quo *idem imperator* Otto *Crescentium Romanum senatorem, qui se in castello sancti Angeli de ponte sancti Petri contra eum rebellans munierat, sacramento deceptum cœpit, & mox quasi reum majestatis capite obtruncavit*; quæ omnia anno 998. apprime conveniunt, & sexdecim annis post Olibani iter. Non ergo sub Mansone, sed sub Aligerno Olibanus Casinum petiit, neque anno 986. sed 982. ut asserit Mabillonius, & ut deducitur ex ejusdem Olibani reversione facta ante annum 984. quod inferius dicemus.

At hoc anno 982. antequam se committeret itineri Olibanus, jam decesserat Petrus Urseolus. Id non sola Damiani, sed ipsius Rivipullensis & anonymi Camaldulensis auctoritate manifestum ostendimus. Narrat Rivipullensis Urseolum jam moriturum interrogasse [d], *si illius patriæ dominus, antequam migraret, relinquens ergastulum corruptibilis naturæ, causa videndi eum in extremo colloquio sanctæ memoriæ veniret, quo sibi daret utile consilium, & pacis osculum. Respondentibus igitur fratribus, se illum expectare dicentes, resedit super cathedram &c.* Sed magis magisque ad rem nostram anonymus Camaldulensis. *Tunc vir nobilis Oliba, illius patriæ dominus, ducem venerabilem videre desiderans, accessit ad eum, quo præscito beatus Petrus super cathedra positus, Olibam ad eum humiliter venientem osculo pacis recepit, hortans eum mundum despicere, & Deum colere,* *intan-*

a Num. XVII.

b Dissert. de S. Petro Urseolo p. 29.

c Chron. Lib. II. cap. XVIIII.

d Num. XVIII.

intantum quod ejus suasionibus Oliba vitam monachalem & sanctam elegerit. Et post pauca uterque narrat ducem illius provinciæ funus sancti viri prosecutum fuisse. En ergo clarissime demonstratum Urseolum obiisse ante profectionem Olibani ad Casinum montem, & priusquam hic monachus Casinas fieret, quem monachatum tam Romualdi quam Urseoli suasionibus fuit amplexus. Porro Olibani conversio contigit anno 982. ergo vel ante hunc annum, vel ad præsentem statuenda est Urseoli mors. Ante hunc annum mors ejus nequit assignari, ut ea omnia locum habeant, quæ in Urseoli vita narrantur, & præterea anonymus Camaldulensis conceptis verbis eum quinto monachatus sui anno obiisse tradit. *Et his sermonibus hora nona, qua Dominus expiravit, eadem verba dicens, videlicet, in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, tertio idus januarii* VIIII. LXXXX. *quinto anno sui monachatus, de hac vita misera cœlestem patriam est adeptus*. Qui profecto quintus annus ita intelligendus est, non quod quatuor integros annos compleverit in monastica professione, & quintum inceperit, sed quod quinque annorum partes attigerit, ita ut primus sit annus fugæ & conversionis mense septembri, nempe annus 978. secundus 979. tertius 980. quartus 981. quintus vero undecim tantum diebus inceptus annus 982. nempe usque ad undecimam januarii, qua obiit. Ex hac Camaldulensis anonymi assertione colligitur non recte scripsisse Fontaninium, vitam Urseoli ab anonymo Camaldulensi excerptam fuisse ex verbis tum Damiani, tum Rivipullensis tantum, cum ea narret Camaldulensis, quæ frustra requirerentur apud utrumque. Admissa Camaldulensis narratione, Grandius existimat irrepsisse errorem in notis numeralibus Rivipullensis, ac *pro reddito fructu* XVIIII. esse legendum *fructu* LIIII. annorum scilicet, non conversationis monasticæ, sed vitæ Petri Urseoli, qui præterpropter ea ætate decessit. Heic tamen loci monere & nos debemus lectores fortuito sphalmate vitiatum fuisse exemplar vitæ Petri Urseoli confectæ etiam ab anonymo Camaldulensi. Candida, ut par est, animi nostri ingenuitate bis scripsimus anonymum Camaldulensem referre obitum sancti viri *tertio idus januarii* VIIII. LXXXX. Ita oculis propriis vidimus exaratum in codice sacræ eremi Camaldulensis, & in alio exemplari, quod apud nos habemus; quommodo ergo cum signanter annum VIIII. LXXXX. scribat anonymus, confidenter asserimus anonymum eumdem stare pro anno 982. & in opinionis nostræ patrocinium contorquemus? Fundamento rationi validissimæ innixo Amanuensis loco duplicis unitatis II. vel oscitanter, vel charactere deceptus transcripsit X. & sic pro VIIII. LXXXII. irrepere passus est VIIII. LXXXX. Id dicere cogimur, ut sibi constet anonymus; si enim anno 990. defunctum literis suis consignasset Urseolum, ipsum non *quinto*, sed duodecimo anno sui monachatus de hac vita misera cœlestem patriam fuisse adeptum subjunxisset; cum certo certius sit apud omnes Urseolum monachum induisse anno 978. Ex tuta itaque numerali nota quinti anni ejus monachatus medendus error amanuensis in anno obitus, & substituendus loco VIIII. LXXXX. annus VIIII. LXXXII.

ANN. CHR. 982. ROMUALDI 75.

SOLVENDA pariter hoc in loco a nobis est objectio a doctissimo abbate domno Erasmo Gattola proposita in sua [a] historia monasterii Casinensis. Putat ipse Olibanum a sancto patre Romualdo conversum, & monachum Casinatem, non esse comitem Bisuldunensem. „ Neque O„ libanus, ait, Casinensis monachus idem esse potuit cum Olibano co„ mite Bisuldunensi, & Cerritaniensi, filio Miri comitis Barchinonensis. " Eam suæ opinionis rationem adducit, quia dictus Oliba comes obiit

XXX. Solvuntur Gattolæ & Fontaninii objectiones.

a *Par. 1. pag.* 101.

Ann. Chr. 982. Romualdi 75.

in suo principatu anno 990. ut narrat historia comitum Barcinonensium, quæ tacet ejus profectionem ad Montem-casinum. Verum ut Gattolæ respondeamus, quid si Oliba monachus factus fuerit, & in proposito non perstiterit? Ita putat Fontaninius [a], & nos etiam mox demonstrabimus. Ex historia comitum Barcinonensium nil super hoc exculpi potest, cum his actis brevissime ortus, conditio & mors tantum signentur eorum dominorum. Sed supralaudati doctissimi monachi congregationis sancti Mauri, auctores historiæ Occitaniæ, nulli aliiconven ire existimant monachatum hunc, quam Olibæ Cabretæ comiti Bisuldunensi & Ceritaniensi. Immo cum chartas omnes excusserint ad eam provinciam spectantes, subdunt se nullum alium, quam ipsum, novisse ejus nominis in Marca Hispanica, & in Septimania eo temporis. E contra se scire ajunt, ipsum extendisse suam dominationem super Confluentem, ubi abbatia Cuxanensis sita erat, & exercuisse suam auctoritatem super ipsam abbatiam, quam una cum Seniofredo comite Barcinonensi fratre suo reparaverat, ipsosque Guarinum in abbatem statuisse. Nihilominus Gattola argumentum urget [b], & testimonium adducit Leonis Ostiensis dicentis, Olibanum nunquam ex Monte casino discessisse. „ Tandem, inquit, de nostro Olibano Leo Ostiensis auctor „ pene suppar ait cap. XIX. ita ad nos advenisse, ut ipse nunquam de „ cetero progressurus a Monte-casino esset. " Venia tamen eruditissimi abbatis Gattolæ, Leo Ostiensis non discessum negat Olibani, sed intentionem tantum discessus, eumque Montem-casinum petiisse scribit animo non regrediendi ad suos, cui tamen animo perseverantia postea defuit. En Ostiensis verba: [c] *Olibanus quidam Galliarum comes ditissimus ad hoc se monasterium contulit, & his, qui secum erant, valedicens, nil tale de ipso hactenus suspicantes, ipse nusquam de cetero progressurus, flentes ad propria remeare coegit*. Ita etiam explicandus Mabillonius [d] dicens: „ Omnibus abdicatis ad Montem-casinum specie peregrinationis profectus, „ illic se divinis obsequiis in perpetuum mancipavit. " Propositum habuit, sed in proposito non mansit; hinc forsan prævidens Romualdus ejus a statu monastico defectionem, tam ferventer Johanni Gradonico præcepit, ne illum unquam desereret. Neque filius Olibani ejus reversionem retardare poterat, utpote qui non absolute, sed ad tempus, quousque pater reverteretur, qui consilium præterea suum occultaverat, dominium parentis vice susceperat. Superest ergo, ut soli Olibano Cabretæ conversio facta a Romualdo, & monachatus Casinensis cong uant; & quidem hoc anno, vel ad summum anno sequenti, nam [e] anno 984. redux e Casino in patriam adstitit consecrationi ecclesiæ sanctarum Justæ & Ruffinæ Vallispratensis in diœcesi Helenensi, & anno 988. [f] donationem fecit abbatiæ Arulensi. Ex his restitui optime chronologiam vitæ sancti Romualdi, & sancti Petri Urseoli observant laudati monachi sancti Mauri.

Præsul Ancyranus [g] alia ex parte existimat dominum, qui interfuit funeri Urseoli, non fuisse comitem Olibanum, sed filium ipsius ejusdem nominis, eum nimirum, qui ex duce & comite Ceritaniæ, ut supponit, monachus & Cuxani abbas, deinde Ausonensis episcopus factus fuit, eumque primogenitum putat, adeoque dominii successorem, fratrem Bernardi Talliaferri comitis Bisuldunensis, qui secundo genitus, & Guifredi comitis Ceritaniæ, qui tertius genitus Fontaninio sunt. Addit se a Blondello confectum stemma genealogicum Olibani correxisse ex chartis Marcæ Hispanicæ post Blondellum adductis. Sed chartas ipsas consulamus. Acta comitum Barcinonensium [h] habent Olibano successisse in comitatu Bisuldunensi Bernardum, & in Ceritaniensi Guifredum; Guifredum autem filium Olibani comi-

a Dissert. pag. 31.

b Ibid. pag. 101.

c Lib. II. cap. 19.

d Annal. T. III. pag. 653.

e Marca Hispan- lib. IV. col. 411.

f Ibid. append. col. 941.

g Dissert. pag. 33.

h Col. 542.

comitis Bisulduni successisse patri suo in comitatu Ceritaniensi, & rexisse comitatum per multum tempus; scilicet *vixisse in comitatu* XXXVI. *annis, & obiisse anno* M.XXV. Bernardum successisse patri suo *in comitatu Bisuldunensi, & tenuisse comitatum* XXXI. *annis*. De Oliba autem hæc tantum referunt. *Oliba vero, qui fuit tertius filius comitis Olibani, fuit monachus Rivipulli & abbas, deinde episcopus Vicensis, cui etiam fuit commissum regimen monasterii sancti Michaelis de Cuxano*. Ex his legitime inferimus Urseoli mortem ad annum 997. non esse assignandam, cum nullus Oliba, neque pater jam defunctus anno 990. neque filius, qui nunquam dominium suscepit, eo anno patriæ illius possent dici *dominus*, ut loquitur Rivipullensis. Hinc Gattola definivit Olibam filium nunquam fuisse comitem, sed abbatem & episcopum dumtaxat, & duo suprarelati monachi congregationis sancti Mauri sustinent „ nullibi vestigia haberi „ hunc prælatum vel ante, vel post suam a seculo conversionem, auctoritatem habuisse, & dominium temporale & absolutum super abbatiam „ sancti Michaelis de Cuxano; " & contra Fontaninium fortius urgetur argumentum iis verbis: „ Oliba tertius filius Olibani Cabretæ nullam partem habuit in successione patris. " Ex antiquissima charta, ad annum 1050. pertinente, monasterii Montis-canigonis a Guifredo fratre Olibæ abbatis & episcopi fundati, colligitur Olibam in Ceritania nonnisi spiritualem jurisdictionem exercuisse. *Cum enim* [a], ita in illa legitur, *ipso agente, qui disponit omnia, nobilissimorum fratrum, & nostræ patriæ principum regeremur dominio, videlicet domni* OLIVÆ *præsulis & abbatis spiritualis, & divæ memoriæ communis patris, & sibi unanimis fratris, & seculari honore præpotentissimi ducis domni* GUIFREDI, *digne nos hortamini eorum vobiscum, dum vita comes fuerit, memoriam agere. Unius, cujus studiis sapientiæ, dum præsens superfuit apud nos, inter rectores ecclesiæ sui ordinis nemo extitit secundus. Alterius, qui suis temporibus secularem militiam dum teneret, clarissimus inter nobilissimos sui generis fulsit præpotentissimus*. Et superius: *Apud clementiam Domini pro domno* GUIFREDO *venerabilis memoriæ comite intercessores estote, qui olim princeps nostræ patriæ claruit, quem non ignoramus vos nosse, quantus vel qualis in dignitate seculi fuerit*. De Oliba vero ejus fratre hæc tantum habentur: *Inculcamus quoque super omnia vestræ caritatis præsidio nomen domini* OLIVÆ *dulcissimi patris, ut vestris precibus almis claritatem obtineat æternæ quietis*.

ANN. CHR. 982. ROMUALDI 75.

a *Marc. Hispanic. append. n.* 1095.

Quod spectat ad primogenituram, quam Olibæ tribuit Fontaninius, credere debemus potius compilatori actorum comitum Barcinonensium, qui [b] ait: *Oliba vero, qui fuit tertius filius comitis Olibani, fuit monachus Rivipulli & abbas, deinc episcopus Vicensis, cui etiam commissum fuit regimen monasterii de Cuxano*. Et licet idem non sit tertius filius & tertius genitus, collectio tamen documentorum in Marca Hispanica clare ostendit tertio loco genitum ipsum fuisse. Successio Bernardi & Guifredi dominio patris, cum adhuc in seculo degeret Oliba, indicat jus eorum primatus. Nusquam primus locus Olibæ datur in numeratione filiorum Olibani, & Petrus de Marca semper tertio loco ponit. Sic & sæpius laudati monachi San-maurini, qui Blondelli stemma sequuntur, quique addunt tantum Bernardo, Guifredo & Olibæ alium quartum fratrem, Berengerum nimirum, quem primogenitum faciunt, & primum hujus nominis, episcopum inde Helenensem, qui in episcopatu illo successit anno 992. Suniario. Juxta ergo sequentem ordinem, ad fidem exactum veterum documentorum, disponendum est stemma Olibani, ejusque filiorum.

b *Col.* 543.

Ann. Chr. 982. Romualdi 75.

Olibanus ſive Oliba Cabreta comes Biſuldunenſis & Ceritanienſis, qui anno 982. adſtitit funeri ſancti Petri Urſeoli, cujus opera, & ſancti Romualdi potiſſimum, ſeculo valedicens, ſub finem ejus anni, vel initio ſequentis Montem-caſinum petiit, habitum monaſticum recepturus, ex quo brevi rediens, iterato recepit dominium locorum ſuorum, in quibus obiit anno 990. Ex uxore Ermengarda quatuor filios ſuſcepit, Berengerum, Bernardum, Guifredum & Olibam.

Berengerus fuit epiſcopus Helenenſis.

Bernardus patris ſucceſſor fuit in ditione comitatus Biſuldunenſis anno 990. atque obiit anno 1020.

Guifredus eodem anno ſucceſſit Olibano patri ſuo in altera ditione comitatus Ceritanienſis, & obiit anno 1025.

Oliba anno 1005. monachatum ſuſcepit in abbatia Cuxani; anno 1009. electus fuit abbas Rivipullenſis; & anno 1019. ſedem epiſcopalem Auſonenſem obtinuit, a terra elevavit corpus beati Petri Urſeoli, & obiit anno 1047.

Ex qua prolixa digreſſione conſtat non Olibanum filium, ſed patrem Olibanum Cabretam adſtitiſſe exequiis Petri Urſeoli, antequam Caſinenſis monachus fieret; Petrum proinde Urſeolum, qui deceſſit ante monachatum Olibani patris & ſenioris, obiiſſe anno 982. non 997. & Petri Damiani narrationem de morte Petri Urſeoli non aſſutam fuiſſe aliena manu, ſed revera eſſe ſancti doctoris fœtum, contra [a] Fontaninii opinionem, qui hæc verba *aliunde irrepſiſſe*, *poſito etiam pignore*, paratus erat contendere; *non enim*, inquit, *ibi apte conſiſtunt*: immo aptiſſime conſiſtunt; nam cum Damianus ea ſcriberet, quæ a diſcipulorum ſancti Romualdi ore excipiebat, nil magis erat ad rem, nihilque natura facti magis expoſcebat, quantum, ut audita ab illis diſperſione alumnorum Romualdi, peteret, quid demum de Petro Urſeolo factum fuiſſet; ipſique ei reſponderent, Urſeolum jam ad ſuperos convolaſſe, quapropter ſcripſerit: *Petrus autem dux extremum jam feliciter clauſerat diem.*

a *Diſſert. pag.* 30.

XXXI. Olibano datus comes Johannes Gradonicus.

Jamvero ad Romualdum redeamus. Poſt obitum igitur Petri Urſeoli, cum Olibanus propoſuiſſet conſtanter ſeculum relinquere & monaſticum habitum recipere in Monte-caſino, *neceſſarium eſſe decrevit* Romualdus, *ut Guarinus abbas, & Johannes Gradonicus una cum comite ad ejus converſationem pergerent..... His itaque duobus comitem in eorum fide commiſit, utrique quidem, ſed Johanni præcipue, qui ei ſubditus erat, per obedientiam ſpecialiter mandans, ut etiam ſi Guarinus abſcederet, ipſe ſe nunquam a comite ſepararet*. Verba ſunt hæc Damiani [b], ex quibus deducitur tam Guarinum, quam Gradonicum e ſententia Romualdi pependiſſe, ſed præcipue Gradonicum, qui modo peculiari ipſius præceptis parere tenebatur.

b *Vit. S. Rom. cap.* XII.

XXXII. Olibanus Caſinum petit vitam monaſticam ſuſcepturus.

Olibanus *autem comes ſua relinquens filio cum multa divitiarum copia, quindecim videlicet onuſtis theſauro ſagmariis, comitantibus eum Guarino & Johanne, ipſo quoque Marino, ad beati Benedicti ſe monaſterium contulit, & vale dicens his, qui ſecum venerant, nil tale de eo uſque tunc ſuſpicantes, multis gemitibus & amaris ſe fletibus affligentes, ad propria remeare coegit*. Ita [c] Damianus. Filius, cui reliquit ſua, non Oliba fuit, ſed Bernardus, ut vidimus, & non abſolute, ſed tempore ſuæ abſentiæ vices ſuas ipſi committens, perinde ac conſcius foret ſe non permanſurum in propoſito, vel vires ei defuturas ad continuandam vitam monaſticam. Lapſus eſt proinde poſt Fontaninium etiam commentator vitæ ſancti Romualdi inter opera Damiani Venetiis excuſa [d], qui ab Olibano

c *Ibid. cap.* XV.

d *Ibid. Not.* (*a*)

Olibano relictam suam ditionem existimat Olibæ postea monacho facto, abbati deinde Rivipullensi, postremo episcopo Ausonensi. *Sagmarii* sunt equi onerarii seu jumenta, ut explicatur etiam ab adnotatore Leonis Ostiensis, qui idem nomen usurpat, & usurpavit ipse Petrus Damianus in vita sancti Odilonis, & in suis epistolis. Ex eodem Petro Damiano constat Marinum quoque fuisse socium itineris comitis Olibani; quod potuerit contingere, ex eo quia mortuo Petro Urseolo, discedente Romualdo, discedentibus Guarino & Johanne Gradonico, ipso pariter Johanne Mauroceno, ut inferius dicemus, solus superfuisset in eremo Cuxanensi Marinus; qui proinde hac captata occasione in Italiam redux fuit, & tam societatis gratia, quam religionis ergo cum ceteris prius Montem-casinum petiit, ossa veneraturus sancti patris Benedicti, aliam subinde stationem sibi electurus. Ex hac reversione Marini ab eremo Cuxanensi aliud argumentum desumi potest, prædefunctum fuisse Petrum Urseolum; si enim hic supervixisset, profecto Romualdus, qui socios constituebat Olibano, socium vel magistrum reliquisset etiam Petro Urseolo, Marinum nempe, quocum Urseolus arctam inierat amicitiam etiam in ducali dignitate constitutus, & magis magisque eum sibi devinxerat in eremitica conversatione, quique nullam Italiam repetendi occasionem habebat. Neque reponi potest Urseolum directoribus non amplius indiguisse; licet enim hoc verum fuisset, aliquis tamen intervenisset æquitatis defectus Urseolum solum omnino derelinquere, ceteris huc illucque proficiscentibus.

ANN. CHR. 982. ROMUALDI 75.

Quid Olibanus, quid Guarinus, quid Johannes Gradonicus, quid demum Marinus egerint, anno sequenti narrabimus. Hoc anno prosequi debemus Romualdum in Italiam remeantem, ut pereunti patri quantocyus subveniret. Neque ulterius differenda est ejus reversio post ea, quæ de hac epocha congessit doctissimus Apostolus Zenus [a] in suis Diariis literariis, ubi clare ostendit, Romualdum in Galliis non habitasse, nisi præterpropter quatuor annos, & proinde ejus regressum esse consignandum huic anno; id quod innuere videtur etiam Damianus, cum scripsit, ipsum & Johannem Gradonicum tribus annis sarculis terram fregisse, quibus si addatur annus probationis Gradonici una cum Urseolo in monasterio, quatuor conficiuntur anni. Porro constat Romualdum anno 978. Gallias petiisse; ergo anno 982. ex Galliis reversus est. Jure merito ergo Grandius in vita sancti Petri Urseoli emendavit, quod in Dissertationibus asseruerat, non amplius viginti, sed quatuor tantum Romualdo assignans incolatus Aquitanici annos. Neque audiendi Rubeus, qui reditum Romualdi ex Aquitania in Italiam statuit anno 992. neque Johannes Bollandus, qui asserit non haberi argumenta, quæ suadeant anno 989. ipsum jam reversum fuisse; sed neque Machiarellius [b], qui tempus coarctans contendit probare reducem fuisse Romualdum ex Galliis anno 980. neque demum Fontaninius [c], qui post annum 986. decernit Romualdum Italiam revisisse.

a *Giornale d' Italia Tom. IX.*

b *Apolog. Ro. muato. cap. 26.*

c *Diss. S. Petr. Urseol.*

XXXIII. Romualdus stultum se simulat, ut e Galliis fas sibi sit discedere.

AUDIENTES *autem illius regionis incolæ, quia Romualdus abire disponeret, nimio mœrore turbati sunt. Et tractantes inter se, qualiter ab hac illum intentione reprimerent, hoc illis tandem potissimum visum est, ut eum missis interfectoribus impia pietate perimerent, quatenus quia eum non poterant retinere viventem, haberent pro patrocinio terræ vel cadaver examine. His vero cognitis, Romualdus caput suum undique decalvavit, & hujus rei executoribus cellulæ ejus jam appropinquantibus, primo fere diluculo comedere quasi per aviditatem cœpit. Illi autem hoc videntes dementiam credidere, & arbitrantes mentem læsam esse, corpus lædere dedignati sunt.*

ANN. CHR. 982. ROMUALDI 75.

ſunt. Sic videlicet, ſic prudens ſpiritualis David [a] *inſania ſtultam carnaliter ſapientium ſuperavit aſtutiam. Nam & volentes peccare cohibuit, & ad meritorum ſuorum cumulum ſine mortis formidine mortis periculum declinavit. Deinde jam libera uti facultate permiſſus, non equo fultus, non vehiculo deportatus, ſed ſolum in manu ferens baculum, nudis plantis ex intimis Galliarum finibus Ravennam uſque pervenit, ibique patrem ad ſeculum reverti volentem reperiens, in ligno pedes ejus fortiter ſtrinxit, gravibus eum vinculis alligavit, verberibus duris afflixit, & tamdiu corpus ejus pia ſeveritate perdomuit, donec ejus mentem ad ſalutis ſtatum, Deo medente, reduxit.* [b] Hæc Damianus. Ex cujus verbis quanta in primis fuerit Romualdi ſanctitas & vitæ integritas innoteſcit, dum quadriennio, quo tantum in Galliis commoratus eſt, adeo ejus fama increbuerat, ut non dumtaxat dominum illius loci ad meliorem frugem & perfectiorem ſtatum monaſticum adduxerit, verum etiam regionis ejuſdem incolas omnes ſibi devinxerit tanta erga ipſum reverentia, ut impium excogitaverint conſilium illum interficiendi, quo ſaltem ejus reliquias poſſiderent, & in patronum loci adſciſcerent, quandoquidem viventem retinere non poterant. Simulavit dementiam Romualdus prudenter, etenim, ſicut ait poeta: *Stultitiam ſimulare loco ſapientia ſumma eſt.* Parum diſſimile exemplum habemus in libro de doctrina patrum [c] de Simeone abbate, qui *cooperiens ſe ſacco ſuo, & tollens in manu ſua panem & caſeum, ſedit in ingreſſu cellulæ ſuæ, & cœpit manducare; venit ergo judex cum officio ſuo, & videntes eum ſpreverunt dicentes: hic eſt monachus ſolitarius, de quo talia audiebamus? Et ſtatim diſceſſerunt, & reverſi ſunt ad ſe.*

a *Reg. I. c.* 21.

b *Vit. S. Rom. cap.* XIII.

c *Lib. VIII. de Diſcret. num.* XVII.

XXXIV. Sergium patrem corripit.

NUDIPES ergo Ravennam pervenit Romualdus, & ad monaſterium ſancti Severi exceptus, patrem adhuc tentatum de relinquenda religione invenit. Erat tunc Sergius pater ejus pluſquam nonagenarius; mirum autem videri non debet, quod in ea ſepulcro proxima longævitate cogitaret de ſeculo repetundo. Aſſuetus nimirum ad eam fere ætatem deliciis ſeculi, inflammatus etiam cupiditatibus ceterſque paſſionibus, quibus toto vitæ ſuæ tempore fuerat obnoxius, gravis ipſi videbatur religionis clauſtrique diſciplina, quam excutere proinde gerebat in animo. Etiam Olibano idipſum accidiſſe videbimus anno ſequenti, qui licet adeo ſenex non eſſet, videtur tamen valde in ætate provectus; cum enim pater ejus Miro obierit anno 928. juxta veterem codicem monaſterii Canigonenſis apud Petrum de Marca, [d] quinquaginta quatuor annis dominium partim ſub tutela Suniarii comitis Urgellenſis, partim ſui juris factus exercuerat ad annum 982. quibus ſi adjungantur anni ii, quos habebat tempore mortis Mironis, ſenex & ipſe dicendus erit. Sævitiæ autem non eſt adſcribenda pœna, qua animadvertit in Sergium patrem pius filius Romualdus. Noverat vir ſanctus ſpiritualem ſtultitiam inſtabilis patris eodem fere modo ſanandam, quo corporali ſolemus inſaniæ mederi. Sciebat juxta [e] Gregorium Nazianzenum, quod *omnes philoſophiæ dediti, & Dei timore præditi hac tamen in re lenes eſſe non ſuſtinent, cum per ſilentium & quietem Dei cauſa proditur*; plura ejuſmodi exempla legerat forſitan in [f] hiſtoria Lauſiaca, in qua *Valens uno anno ligatus a patribus ob elationem, & in ferreos cempedes conjectus* narratur, ac *Erotes nolens ad ſacramenta convenire ferro vinctus* deſcribitur; atque credidit Romualdus exteriorem corporis caſtigationem Sergii menti ad intimam animæ levitatem corrigendam profuturam.

d *Sect.* XXVIII., & XXIX.

XXXV. Sergii beata mors.

PERGIT Damianus aliqua de Sergio narrare, & ſubnectit ejus felicem

licem obitum [a], qui parum ab hoc anno, & a sua secunda conversione videtur differendus. *Sergius igitur tandem sanæ mentis recepto consilio, quidquid prius retrograda voluntate deliquit, multipliciter postmodum rectis sanctæ conversationis gressibus emendavit. Habebat denique inter cetera consuetudinem ante quamdam Salvatoris imaginem frequenter assistere, ibique peculiarius orans uberius lacrymis, & multa se cordis contritione mactare. Quadam igitur die, dum ibi attentius in oratione persisteret, (nova res & nostris temporibus inaudita) repente sibi, nescio qua specie, Spiritus-sanctus apparuit. Qui protinus a Sergio quis esset interrogatus, manifeste, quia ipse esset Spiritus-sanctus, asseruit, & subito quasi pertransiens ab oculis se aspicientis evasit.* Nova neque inaudita erat in urbe Ravenna visio Spiritus-sancti, præsertim cum primi post beatum Apollinarem Ravennates pontifices a Spiritu-sancto sub columbæ specie apparente, in episcopalis cathedræ præsides fuissent designati; cujus rei ipse Petrus Damianus sermonibus I. & II. de sancto Severo archiepiscopo Ravennate clarum testimonium profert; sed vel novus & inauditus erat hujusmodi conspectus temporibus posterioribus, vel nova fuerat species, qua videndum se præbuit Spiritus-sanctus Sergio, qui forte lucem quamdam pertranseuntem intuitus est. *Statim ille in extasim raptus, atque ejus, quem viderat, igne succensus, cœpit per claustrum monasterii post eum velociter currere, fratresque, qui illic aderant, magno fervoris impetu, quo Spiritus-sanctus abiisset, interrogare. Illis autem in insaniam eum cecidisse putantibus, atque illum dure corripientibus, asserebat Sergius se Spiritum-sanctum absque ulla dubietate vidisse, & ante suum conspectum visibiliter pertransisse. Qui statim languore correptus lecto decubuit, & intra paucos dies felici consummatione finivit. Hinc sane probatur, quod divina voce ad Moysen dicitur:* [b] *Non enim videbit me homo & vivet. Hinc Daniel cum non Deum, sed visionem Dei se conspexisse diceret, addidit:* [c] *Elangui & ægrotavi per dies plurimos. Recte igitur Sergius postquam æternam vitam, quæ Deus est, cernere meruit, a temporali mox vita defecit.*

Atque is extitit felix transitus Sergii olim ducis, postea vero monachi, qui maxime obstrictus fuit filio suo Romualdo; hic enim vitam, quam acceperat, parenti suo meliorem restituit, pro temporali spiritualem. Sergio pariter Camaldulenses omnes peculiarissima ratione deferre debent, eo quod talem ac tantum ipsis protulerit filium suum, eorum parentem, Romualdum. Juxta Jacobum Saxium canonicum Ravennatem in sua genealogia reliquit Sergius alios duos filios præter Romualdum, Ugonem nempe dominum castri Saxi, qui prior, ut ipse credit, cognomen Saxorum usurpaverit; & alterum Romualdum, cujus mentio fiat in documento anni 970. Addit Castagnizza [d] hos duos filios stipites fuisse familiæ Alidosiæ, quæ dominationem exercuit Foro-cornelii & aliis in locis, quod prius ante ipsum dixerat [e] Rubeus. Sed iis examinandis supersedemus.

XXXVI. An Sergius jure pertineat ad Camaldulenses.

„ Arnoldus Wion aliique nonnulli, ait [f] Mabillonius, recensent „ inter Beatos ordinis Camaldulensis Sergium; at nedum fundatus erat „ ipse Ordo, cum Sergius decessit, qui non in eremo, sed in ipso san„cti Severi mortuus videtur monasterio, quod Ravennam inter & Clas„sem positum erat. “ Verum alibi demonstrabimus, non ab ædificationis eremi Camaldulensis tempore fundamentum ordinis, & instituti sancti Romualdi esse derivandum. Præterquamquod Sergium inter Beatos ordinis Camaldulensis numerarunt veteres patres nostri aliique auctores, vel ob reformationem a Romualdo in monasterium sancti Severi introductam,

vel

Ann. Chr. 982. Romualdi 75.

a Vit. S. Rom. cap. XIV.

b Exod. 33.

c Dan. 8.

d Hist. di S. Romualdo. cap. V.

e Lib. V. pag. 277.

f Annal. T. IV. pag. 11.

Ann. Chr. 982. Romualdi 75.

vel saltem ut parentem ejus, qui eum ad meliorem frugem convertit, quique fuit Camaldulensis familiæ auctor. Non enim alteri causæ adscribenda videtur Sergii conversio, quam assiduæ apud divinam majestatem Romualdi obsecrationi, cujus precibus tam insigne vocationis donum viro jam in secularibus pompis, negotiisque & illecebris inveterato ex divinæ misericordiæ beneficentia fuerit imploratum. Neque pia hæc nostri sensus conjectura, sed etiam summi pontificis Clementis VIII. oraculum, in constitutione de officio sancti Romualdi recitando, sic de ipso testantis: *Tanta erga proximos* (Romualdo) *caritas fuit, ut oratione & lacrymis patrem religioni & cœlo acquisierit.*

XXXVII. Joh. Maurocenus socius Romualdi redux ex Galliis fundat monasterium S. Georgii majoris Venetiarum.

Johannes Maurocenus Romualdi in Cuxanensi cœnobio socius juxta Rivipullensem, vel discipulus juxta alios, & Petri Urseoli in monastico voto imitator, reversus hoc eodem anno in patriam, insigne monasterium in insula e prospectu plateæ divi Marci Venetiarum, favente Tribuno Memo Venetorum duce, ceterisque principibus viris, construere est aggressus sub invocatione sancti Georgii, ad cujus honorem ibidem ecclesia jam dedicata erat, & ducali Marcianæ basilicæ subjecta. De eo monasterio erudite novissime disseruit in suo opere, cui titulus: *Venetæ ecclesiæ illustratæ* clarissimus senator Flaminius Cornelius, qui primarias conditi monasterii literas edidit. [a] Datæ sunt juxta [b] Muratorii & Cornelii correctiones: *Anno ab incarnatione redemptoris nostri* DCCCC. LXXXII. *imperantibus dominis Vasilio & Constantino fratribus filiis quondam Romani imperatoris magnis & pacificis imperatoribus, anno autem imperii eorum post obitum Johannis Zimiski undecimo, mensis decembris die vigesima indictione undecima. Rivoalti.* Emendatur iis Ughellius [c], qui chronicas notas retulit, sed vitiatas. In hoc sancti Georgii monasterio, ut [d] scribit laudatus Cornelius, eadem sancte vivendi norma introducta, quam Maurocenus in Cuxanensi maxime religioso tunc temporis cœnobio didicerat. Ejus pariter discessus hoc anno e Galliis, & reversio in patriam fulciunt opinionem nostram Petrum Urseolum initio hujusce anni ad superos convolasse; non enim, si superstes inter vivos fuisset, amicissimum Urseolum ab omnibus sociis & a magistro derelictum, ipse quoque societate sua privasset. An Maurocenus idem sit ac *Petrus Maurocenus monachus nuncius Tribuni ducis Venetiarum*, qui anno sequenti cum aliis ejusdem nunciis nominatur in pactis initis inter Ottonem II. imperatorem, & Tribunum Memum Venetiarum ducem apud Muratorium [e], quique loco Johannis appellatus fuerit Petrus, non inquirimus, præsertim cum plures ex nobilissima & copiosissima Maurocenorum familia monasticum potuerint abripere ea tempestate institutum.

a *Dec.* XI. *Par. II. pag.* 205.

b *Annal. Ital. T. V. pag.* 466.

c *T. V. Ital. sacr. col.* 1200.

d *Ibid. p.* 82.

e *Piena espos. Commach. append. pag.* 358.

Ann. Chr. 983. Romualdi 76.

XXXVIII. Marinus in Apuliam secedit.

Inter eos, quos anno superiore e Cuxano vidimus ad sacrum Casinum montem perrexisse, Marinus primus fuit, qui sociis valedicens locum illum deseruit. Hic assuetus solitudini, quam tot annis excoluerat in finibus Venetorum & in Galliis, videtur eo fine tantum accessisse ad Montem-casinum, ut Olibanum comitaretur, & simul veneraretur ossa sanctissimi patris Benedicti. Functus officio suo, *paulo post Apuliam versus abiit, ibique postmodum in solitudine habitans, ab Agarenis est latrunculis interfectus*, ut ait [f] Damianus. De ejus martyrio agemus ad annum 988. circa quem contigisse non est vero absimile.

f *Vit. S. Rom.*

XXXIX. Guarinus peregrinatur, Johannes Gradonicus deserit Olibanum.

Secundus, qui ab eodem cœnobio discessit, fuit Guarinus, qui pariter solitus huc illucque divagari peregrinationis gratia, quæ eo seculo maxime vigebat, & cui Guarinus præcipue vacabat, Jerosolymam versus iti-

itinerari proposuerat. Johannes Gradonicus tertius fuit, qui comes datus Olibano a Romualdo, paullo post tamen ejusdem peregrinationis amore captus, derelinquens Olibanum, contra præcepta sancti patris, Guarino comitem itineris se alacri animo exhibuit. *Brevi post tempore*, inquit Damianus [a], *Guarinus orationis causa discurrere solitus, Johannes vero, fratris exemplo, ad idem religionis officium provocatus, Hierosolymam commeare pari consilio decreverunt. Hoc igitur Olibanus cognito, tristis & flens, obsecrare devotissime cœpit, ne se violata fide desererent, sed sicut beatus Romualdus præceperat, in Dei illum servitio custodirent, addens etiam: memento tu saltem Johannes, quia magister tuus in tua me propensius fide commisit, & titulum tibi inobedientiæ, si discedis, opposuit. Illi autem obstinata intentione in proposito persistentes, relicto tandem Olibano, peregrinationis iter abripiunt. Cumque descendentes de monte jam in campestria declinassent, figentes se loco, necessarium aliquid inter se tractare cœperunt. Et inter agendum, subito Guarini equus furioso rotatus impetu in aliam partem invito sessore divertit, & Johannis tibiam ferrato calce percutiens, fregit. Qui illico ad terram nimio dolore prostratus, jam sero memor magistri præcepta ad mentem revocat, & se perfidum, se inobedientiæ reum verbis publicæ confessionis accusat. In fracto namque crure didicit, quia fidem frangere peccatum fuit. Et quia ipse rationis capax magistro inobediens extitit, ad incolumitatis suæ custodiam irrationale animal sessori obedire nescivit. Deinde illuc, unde venire cœperat, rediens, cellam sibi ædificari prope monasterium petiit, ibique per triginta fere annos, quamdiu vixit, in sancta conversatione permansit*. De Gradonico plura dicemus ad annum 1013. quo ejus sanctum obitum memorabimus. Illud interea dignoscimus, Gradonicum, Romualdi parentis sui exemplo, apud Casinum montem eremiticam vitam duxisse. Sicut enim Romualdo mos erat apud quodcumque monasterium eremum vicinam condere, quo possent perfectiores monachi divertere, qui jam in cœnobio probati forent, ita & Gradonicus probatus jam in Cuxanensi, deinde probatus etiam in Casinensi cœnobio, solitariam vitam elegit, in qua an habuerit socios & imitatores aliiquos Casinates perfectiores monachos, posset quis suspicari. Legimus in chronico [b] Leonis Ostiensis Johannem abbatem Casinensem suffectum in locum Mansonis anno 998. cum præ senectute & infirmitate tanti regiminis ponderi se imparem sentiret, raro modestiæ exemplo, præfecturæ cessisse, & cum quinque sociis in proximam silvam Piretum dictam se abdidisse, ubi in spiritualibus exercitationibus reliquum vitæ tempus exegit.

ANN. CHR. 983.
ROMUALDI 76.

[a] *Ibid.*

[b] *Lib. II. cap.* XX.

XL.
Olibanus monachum exuit, & ad propria revertitur.

OLIBANUS vero fraudatus societate Marini, Guarini & Johannis Gradonici, qui licet Casinum redierit, perraro tamen habitabat in monasterio, sed frequentius in cella prope illud; vel potius succumbens nimio, ut ipsi videbatur, oneri monastici status; vel demum a suis forsitan expetitus atque exoratus monasticum habitum deposuit, & ad patriam rediit, ac pristinum dominium recepit; nam anno sequenti legimus in Appendice ad Marcam Hispanicam adstitisse ipsum consecrationi ecclesiæ cujusdam in diœcesi Helenensi, & supervixisse usque ad annum 990. quo ejus obitum referemus.

XLI.
Romualdus solitudines quærit.

ROMUALDUS *autem post patris correptionem in palude Classis cellulam figens, in loco, qui Pons-Petri dicitur, habitavit. Postmodum vero non corporis ægritudinem metuens, non fœtoris nauseam perhorrescens, sed ne imbecillitatis occasione quantumlibet se abstinentiæ rigore remitteret, ad Classis itidem prædium, ubi est ecclesia sancti Martini, quæ dicitur in Silva*,

Ann. Chr. 983. Romualdi 76.

migravit. Hæc [a] Damianus. Pons-petri, ubi delituit Romualdus, creditur fuisse ille, qui hodie appellatur *Ponte di pietra*, aliter *Ponte del fosso vecchio*, qui reperitur in via publica primus post alium, qui dicitur *i cinque ponti*, Cerviam versus. Clare agnoscitur Romualdum dilexisse habitationes, quas minus accessibiles redderent hominibus aquæ undique stagnantes, ne in suis cœlestibus contemplationibus impediretur ab adventantibus; verum aer minus salubris vires ei adimebat, quas amittere non formidabat ob corporis molestias inde consequentes, nec ob graveolentiam aeris, quem respirabat, sed ne relaxare cogeretur sibi indictam abstinentiam. Locum proinde mutavit, seque transtulit ad sanctum Martinum in Silva. In præceptis Ottonis III. & Henrici II. imperatorum nominatur inter prædia Classensis cœnobii *ecclesia sancti Martini in Aqua-longa*; & etiamnum reperitur inter bona ejusdem monasterii non ignobilis iste locus, vetustum sancti Martini cognomentum servans, nullis tamen ibi antiquæ ecclesiæ remanentibus vestigiis.

a *Vit. S. Rom. cap.* XVI.

XLII. Pugnas sustinet a dæmonibus.

Quid Romualdus in hac ecclesia a malignis spiritibus sustinuerit, prosequitur [b] Damianus. *Ibi vero quadam die, dum Completorium caneret, quia antiquum illic cœmeterium fuerat, ut sæpe fit, subito illi ex hujusmodi recogitatio incidit, moxque ejus animum magnus phantasticæ illusionis horror invasit. Cumque hoc crebrius in mente revolveret, ecce maligni spiritus repentino impetu cellam ejus ingressi, protinus illum in terram sternunt, immani eum cæde conficiunt, & exhaustis longo jejunio membris, dirissimos ictus illidunt. Tandem Romualdus inter ipsa percussionum verbera respectu divinæ gratiæ visitatus, in hanc vocem erupit. Care Jesu, dilecte Jesu, quare me dereliquisti? Numquid omnino me inimicorum manibus tradidisti? Ad hæc omnes iniqui spiritus divina virtute fugati sunt. Et continuo tanta divini amoris compunctio Romualdi pectus accendit, ut totum cor ejus in lacrymas quasi cera liquesceret, & de tot allisionibus sauciati corporis nil sentiret. Mox sanus & validus de terra surrexit, & licet impediente adhuc sanguine, ad eumdem psalmi versum, quem reliquerat, rediit. In ingressu quippe dæmonum fenestra cellulæ in frontem illius impegit, in qua manifesta postmodum cicatrix occalluit, quæ evidens vulneris indicium, quamdiu vir sanctus vixit, ostendit.*

b *Ibidem*.

XLIII. Honestus archiepiscopus Ravennas obit.

Supremum hoc eodem anno diem obiit Honestus archiepiscopus Ravennas amicissimus, ut par est credere, Romualdi. De Honesto & de ejus pietate anonymus Ravennas ad calcem Agnelli editus [c] hæc habet: *Hujus tempore gloriosum corpus beati Ursicini martyris translatum est ad ecclesiam Ursianam, cujus Honestus antistes, & hujus sanctitate portæ Classensis ecclesiæ miraculose aperiebantur*. Suffectus fuit Honesto Johannes ejus nominis XI. cognomento Vincentius, inde eremita in monte Caprasio, ut fusius ad annum 985. dicemus; qui accepta Romæ consecratione a papa Benedicto VII. ab eodemque, vel a Johanne XIV. Romano pontifice ejus successore, anno præsente declinante, in Germaniam directus Aquisgrani una cum Willigiso Moguntino archiepiscopo in regem unxit Ottonem III. imperatoris Ottonis II. filium die natalitio Domini; quare qui hanc regiam inaugurationem factam scribunt anno 984. ut chronographus Hildesheimensis, Lambertus Schafnaburgensis, aliique, intelligendi sunt de anno 983. juxta æram communem, 984. autem a nativitate Dominica, ex quo festo plerique ipsorum annos computare solent. Hepidannus monachus San-gallensis in suo chronico quadrimum, alii duodecim, aut quatuordecim annorum natum definiunt unctum fuisse in regem Ottonem III. Sed hæc ad institutum nostrum non pertinent.

c *Par. II. append. pag.* 92.

Otto

Otto II. imperator bona & jurisdictiones monasterii *sanctæ Mariæ in Palatiolo* diœcesis Ravennatis confirmat *Andreæ abbati* ejusdem monasterii. *Adelbertus cancellarius ad vicem Petri episcopi & archicancellarii recognovit* & subscripsit. *Data pridie idus julii anno Dominicæ incarnationis 983. indictione* XI. *regni vero secundi Ottonis vigesimo sexto, imperii quoque ejus decimo septimo. Actum Ravennæ*. Chartam ex archivo sancti Vitalis de Ravenna edidit [a] Margarinius in bullario Casinensi. Eam memorant [b] Rubeus & [c] Muratorius in annalibus. Hic postremus inquirit, quænam epocha hæc sit regni Ottonis II. in aliis etiam diplomatibus adhibita, ignota sibi, ignota Gotifredo abbati Gotwicensi [d] in suo chronico; forte Otto I. post mortem Liudulfi filii sui, quæ contigit anno 957. alterum filium suum Ottonem secundum consortem regni designavit; epocha profecto diversa ab alia, quæ ab anno 961. repetitur, quo unanimi dynastarum & populi consensu electus & coronatus fuit rex Germaniæ. Notior est altera imperii epocha, ab anno 967. inchoanda, quo a patre, *equivocus junior Otto in nativitate Domini Romæ imperator effectus est*, [e] Ditmaro teste. Fuit quoque præsens annus postremus vitæ ipsius Ottonis II.

Ann. Chr. 983. Romualdi 76.

XLIV. Præceptum Ottonis II. pro Palatioli monasterio.

a T. II. p. 57.
b Lib. V. p. 269.
c T. V. p. 469.
d T. I. lib. 2. c. 4.
e Ditmar. in Chron.

Romualdum post suam reversionem e Galliis solitaria loca incoluisse ad Pontem-petri, ad sancti Martini in Silva, vidimus anno præterito; frequentiorem tamen habitationem eligebat in dilecta sua Perei eremo, antequam Æmiliam deserens in remotiores regiones se conferret. Ibi ergo cum esset, nisi contigisse velimus ante Gallicam profectionem, facile acciderit prodigium, quod narrat Damianus de incendio merito ejus orationum extincto. Hæc porro habet [f]. *Alio quoque tempore in insula, quæ Pereum dicitur, habitavit; quæ videlicet insula a Ravenna urbe duodecim fere millibus distat. Ibi vero dum in cella cum quodam venerabili viro, suo nimirum discipulo, Guilielmo nomine, moraretur, angusti parietes habitaculi repente flamma corripuit, deinde ad alta conscendens, dominari per tecta liberis jam viribus cœpit. Protinus vir sanctus ad solitæ defensionis argumenta confugiens, non quæ ibi erant reposita foras extrahere, non, ut mos est, tecti scindulas dissipare, non aquarum abundantiam spargere, non ullis impulsus est ad extinguendos ignes nisibus anhelare, solummodo orationem fudit, & confestim stridentes ignium globos divina virtus extinxit*. Guilielmum probatæ sanctimoniæ eremitam fuisse intelligimus, quia Romualdus ita familiariter cum eo tractabat, ut in contubernalem assumeret. Patet hinc usuvenisse aliquando, ut duo simul in eadem cella solitarii degerent. Ita & eremitæ Avellanenses [g] in vita sancti Petri Damiani *bini divisis cellulis commorantes* dicuntur. Quid essent tecti scindulæ, explicare aliqui malunt legendo potius *scandulas*, quæ sunt parvæ tabellæ e ligno in tenues laminas scissæ, quibus ante inventas tegulas ædes tegebantur. Sed legi etiam potest *tecti scindulas*, quæ sic dictæ sunt, inquit Isidorus [h], *eo quod scindantur, idest dividantur*.

Ann. Chr. 984. Romualdi 77.

XLV. Romualdus incendium in Pereo extinguit.

f Vit. S. Rom. cap. XXI.
g Cap. V.
h Orig. Lib. XIX. cap. 19.

Vivebat in eadem Perei solitudine jam ab anno 996. Bononius; vivebant & alii eremitæ, de quorum vitæ tenore hæc habet Ratbertus: [i] *Mira ibi regularium exercitationum frequentia, vigiliarum assiduitas, jejuniorum extremitas, operis manuum instantia, vestium squallor, orationum fervor, & in vasis fragilibus divinæ gratiæ robur invictum. Bononius noster jam ad Aegyptios patres se absque longa peregrinatione pervenisse putabat, atque in Romualdo, & alumnis ejus Antonium, Pachomium, Macharium, Pynuphium, Archebium suspiciebat. Itaque singulos imitari, & eorum virtutes in se referre studebat, omnis asperitatis amator eximius, ut Christo* con-

XLVI. Bononii vita in Pereo.

i Cap. VI.

Ann Chr. 984. Romualdi 77.

confixus cruci, *&* *illi commortuus evaderet*, *cujus passionem* *&* *mortem quotidie in animo habebat*. Antonius, Pachomius, Macharius vel Aegyptius, vel Alexandrinus, alter senior, junior alter dictus, notiora nomina sunt; Pynuphius iste nobis prorsus ignotus, nisi forte legendum sit Paphnutius, qui nempe Thaidem convertit ad pœnitentiam, & colitur die XXIX. novembris. Archebius monachus in [a] vitis Patrum memoratur. Quæ de Bononio prosequitur Ratbertus, nimirum quod *exacta vitæ eremiticæ exercitatione probatus*, *ita Romualdi gratiam sibi promeruit*, *ut novi discipuli conversationem aliquando* *&* *aliis antiquioribus imitandam ad exemplum proponeret*, possunt pertinere, & ad annum 976. quo erat novitius in vita eremitica Bononius, & ad annum præsentem, quo Pereum rursus incoluit Romualdus.

a Lib. IV. cap. XXXVII.

XLVII. Aliæ Romualdi conflictationes cum dæmonibus.

Referendae sunt ad hæc eadem tempora, juxta Damiani narrationem, iniquorum spirituum visiones, quibus Romualdum exagitatum fuisse scribit, licet rectius opinemur his spectris dæmonem ab initio conversionis Romualdi per tempus omne eremiticæ ejus conversationis ipsum absterruisse. En ergo quomodo eas [b] describat: *Jam igitur miles Christi assueto bello robustior*, *studebat quotidie ad majora proficere*, *de viribus in vires crescere*, *&* *semper semetipso fortior*, *nullas jam poterat enervati hostis insidias formidare*. *Sæpe enim sibi in cella residenti*, *velut teterrimi corvi*, *vel vultures*, *iniqui spiritus videbantur assistere*, *&* *quasi ad custoditum animalis cadaver*, *quia non audebant accedere*, *cogebantur eminus aspectare*. *Sæpe se in figuris Aethiopum*, *sæpe se per diversorum animalium species ostendebant*. Sed terroribus hujusmodi non succumbebat invictus Romualdi animus; *quibus*, prosequitur sanctus Doctor, *clarus Christi triumphator insultabat dicens*: *ecce paratus sum*, *venite*, *&* *si qua in vobis sit virtus*, *ostendite*. *Numquid jam omnino deficitis? Numquid jam victi estis*, *&* *aliquas contra Dei servulum certandi machinas non habetis? His denique* *&* *hujusmodi verbis confundens iniquos spiritus confestim eos*, *velut missis totidem jaculis*, *effugabat*. Aliis technis proinde malignus hostis Romualdi fortitudinem, zelumque, quo pro animabus Deo lucrandis æstuabat, labefactare contendit, eo præsertim tempore, quo sua non contentus, aliorum procurandæ saluti totum se impendit. *Videns ergo diabolus*, subjungit Damianus, *quia per semetipsum contra Dei famulum prævalere non posset*, *ad callida argumenta conversus*, *quocumque vir sanctus ibat*, *discipulorum ejus animos adversus eum in malitiam excitabat*, *ut quia retentari eum ab accenso sui fervoris impetu impossibile fuerat*, *saltem ab alienæ salutis cura compesceret*, *&* *quia ipse ab hoste superari minime posset*, *vel ex aliis victoriam non negaret*. Videbimus in hac historia frequentes, quas a discipulis suis passus est Romualdus, persecutiones.

b Cap. XVII. Vit. S. Rom.

XLVIII. Prodigia ad tumulum Petri Urseoli.

Tumulus, ubi ante biennium conditum fuerat venerabile corpus Petri Urseoli in monasterio Cuxanensi, variis prodigiis a Deo illustratur ad demonstrandam beati viri sanctitatem. *Non post multum autem tempus* [b], ait Rivipullensis, *a fratribus plurimis visa sunt super sepulcrum ejus divinitus accensa luminaria*, *quæ miro candore refulgebant per omnia loca illius claustri*. *Et prætereuntes fratres*, *timore perculsi non audebant*, *ut soliti erant*, *semoti alter ab altero*, *ante horam exsurgere Dominum deprecaturi*. *Itaque quidam frater custos ecclesiæ*, *unus ex suis successoribus*, *dum solus in oratorio in oratione incumberet ante galli cantum*, *in ipsa oratione*, *quasi in ecstasi positus*, *vidit beatum Michaelem archangelum cum multitudine Angelorum*, *atque beatum Petrum apostolum cum ordinibus Martyrum*, *Confessorum*, *Virginum*, *Deo resonantes spirituales laudes*: *inter*

b Sec. V. pag. 859. num. XX.

ter quos & prædictus nobilissimus dux Petrus, inter infinitas ac innumeras beatissimi Benedicti monachorum cohortes, intererat eleganti ac procera forma, cum illis resonans speciales harmoniæ odas. Cumque hæc videret frater ille, valde gavisus retulit quibusdam fratribus, immonitus Deifico consultu. Altera autem nocte, dum itidem eodem modo, eademque hora idem frater in oratione persisteret, quemadmodum præterita nocte, agmina Sanctorum ad ecclesiam venere, cœperuntque carmina divinæ magnificentiæ modulatis vocibus resonare. At dum perfecissent divinum opus, data benedictione a beato Petro apostolo summo pontifice, ait beatus Petrus circumadstantibus Sanctis: Stantes judicium audite. Et mox ait beato Benedicto: Emenda monachum tuæ regulæ subjectum, qui secreta nostra inmonitus, sua præsumtione ausus fuit ceteris manifestare. Tunc venerabilis abba Benedictus jussione principis apostolorum dirissimis verberibus corripuit monachum, quare ausus fuerit insolens & præsumtuosus aliis pandere. Cumque corriperetur, vociferans monachus inter arcta correptionis flagella, mox condoluit dux Petrus adstans de verbere fratris, poscitque Petrum apostolum & Benedictum sanctum supplici oratu, ut parcant fratri, semet offerens ad suscipienda verbera. Concessum ita sibi est, fratrique dimissa est culpæ pœnitentia, qui in crastino minime sentiens dolorem, ostendit similitudinem verberum susceptæ correptionis abbati fratribusque, enarravitque, quomodo fuisset a domno Petro expetitus, ne acrius tormentaretur. Hoc audiens omnis congregatio non minimas referunt gratias Deo, qui in Sanctis suis multa operaretur mira. Brevius anonymus Camaldulensis: *Multa quidem*, inquit, *miracula ostendit Dominus pro eo, nam post modicum tempus visa sunt luminaria supra sepulcro ejus, totum claustrum radiantia, ex qua luce fratres quodammodo perterriti non audebant ecclesiam introire. Itaque dum cunctis orantibus custos ecclesiæ frater Honestus velut in ecstasi positus beatum Michaelem vidit cum magnis monarchiis Angelorum, & sanctum Petrum apostolum cum omnibus cœtibus Sanctorum, & proxime beatum Benedictum cum multitudine monachorum, inter quos beatus Ursiulus erat, qui cœlum collaudantes Dominum ascenderunt. Sequenti vero die, cum hæc omnia retulisset fratribus suis, & nocte secuta vidisset similem visionem, audivit, quod finitis laudibus summus pontifex sanctus Petrus data benedictione ait: Audite judicium. Et vocans beatum Benedictum dixit: Corrige fratrem tuum, qui præsumptuose nostra secreta suis fratribus propalavit, qui ad hujus præceptum custodem cœpit durissime cædere; sed tandem beato Petro postulante pro eo dimittitur, quo facto cœlum cum laudibus ascenderunt. Mane autem venit ad fratres negotium narrans.*

ANN. CHR. 984. ROMUALDI 77.

TESTATUM nobis reliquit Grandius [a] in adnotationibus ad appendicem veterum monumentorum, quam adjecit epistolæ suæ de Pandectis ad Josephum Averanium, hoc anno Romualdum, jussu Johannis papæ XV. & rogatu Ottonis III. imperatoris, Nonantulanum monasterium reformasse, misso ad ejus regimen Leone discipulo suo, qui post biennium abbatia dimissa transierit ad sanctorum Bonifacii & Alexii cœnobium Romanum in monte Aventino, ubi sanctitate clarus obiit. Optaremus, ut diploma pontificium & imperiale, quibus Romualdo commissa fuit hujusmodi reformatio, in medium attulisset vir ceteroquin in rebus nostris expertissimus, ut & nos ipsum inspicere, & legentibus communicare valeremus, vel saltem scriptorem veterem & idoneum produxisset insignis hujus demandatæ curæ patriarchæ nostro. Nil tale profecto exsculpitur ex verbis Petri Damiani, qui in epistola de abdicatione episcopatus

ANN. CHR. 985. ROMUALDI 78.

XLIX. De Leone abbate Nonantulano Romualdi discipulo juxta Grandium.

a *Pag.* 134.

patus

ANN. CHR. 985. ROMUALDI 78.

patus ad Nicolaum papam II. hæc tantum de Leone [a] habet: *Leo quoque Nonantulanus abbas ad memoriam rediit, qui dum clericalem adhuc speciem gereret, jamque devotione peracta ab Jerosolymis remeasset, sic vitam suam instituit, ut nil aliud præter unum dumtaxat asinum possideret. Cum hoc quotidie saltus & pascua circumquaque perlustrans, materias congerebat, quibus ad requisita naturæ necessaria fratribus anitergia ministraret. Peracto itaque glorifico hujusmodi opere manuum, psalterioque cum ipsa simul exercitatione decurso, protinus ad offerenda Deo sacra mysteria non sine multis lacrymis sanctus presbyter accedebat. Postmodum vero ad monasterii regimen violenter attractus, ajebat: (quod infelix & ipse deploro) Jesum, inquiens, per pedes tenui, & nunc miser & cæcus seculi molas volvo. Vixque peracto biennio, in manu Ottonis, qui tunc imperii sceptra gerebat, pastoralem baculum reddidit: deinde apud sanctum Bonifacium intra Romana mœnia perseverans, ex omni, quod sibi vitæ hujus residuum fuit, nil aliud, quam æternæ vitæ sibi stipendia procuravit. Ad cujus postmodum sepulturam cæcus veniens, luci pristinæ asseritur restitutus.* Sublestis nimis argumentis innixus fuisset Grandius, si Leonem deduxisset fuisse Romualdi discipulum ex recitatione dumtaxat quotidiana psalterii, ac ex circuitione Leonis per pascua & saltus; aliquid minus improbabilibus attulisset, si id ex magna existimatione, in qua tunc erat Romualdi nomen, collegisset, cum a veri specie non abludat sanctos viros, qui tunc vivebant in ea Italiæ regione, quæ Æmiliam & loca propinqua complectebatur, omnes se subjecisse Romualdi disciplinæ, & ab ipso exercitium manuum, & modulationem quotidiani psalterii suscepisse. Accedat his impensus amor, quo Romualdum prosecutus fuit postea Otto III. imperator, ut propterea ipsi cognito ex relatione Johannis archiepiscopi Ravennatis, qui eum consecraverat in regem, commiserit reformationem florentissimi olim, sed tunc dejectissimi monasterii. Nil tamen monumentorum defectu definimus.

a T. III. pag. 320.

L. Tempus ejus electionis in abbatem.

COMPONENDUM tantum nunc est Grandio & nobis tempus electionis Leonis in abbatem Nonantulanum cum anno 985. In excerptis ex catalogo ms. tabularii monasterii Nonantulani apud Muratorium [b] habemus Ottonem II. imperatorem in Italiam adventantem, ac invenientem cœnobium illud iniquorum hominum pravitate pene desolatum, quippe quod diu abbatibus veris destitutum fuerat, cum nullum inter monachos aptum reperiisset pastorali oneri subeundo, anno 972. Johannem quemdam, Græcum archimandritam & consecretalem suum probis moribus & scientia ornatum in pastorem ejusdem monasterii promovisse, cui rogatu & interventu Theophaniæ conjugis & consortis imperii sui anno 982. privilegia confirmavit. Inter eumdem *Johannem abbatem*, & *Bernardum monetarium* extant tabulæ [c] de commutatione quorumdam bonorum in civitate Papiensi scriptæ anno 984. quo eodem anno tempore *Ottonis II. regis & imperatoris indictione* XII. habetur precaria concessa per eumdem abbatem *Giselberto filio quondam Leopardi*, licet eo anno jam obiisset Otto II. [d] Anno 989. inter Johannem, titulo *archiepiscopi Placentini & abbatis Nonantulani* decoratum ex una parte, & *Gundefredum, qui & Azo, magistrum monetæ* ex alia, intercessit permutatio quædam terrarum intra civitatem Ticinensem prope basilicam sanctæ Mariæ, aliorumque bonorum in agro Ticinensi existentium. Ergo quomodo locus erit Leoni in abbatia Nonantulana, quam rexisse tradit Grandius ab anno 985. ad 987? Rursus anno 992. [e] *Martinus diaconus & præpositus monasterii sancti Silvestri de Nonantula* commutationem fecit quarumdam terrarum in

b *Antiquit. medii ævi T. V. col. 676.*

c *Ibidem.*

d *Ibid. col. 677.*

e *Ibidem.*

loco Clavenacia cum *Dominico*, *qui Boniza dicebatur*; & tamen Martino interfecto die 26. augusti anni XIII. regiminis Johannis Græci abbatis, hoc est anno 985. Leonem Romualdi discipulum successisse, ab eo missum, ut regularis observantiæ restaurationem inibi promoveret, scribit idem Grandius. Pariter legitur apud Muratorium [a] anno 996. ordinatum fuisse Nonantulanum abbatem *Leonem*, *archiepiscopum* inde, ut putat, quod credidere etiam [b] Mabillonius, & ipse Grandius, Ravennatem, cui Otto III. imperator veteres possessiones confirmavit, & novas addidit; Leoni suffectum fuisse *Johannem* anno 998. qui, biennio post, kalendis novembris vitam cum morte commutarit; Johanni vita functo successorem datum *Leonem*, qui usque ad 1002. in vivis egerit; Leone autem obeunte anno 1002. ab Ottone III. ut ipse Muratatorius ait, concessum Nonantulanis in abbatem *Rodulfum*. E contra scribit Grandius Leonem I. anno 987. abbatiam Nonantulanam Ottoni resignasse, & se recepisse Romam apud sancti Bonifacii monasterium. Successorem primi Leonis fuisse alterum Leonem, ordinatum deinde Ravennæ archiepiscopum, auctoremque epistolæ ad Durantem monachum & ceteros, qui cum eo erant, eremitas; huic subrogatum fuisse in monasterii regimine quemdam Johannem abbatem, & Johanni abbati post biennium Rodulfum. Quæ sane Muratorii & Grandii inter se discrepantes Nonantulanorum abbatum dispositiones conciliationem ullam suscipere nequirent, nisi suppeterent certiora monumenta ex vetustissimo chronico Nonantulano membranaceo, cujus partem inseruit in episcopis Tarvisinis [c] Ferdinandus Ughellius abbas ejusdem monasterii Nonantulani. In eo codice sic stabilitur series abbatum Nonantulanorum: *Anno Domini 972. ordinatio Johannis Græci. Anno* XIII. *suæ ordinationis Martinus diaconus & præpositus interfectus est 7. kal. septembris. Anno Domini 996. Leo archiepiscopus ordinatus est. Vixit annis duobus, obiit 2. idus julii. Johannes abbas annis duobus ordinatus anno Domini* 1000. *obiit* 12. *kal. decembris. Rodulfus abbas annis* XXXIV. *ordinatus anno Domini* 1002.

Ann. Chr. 985. Romualdi 78.

[a] *Ibidem.*

[b] T. IV. pag. 92. & 127. *Annal.*

[c] T. V. *Italiæ sacræ col.* 497.

Ex qua serie clare patet Martinum diaconum & præpositum Nonantulanum non esse ad annos 992. & 993. retrahendum, ut indicant excerpta ejus monasterii apud Muratorium, sed mendum irrepsisse in annis, ac legendum potius annis 982. & 983. ut vera esse possint, quæ de ejus occisione referuntur ad annum XIII. ordinationis Johannis, hoc est ad annum 985. Major enim fides habenda est chronico Nonantulano ad eum annum assignanti ipsius cædem, quam puris excerptis a Muratorio adductis. Martinus, quem præpositum Nonantulanum legimus, facile fuit etiam abbas, nam & [d] *Hubertus* sive *Humbertus* episcopus Parmensis, Nonantulanus *abbas* sive *præpositus* appellatur; abbatis enim honor a Berengario II. rege ad præpositos translatus fuerat; regebat autem eam abbatiam Martinus vel vice Johannis Placentini, vel ejusdem cessione. Verum post mortem Martini diaconi & præpositi nullum invenimus in utraque serie Ughellii & Muratorii abbatem Nonantulanum usque ad annum 996. qui signatur ordinatione Leonis archiepiscopi, &, ut placet Muratorio & Mabillonio, immo & Grandio nostro, archiepiscopi postea Ravennatis. Eo temporis intermedio, Leonem I. Nonantulæ præfuisse valde est credibile, ab anno scilicet 985. usque ad annum 987. quo resignata a Leone abbatia, denuo administrata fuerit usque ad 996. a Johanne Græco episcopo Placentino, qui eo anno favore Crescentii creatus antipapa, abbatiam dimittens locum fecit Leoni archiepiscopo.

[d] *Antiq. med. ævi Ibid.*

LI. An Leo II. idem cum Leone Ravennate archiepiscopo?

An Leo II. cum esset in archiepiscopali dignitate constitutus, abbas factus

ANN. CHR. 985. ROMUALDI 78.

factus fuerit Nonantulanus, an vero post adeptam abbatiam loco cesserit ob archiepiscopale munus sibi collatum, licet ignoremus, primum tamen verisimilius videtur. Fuerant ante ipsum episcopi electi abbates Nonantulani, Wido episcopus Mutinensis, Humbertus episcopus Parmensis, Johannes episcopus Placentinus, qui postremus etiam archiepiscopi titulum usurpabat. Etiam Leo propterea potuerit esse archiepiscopus alicujus ecclesiæ, vel cum tantum episcopus esset, ad imitationem prædecessoris sui Johannis, archiepiscopum se nominarit. Consuli potest Mabillonius [a], qui varios Leones claros episcopos per ea tempora recenset, Leonem Treverensem apocrisarium Johannis XV. papæ in Angliam, Leonem abbatem de Fundo & episcopum Cajetæ, Leonem Græcum episcopum in Calabria, Leonem episcopum, cui una Gerberti inscripta est epistola. Illud certius tenendum Leonem II. Nonantulanum abbatem archiepiscopum distinguendum esse ab eo Leone, qui postea ad archiepiscopales Ravennatis ecclesiæ infulas fuit elevatus. Leo enim Ravennas obiit anno 1005. scilicet fere quadriennio post depositum archiepiscopale Ravennæ officium, quo se abdicavit anno 1001. at Leo II. Nonantulanus ex codice producto ab Ughellio ordinatus anno *996.* vixit duos annos, obiit secundo idus junii. Præterea Damianus in eodem de abdicatione sui episcopatus opusculo loquens de Leone archiepiscopo Ravennate, statim ac locutus fuerat de Leone I. abbate Nonantulano, non prætermisisset etiam de archiepiscopo dicere: *Qui & ipse fuit Nonantulanus abbas;* vel certe si agnovisset Leonem archiepiscopum Ravennæ fuisse antea abbatem Nonantulanum, non absolute posuisset exemplum abdicationis Leonis abbatis Nonantulani, sed addidisset *primi*, ne a legentibus confunderetur primus Leo cum secundo Leone. Ignorare quidem poterat Damianus Leoni I. alium post decennium subrogatum fuisse homonymum Leonem abbatem Nonantulanum, sed ignorare non potuisset Leonem archiepiscopum Ravennatem fuisse prius abbatem ejusdem cœnobii, si revera archiepiscopus Ravennas fuisset antea Nonantulanus abbas; natum enim paucis post annis Ravennæ Damianum hæc fugisse inverisimile est. In Muratorii autem, Mabillonii & Grandii sententia, Leonem nimirum II. abbatem Nonantulanum fuisse archiepiscopum appellatum, quia ad archiepiscopalem Ravennæ cathedram postmodum fuit promotus, necesse foret, ut diceremus non usque ad annum *998.* sed usque ad annum *999.* regimen abbatiæ continuasse, quia eo tantum anno, & quidem sub finem mensis aprilis Gerbertus Leonis antecessor Ravennatem dimisit ecclesiam, ut Romanam scanderet; opus esset præterea, ut errorem irrepsisse vel in ipsum vetustissimum Ughellii Nonantulanum chronicon assereremus quoad annum mortis hujus Leonis. Si enim translatus est ad aliam ecclesiam, profecto non obiit. Quare legitima oriri potest suspicio, alterius ecclesiæ archiepiscopum fuisse Leonem II. Nonantulanum; vel demum, si fuit archiepiscopus Ravennas, dicendum erit auctorem chronici Nonantulani confudisse biennium Leonis I. abbatis, qui transiit ad monasterium sancti Bonifacii, *vix elapso biennio*, cum annis Leonis II. qui ad Ravennatem ecclesiam fuit electus; annus tamen obitus neque ad primum, neque ad secundum Leonem pertinet, neque pertinere potest.

LII. An Leo I. distinguendus a Leone abbate Sanbonifaciano?

VERUM ut ad primum Leonem Nonantulanum revertamur, illud certe concedere nequimus cardinali Baronio Nonantulanum eumdem esse cum Leone abbate sanctorum Bonifacii & Alexii Romæ in monte Aventino. Ut enim observat doctissimus Mabillonius, [b] „ qua ratione Petrus Damianus Leonem ob abdicatum munus abbatis, & initam privatæ vitæ

a Sec. V. p. 876.

b Sec. V. pag. 869.

„ tæ rationem extulisset, traxissetque in exemplum, cum ille potius ab- ANN. CHR. 985. ROMUALDI 78.
„ ditioris loci præfecturam abjecisse diceretur, ut Romæ velut in specu-
„ la Bonifacianis impositus, ad altiora, quale legationis munus, dignita-
„ tum culmina, gradum sibi faceret? Levius est, addit idem Mabillonius,
„ quod res a Leone abbate gestas in Gallia Nonantulano abbati nuspiam
„ tribuit ejus loci chronicon, Ughellio, Rubeo aliisque scriptoribus Ita-
„ licis notissimum." A vero fortasse non abest Leonem Nonantulanum ex-abbatem eumdem fuisse cum [a] *Leone simplici*, *psalmorum amico*, *& semper prædicare parato*, quem sancti Adalberti Pragensis episcopi vitæ scriptor hoc afficit elogio, cum quo ceterisque commorantibus in Sanbonifaciano monasterio colloquia terebat Adalbertus. Quem Leonem psalmorum amicum distinguendum esse a Leone Sanbonifaciano abbate clarissime indicat idem Adalberti vitæ auctor dicens: *Usus vero maximus erat Adalberto*, *colloquia quærere spiritualium & seniorum*, *qui crebri illuc pro caritate abbatis* (en Leo abbas diversus ab iis, quorum colloquia quærebat Adalbertus) *plures confluxerant*. *Græci*, *inquam*, *optimi veniunt*, *Latini similiter militarunt*. *Cum convenirent sancti viri*, *pluebant ibi sermones Dei*. *Hoc Gregorius abbas*, *hoc erat pater Nilus*, *hoc Johannes bonus infirmus*, *hoc simplex Stratus*, *& super terram Angelus unus*, *hoc ex donis majoribus Dei sapiens Johannes*, *hoc silens Theodorus*, *hoc Johannes innocens*, *hoc simplex Leo*, *psalmorum amicus & semper prædicare paratus* (en alius Leo ab abbate distinctus). Si semel admittamus Leonem *simplicem*, *psalmorum amicum*, eumdem esse ac Leonem Nonantulanum ex-abbatem, confirmatur Grandii & nostra sententia, ipsum abbatiam Nonantulanam rexisse, & dimisisse circa annum 985. & 987. & non esse retrahendum ejus Nonantulanum regimen ad annum 996. vel 1000. ut in serie Muratoriana disponuntur duo Leones Nonantulani abbates; his enim postremis annis transiens Leo ad monasterium Romanum sanctorum Bonifacii & Alexii, colloquia miscere non potuisset cum Adalberto, non amplius Sanbonifaciano incola, immo non amplius in vivis degente. Atque hæc, ultra metam forte, de Leone Nonantulano, de quo loquendi occasionem dedit nobis Grandius, qui eum Romualdi discipulis accensuit, & ex magistri sui delegatione Nonantulani monasterii reformatorem nobis exhibuit.

[a] *Ibid. pag.* 842.

LIII. Johannes archiep. Ravennas solitudinem petit.

ARCHIEPISCOPALEM dignitatem Ravennatis ecclesiæ deponere non serius hoc anno potuit Johannes XI. cognomento Vincentius, qui eam cathedram conscenderat ante biennium; id inferius probabimus. Sub magisterio Romualdi ipsum vixisse, antequam pontificale munus exerceret, asseruit Grandius in suis mss. schedis; de ea re nos ad annum 1000. agemus. Negant plures Ravennatem archiepiscopum hujus nominis per hæc tempora honori illi cessisse, ut eremitam ageret in Caprasio monte, ubi etiam monasterium condiderit in honorem summi archangeli, appellatum inde sancti Michaelis de Clusis; simplici eremitæ fundationem illam aliis tribuentibus, aliis autem pluribus annis eam antevertendam judicantibus. Cum neque apud Rubeum & Fabrium, neque apud Mabillonium, neque demum apud Pedemontanarum rerum scriptores hujusmodi factum plene illustratum fuerit, parcent lectores, si uberius hoc argumentum tractamus, veterum auctorum testimonia, totamque ex ipsorum verbis, Johannis episcopi eremitæ historiam in medium proferentes. Vetus, anonymus licet, scriptor vitæ sancti Johannis, qui pluries manifestat se monachum fuisse cœnobii sancti Michaelis de Clusis, editus in [b] Spicilegio Ravennate a Muratorio, hanc abdicationis Johannis causam adducit. *Mos*

[b] *Rer. Ital. T. I. P. II. p.* 564.

Ann. Chr. 985. Romualdi 78.

namque Ravennatibus inoleverat, inquit, *ipsiusque Johannis temporibus inconcussus vigebat, quod videlicet omnes pueri illius regionis in ipso anno baptizati, in sollemnitate beati Vitalis martyris Ravennæ ad matrem ecclesiam in honorem ejusdem martyris consecratam deferebantur, pontificique sacro chrismate confirmandi offerebantur. Quodam vero tempore, quum innumera populi multitudo solito more illuc parvulos suos ad hoc detulisset, atque nimium depressata plebis frequentia ita episcopum illos parvulos consecrantem circumvallaret, ut vix ad eum nisi per rimam mittendo quilibet accederet, quædam vidua paupercula, quæ filium cum aliis ad consignandum sacra unctione propriis brachiis advexerat, videns, quod tantæ multitudini se immergere, atque ad episcopum appropinquare nequiret, a turba paululum secessit, ad hospitiumque suum regrediens, mox illa, recedente frequentia, ad ipsam ecclesiam statim sperabat reverti, & quod quærebat, sine impedimento adipisci. Sed omnibus rite peractis, atque pontifice cum suis regresso ad curiam propriæ habitationis, simulque ecclesiæ foribus pro consuetudine clausis, memorata muliercula dolens se sua spe fraudari, cum suo filio propriis brachiis amplexato episcopum usque ad curiam prosequitur, sed ab ostiario repulsa non intromittitur. Illa vero licet suo sæpe desiderio frustrata, ad curiales tamen fores dum residendo studiosa expectaret, si forte pontifici foris egredienti filium suum ad consecrandum sacro oleo offerre valeret, ipse puerulus inter materna brachia ultimum vitæ spiritum exhalavit; fuerat enim nimia plebis oppressione anxius; quod miseram se clamans mater, ut vidit, flebiles miserandi gemitus voces sic lamentando in excelso emittit. Quis mihi miseræ sufficiet gemitus? circumvallat enim me irremediabilis dolor extremæ paupertatis, & amissionis filii geminata afflictio. Quid fili de te faciam, quum nec habeam, quod pro tui corpusculi tumulatione tradere debeam? Illa ergo talia luctuosa voce proclamante pius pontifex sanctissimus Johannes percontatur, quænam esset, quæ tam insoliti mœroris querelas sic lacrymabiliter proderet. Cui quum responderetur, cuncta ei per ordinem referendo, qualiter prædicta muliercula filium suum incolumem ad confirmandum sacro oleo illuc advexisset, sed paulo ante irruentis populi oppressione pernimium afflictum, & dum adhuc præstolaretur ejus egressum, inter materna brachia defunctum doleret: intimo cordis dolore tactus, sine mora a prandio, ad quod cum suis residebat clericis, surrexit, atque pro sui negligentia ipsum puerum esse mortuum cum ejulatu nimio profitendo, ad matrem ipsius defuncti pueri cucurrit, ejusdemque defuncti corpusculum a matris gremio ablatum, secum in cubiculum, quo secretius orabat, suis brachiis amplexatum portavit. Quod quum humi prostratus prolixius lacrymando orasset, regrediente anima, pueri corpusculum contremuit; surgensque ab oratione ipsum puerum vivum & sanum, sacroque chrismate unctum matri suæ restituit, ipsamque immenso gaudio exultantem pro reddito sibi filio cum munere non modico ad propria remisit. In loco vero illius cubiculi postea ecclesiam in honore sanctæ Resurrectionis construxit, quæ usque hodie certificatur ab omnibus incolis illius regionis vera esse indictio tanti miraculi.*

Omittendum non est hujusmodi resuscitati pueri prodigium tribui iisdem circumstantiis a Rubeo [a] cuidam Johanni Ravennatum antistiti, „ qui tamen (verba sunt Rubei subjecta vitæ Johannis I. archiepiscopi) „ cum alius fuerit ab eo, cujus nunc meminimus, quo loco reponendus „ sit, cum multi hujus nominis archiepiscopi sint insecuti, adhuc clam „ me est. Ferunt autem, cum de more sacro confirmationis chrismate „ inungere pueros hic antistes &c. “ Sed ex certis monumentis, nunc jam

a Lib. II. p. 99.

jam constat Johanni XI. tribuendum esse hoc prodigium. Quid, quod Agnellus [a] Damiano archiepiscopo Ravennati, qui ordinatus fuit juxta Bacchinium anno 691. & obiit anno 708. similem tribuit revocationem ad vitam pueri, qui chrismate consignatus denuo obiit? Verum cum licet factum idem sit, circumstantiæ tamen varient, potuit miraculum hoc contingere & sub Damiano, & sub Johanne XI. Vix diversus casus accidit Maurilio episcopo Angeriacensi. Illud potius miratur Bacchinius [b], qui potuerit puer baptizatus non sacro chrismate consignatus relinqui, cum recens baptizati statim confirmari solerent, inde sacræ synaxis communione munirentur, ut habent Alcuinus de officio sabbati Paschæ, Rabanus de institutione clericorum, aliique passim. Verum cum subjungat ex [c] Jona Aurelianensi dilatum alicubi in Galliis confirmationis sacramentum, poterat hæc dilatio usurpari etiam in aliquibus Italiæ ecclesiis; immo putant alii unctionem, quæ baptismum subsequebatur, non fuisse ministrationem sacramenti confirmationis, cum a simplicibus sacerdotibus adhiberetur.

ANN. CHR. 985. ROMUALDI 78.

a P. II. p. 323.

b Ibid. 345.

c Lib. I. de instit. laicali cap. VII.

Ceterum prodigiosum hoc factum in sacello, quod anno 1568. Julius Feltrius Roboreus cardinalis Urbinas archiepiscopus Ravennas in elegantem faciem restituit, & III. kalendas junii eodem anno sacravit, ejus jussu depictum fuisse, Rubeus & Fabrius testantur, qui & subdunt abdicationem posthac factam regiminis suæ ecclesiæ a Johanne, & secessum ejus in montem Caprasium; sed veterem supralaudatum anonymum auctorem exscribamus.

[d] *Jam denique per tam evidentis signi admirationem magis ac magis sanctitas ab omni populo laudibus extollebatur, maximusque honor reverentiæ illi a cunctis exhibebatur. Quod tanti honoris gravissimum pondus quasi insolenti fastu secularium ponderosum divina inspiratione prævideret, ut erat miræ simplicitatis, atque angelicæ innocentiæ, toto conaminis studio satagebat, quod posset se alleviare a tam periculoso honore, atque a secularium vana pompositate sui præsentia declinare, ut semotus a mundi hujus momentanea ac umbraticæ dignitatis imaginatione, Deo securius, cui jam in mente inhærebat, sedula studiositate valeret totis nisibus animo & corpore militare. Hæc itaque sæpius revolvens in mentis anhelitu secreto, tandem miserantis Dei fretus sacri spiraminis consilio, omni postposita, qua videbatur insigniri, honoris specie, deliberavit secedere clanculo a propriæ habitationis mundana dignitate, vanitatis loco. Relictis denique totius mundialis gloriæ decoloramentis, perlustratis diversarum regionum secretioribus eremis, ac montium cacuminum deviis anfractibus peragratis, si quem remotum locum eremiticæ vitæ congruum officinis ad extremum nostris partibus alpibus contiguis divina directione appropinquavit* (Hic se auctor manifestat ejusdem monasterii sancti Michaelis incolam) *ubi ipsæ alpes utrobique binorum montium ab incolis eorum denominatorum, scilicet Pirchunianæ & Caprasii cornibus suorum cacuminum expansis mediæ vallis Secusiæ planitiis ab eisdem celsioribus alpibus passuum millibus porrectis usque ad vicum Idusam vocitatum, ad radicem unius horum montium videlicet Pirchunianum, situm Ausoniis finibus, metam determinavit.*

d Ibidem.

ENARRAT subinde Johannis in ea solitudine positi vitæ tenorem, insidias pariter, quas dæmon frequentes ipsi parabat, demum visionem, quam meruit, archangeli Michaelis præcipientis insuper, ut oratorium in sui honorem construeret. Prodigia, quæ evenere in templi ædificatione, consulto omittit, lectorem dirigens ad uberiorem earum rerum extantem historiam; quare subjungit: *Cujus ædificationis ordinem, vel cum quan-*

LIV. Ecclesiam S. Michaelis de Clusis condit.

Ann. Chr. 985. Romualdi 78.

ta sanctitatis excellentia a sæpedicto principe angelorum archangelo Michaele sit consecratum cœlestium charismatum infusione , supersedendum censemus , quia satis elucido facetoque sermone in ejusdem templi narrationis, ædificationis atque postea inchoationis ibidem cœnobialis religionis libello penes nos (en aliud indicium monachi Clusini scribentis) *descripta habemus , domni reverendissimi papæ Nicolai authentica jussione dictato, ejusque serenissimo titulo auctorizato* . Libellus ab anonymo indicatus historia est , quam confecit Willelmus monachus Clusinus , ædificationis monasterii sancti Michaelis , & vitæ sancti Benedicti abbatis itidem Clusini , quorum fragmenta ex schedis Baluzianis in medium protulit Mabillonius [a] in Appendice ad tomum III. suorum Annalium, in qua historia sic loquitur Willelmus.

a Pag. 713.

In Italiæ finibus mons quidam extat insignis duodecim millibus passuum distans ab alpibus , qui vulgari nomine , sed non vulgari errore aut casu , Pyrchiriana, idest ignis Domini, vel ignea civitas, vocatus est ab incolis , propter angelorum , ut reor , ibi futuram præsentiam . Supremo cacumine beati Michaelis archangeli extat ecclesia. Erat quidam Ravennas , nomine Johannes , cognomine Vincentius, vir miræ simplicitatis ac spiritualis intelligentiæ gratia adprime ornatus , qui in genitali quidem solo episcopali fertur functus dignitate, sed solitariæ vitæ ardore flammatus multis provinciis perlustratis , in montem , qui Caprasius dicitur, prædicto monti a parte septentrionali oppositum sese reduxerat . Ab illo itaque tempore sanctus eremita Johannes usus cellula juxta posita , montem solus incolere cœpit . Amizo tunc Taurinensis episcopus. Per idem tempus Ottone juniore augusto quidam nobilium, Hugo nomine , ex Arvernensi comitatu cum propria uxore .... vovit cœnobium sancto Michaeli archangelo construere. Chronologicas notas Willelmi inferius examinabimus.

In alio ejusdem vitæ fragmento refert idem Willelmus Michaelis archangeli ad Johannem templum ædificantem verba ; sensus tamen principio remanet imperfectus . *Non ignoras , conscende intrepidus , & cum omnia, quæ tibi furto ablata verebaris , ibi collecta inveneris , opus , quod imperaveram, in eodem loco perficere ne cuncteris .... morabatur .... angelica revelatione cœpit honori & amori haberi ipsa regio , quæ antea inculta & vilis habebatur.* Narrat deinde consecrationem illius ecclesiæ factam, ut ipse putat , ab episcopo Amizone . *Venerabilis* , inquit, *præsul Amizo ad locum appropinquans in castro hospitatur Avilliano. Ecce autem circa noctis medium , dictu mirabile , immensus ignis instar magnæ columnæ e cœlo super montem descendere* (supple *visus est*) *suisque flammis coruscis aere sereno totum circumlambere. Cujus novitate miraculi populi stratis exciti, supplices ad cœlum manus tendere , pectora pugnis tundere . Vociferantur cuncti Pyrchirianam penitus exuri . Tollitur clamor ad sidera . Episcopus ipse tanto rumore attonitus surrexit , partemque rutilæ lucis jamjamque recedentis contemplatus &c.* In crastinum autem idem episcopus linteo oleum, quo ab archangelo Michaele uncta fuerat ecclesia, extersit, & *tantis pius antistes miraculis motus , anachoretæ precibus , & ab honestis nobilium personis , qui affuerant, exoratus , cum interminatione sempiterni anathematis constituit , ut a suo , successorumque suorum seculari dominatu vel impedimento liber esset per secula locus : ea ratione , ut si quis ejus constitutionis in posterum contemptor fieret , apostolicæ sedis esset judicii reus . Ab illo tempore itaque sanctus eremita Johannes usus cellula juxta posita , montem solus incolere cœpit , & sanctus Domini archangelus loci sui dilectorem & provisorem se esse luce clarius manifestare non distulit.* Subdit monachus

chus Willelmus miracula quædam ad ædiculam illam divinitus patrata, quæ nos brevitati studentes omittimus. ANN. CHR. 985. ROMUALDI 78.

Per idem autem tempus, *imperante Ottone juniore augusto Hugo comes Arvernensis cum uxore Insengarda* Romanam urbem adivit, ut sacra limina principum apostolorum veneraretur. Ibi Hugo summo pontifici *de constructione unius cœnobii, ubi perpetualiter a monachis Deo serviatur, sponsionem fecit*, pro obtinenda a Deo venia criminum, quorum erat reus. Bono igitur desiderio inflammatus Roma discedens, Segusiam pervenit, & ab amico viro, apud quem hospitabatur, de iis omnibus, quæ recens evenerant, certior factus, habita etiam ea nocte visione archangeli Michaelis, qui in somnis ipsi & uxori apparuit, non ultra differendum consilium suum de extruendo ibidem monasterio censuit. Precibus igitur porrectis Harduino marchioni, operi manum admovit, accersitoque Atverto, *qui in Lisathio monasterio abbatis prius officio functus fuerat*, ipsum exoravit, ut locum ad monasterii formam redigeret.

Atque ista sunt initia monasterii Clusini; quæ omnia fusiori calamo Willelmus, & ex eo anonymus vitæ sancti Johannis eremitæ scriptor prosequuntur. Sed & in bulla Innocentii III. apud Ughellium [a] Clusini monasterii fundatio ab *illustri viro Hugone nomine Dissato* (legendum *Dissuto*) Alvernensis regionis *indigena* facta dicitur. Mabillonius [b] ad annum *966.* Hugonem ex stirpe dominorum Montis-buxerii fuisse tradit; & [c] ad annum 1101. testimonium profert Gaufredi Vosiensis, & Rodulfi monachi asserentium venerabilem Petrum Mauricium abbatem Cluniacensem ex Hugonis progenie descendisse; filium nimirum fuisse Mauricii in testem producti a Guillielmo monacho, qui Mauricius filius fuit Hugonis monasterii Clusini fundatoris.

a T. *IV. col.* 1028.

b T. *III. p.* 581.

c T. *V. p.* 440.

d *Annal.* T. *III. p.* 716.

LV. Plura de cœnobio Clusino, & de tempore ejus extructionis.

JAM VERO, cur ad hunc annum *985.* statuerimus secessum Johannis archiepiscopi, & constructionem cœnobii Clusini, quam postremam alii revocant ad annum *966.* alii ad annum *997.* paucis exponamus. Willelmus Clusinus monachus ille, qui laudante & præcipiente Nicolao II. ut ipsemet innuit, ædificationis hujus historiam vitæ sancti Benedicti abbatis Clusini inseruit, affirmat *officinas cœnobiales in eodem loco feliciter constructas fuisse anno* DCCCC. LXVI. *incarnationis Dominicæ, ut fertur*; inde sibi non constans, Amizoni Taurinensi præsuli tribuit visionem prodigiosi ignis, quo conflagrare mons videbatur, & consecrationem primæ ædiculæ, a quo etiam libertatem cœnobii impetrasse Hugonem scribit. Verumenimvero Amizo juxta Ughellium, qui Anizonem vocat, nonnisi circa annum *998.* ecclesiam Taurinatem regendam suscepit. Rursus idem Willelmus Hugonem fundatorem Romam adivisse imperante Ottone juniore augusto asseverat. At novimus Ottonem juniorem anno *996.* coronatum fuisse imperatorem, vel si laxius velimus imperium Ottonis interpretari, anno tantum *983.* in regem fuit inauguratus. Postremo Silvestrum II. Romanum pontificem omnium primum concessisse privilegium Hugoni, qui alia subinde præcepta obtinuit ab imperatore pro immunitate sui recens exstructi cœnobii, enunciat idem Willelmus. Porro, cum Silvester II. ad Romanam cathedram fuerit sublimatus anno dumtaxat *999.* paucis annis videtur Silvestri pontificatum præcessisse ejusdem cœnobii ædificatio; quare cum conspirent tempora Amizonis, Ottonis III. & Silvestri II. in annum circiter *999.* erronea judicanda erit illa prima Willelmi epocha, officinas monasterii constructas fuisse anno *966.* solita nimirum ævi illius auctorum incuria, qui in suis narrationibus chronicas notas adhibent non sibi constantes, ac prorsus incohærentes. Nec illud omittendum, quod si ratio habeatur

ANN. CHR. 985. ROMUALDI 78.

beatur temporis, quo Ravennates historici Johannem XI. archiepiscopum suum in montem Caprasium se recepisse, ac Gerberto, sed non recte, vacuam reliquisse sedem Ravennatem anno 998. tradunt, etiam tempus ipsius recessus optime congruit cum temporibus Amizonis, Ottonis III. & Silvestri II. Et res quidem exploratissima esset, hujusmodi dumtaxat momentis expensis. Verum cum idem Willelmus tribuat Benedicto I. vel seniori Clusensi abbati quadraginta-quatuor annos regiminis, & ex monumentis ejusdem monasterii habeatur ipsum obiisse triennio post celebrationem concilii Lemovicensis II. cui interfuit, quodque celebratum fuit anno 1031. si ab anno 1034. subtrahantur quadraginta-quatuor anni, consequens erit Benedictum administrationem Clusini cœnobii suscepisse anno 990. ut observavit etiam Mabillonius dicens: „ Adeoque paullo ante an„ num 990. abbatiam inierit, Atverto nimirum primo abbati succe„ dens. " Atverto itaque concedendi erunt aliquot regiminis ejusdem cœnobii anni, quinquennium puta; & proinde constructio Clusinæ abbatiæ, & quæ hanc paullo antecessit, Johannis archiepiscopi Ravennatis abdicatio, referenda erunt ad annum 985. Accedit ex Glabro Rodulpho in [a] vita sancti Willelmi abbatis Divionensis eumdem Willelmum, Lucediensi cœnobio relicto, ad illud sancti Michaelis de Clusa majoris perfectionis gratia migrasse, ibique aliquantisper fuisse commoratum, antequam cum Majolo sanctissimo Cluniacense abbate in Gallias secederet ad annum 987. Ad hæc ergo concilianda, sub Ottone III. post annum 983. & signanter ad annum 985. Johannis Ravennatis archiepiscopi cessio suæ dignitatis, & transmigratio ad montem Caprasium, ædificatio inde secuta ecclesiæ in honorem sancti Michaelis, & subinde constructio monasterii Clusini, Hugonis Alvernensis opera, sunt statuenda, licet forte nonnisi Silvestri temporibus, apostolicis & imperialibus privilegiis sacer locus ille fuerit communitus, & libertate plenissima donatus ab Amizone Taurinense antistite. Pariter diploma ab Amizone concessum monasterio Clusino ansam probabiliter dederit Willelmo scribendi ipsum eumdem fuisse episcopum, qui primam sancti Michaelis ædiculam consecraverit, dum reapse munus illud ejus antecessor præstiterit Annuncus, sub cujus præsulatu, ut etiam adnotavit Ughellius, sit reponenda Clusini cœnobii ædificatio.

[a] *Apud Mabill. Sec. VI. P. I.*

LVI. Duo Johannes successores in cathedra Ravennate.

HISCE solide, ut nobis videtur, firmatis, duplex Johannes, alter alterius successor in sede Ravennate archiepiscopus est distinguendus; primus Johannes XI. Honesto suffectus anno 983. qui post biennium amore solitudinis sarcinam episcopalem deposuit, Ravennas patria, & Vincentius appellatus, de quo Willelmus Clusinus monachus ait: *Erat quidam Ravennas nomine Johannes, cognomine Vincentius .... qui in genitali quidem solo episcopali fertur functus dignitate, sed solitariæ vitæ ardore flammatus.* Episcopum pariter nominat auctor chronici Malleacensis apud Labbeum: *Eo*, inquit, *tempore*, quo scilicet conditum est cœnobium sancti Michaelis de Monte, *incœptum erat aliud monasterium de sancto Michaele de Clusa a sancto Johanne episcopo & eremita, ubi primus abbas fuit Arveus, quæ duo monasteria monachorum angelica jussione facta sunt & creberrime ab angelis nimiis & fulguris & miraculis illustrantur.* Franciscus-Augustinus ab Ecclesia „ pios ac devotos viros, ait, religiosæ vitæ ducendæ cau„ sa in idem monasterium se recepisse, præcipue vero Johannem prius „ Ravennæ archiepiscopum. " Præterimus testimonium superius allatum monachi Clusini anonymi scriptoris ejus vitæ apud Muratorium. Alter Ravennæ antistes est Johannes XII. Papiensis communiter dictus, & electus anno 985. in locum Iohannis XI. se abdicantis.

Ad

Ad Johannem itaque XII. spectabunt Gregorii V. literæ anni *996.* quibus eum appellat *reverendissimum & sanctissimum confratrem*, & ea omia confirmat, quæ Ravennati ecclesiæ fuerant a superioribus pontificibus maximis concessa. Coram ipso pariter Romualdus abbatiam Classensem anno *998.* resignaverit, eodemque anno obiens idem Johannes locum fecerit mense aprili Gerberto successori suo in cathedra Ravennate; quare emendari poterunt Rubeus, qui ad annum *997.* de Johanne Ravennæ archiepiscopo affirmat [a]: „ Sunt, qui scribunt in Taurinos ad montem Caprasium se abdidisse, ibidemque divi Michaelis ædem ab Hugone Marino Alverno Montis Buceri regulo, Silvestri II. pontificatu excitatam ædificiis ornasse, " & superius: „ Brevi decessit, seu, ut nonnullis placet, ad alium episcopatum assumptus est. Utcumque Gilberto Gallo, quem appellant aliqui Gerebertum, potiundi archiepiscopatus Ravennatis locum reliquit: " & [b] Mabillonius ad annum *998.* „ Interea vacante sede Ravennatensi ob decessum, vel potius secessum Johannis archiepiscopi, qui in Taurinos ad montem Caprasium abdicata dignitate se abdidisse traditur, ibidemque sancti Michaelis monasterium illustrasse, suffectus est in ejus locum Gerbertus noster &c. " Sic emendanda pariter, quæ scribit ad annum *966.* [c] quo tradit juxta Willelmi opinionem eo anno sancti Michaelis cœnobium ad Clusam, seu ad alpium fauces apud Taurinos ædificatum fuisse, & trahenda ædificatio ad annum *985.*

Ann. Chr. 985. Romualdi 78.

a *Lib. V.* 273.

b *T. IV. p.* 117. *Annal.*

c *T. III. p.* 580.

LVII. Alia ad Johannis eremitæ, & ad Clusini monasterii illustrationem.

Non incongruum erit etiam hic animadvertere, quod anonymus monachus ille Clusinus, qui scripsit vitam sancti Johannis confessoris archiepiscopi Ravennatis ecclesiæ, minime confundit per summum anachronismum, ut putavit [d] Muratorius in notis, Johannem nostrum archiepiscopum cum alio Johanne Angelopte similiter archiepiscopo, qui floruit anno christianæ æræ CCCC. XXXII. In ea enim, quam scripsit, vita ita legitur. *Gloriosus Domini confessor Johannes multorum sinceritatis certificatione Ravennatis metropolitanæ ecclesiæ pontificatus infula decoratus, ita admirabili cœlestis vitæ puritate, atque virtutum magnifica operatione, frequentique angelica visione dignoscitur floruisse, ut ab indigenis præscriptæ ipsius urbis, sibique adjacentis regionis meruit vocari Johannes, qui vidit Angelum, novo cognomine*. Quidquid enim sit de veteri Johanne *Angelopte* nominato, eo quod, *cum inciperet canonica verba*, ut ait [e] Agnellus, *cum supplicationibus Deo dare, & super hostiam signum crucis imprimere, subito Angelus de cœlo venit, & stetit ex altera parte altaris in conspectu ipsius pontificis, & post expletam sanctificationem, cum corpus Domini percepisset, voluit diaconus adimplere levitæ ministerium, quod erat calicem porrigere, subito amotus ab angelo est, & sanctum calicem angelus pontifici porrexit ..... & tam diutissime angelus juxta sanctum virum stetit, quousque expleta fuissent sollemnia missarum*; etiam noster ob archangelum Michaelem in monte Caprasio sibi conspiciendum datum *novo cognomine*, hoc est præter illud Vincentii, *Angeloptes*, idest *Johannes, qui angelum vidit*, appellari potuit etiam apud Ravennates, cum visionis illius diffusa fuit fama. Neque accusandi ambitionis rei monachi Clusini, ut existimavit idem Muratorius [f], quod „ libidine amplificandæ originis, cum fama & opibus crevissent, simplicem eremitam episcopali prius infula decoratum fundatorem sui monasterii asseruerint, & transformaverint Johannem Ravennatem in celebrem ejus nominis archiepiscopum Johannem Angeloptem, fabulamque istam posteris vendiderint; " cum neque Johannes XI. confusus fuerit a Clusinis cum celeberrimo Angelopte,

d *T. I. P. II. p.* 564. *rer. Ital. Script.*

e *P. I. pag.* 289.

f *Ibidem.*

Ann. Chr. 985. Romualdi 78.

pte, neque simplex eremita fuerit Johannes, sed Ravennas archiepiscopus ab anno 983. ad annum 985. ut ex dictis constat. Ceterum addit Rubeus [a] putare multos, geminos fuisse hoc nomine, Johannis scilicet, insignitos, alterum archiepiscopum, qui apud Taurinos obierit, ibidemque in divi Solutoris, quod ædificavit, templo sepultus adhuc summa veneratione ab incolis colatur, alterum sacerdotem nulla dignitate archiepiscopatus insignem, qui apud Arretinos XI. calendas decembris vitam cum morte commutaverit, ab illisque summo in honore habeatur. „ Sed „ is mortis dies archiepiscopo ab Arretinis festus adscribitur. “ Hæc Rubeus. Verum fortasse multiplicandi non sunt Johannes per hæc tempora, sed unicus agnoscendus, qui solitudinis amore apud Taurinates secesserit, præsertim cum obscurior sit Johannis apud Arretinos viventis historia. De Johanne Ravennate cetera ad annos sequentes & ad 1000. mortalis ejus vitæ supremum.

a Lib. II. p. 200.



AN-



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER QUINTUS.

Ab anno CHRISTI DCCCC. LXXXVI. *ad annum* DCCCC. XCVII.



SOLITUDINEM, quam impense coluisse Romualdum certum est, impedimento minime ipsi fuisse, quominus pluribus in locis repararet monasticam sancti Benedicti in cœnobiis disciplinam, novaque juxta ipsius regulam erigeret sacra loca, ex horum Annalium lectione fiet apprime compertum. Referenda igitur est ad hunc circiter annum constructio monasterii Vergaretani in territorio Sarsinate. Hieronymus Pragensis, qui, ut videbimus, sub Ottone II. Romualdum suscepisse regimen abbatiæ Classensis scribit, putat post dimissionem ejusdem abbatiæ, ipsum secessisse Balneum, atque ædificationi illius cœnobii operam dedisse. Quod profecto miramur, quomodo doctus alias eremita, quique fere exscripsit in suo sermone Damianum, ita in chronologia dissentiat a Damiano, qui licet etiam ipse perturbato ordine res gestas Romualdi enarret, historiam tamen regiminis & resignationis abbatiæ Classensis talibus circumstantiis illigat, ut nonnisi sub Ottone III. & quidem ad annum 996. regiminis assumptio, ad annum vero 998. abdicatio sint statuendæ. Dimisso ergo Pragensis systemate, Damianum antiquiorem sequamur, & quid in ea constructione acciderit, ipsius verbis proferamus [a]. *Aliquando namque ad locum, qui Balneum dicitur, qui videlicet in Saxenati constitutus est territorio, transiit, ubi etiam non pauco tempore commorans, monasterium ad beati archangeli Michaelis honorem construxit, a quo non longe cellam in ea habitaturus intravit. Illuc autem Hugo marchio septem sibi pro necessitate misit numismatum libras, quas ille, ut bene prodigus misericorditer dispensaret, accepit. Audito itaque, quod monasterium Palatioli fuisset igne consumptum, sexaginta solidos de prædicta pecunia fratribus in adjutorium direxit, reliqua autem, ut in simile opus expenderet, reservavit. Cognito hoc, monachi sancti Michaelis, belluino contra eum furore commoti sunt, tum quia pravis eorum moribus contrarius jam in multis extiterat, tum quia quæ illi deferebantur, non eis omnia, sed quædam aliis impendebat.*

ANN. CHR. 986. ROMUALDI 79.

I. Romualdus construit monasterium Vergaretanum.

a Vit. S. Rom. cap. XVIII.

Ann. Chr. 986. Romualdi 79.

Facta igitur conspiratione, unanimiter cellam ejus cum sudibus & phalangis irrumpunt, verberibus eum multis afficiunt, & direptis omnibus turpiter dehonestatum de finibus suis expellunt. Cum itaque eliminatus abiret, & nimia tristitiæ vis in mentis ejus jam interiora descenderet, hoc apud semetipsum deliberat, ut jam de cetero sua contentus, alienæ salutis curam omnino postponat. Post quam videlicet cogitationem tantus animum ejus terror invasit, ut si in eo, quod mente conceperat, obstinate persisteret, periturum se, damnandumque divino judicio nullatenus dubitaret. Monachi autem compotes diu desideratæ ultionis effecti, & quasi projecto gravi onere levigati, hoc, quod in Dei famulum egerant, multis inter se laudibus efferunt, & in immoderatum ludum atque cachinnum se lætitia lenocinante resolvunt, deinde etiam ut tanti gaudii sollemnitatem quodammodo jucundissimam faciant, sumptuosas deliciarum copias sibi ad convivium parant. Erat vero tunc hiems, quæ non solum vicissitudini temporum, sed frigidis quoque eorum mentibus aptissime congruebat. Unus autem ex eis, qui in beatissimum Christi famulum sævior fuerat, mel acquirere, unde mulsum epulantibus facere, satagebat. Cumque Sapim fluvium hoc studio transmearet, offendentibus in plancas pedibus, subito de ponte dejicitur, & fluviali voragine funditus absorbente raptatus extinguitur. Justo videlicet Dei judicio, ut turbida illum aqua satiaret ad mortem, quia in eo quod flere debuerat, mellis dulcedinem ad vitæ concupierat voluptatem. Nocte vero dum omnes ex more quiescerent, descendente crebra nivium multitudine, repente tota communis ædificii super eos fabrica corruit, & alteri caput, alii brachia, alii crura, vel quælibet alia membra contrivit. Uni etiam eorum oculus evulsus est, & merito divisionem corporeæ lucis pertulit, qui divisus a proximo, etiam si alterum haberet, geminæ caritatis unum lumen amisit.

In hac Damiani narratione plura observanda a nobis sunt. *Balneum*, apud quod non parvo tempore moratus est Romualdus, oppidum est in Sarsinate, seu, ut apud veteres, Saxenate territorio constitutum in valle juxta Apenninum montem, XIII. circiter milliaribus ab eremo Camaldulensi distans; sub obedientia olim marchionum Thusciæ, deinde sub Guidiorum comitum dominatu, postea sub Camaldulensis eremi jurisdictione spirituali, temporali vero Magnorum ducum Etruriæ. Celebris in ea terra sub invocatione beatæ Mariæ virginis abbatia visitur monachorum Camaldulensium, qui jus pene episcopale exercent; & antiquis temporibus extabat etiam alterum sacrarum virginum cœnobium, ubi modo ecclesiola est sub nomine sanctæ Luciæ, in qua Agnetem, deinde Johannam Balnensem sanctitatis nomine vixisse dicunt, quod asceterium Romualdi tempore fundatum credunt. De hac abbatia, & de illustribus viris, qui in ea floruere, necnon de claris illis sanctimonialibus suis locis multa in medium proferemus. Illud constat Romualdum in hac regione commorantem otiosum non fuisse. Inter cetera porro, quæ egit Romualdus in Balnensi territorio consistens, reponenda ædificatio monasterii in honorem sancti Michaelis archangeli erecti in loco, qui Vergaretum dicitur. „ Monasterium, inquit Hieronymus Pragensis, in sancti Michaelis honore „ construxit, in quo, ordinatis monachis & abbate, ipse non longe a „ castro Vergaretæ reclusionem in parva cellula intravit. " Romualdi erga archangelum Michaelem pietas pluribus sane signis fit manifesta, nam & in insula Veneta huic cœlestis militiæ principi dicata eremiticam duxit vitam, & in Gallias profectus apud monasterium sancti Michaelis de Cuxano ejusdem solitarii instituti fuit propagator, & alibi, ut videbibus, in Thuscia & in Histria nimirum, itidem ejus nominis cœnobia

vel

vel recepit, vel fundavit, unde merito ipse supremus archangelus in congregationis monachorum Camaldulensium tutelarem fuit electus. Vergheretum seu Vergaretum & Vergareta est Appennini castrum non longe a Balneo juxta Sapis (*Savio*) fluminis fontes. Celebris fuit progressu temporis sancti Michaelis de Vergareto abbatia, de qua plura nobis dicenda erunt, quæque Classensi abbatiæ primum, demum sub initium seculi XV. unita fuit sacræ eremo Camaldulensi.

ANN. CHR. 986. ROMUALDI 79.

Cella, quam non longe a monasterio construxit in ea habitaturus Romualdus, ea esse videtur, quæ postea sequentibus seculis appellata fuit *Cella sancti Alberici*, ob Alberici sanctissimi eremitæ incolatum, nuncupata etiam antiquioribus seculis *Cella sancti Johannis inter ambas Paras*, quæ postea excrevit in illustre monasterium, de quo suis temporibus nonnulla dicemus. Revera si hujus situs loca examinemus, parum distat a Vergaretano cœnobio cella sancti Alberici, sicut a Balneo parum distat idem Vergareti monasterium. Seculo XIII. extabat prope Vergaretum locus, qui *Motta* dicebatur *ad Crucem Romoaldi juxta viam publicam*, quique hodierna die idem nomen servat, ut in instrumento ejus ævi reperimus in tabulario præfatæ abbatiæ Balnei, quod non injucunde in Appendice legetur.

II. Adjuvat pecunia reædificationem monasterii Palatioli.

PORRO cum ædificationi Vergaretani cœnobii intentus esset Romualdus, Hugo marchio Thusciæ septem numismatum libras ei dono dedit, ut eas in fabricam ipsius monasterii converteret, vel certe expenderet in iis rebus, quas necessarias existimaret. Prima hæc, docente nos Damiano, fuit necessitudo, quæ Romualdum inter & Hugonem marchionem Thusciæ intercessit; videbimus inferius alia benevolentiæ & æstimationis signa, quibus Romualdum prosecutus est Hugo. Porro Hugo jam ab anno 961. in Thuscia dominabatur, illustrisque fuit ob erectionem plurium abbatiarum, cujus vitam monumentis antiquis ditatam adornavit Puccinellius. Quid essent septem numismatum libræ, declarat idem Puccinellius; fuisse nimirum libras aureas constantes viginti solidis singulas, & solidis quidem aureis, itaut sexaginta ex ipsis suffecerint ad restaurationem incensi monasterii Palatioli, cui eos dono misit Romualdus. Ex hac liberalitate Romualdi crediderimus posse argumentum desumi existimandi monasterium Palatioli tunc temporis sub disciplina sive reformatione Romualdi stetisse. Porro multa hujusce nominis cœnobia in Italia. Unum in Monte-viridi diœcesis Populoniæ in Etruria, quod sanctus Walfredus fundavit, beatoque Petro dicavit circa annum 755. de quo nos ad annum 969. verba fecimus. Secundum [a] sanctæ Mariæ de Palatiolo, alias de Palasolo IV. millibus passuum distans ab Albano in Latio, in quo nonnulli fratres eremitæ pœnitentiam agebant, quibus Honorius III. qui sedebat anno 1220. regulam sancti Augustini observandam indulsit; hoc subjectum erat tunc abbatiæ sanctorum Andreæ & Sabbæ de Urbe, unitum postmodum monasterio sanctorum Vincentii & Anastasii Trium-fontium extra Urbem. Videri possunt de eo etiam notæ [b] V. Cl. Felicis Nerinii in appendice ad historica monumenta de templo & cœnobio sanctorum Bonifacii & Alexii de Urbe. Tertium denique in paludibus Ravennam inter & Padi ostia, de quo postremo heic est sermo, cujusque originem & progressus ad annum 957. retulimus, confirmationem autem bonorum ad annum 983.

a *Lubin Notit. abbat. Italiæ p.* 272.

b *Pagg.* 462. & 485.

III. Monachi Vergaretani Romualdum verberant.

VIDENTES autem monachi Vergaretani Romualdum in alios pios usus distraxisse pecunias, quas pro ipsis expendi desiderassent, contra eum conspiratione facta insurgunt, præcipue quia & in pluribus aliis factis eum-

Ann. Chr. 986. Romualdi 79.

eumdem experti fuerant sibi ipsis contrarium, quippe quos redarguebat, & ad monasticam disciplinam exigere obluctantes volebat; impingunt itaque cum sudibus, lignis nempe cuneatis, & phalangis in ejus cellam.

His ergo instrumentis portam cellæ Romualdi disjicientes eum male excipiunt, multis verberibus afficiunt, & omnibus ablatis, quæ in ejus cella recondebantur, ab eo loco secedere jubent. Id etiam clarius habetur apud Hieronymum Pragensem: „ Sed dum præfati monachi sancti Mi„ chaelis per latum gradientes in proprietate viverent, & regulam pro„ missam non servarent, pater sanctus per nuncios, & per literas eos „ redarguebat, & ut pecuniam non servarent, sæpius increpabat; illi au„ tem facta conspiratione contra sanctum patrem, hiemis tempore, & „ una noctium omnes simul cum baculis & phalangis cellam ejus fran„ gunt, & projecto sene in terram crudelissimis plagis eum percutiunt, „ ac semivivum, direptis omnibus, turpiter extra cellam projiciunt. “

IV. Ultio divina in ipsos & in regionis accolas. Constructio eremi Bifurci.

Credibile est monachos seditiosos concitasse contra Romualdum incolas ejus castri & agricolas; legimus enim in pœnam hujus expulsionis arva circumstantis regionis sterilitatem induisse, & licet in gramen diffunderentur, cum tamen metendum foret, vacuas sine fructu repertas fuisse spicas, ita ut plures incolæ cogerentur ob caritatem deserere regionem illam. Perseveravit & sequentibus annis divina ultio in agros illos, donec habitatores agnoscentes pœnam hanc justo Dei judicio promeritos fuisse ob injurias illatas sancto viro, & propter immeritam ipsius expulsionem, ad eum confugere eo tempore, quo sanctus commorabatur apud Vallem-castri, exorantes, ut eorum agris benediceret. Ipsis obsecutus Romualdus benedictionem largitus est hominibus ac feminis, & super scapulas eos leviter in morem disciplinæ tetigit. Pro pœnitentia vero hujus facinoris illis injunxit, ut quotannis simili benedictione expiarentur, simulque deferrent saccum musci, quem producunt arbores in locis humidis, pro tributo ad monasterium Vallecastrense. Spoponderunt incolæ observationem hujus annuæ oblationis; verum cum eorum successores fœdifragi fuissent, convenerunt anno 1559. annuente magistratu novem conservatorum comitatus Florentini, cum Bartholomæo Balneocaballensi, tunc abbate Vallis-castri, se soluturos omni anno, loco musci, scutum aureum cellerario eremi Camaldulensis, die festo sancti Romualdi, ut patet ex instrumento rogato a Juliano Bertolini notario burgi Stiæ, quod ad Appendicem amandamus. Loquuntur de re hac Fortunius [a] Par. II. Historiar. Ractius in [b] adnotationibus ad vitam sancti Romualdi, & eremita a Lauro in notis ad caput VII. ejusdem vitæ.

a *Lib. I. cap.* X.

b *Cap.* XVIII.

Hæc expulsio tali mœrore affecit mentem Romualdi, ut cogitaverit deinceps, abjecta ceterorum, in unam sui ipsius curam incumbere. Sed brevi tempore divina virtus & fortitudo menti ipsius insulsit, intellexitque voluntatem Dei eam esse, ut non tantum suæ, sed alienæ quoque consuleret saluti, & eam esse divinam vocationem, a qua si dissentiret, status æternæ suæ salutis periclitaretur; proinde in se reversus quamcumque animi perturbationem illico a spiritu suo fugavit.

Monachi vero sancti Michaelis de Vergareto, Romualdi expulsores, divinam confestim in se experti fuere ultionem, quam narrat idem Damianus. Plancæ, de quibus loquitur, & in quas offendit pedibus monachus, sunt tabulæ planæ, quæ pontem fluvii, unde dejectus est, componebant. Alia tamen editio habet *offendentibus in plantas pedibus*; quod explicari potest de offensione pedum in plantarum sarculos illic fortasse consurgentes.

Spe-

Spectat ad hunc circiter annum constructio eremi prope Bifurcum in territorio Faventino, quam ad annum 989. retrahit Grandius. Originem autem monasterii Bifurcensis, nisi forte prima loci fundamenta jacta fuerint pro eremitarum domicilio, penitus ignoramus. De hac eremo plura dicemus ad annum 1003.

Ann. Chr. 986. Romualdi 79.

PROXIME ad hæc tempora statuenda sunt pariter primordia ecclesiæ, inde abbatiæ sancti Johannis evangelistæ, postremo urbis appellatæ *Burgi sancti Sepulcri*. Ea hujusmodi fuisse Jacobillius [a] enarrat. Ottonis III. imperatoris, & Johannis papæ XV. temporibus, duo venere peregrini, Arcanus ab Arcadia, & Aegidius Hispanus, qui suis patriis relictis, post visitata sancti Sepulcri Jerosolymorum loca, nonnullas secum ejusdem Christi sepulcri fragmenta asportarunt, Romam inde se contulerunt, postea peregrinationes suas prosequentes, ad locum quemdam in Umbria penes Tiberinum amnem, ad radices montis Apennini, deflexerunt, ubi fontem apud umbrosum nemus reperientes, illic, ubi antiqua surgebat olim Biturgiæ urbs Etruscorum quondam colonia, lassi & sitientes undis & umbris recreati sunt. Arcano dormienti vox clara insonuit: Hic consiste, & reliquias de sancto Sepulcro ab Jerusalem delatas in hoc loco depone, & tibi ac socio habitaculum construe; pagus enim seu burgus consurget, qui in celebrem postmodum civitatem excrescet. Excitatus Arcanus e somno, socio Aegidio visionem & vocem manifestat, sed dum sacras reliquias anxie uterque inquirunt, eas ab oculis ipsorum evanuisse dolent. Ad vicinam itaque arborem digredientes, capsulam mirabiliter considentem in ipsius ramis vident, quam dum excipere contendunt, de ramo in ramum altius convolantem conspiciunt. Tum Arcanus ex hoc prodigio, cognita clarius Dei voluntate, pollicetur Deo ecclesiam inibi se ædificaturum, & sacras reliquias collocaturum. Vix votum emiserat, & ecce capsula statim in ejus manus descendit. Accitis ergo vicinis loci habitatoribus, & ad famam tanti prodigii certatim populis confluentibus, atque pecuniam & opem ministrantibus, operi se accingit, abietes magnas exscindi jubet, construitque oratorium, & in ipso condecenter sacra lipsana recondit. Læti & hilares peregrini, quod Dei voluntati morem gessissent, se quoque dant in ecclesiæ illius perpetuum famulatum, hospitio prope oratorium ædificato, ubi jejuniis, vigiliis, orationibus, pœnitentiis, aliisque sanctis operibus sedulo incumbentes eremiticam vitam servavere. Allecti incolæ eorum sanctitatis odore, sed præcipue tracti prodigiis, quæ Deus dignabatur per sacra illa pignora patrare, cœperunt passim domus & habitacula hac illacque construere, & brevi tempore locus in non mediocrem pagum exsurrexit, qui deinde veteri nomenclatura relicta, *Burgus sancti Sepulcri* dictus est. Iisdem diebus quidam Romualdi discipulus, Esajas nomine, in monastica disciplina apprime exercitus ad eum locum devenit, sacras reliquias veneraturus; hunc interpellant prædicti eremitæ, ut ecclesiam ac ædificium illud ad monasterii formam redigat; consentit Esajas, atque oratorii mutato titulo, sancto Johanni evangelistæ sacrum facit, ampliato quoque hospitio, cellas plures in eo constituit, ubi monasticum schema sumentes & ipsi Arcanus atque Aegidius successive cœnobium illud rexere, multis ad eorum sequelam sanctamque conversationem accurrentibus. Scripserat Jacobillius tomo I. Arcanum obiisse anno 960. atque prodigium supra enarratum contigisse sub Ottone I. imperatore; verum tomo III. & in Additionibus & Correctionibus, primam loci constructionem refert ad annum 996. & tri-

Ann. Chr. 987. Romualdi 80.

V. Primordia abbatiæ Burgi S. Sepulcri.

a *T. I. p. 722. & T. III. p. 299. SS. Umbriæ.*

Ann. Chr. 987. Romualdi 80.

& trigesimo supra millesimum anno mortem Arcani, millesimo vero quinquagesimo alteram Aegidii illigat. Sed hæc postrema non conveniunt cum monumentis ejus monasterii, ubi ad annum 1014. reperitur Bonizzus, seu Rodericus abbas sancti Sepulcri in bulla Benedicti papæ VIII. Pariter Hieronymus Gherardius patricius & J. V. D. Burgensis in epistola [a] ms. ad Frigdianum Locatellium monachum nostrum & sancti Nicolai Burgi quæstorem, eremitas Arcanum & Aegidium non præfuisse loco, sed Esajam tantum agnoscit, cui successerit Bonilius, & huic Rodericus, Bomba, ut ipse ait, appellatus. Quare malumus nos, ad tuenda abbatiæ monumenta, monasterii primordia affigere temporibus iis, quibus & apud Vergaretanos, & Balnenses & Eugubinos non multum a Burgensibus dissitos inclarescebat Romualdus, quam ad annum *996.* quo idem Romualdus Ravennæ degebat; dicendum quoque sanctos illius fundatores Arcanum, Aegidium & Esaiam, si locum illum rexerunt, mortem oppetiisse ante annum 1014. quo, ut indicavimus, privilegio pontificio decoratum fuit supradictum monasterium, & Rodericus ejus abbas. Ceterum, ne supraenarrata omnia putentur esse Jacobillii somnia, qui certe aliqua de suo adjecit, similia superius memoratus Gherardius, quem consuluerat Jacobillius, tradit in epistola, quam laudavimus. „ Esajas, inquit, juxta „ sententiam meam monumentis antiquis innixam, sanctus describitur, „ cui reliquiarum pixidem obtulere eremitæ ante annum 1000. & cella, „ ubi repositæ fuere reliquiæ, *monachatus* modo appellatur, cujus patro- „ natus jus Gherardia familia nostra obtinet. “ Et in epistola ad Germanum Bottam, abbatem inde Camaldulensem, hæc ad confirmandam patriæ suæ ex Camaldulensibus originem in medium affert: „ Binas ec- „ clesias prope mœnia urbis Burgensis habemus, quæ in antiquis scri- „ pturis nominantur *carceres sancti Cassiani, & sancti Baruntii*; has usui „ fuisse alicui incluso eremitæ, uti moris erat Camaldulensium, puto. “ Omittimus plures manuscriptas historias Burgenses; certe civium hæc erat & est communis traditio Camaldulenses sive Romualdi discipulos locum hunc construxisse, qui in pagum prius, deinde in episcopalem urbem fuerit evectus; anno enim 1523. [b] cum eorum urbs peste grassante fœde vexaretur, ad deprecandum tam grave malum, sollemni voto cives se adstrinxerunt revocandi in urbem monachos Camaldulenses, quos expulerant eo tempore, quo Galeotus Gratianus Camaldulensis abbas sancti Johannis evangelistæ a Leone papa X. impetraverat, ut monasterium in cathedralem ecclesiam erigeretur, & primus ipse patriæ episcopus daretur; *nulla*, subdentes, *habita ratione Camaldulenses fuisse primos fundatores, & perpetuos benefactores nostræ patriæ*. Eadem proferunt in instrumento anni 1533. quando Camaldulensibus locum sancti Nicolai incolendum tradiderunt. Beatus pariter Paulus Justinianus eremita noster Camaldulensis in descriptione sui itineris, cum ex Camaldulo discedens Burgum sancti Sepulcri applicuit anno 151*6*. hæc narrat de institutione loci, quæ nos breviter perstringimus [c]. „ Venimus, ait, ad abbatiam sancti Sepulcri „ ordinis nostri Camaldulensis, ubi ab abbate & monachis summa cari- „ tate excepti sumus .... post cœnæ refectionem abbas initia ædificatio- „ nis loci illius versibus heroicis descripta nobis conspicienda præbuit .... „ ex ipsis ergo edocemur, eo loci, ubi modo surgit Burgus, Nocetum „ sive nucum silvam fuisse, ubi duo peregrini ex Christi sepulcro adve- „ nientes constitere, & a Christo in somnis ipsorum alter admonitus fuit, „ ut ædificarent ibi castrum sub nomine sancti Sepulcri, cujus fragmen- „ ta detulerant. Cum vero visioni fidem adhibere detrectarent, prodigio

„ tan-

a *Ex Biblioth. Class.*

b *Ex Arch. S. Rom. de Urbe.*

c *Ex Arch. eremi Rhuensis.*

„ tandem cessere; ab eorum enim conspectu evanuit pixis, ubi continebantur prædictæ sepulcri Domini reliquiæ. " Tum narrat, quomodo meruerint voto facto sacra pignora recuperare, juxta Jacobillii relationem. „ Quare, " prosequitur „ convocarunt finitimos populos, palam „ fecere quæ viderant, sacra pignora ad venerationem exposuere, & ecclesiam ædificarunt, in honorem sancti Leonardi, " quod oratorium, & fontem simul aquæ, ubi peregrini quievere, asserit etiam suo tempore extitisse in latere claustri monasterii, ubi erat monachorum capitulum. Tum aliqua subdit de Esaja Romualdi discipulo, & concludit factum hoc non ex his tantum carminibus comprobari, sed ex antiquissimis mss. documentis, quæ in medium protulit, ipsique Justiniano legenda obtulit monasterii abbas. Meretur hic loci in medium produci pars bullæ Leonis papæ X. qua Burgum sancti Sepulcri anno 1515. in episcopalem urbem erigit [a]. *Sane attendentes, quod oppidum Burgi sancti Sepulcri civitatis Castelli diœcesis temporalis dominii excelsæ reipublicæ Florentinæ, in cujus loco ante illius constitutionem ingens erat silva nivea, ob nivium frequentiam dicta,* (corrigendum *nucea* ob *nucum* frequentiam) *& cum per eam iter facerent duo sancti peregrini, Arcanus videlicet & Aegidius, a sancto sepulcro Dominico tunc abscedentes, cum apud limpidissimum fontem, qui inibi tunc erat, aliquantulum requiescerent, divina visione, ut dicitur, admoniti, quoddam sacellum ibidem construxerunt, & ex tunc nonnulli Christi-fideles juxta sacellum ipsum aliquas domos ædificare, & burgum domorum facere, & tandem multiplicatis domibus & mœnibus erectis in oppidum Sancti-Sepulcri appellatum fertur inter alia ipsius dominii oppida admodum celebre & antiquum, ac magna natabilium & literatarum personarum, ac incolarum generositate, benedicente Domino, refertum, ac in illo unum notabile & insigne monasterium Camaldulensis ordinis sub invocatione sancti Johannis evangelistæ dicatum, in quo adhuc fons & sacellum per dictos sanctos peregrinos fabricatum hujusmodi consistunt, & ad cujus fontis lavacrum aquas haurientes febricitantes, divina operante clementia, intercessione ipsorum Sanctorum liberantur, in loco celebri dicti oppidi situm, & sedi Apostolicæ immediate subjectum &c.*

In optatis haberemus, ut existerent vetera monumenta, quæ indicantur a beato Paulo Justiniano, & a Gherardio. Illustrissimus & Reverendissimus D. Dominicus Poltri patricius Arretinus & civitatis Burgi sancti sepulcri episcopus, tam pro zelo, quo diligit decorem ecclesiæ suæ, quam pro ejus in nos humanitate cum honore nominandus, suam nobis operam præstitit, ut hujusmodi monumenta effoderemus; attamen ad manus nostras non devenit relatio antiquior anno 1418. quam confecit Franciscus Christophori, & præmittitur [b] codici jurium Communis Burgi, & quandoquidem eam conscriptam reperimus simplici & nativo stilo, hinc non abs re esse duximus eam in dictorum testimonium proferre, remittendo ad Appendicem. Ceterum Arcadii & Aegidii loci institutorum existentia comprobatur etiam ex veneratione, quæ ad hodiernam diem ipsis exhibetur. Statuæ ipsorum visuntur in cathedrali ecclesia, & in ædicula claustri episcopatus, quam *Monachatum* appellant, dicata sancto Leonardo, & sanctis Arcano & Aegidio. In [c] notula ecclesiarum territorii Burgensis anni 1474. recensetur *La cappella di san Lionardo, chiamato e'l monagato, dicta la cappella di san Giglo & Arcano nostri primi autori e protectori*. Aegidius præcipue priscis temporibus cultum obtinebat, nam in [d] charta *anni* 1266. *die dominica* XV. *exeunte mense octubris* legitur *monasterium seu abbatia* SANCTI AEGIDII *& sancti Sepulcri de Burgo,*

Ann. Chr. 987. Romualdi 80.

a *Ital. Sacr.* T. III. *col.* 196.

b *Archiv. Commun. Burgen. lib.* Ben comune *pag.* 11.

c *Ibid. Lib.* Chiese e Forestieri.

d *Ex lib.* III. *pag.* 36. *archiv. episcop. Civitatis Castelli.*

ANN. CHR. 987. ROMUALDI 80.

go, ex quo liquet a sancto viro nomen accepisse aliquando abbatiam Burgensem. Re enim vera in necrologio monialium sanctæ Christinæ de Bononia ad diem XVIII. kalend. octobris hæc leguntur: *Anno* 1453. *obiit venerabilis pater domnus Pasquasius abbas sancti Aegydii de burgho sancti sepulcri ordinis nostri*. Promiscue igitur abbatia nunc vocabatur sancti Johannis evangelistæ, nunc sancti Aegidii. Etiam oratorii *sancti Leonardi* mentio fit in pagina transactionis anni 1188. quam nobis communicavit eruditus Burgi canonicus Raphael Dottus, ad cujus nobilem familiam, una cum Gratiana & Busulca hodie pertinet turris, de qua agitur in ipsa charta, quamque ad illustrationem rerum Burgensium fere deperditarum pariter exhibemus in Appendice. De hac abbatia plura in sequentibus dicenda nobis occurrent, præsertim post initium seculi XII. quo unita fuit eremo Camaldulensi.

VI. Martinus abbas S. Apollinaris in Classe.

AUTOGRAPHAM vetustissimam chartam reperimus in archivo Classensi, quæ olim pro tegumento libri inservierat, nunc vero, attenta ejus antiquitate, sancte custoditur; sed prima linea detruncatam, & ab utroque marginali latere detonsam, ut apte ad contegendum librum accommodaretur. Ipsius beneficio novus producitur, & antea incognitus abbas Classensis sancti Apollinaris *Martinus*, qui Placido atque Rotildæ jugali concedit ad emphyteusim rem juris & proprietatis dicti monasterii, positam in *territorio Pensaurensi plebe sancti Christophori in fundo Trisele*. Notæ chronicæ, quæ supersunt, hujusmodi sunt .. *pe in sacratissima beati Petri sede secundo die vigesimo nono mense octubrio indictione quinta decima Pensauro*. *Petimus da vobis domnus Martinus gratia Dei & abbas de monasterio sancti Apolenaris, quod estis situm in civitate Classe cum cunctis presbiteris atque monachis* &c. Ter hoc seculo, nam character seculum X. refert, indictio quinta decima componitur cum anno secundo alicujus Romani pontificis: nimirum cum anno 912. quo, die 29. mensis octobris, Anastasius III. quarta die octobris anni præcedentis ordinatus, jam incœperat secundum pontificatus sui annum; cum anno 957. qui erat secundus Johannis XII. electi Romani pontificis die octava Epiphaniæ anni præteriti; & demum cum anno 987. secundo Johannis XV. qui anno 985. post diem tertiam septembris, ut ad annum 992. dicemus, coronatus fuerat summus pontifex. Ad hujus postremi tempora melius, quam ad tempora aliorum Romanorum pontificum referendus est Martinus, nam sub Anastasio III. abbas Classis forte erat Honestus I. inde archiepiscopus hujus nominis I. Ravennas, & sub Johanne XII. verisimile est abbatem Classensem fuisse Dominicum, qui certe erat ante biennium. Si ad Johannis XV. tempora referatur Martinus, potuerit Honesto II. abbati, & II. deinde ejusdem nominis Ravennati antistiti anno 972. successisse, & forte vixisse usque ad annum 996. quo, carente cœnobio pastore, Otto III. Classensibus monachis optionem dedit, ut, quem sibi vellent, eligerent in abbatem; ipsi vero elegerunt Romualdum. Hinc forte Martinus abbas, quem de novo reperimus, idem fuit, quem *in ecclesia beati Apollinaris Ravennatis* a sancto Majolo Cluniacensi abbate positum *religionis abbatem* scribunt Nalgodus, Syrus & Aldebaldus in vita ejusdem Majoli. Chartam emphyteuticam integram damus in Appendice.

ANN. CHR. 988. ROMUALDI 81.

VII. Marinus eremita martyrium subit.

INCERTUM est, quo anno martyrio coronatus fuerit beatus Marinus, olim Romualdi magister, inde discipulus, vel ut ait Damianus, *devotus* in vita eremitica. Non videtur tamen ipsius coronæ tempus admo-

modum removendum a præsenti anno, quo Romualdus olim discipulus ejus octuagesimum ætatis excedebat; quare si Marinum, utpote magistrum, ætate aliquatenus superiorem Romualdo credere, ut par est, velimus, paucis putandus est supervixisse annis post suam ex Galliis in Italiam eodem tempore cum illo reversionem; præsertim cum hoc anno *indictione prima depopulaverint Saraceni vicos Barenses, & viros ac mulieres in Siciliam captivos duxerint*, obsederint quoque & destruxerint urbem Cusentinam, ut habent Romualdus Salernitanus, & Lucas Protospata in suis chronicis, prope quæ loca Marinus degebat. Pauca de Marino memoriæ tradidit Damianus, & præter *summam animi simplicitatem*, & *sincerissimam puritatem*, quam ei tribuit tempore illo, quo sub ejus disciplina Romualdus vivebat, narrat [a] ipsum relicto Monte-casino *paullo post Apuliam versus* abiisse, *ibique postmodum in solitudine* habitantem *ab Agarenis latrunculis* fuisse interfectum. Fabrius in sacris monumentis ecclesiæ Ravennatis addit, Marinum constitisse prope montem Garganum, ubi remotus a seculi commercio, eremum sibi condiderit; Saracenos vero, qui occupaverant verticem ejusdem montis, pium eremitam jugulasse; Christianos autem honorificam sepulturam dedisse ejus corpori in ecclesia cathedrali cujusdam urbis, quæ deinde fuit destructa, sed in honorem sancti martyris appellata imposterum fuit *Marinum*, quæque erat prope civitatem Vestanam. Idque narrari affirmat a Cæsare Engenio in sua *Neapoli sacra*. Titulum *beati martyris* ei complures tribuunt, inter quos Ferrarius ad diem VIII. augusti [b] dicens: *In Apulia sancti Marini monachi & martyris*. Subdit idem auctor de Marino agere Franciscum Gonzagam in chronico ordinis Minorum, atque monumenta extare manuscripta in cœnobio sancti Georgii majoris Venetiarum. Sed ea parvi momenti judicamus, obiterque de Marino loqui. In codice ms. Casinensi, qui continet plures vitas piorum virorum illius monasterii, *sanctissimus Marinus*, æque ac Romualdus & Guarinus, nominatur. An in Apulia eremiticam vitam juxta Romualdi disciplinam propagaverit Marinus, nobis est incompertum. Novimus tantum excitatam fuisse post initium seculi duodecimi in Sipontina diœcesi, ubi mons Garganus situs est, congregationem monachorum & eremitarum ordinis sancti Benedicti albi coloris, qui etiam discalceati procedebant, appellatam Pulsanensem a monasterio eorum insigniori & principe, sanctæ nimirum Mariæ de Pulsano prope urbem Siponti, cujus auctor fuit sanctus Johannes Materiensis, qui forsan rudimenta vitæ eremiticæ didicerit a discipulis, vel a sectatoribus discipulorum beati Marini. Sed de ea ordinis sancti Benedicti congregatione alibi dicemus.

Ann. Chr. 988. Romualdi 81.

a *Vit. S. Rom. cap.* XV.

b *Pag.* 320.

VIII. Petroniæ donatio Bonizoni abbati S. Severi in Classe.

INSIGNEM hoc anno donationem fecit *Bonizoni gratia Dei presbytero & monacho atque abbati monasterii regulæ sancti Severi pontificis & confessoris Christi siti infra murum dudum civitatis Classis* Petronia relicta Johannis Lovandrici de bonis suis positis *in massa Saviliana, quæ vocatur* Sclavo, sive Sclova, *in territorio Foropopiliensi anno Deo propitio pontificatus domini Johannis summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri apostoli Domini sede tertio die* VII. *mense martio indictione I. Ravenne*. Apographa hujus donationis legimus confecta annis 1228. & 1262. & ea contulimus cum ipso autographo, quod exscripsimus ex archivo Classis, & in Appendice edimus.

Ann. Chr. 989. Romualdi 82.

IX. Romualdus habitat prope Catriam.

a *Ann. T. IV. pag.* 17.

b *Cap.* xix.

c *Pag.* lxx.

EJECTUS Romualdus a monachis Vergaretanis anno 986. quo se receperit, silet Damianus. Otiosum nihilosecius & desidem per hæc tempora mansisse putare non debemus; licet enim, post acceptam a monachis illis injuriam, intra animum suum revolverit, ut sibi soli vacaret, pulsatus tamen divino illo terrore, qui eum invaserat, si animarum lucra postponeret, renuncians proposito suo, impavidus magis, majorique zelo exæstuans, aliorum saluti procurandæ se totum dedit. Igitur referendus ad hæc tempora, ut refert etiam [a] Mabillonius, incolatus ipsius prope Catriam, de quo Damianus [b]: *Aliquando autem vir sanctus non longe mansit a Catria*. Nisi enim ad hunc annum eam Romualdi mansionem, quam certe dereliquit ante quinquennium, quam Classensi cœnobio præficeretur, determinemus, frustra tempus aliud nobis suppeteret, cui eam possemus illigare. Vivebat in ea solitudine Lodulphus, ut vidimus ad annum 977. pluresque Eugubini cives, tracti ipsius sanctitate simul & amore solitariæ vitæ, socios se ei adjunxerant in eodem loco, testimonio Griffolini Valeriani, in sua ms. historia de gestis Eugubinorum. *Fugerunt*, [c] inquit, *ad Beatum Barioncius, Divitius, Quintianus, & alii nobiles de Eugubio, qui in illa heremo sanctissime vixerunt, & aliqui fuerunt episcopi & sanctitate laudati, scilicet Julianus, Teobaldus, Rodulphus, Petrus Damiani, Mainardus, alter Julianus, alter Teubaldus* &c.

X. Avellanensibus eremitis dat leges.

d *Pag.* 93.

e *Cap.* xxi.

ADVENIT proinde eo tempore nobilissimus vitæ eremiticæ reparator Romualdus, & pusillo gregi, quem invenit eremitarum, præcepta statuit, iis consimilia, quæ jam in Venetis, in Cuxanensi & in Perensi eremis stabiliverat. [d] Turchium in vita sancti Dominici Loricati nonnihil remoratur dictio illa Damiani: *non longe a Catria*; quæ dicendi formula, inquit, non ipsissimum locum Catriæ, sed locum tantum proximum, vel non admodum remotum significat; & contendit non exprimi ibi a Damiano situm Avellanensis cœnobii, sed monasterium vel eremum diversam. Cujus dubitationibus satisfacimus dicendo, Damianum sub voce illa *non longe a Catria* intellexisse revera locum adhærentem monti Catriæ, hoc est ejus montis radices, ad quas sita erat tunc, sicut etiam modo, Avellanensis eremus, in valle nimirum posita inter altissimos montes Cornum & Catriam, de qua etiam valle loquitur Danthes, per aliquod tempus Avellanensis hujus cœnobii incola, in suo [e] carmine Paradisi, ubi eam eremum non super Catriæ montem, sed subtus eum ædificatam describit.

Tra due liti d'Italia surgon sassi,
E non molto distanti alla tua patria,
Tanto che i tuoni assai suonan più bassi;
E fanno un gibbo, che si chiama Catria,
Di sotto al quale è consecrato un' ermo,
Che suol' esser disposto a sola Latria.

f *Cap.* xii.

g *Cap.* xliii.

h *Cap.* xlvi.

Eodem modo, quo cum dicit Damianus [f], *cœnobii sancti Severi, quod non longius ab urbe Ravenna est positum*; [g] *in Petranum montem non longe a monasterio sancti Vincentii, quod juxta Candilianum constitutum est fluvium*; [h] *non longe ab Apennino monte in loco qui dicitur Aquabella*, intelligit loca sibi proxima & adhærentia, vel eorum confines. Præterquamquod putandum-ne est Romualdum non longe manentem a Catria, invisisse numquam eremitas conterminos & prope degentes, numquam cum iis miscuisse colloquia, numquam de legibus eorum conversationis interrogasse? Præsertim cum non obiter, & quodammodo pertransiens eas solitudines

tudines lustraverit, sed *aliquandiu*, teste eodem Damiano, ibidem constiterit. Accedit, quod ritus & cæremoniæ, quibus se adstringebant Avellanenses, eædem erant cum ritibus & cæremoniis, quibus Camaldulenses eremitas suos adstrictos volebat Romualdus. Conferantur, si placet, Petri Damiani Avellanitarum propagatoris & secundi parentis ordinationes cum præceptis Romualdi quoad solitudinem, quoad conflictationes cum dæmonibus, quoad jejunia; conferantur etiam cum constitutionibus Rodulphi IV. prioris Camaldulensis; scilicet elucebit inter Camaldulenses & Avellanenses leges non analogia dumtaxat, sed fere identitas, ut proinde ab eodem magistro Romualdo ambæ profluxisse sint existimandæ. Quotiens Damianus auctoritatem & exempla Romualdi eremitis suis Avellanensibus in medium affert? Cujus etiam gesta eo solo intuitu conscripsisse videtur, ut normam anachoreticæ vitæ solitariis suis proponeret. Habemus & apud Camaldulenses & apud Avellanitas eremi & cœnobii conjunctionem; monachorum, eremitarum atque inclusorum utrobique viguisse differentiam, jejunii, biduanæ & triduanæ, octavarum & Paschalis sollemnitatis, utriusque quadragesimæ, sabbati sancti & vigiliæ Nativitatis Domini, reliqui demum anni cursus uniformitatem. Lances ad panis pondus metiendum appensæ erant in cellis illorum & istorum; vini abstinentia, servorum disciplina, ritus psallendi, silentii rigor, somni declinatio post nocturnas vigilias, nudipedium, metanearum, capituli, flagellorum idem usus. Forma vestium, color habitus, præcinctio lumborum, suffragia pro defunctis, omnia denique exercitia, consuetudines & officia utriusque familiæ eadem erant, ut fuse simul & docte prosequitur Grandius noster dissertatione peculiari, ad quam lectores remittimus, ne actum agere videamur, contenti tantum suis locis in his nostris Annalibus superaddere, quæ in recensione operum Damiani occurrent ad uniformitatem istam magis corroborandam. Ceterum videtur Romualdus permansisse in solitudine Catriensi usque ad annum 991. quo de eadem redibit sermo.

ANN. CHR. 989. ROMUALDI 82.

Et ad hoc quidem tempus, signanter vero ad annum sequentem, figenda videtur origo Avellanensis monasterii. Mabillonius in [a] Seculis ordinis sancti Benedicti eam refert ad annum circiter millesimum, in [b] Annalibus autem ad annum 1019. in istis etiam Germanum natione facit Lodulphum, & Eugubinum credit fuisse episcopum; incogitanter autem Fontis-Avellanæ monasterium statuit in diœcesi Faventina. De Lodulphi episcopatu aliqua dicemus ad annum 1009.

a *Secul. VI. Par. I. pag.* 253.

b *T. IV. pag.* 436.

ANN. CHR. 990. ROMUALDI 83.

XI. Olibanus comes obit.

OBIIT hoc anno Olibanus Cabreta comes Bisuldunensis & Ceritaniensis, olim ex Romualdi hortatu monachus Casinas, inde ad seculum dilapsus; hæredes autem reliquit tres filios, Bernardum, vulgo dictum Taliaferrum, sive scindentem ferrum, ideo, ut ait is, qui scripsit gesta comitum Barcinonensium, *quia armis acerrimus, atque fortissimus extitit*, Olibam & Guifredum. Prior fuit comes Bisuldunensis, alter episcopus Ausonensis, tertius comes Ceritaniæ: ita in [c] Marca Hispanica. Quibus addit [d] Collina noster, ex monachorum sancti Mauri historia Occitaniæ, Berengerum primogenitum episcopum Elnensem.

c *Lib. IV. p.* 414.

d T. II. *p.* 95.

XII. Virtutes Johannis Gradonici.

JOHANNES autem Gradonicus, cujus curæ Romualdus prædictum Olibanum commiserat, post ipsius abscessum a Monte-casino, liber quodammodo & sui juris, cellæ, quam sibi ædificari apud ipsum monasterium petierat, se magis addixit, ubi interea solitudini, rerum cœlestium contemplationi & sanctis operibus vacabat. Ipsius virtutes describit [f] Damianus paucis, sed plenis laudibus. *Multa in eo caritas*, inquit, *mira humilitas*, *absti-*

Vit. S. Rom.

f *Vit. S. Rom. cap.* XV.

Ann. Chr. 990. Romualdi 83.

abstinentia vero districta nimis & cauta, itaut nec intra claustrum monasterii quisquam sciret vir sanctus qualiter jejunaret. Abstinentia *districta nimis* indicat ipsum biduana & triduana juxta consuetudinem, quam didicerat a Romualdo, celebrasse jejunia. *Cauta* vero *abstinentia*, *caritas* & *humilitas* indicant Gradonicum non ita se condidisse intra cellam, ut ad inclusorum normam numquam ab ea pedem moverit, sed vitam simplicem eremiticam vixisse sub obedientia abbatis Casinensis juxta statuta disciplinæ Romualdi. Ut nimirum partim in eremo solus, partim in monasterio cum ceteris, triginta annis, quibus supervixit, in ea sancta conversatione permanserit. Aliud elogium recti & justi viri ei tribuit [a] Damianus. *Inter reliqua autem*, ait, *virtutum dona*, *ita exosum habebat detractionis vitium*, *quatenus mox*, *ut quis ad detrahendum os aperiret*, *velut sagitta vigore lapidis repercussa in dirigentem protinus redundaret*, *ita ab eo illius obtrectatio reprimeretur*. Nec plura de Gradonico habet Damianus. Breviori laude contentus Petrus Diaconus in libro [b] *de ortu & vita Justorum sacri monasterii Casinensis*: *Fuit*, inquit, *in caritate*, *abstinentia ac humilitate summus ac præcipuus*. Per sex fere lustra vitam protraxit, sed de ejus obitu erit dicendi locus ad annum 1013.

a Ibid.

b Cap. Iv.

XIII. Prædictio ortus S. Theobaldi.

Vivebat his annis sanctus Theobaldus archiepiscopus Viennensis, qui prævidit & prædixit ortum pronepotis sui Theobaldi monachi & eremitæ, cujus gestorum narratione plurimum decorabuntur sequenti seculo Annales nostri. Intuitus quadam die venerabilis archiepiscopus neptem suam, hæc divino œstro percitus dixisse fertur. *Gaude generosa neptis*, *nam ex te prodibit filia*, *quæ optimæ prolis mater erit*, *per quam potioribus sanctimoniæ titulis stirps nostra illustrabitur*. Neptis archiepiscopi Theobaldi avia fuit sancti Theobaldi eremitæ. Prædictioni respondit effectus; nam Theobaldi neptis ad breve tempus in lucem dedit Willam, quæ Arnulpho conjuncta in matrimonium mater extitit pueri, cui ex simili proavi archiepiscopi inditum fuit nomen Theobaldi. Uno eodemque oraculo duplicem prophetiam complexus sanctus archiepiscopus, præcognovit ortum matris sanctimoniæ fama celebris futuræ, & ortum ejus filii, solitudine, contemptu terrenarum rerum, pœnitentia & miraculorum gratia præstantissimi.

Ann. Chr. 991. Romualdi 84.

XIV. S. Apollinaris apparet Romualdo, eum invitans ad Classense cœnobium.

Cum Romualdus anno *996*. ut videbimus, electus fuerit abbas Classensis, Ottone III. curante, & licet reluctans acquieverit subeundo oneri, quod retulit sibi nequaquam videri novum, sed ante quinquennium fuisse sibi divinitus revelatum, ad hunc propterea annum referendum est visum sancti Apollinaris, qui Romualdo præcepit, ut se ad monasterium Classis reciperet. Tertia hac vice sanctus Apollinaris Romualdi aspectibus se exhibuit, sed & alias ejusdem, aliorumque sanctorum visiones, (licet sileat Petrus Damianus) habuisse minime dubitamus, Clementis papæ VIII. freti etiam auctoritate, qui in sua constitutione de ejus officio recitando ait: „ Sanctorum vero & Beatorum consuetudine, quorum apparitione & intuitu sæpissime dignatus est, acceptissima (supple, Romualdi) conversatio. “ Nulla mora interposita Romualdus Catriæ solitudinem deseruit, & ad Classense sancti Apollinaris cœnobium rediit. En Damiani verba: [c] *Aliquando autem vir sanctus non longe mansit a Catria. Cumque ibi aliquandiu moraretur*, *manifeste sibi beatus Apollinaris apparuit*, *& quatenus ad suum monasterium pergeret*, *ibique potius habitaret*, *ex magna auctoritate præcepit*. *Quod vir sanctus nequaquam negligendum ducens*, *locum*, *in quo morabatur*, *sine cunctatione deseruit*, *& quo missus fuerat*, *impiger festinavit*. Licet vero in ejusmodi viso Romualdus admonitus a

c Vit. S. Rom. cap. XIX.

sancto Apollinari de futuro suo præsulatu expresse non dicatur, constat tamen testimonio ipsius Romualdi, sanctum præsulem conspiciendum se præbentem plura illi prædixisse, quæ eventura erant, & inter ea pastoralem dignitatem, quam obtinere debebat in monasterio Classis. Claudius Fleurius asserit hanc fuisse insuper providentiæ divinæ dispositionem, ut habitatores Tiburis sequentibus annis salvaret, & noster Collina addit, ut ad pœnitentiam induceret Ottonem imperatorem, & ad claustra evocaret plurimos, qui deinceps insignis sanctitatis viri erant evasuri.

ANN. CHR. 991. ROMUALDI 84.

Hadrianus Bailletus & Macchiarellius, immo Grandius ipse, qui in suis tabulis chronologicis distribuit pro annis sequentibus Romualdi moram in Origario, & in Perei eremo, duo capita, quæ sequuntur narrationem Damianicam visionis sancti Apollinaris, spectare putant ad tempus, quo Romualdus Catriæ incolatum dereliquit; eumque ex Catria in Origarium prope Comaclum, & postea in Pereum transferunt. Verum cum sanctus doctor iis verbis incipiat ea capita: *Quodam tempore; alio quoque tempore*, indicat se narrationis successivæ seriem non continuare, sed prout memoriæ suppetebant, vel prout a Romualdi discipulis illæ referebantur, narrationes has instituisse; etenim si gesta narrare voluisset visionem sequentia, usus fuisset iis verbis: *Eodem tempore; post id temporis*, & similibus. Quapropter & heic loci meminisse debemus eorum, quæ protestatus est Damianus initio vitæ Romualdi, se nimirum non assumpsisse narrare res juxta ordinem, sed *quasi commonitorium facere*; porro commonitorium res continet sine ordine temporum digestas. Hinc Hieronymus Pragensis affirmat Romualdum e Catria progressum Ravennam substitisse in monasterio Classensi, ibique viliora domus officia exercuisse. Quam Pragensis opinionem a Collina etiam adoptatam & nos recipimus, quatenus tamen non eamus inficias intra hoc quinquennium Romualdum suos revisisse, & nunc unum, nunc alterum ex monasteriis & eremis in ditione Veneta, Ravennæ, & in Æmilia constitutis habitasse, ad eremiticam institutionem propagandam, aptioresque leges statuendas, ne Romualdum integro quinquennio otiosum existimemus. Reapse anno 996. ut videbimus, ex Pereo invitus tractus fuit ad regimen abbatiæ Classensis, neque eo anno domicilium fixum habebat in monasterio Classensi.

PRAETER sanctæ Mariæ virginis ecclesiam, quam sibi construxit Johannes eremita in monte Caprasio juxta cellulam suam, in qua degebat, & præter templum in honorem sancti Michaelis archangeli in monte Pyrchiriano una cum monasterio, cujus ædificationis potissimus fuit auctor, alteram erexit ecclesiam prope Taurinensem urbem, dicatam sanctis martyribus Ravennatibus Solutori, Valentino & Victori. Id testatur Fabrius [a] in monumentis Ravennatibus, & ante ipsum anonymus scriptor [b] illius vitæ his verbis: *Dicitur namque monasterium sancti Salvatoris martyris, alias Salutaris, sociorumque ejus apud Taurinum restruxisse, sicuti adhuc ipsius monasterii monachi referunt. Et de hoc penes se ipsos scripta & memoriale se habere testantur.*

ANN. CHR. 992. ROMUALDI 85.

XV. Johannes eremita in monte Caprasio fundat ecclesiam SS. martyribus Ravennatibus.

a Pag. 383.

b Pag. 566.

IN quadam charta hujus anni, suppresso nomine abbatis sancti Apollinaris in Classe, mentio fit *monasterii sanctorum martyrum Marci, Marcelli, seu Felicule scitum juxta parietem sancti Apollenaris in Classe*. Hac charta abbas Classensis concedit rem juris sui monasterii constitutam *territorio Liviense plebe sancti Martini in Barisiani Savino Leoni de Urso germano, Dominico de Anarea, & Martino, qui vocatur de Fossa Ursaria*. Data est *anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis & uni-*

XVI. Mentio monasterii Ss. Mm. Marci, Marcelli & Feliculæ in Classe. Donationes monasterio S. Gregorii.

ANN. CHR. 992. ROMUALDI 85.

universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri sede septimo, die tertia mensis septembris indictione V. *Ravenne. Johannes servus servorum Dei sancte Ravennatis ecclesie divina gratia archiepiscopus.* Ex qua intelligimus Johannem XV. papam numerasse annos suæ consecrationis post diem III. septembris, ac proinde post eam diem anno 985. consecratum fuisse Romanum pontificem; id quod confirmat sententiam [a] Muratorii in Annalibus, Johannem nimirum post julium mensem, & ante mensem decembris ejusdem anni in cathedra Romana sedere cœpisse. Libellum emphyteuticum a nobis transcriptum ex autographo tabularii archiepiscopalis Ravennæ in Appendice referimus; ad quam etiam remittimus donationem Constantiæ nobilissimæ feminæ, quæ consentiente Johanne viro suo Johanni abbati sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe largita fuit portionem suam in casali *Moreni & de filum Saline anno &c. domni Johannis &c. quintidecimi pape &c. sexto indictione quinta mense aprilis die vigesimo sexto.* Videtur tamen emendandus annus sextus Johannis summi pontificis & reponendus septimus, sicut recte ponitur in aliis duabus chartis codicis Gregoriani hujus anni confectis *anno &c. domni Johannis &c. quintidecimi pape &c. septimo indictione quinta mense julio die prima*, quibus Gregorius religiosus presbyter & disertus medicus conducit ab eodem Johanne *coangelico* abbate portionem casalis Moreni. Hæ chartæ conductionis & locationis appellabantur *tertii generis*, quia *ad tertium gradum*, *ad tertiam personam*, *ad tertium hæredem & ad tertiam generationem* concedebantur, fiebantque duæ apparæ sive libelli æquales. Hugo abbas Farfensis in relatione de diminutione recentiori sui monasterii, [b] *firmavimus*, inquit, *tertium genus & nostros direximus ad eum legatos, ut acciperet illud præfatus comes, & appare ab illo firmatum nobis mandaret, sed facere noluit. Quapropter ab omnibus legem scientibus non ignoratur, quod nunquam stat tertium genus legaliter sine appare.* Johannes pariter ejus antecessor in abbatia Farfensi [c] *fecit scriptum, quod Romani dicunt tertium genus, de castello &c.* Nerinius [d] explicans bullam Honorii papæ III. in favorem monasterii sanctorum Bonifacii & Alexii de Urbe ad verba illa, quibus Honorius recenset bona supradicti cœnobii: *octo partes filasalium in campo Ostiensi in pedica canaparie, & sex partes in campo majore in arala de Ticeli ex parte trans Tiberim*, exquirit quid sint *filasalia*, quod vocabulum, inquit, neque in Ducangii glossario legitur, & significare autumat fila seu ordines, quibus consitæ vites in ramos diducuntur, & traducibus distinguuntur, vulgo *filagne*; verum rectius dici debet significari ibi fila salinarum, quæ monasterium SS. Bonifacii & Alexii obtinebat, sicut alia fila similiter salinarum possidebat abbatia SS. Andreæ & Gregorii de Urbe.

a T. V. pag. 478.

b Chron. Farf. apud Mur. T. II. P. II. Script. rer. Ital. col. 552.

c Ibid. col. 551.

d Pag. 236. de templo SS. Bonif. & Alexii.

ANN. CHR. 993. ROMUALDI 86.

XVII. Hugo marchio ditat monasterium Vangaticiense.

HUGO *gratia Dei gloriosus dux & marchio filius bone memorie Uberti, qui fuit item marchio*, existens in urbe Pisana hoc anno pro remedio animæ suæ, & animæ prædicti quondam Uberti genitoris sui, & Guillæ genitricis suæ *Martino abbati ecclesie Dei & beate Marie virginis posite in loco & fine, ubi dicitur in capite de flumine veclo*, tradit domos & bona plurima *ad monasterium ibidem faciendum & construendum seu edificandum, & regulam ibi secundum doctrinam beati Benedicti abbatis tenendum.* Ecclesia sanctæ Mariæ *in capite de flumine veclo* ipsa est Vangaticiensis ecclesia sita prope flumen vetus Athesis. Vidimus ad annum 961. Martinum abbatem Vangaticiensis monasterii, qui forte post triginta duos regiminis annos eidem cœnobio præerat adhuc; ibique adnotavimus

mus humilia fuisse subnascentis monasterii exordia, vel defectu bonorum temporalium, vel monachorum exiguitate numeri; anno igitur præsenti Hugo monasterium prædiis ditat ad commodiorem monachorum substentationem: cur enim appellaret *abbatem*, qui foret sine monasterio & sine monachis? & scimus formulam illam *ad monasterium ibidem faciendum* usurpari consuetam fuisse his seculis a donatoribus, qui ecclesias vel monasteria jam erecta suis oblationibus locupletabant pro eorumdem conservatione; quod animadvertit [a] etiam V. Cl. Soldanius; & ut exemplum ab ipso productum in medium afferamus, anno 1048. Rolandus disponit, ut ecclesia *& oratorium sancti Salvi, quod est in loco, cui Paratinule nomen est, infra plebem sancte Reparate civitatis Florentine, amodo &* DEINCEPS FIAT MONASTERIUM *monachorum ordinis sancti Benedicti. Anno dominice incarnationis quadragesimo octavo post mille, & anno secundo imperii domini Henrici Dei gratia imperatoris augusti* XVI. *kalendas maji indictione* I. Nihilo tamen secius anno 1087. non 1080. ut excidit eidem Soldanio non cogitanti mox sequentem indictionem X. quæ componi nequit nisi cum anno 1087. *Martinus, qui vocatur Marctulus, filius bone memorie Florenti, & Donnuccia jugalis ejus filia Donati, & Gerardus filius jamdicti Florenti & Adalascia conjux ejus filia Witerni, & Johannis filius Widonis, qui nominatur Witone, & Vamandina conjux sua filia Pellegrini* &c. *oratorium, quod rectum est in loco, qui vocatur Carrari, in onore beati sancti Salvii ad ecclesiam ædificandam* ... concedunt, UT DEINCEPS FIAT MONASTERIUM *secundum ordinem sancti Benedicti. Actum in civitate Florentia anno Dominice incarnationis millesimo octuagesimo septimo, idus aprilis indictione* X. Quo certe anno obierat Johannes Gualbertus, de quo sanctus Acto n. 13. & beatus Andreas Parmensis scribunt in vita, *tunc sancti Salvii cœnobium noviter construxit*, ac triginta & novem anni effluxerant post primæ chartæ dispositionem. Chartam donationis factæ ab Hugone monasterio Vangaticiensi publicam fecere [b] Silvestrius & [c] Muratorius. Nos eam a Sanesio, a Romualdo Blanco, & a Macchettio olim transcriptam ex vetustissimis exemplaribus ejusdem monasterii in Appendice iterum cudimus.

ANN. CHR. 993. ROMUALDI 86.

a *Quest. Vallomb. P. II. p.* 182.

b *Pag.* 47.

c T. *V. col.* 401.*Antiq.med. ævi*.

CONTIGIT præsenti anno prima reversio sancti Adalberti Pragam Bohemiæ urbem, ubi episcopale onus gerebat. Italiam petierat sanctus præsul anno 989. fugiens ab obdurato & protervo populo, Romana limina visitaturus, & quid sibi agendum foret, consulturus. Johannes XV. qui tunc Romanæ præsidebat ecclesiæ, derelinquendam ingratam, & sermones suos non recipientem plebem suaserat; quare Adalbertus peregre proficisci toto vitæ suæ tempore statuens, consilium inierat visitandi sacra loca Jerosolymorum, sed prius Montem-casinum adjerat, stationem sive ossa veneraturus sancti patris nostri Benedicti. Abbas ejus monasterii Manso peregrinationem minus laudans, sanctum episcopum induxerat, ut monasticum potius in eodem cœnobio institutum abriperet; & abripuisset profecto, nisi seniorum loci animum penetrasset, qui ad commorationem illam ipsum invitabant, ut ecclesias de novo extructas juris Casinensis cœnobii consecraret. Subiratus proinde montem prædictum deserens se receperat ad sanctum Nilum in vicino Vallis-lucii monasterio vitam agentem, qui tamen cum homo Græcus esset, quid Adalberto viro Latino cum Græcis foret agendum interrogans, remiserat ad Leonem abbatem sanctorum Bonifacii & Alexii Romæ in monte Aventino, quod monasterium jam pridem pro Græcis fundatum a Sergio Damasceno episcopo, qui obierat

ANN. CHR. 994. ROMUALDI 87.

XVIII. S. Adalbertus episcopus revertitur Pragam.

anno

Ann. Chr. 994. Romualdi 87.

anno 981. etiam Latinis tunc temporis patebat. Eum Leo recipiens monachali ſchemate induerat, una cum Gaudentio fratre, feria quinta majoris hebdomadæ anni 989. viliora coquinæ officia ipſi deſtinans. Quinquennium vero jam peregerat Adalbertus in eo cœnobio, cum hoc anno a ſuis Pragenſibus expetitus, ſummi pontificis dimiſſus benedictione, eccleſiæ ſuæ regimen iterum aſſumpſit.

XIX. Cur de Adalberto loquamur?

Quid porro, inquiet aliquis Adalberto cum Romualdo, vel cum Romualdina hiſtoria? Hæſimus diu profecto, ſtatueramuſque de ipſo in hoc noſtro opere nullam mentionem facere; verum auctoritas Hieronymi Pragenſis, eremitæ Camaldulenſis, qui in ſermone, quem ſcripſit ſancti Romualdi, de Adalberto ejuſque paſſione loquitur; auctoritas pariter aliquot hiſtoricorum Polonorum nos adduxit, ut ſaltem eorum verba adduceremus. Hiſtoricus enim, quid alii dixerint, referre primum debet, inde quo fundamento dixerint, ad examen revocare. Audiamus ergo, ſi placet, prius Hieronymum Pragenſem. Is capite VIII. relata pace conceſſa Tiburtinis ab Ottone III. opera Romualdi, hæc ſubjungit: „ Eodem „ namque tempore beatus Adalbertus Pragenſis epiſcopus a ſede ſua Pra„ga expulſus Romam venit. Audiens autem celebre nomen ſancti Ro„mualdi, quod per totam Italiam ferebatur, incenſus videndi eum ſtu„dio, perrexit ad ipſum, & ſtatim ut eum vidit, mutato priſtino ha„bitu, inter ejus diſcipulos habitum monachi ſuſcepit, contemplans or„dinem vitæ ejus, morumque gravitatem, quam creber in oratione, „ quam humilis in ſuſcipiendis fratribus, ſeverus in corripiendis, alacer in „ exhortandis eſſet, & ut continentiam, cibique ejus auſteritatem & ve„ſtis aſperitatem nulla umquam infirmitas frangeret. Porro clareſcente fa„ma ejuſdem ſancti Adalberti epiſcopi, Romæ extra portam in ſancti „ Pauli apoſtoli monaſterio; & petente univerſo Bohemorum populo, ac „ præcipiente Benedicto papa octavo, Pragam ad ſedem ſuam revertitur. „ Sed modico poſt tempore a Bohemorum populo duræ cervicis a Pra„ga expellitur, qui aſſumptis ſecum duobus monachis, Gaudentio ſcili„cet & Creſcentio, ad Pruthenos adhuc Paganos in Prutziam profectus „ eſt. Quibus cum fidem catholicam conſtanter prædicaret, & illi audire „ nomen Chriſti recuſarent, armato agmine beatum Adalbertum circum„dederunt, & ſeptem lanceas cordi ejus infixerunt. Cumque præſul ſan„ctus ſic perfidorum lanceis transfixus, extenſis in modum crucis mani„bus, ſtans pro eiſdem oraret, Prutheni lictores crudeliſſimi, necdum „ martyris ſanguine ſatiati, caput ejus abſciderunt, & in palo levantes „ ſubſannare, & deridere illud cœperunt. “ Et poſt pauca. “ Audiens „ autem beatus Bonifacius beati Romualdi & ipſe diſcipulus glorioſum „ ſancti Adalberti epiſcopi Pragenſis martyrii triumphum &c. “ Et enarrata Bonifacii paſſione ſubdit. „ Dum igitur ſanctorum Adalberti & Bo„nifacii martyrum ſimulque pontificum geſta proprio ſtylo indigeant, id„circo tamen eos cum aliis beati Romualdi diſcipulis commemorare vo„lui, ut ex eorum laude, quam magnus & glorioſus magiſter eorum „ fuerit, demonſtrarem, quatenus dum celſitudo diſcipulorum auribus fi„delium inſonat, quam excelſus doctor eorum fuerit, ex ſchola, quam „ tenuit, innoteſcat. Interea ſanctus pater Romualdus audiens, quod di„ſcipuli ejus Adalbertus & Bonifacius glorioſo martyrio coronati fuiſſent „ &c. “ Integrum teſtimonium retulimus, ut ex eo innoteſcat Hieronymum Pragenſem Adalberti diſcipulatum ſub ſancto Romualdo in ſuo ſermone pro certo habuiſſe. Contra quam vero narrationem hæc objicit Johannes Bollandus [a]. „ Non ſuſcepit a ſancto Romualdo habitum mona„ſticum

[a] T. II. Febr. pag. 134. in notis d. f.

„ sticum sanctus Adalbertus. Venit enim Romam (uti in Annalibus „ deducit Baronius) anno 983. Hierosolymam proficiscens divertit Casinum; dissuadent ei abbas & monachi peregrinationem, sed cum ab „ iis, ut episcopus honoraretur, abiit ad sanctum Nilum, a quo Romam „ missus ad Leonem abbatem monasterii sancti Bonifacii, ab eo monachili habitu indutus est; verum anno tandem 989. concilii Romani „ sententia redire in Bohemiam coactus, uti plenius ad ejus vitam XXIII. „ aprilis dicemus. Atqui eo tempore nondum sanctus Romualdus ex Gallia reversus fuisse videtur; verum an cum altera vice in Italiam venit, indeque revertit Pragam, in Italia sanctus Romualdus fuerit, ab „ eoque de via salutatus, nec negare ausim, nec affirmare. " Hæc Bollandus, qui pro certa ponit mansionem Romualdi in Galliis anno 983. cum tamen eum jam in Italiam antecedenti anno rediisse demonstraverimus. Sed & Nerinius in [a] historia templi & cœnobii sanctorum Bonifacii & Alexii non recte scripsit, dum neque anno 994. Romualdum ex Gallia reducem, & dum prædictam Pragensis narrationem fœtum esse beati Petri Damiani existimavit. Deinde statuit Bollandus post Baronium sanctum Adalbertum anno 983. Praga Romam profectum fuisse, & anno 989. inducit Pragam redeuntem præcepto concilii Romani, cum constet ex monacho coævo, & ex altero auctore fere suppari ejus vitæ scriptoribus [b], ipsum prima vice anno tantum 989. Italiam petiisse, & quinquennio moratum fuisse in cœnobio sanctorum Bonifacii & Alexii usque ad annum 994. quo in synodo celebrata a Johanne papa XV. redire jussus est Pragam, ex qua urbe ante annum 996. redux Romam, iterum eodem anno 996. Ottone III. curante, Gregorio V. pontifice maximo jubente, remissus fuit ad suam ecclesiam, vel ad prædicandum Gentibus evangelium directus. Hæc tamen emendavit ad diem XII. aprilis Godefridus Henschenius Bollandi continuator. Verumenimvero in eo erravit Hieronymus Camaldulensis, cum attribuit Benedicto papæ VIII. quæ aut Johanni XV. aut Gregorio V. conveniunt. Non potuit enim Benedictus VIII. præcipere sancto Adalberto reditum in Pragam, quippe qui solum anno 1012. vel 1013. pontificatum adeptus est, neque etiam Benedictus VII. qui jam obierat anno 984. Loco ergo Benedicti VIII. vel VII. ponendus est aut Johannes XV. aut Gregorius V. sicut pariter loco monasterii Sancti Pauli extra portam, in quem errorem impegit etiam auctor chronici Bohemici apud [c] Menckenium, qui insuper abbatem monasterii sancti Pauli nominat Augustinum, substituendum est cœnobium sanctorum Bonifacii & Alexii in monte Aventino.

ANN. CHR. 994. ROMUALDI 87.

a *Pag.* 100.

b *Apud Mabill. Sec. V. pag.* 831., 832. *numm.* 20. 25. *&* *pag.* 841. *num.* 13.

c *T. III. col.* 1643.

Sed & auctores Polonos de Adalberto loquentes in medium afferamus. Stephanus Demalevicius [d] hæc de Romualdo habet. „ Nonnisi in „ regula sancti patris (Benedicti) bene tirones exercitatos ad solitam „ veteranorum militum (puta eremitarum) vitam, in qua culmen perfectionis situm est, admittebat, ut etiam duos illos primos instituti „ sui sectatores (Urseolum & Gradonicum) non prius eremiticæ vitæ voluerit esse consortes, quem professionem in cœnobio sancti Benedicti fecissent; ut mirari lectorem minime oporteat, cur sanctum „ Adalbertum, tunc episcopum Pragensem, post archiepiscopum Gnesnensem, & gloriosum in Prussia martyrem ad ordinem sancti Benedicti Romam sub disciplinam Leonis abbatis monasterii sanctorum Bonifacii & Alexii destinaverit, itemque Casimirum regis Miecislai filium, „ Boleslai primi christiani regis Polonorum nepotem, Cluniacum .... „ relegaverit .... nolebat enim alios ad vitam solitariam admittere, „ nisi

d *Vit. S. Bogumili cap.* XXIX.

ANN. CHR. 994. ROMUALDI 87.

„ nisi sanctæ conversationis studio juxta regulam sancti Benedicti perpo„ politos." Ubi vides Demalevicium non tantum asserere Adalbertum discipulum Romualdi, sed etiam conciliare, quomodo potuerit esse ipsius discipulus, & quinquennio tamen degere in monasterio sanctorum Bonifacii & Alexii Romæ, ad quod destinatus fuerit a Romualdo. Martinus pariter Baronius in vitis Sanctorum & Beatorum Polonorum Camaldulensium, loquens de eremitis a Romualdo missis in Poloniam una cum sancto Adalberto, subdit hæc speciatim de Adelberto: „ qui etiam sub disci„ plina ejusdem sancti Romualdi abbatis vixit, & postea archiepiscopus „ Pragensis, ac tandem Gnesnensis creatus erat." Quid ergo dicendum? Venit in mentem dicere, Adalbertum suorum populorum improbos mores fugientem, & in Italia constitutum, insuper audientem famam sanctitatis Romualdi ad ipsum confugisse, victurum sub ejus disciplina vitam solitariam; sed Romualdum, ne a suo instituto hac etiam vice recederet, ad Montem-casinum ipsum destinasse, vel ad aliud monasterium, in quo regula cœnobialis sancti Benedicti observaretur, ut, post probatam in cœnobio monasticam vitam, aptus foret eremi solitudini perferendæ. Ita egit, ut vidimus ex Petro Damiano & ex Demalevicio cum Petro Urseolo & Johanne Gradonico; ita agentem videbimus cum Bonifacio, Tammo, ceterisque Teutonicis, quos prius informandos regula Benedictina voluit in monasterio Montis-casini.

XX. Ipsius vitæ scriptores.

NEQUE officit silentium vetustiorum Adalberti vitæ scriptorum, apud quos nulla de colloquio sancti præsulis cum Romualdo, vel de familiaritate mentio, immo nec nomen Romualdi habetur. Duplicem Adalberti vitam nobis exhibuere Henschenius & Mabillonius, primam sub Ottone III. alteram sub Henrico I. conscriptam ab auctoribus proinde coævis; sed quanta profecto de Adalberto primus auctor enarrat, quæ frustra requiruntur in secundo; & rursus secundæ vitæ scriptor aliqua nobis pandit, quæ omittuntur a primo vitæ descriptore. Iterum secundæ vitæ historiæ plura interseruntur in editione Suriana, quam habeantur in Henscheniana, & juxta ejusdem Henschenii confessionem magis integrum contextum Surius habuit, quam præferat codex bibliothecæ Pragensis, ex quo suam deprompsit ipse Henschenius; e. g. in secunda vita juxta Surianum exemplar legitur, Adalbertum cum sine baculo iter agens Ravennam veniret, interrogatum fuisse ab *optime cauto Dei servo Durante*, *cur sine virga pastorali vir tantus incederet*? Et respondisse Adalbertum: *Vivit Deus, in cujus conspectu sto, facile est gestare pedum, sed difficile reddere rationem, cum venerit ad judicium, qui non errat districtus judex vivorum & mortuorum*; & plura hujuscemodi, ut inde colligatur potuisse familiariter Adalbertum agere etiam cum Romualdo, & ad monasticam, ante eremiticam vitam, capessendam induci, licet in ipsius vitæ scriptoribus nil tale reperiatur. Obiter monemus, Durantem superius laudatum eremitam fuisse Ravennatem, & quantum conjicimus, ex Romualdi discipulis formatis in monasterio Classis, vel in eremo Perei, ut ad annum 999. fusius aperiemus. Plures quoque temporis progressu potuit Adalbertus a Romualdo recipere monachos, futuros itineris & laboris sui comites, ut scribit Baronius, cum ea tempestate monachis & solitariis ita abundaret, ut ubicumque iret Romualdus, putaretur velle totum mundum convertere in eremum, teste Damiano.

XXI. Breunoviense monasterium solitariorum domicilium.

ASSERIT quidem Dubravius omnes Adalberti socios monachos fuisse cœnobii sanctorum Bonifacii & Alexii, verum cur id silentio pressisset auctor ejus vitæ, monachus & ipse San-bonifacianus, ut se satis clare manifestat?

nifestat? Quapropter cautius Wenceslaus Hagecus auctor bonæ notæ apud Bohemos illud tantum scribit; hos monachos ex Italia Bohemiam in Breunoviense scilicet cœnobium transiisse, deinde per Hungariam atque Poloniam individuos comites fuisse ejusdem sancti antistitis. In sociis præterea sancti Adalberti eremiticæ vitæ studium adnotamus; præterquamquod enim monasterium Breunoviense ab ipso præcipue fundatum, legibusque communitum ad instar eremorum Italiæ, fuit solitariorum virorum domicilium, quod inferri potissimum potest ex eremitica vita, quam, ut legitur apud Mabillonium in [a] Actis Sanctorum, & in [b] Annalibus, professi sunt Guntherus, qui Breunoviæ sepulturam sibi dari rogavit, & Procopius ex canonico Wyssegradensi monachus Breunoviensis, atque ex monacho factus eremita prope Zaivam sub Hieronymo, qui & Dobromirus, abbate secundo Breunoviensi; id etiam colligitur ex [c] præcepto Ottocari regis Bohemiæ filii Uladislai, qui anno 1213. *considerata quorumdam eremitarum necessitate omnipotenti Deo famulantium in loco solitario & deserto, ad instantiam venerabilis viri Chunonis abbatis Breunoviensis ecclesiæ*, locum appellatum *Policz* cum pluribus aliis bonis libere & perpetualiter contulit *Breunoviensi ecclesiæ & supradicto Chunoni suisque successoribus* &c. *ita quod nec ipsi eremitæ, nec bona eorum nulli subesse debent, præterquam nominato abbati Chunoni, & ejus successoribus tam in spiritualibus, quam in temporalibus in perpetuum, maxime cum jam de supramemorato claustro quidam monachus diaconus, Vitalis nomine, cum aliquantis fratribus sibi adhærentibus, ipsum locum pro posse suarum virium, ipsam silvam extirpando habitabilem fecit, & ibidem capellam ligneam in honorem sanctæ Dei genitricis & perpetuæ virginis Mariæ gloriosæ construxerit, & ipsam capellam sæpe dictus abbas Chuno, per cujus diligentiam & petitiones instantes ipse locus desertus, a me Breunoviensi ecclesiæ libere collocatus est, competenti ornatu ecclesiastico ad gloriam beatæ Mariæ virginis decoravit, & eosdem fratres sibi humiliter & devote obedientes in temporalibus procurat sufficienter, vitam monasticam secundum regulam sancti Benedicti plenius informando* &c. *Acta sunt hæc in castro Praga in vigilia ascensionis Domini anno incarnationis Dominicæ* M. CC. XIII. &c. Semel nimirum insita semina & studium eremiticæ vitæ in Breunoviensi cœnobio perseverabant in ferventioribus monachis, etiam ineunte seculo decimo-tertio, & quidem ad normam Romualdini instituti, sub obedientia nimirum abbatis.

ANN. CHR. 994. ROMUALDI 87.

[a] *Secul. VI. Par. I. pag.* 419.
[b] *T. IV. pag.* 453.
[c] *Ludevvig Reliquiæ mss. T. VI. pag.* 57.

XXII. De comitibus Adalberti.

INSUPER constat monachos eosdem comites itineris & contubernales, dum viveret, Adalberti, ac Breunovienses olim incolas, post sancti martyris passionem, in solitudinem Polonicam transiisse, ubi simili vitæ generi vacabant Johannes & Benedictus certissimi Romualdi discipuli, & Perenses dudum eremitæ. Nomina monachorum, quos secum ab Italia deduxit Adalbertus, sunt juxta [d] Dubravium, & juxta [e] auctorem chronici Bohemici apud Menckenium, Matthæus, Isaac, Christinus, Johannes, Benedictus & Barnabas. Horum tamen nomina confusa fuisse ab anonymo & a Dubravio videntur cum nominibus eremitarum non Italorum, sed Polonorum, qui & ipsi cum Johanne & Benedicto sancti Romualdi discipulis vixerunt in solitudine Casimiriensi, ut ad annum 1001. enucleatius conjecturas nostras aperiemus. An & Astricus seu Anastasius abbas Breunoviensis fuerit ex Romualdi familia, affirmare non audemus; sicut enim plura nos suadent, ut opinemur ceteros monachos fuisse Romualdi discipulos, ita nullus, quem sciamus, idipsum de Astrico pronuntiat. Putat ulterius [f] Grandius noster Johannem & Benedictum supranominatos a Dubravio eosdem esse cum Johanne & Benedicto, quos Boleslaus Po-

[d] *Lib. VI. Hist. Bohem.*
[e] *T. III. col.* 1649.
[f] *Dissert. Cam. II. pag.* 141.

ANN. CHR. 994. ROMUALDI 87.

loniæ dux ab Ottone III. imperatore efflagitavit pro fide dilatanda in suo regno, & de quibus loquitur Damianus [a], eorumque missionem in Poloniam refert ipse Grandius ad hunc annum 994. & in mss. schedis suis gratulatur sibi, perinde ac *Benedictum* unum ex supradictis repererit in *Benedicto presbytero*, de quo mentio occurrit in prima sancti Adalberti vita n. 38., ultimæ hujus passionis una cum Gaudentio teste & indiviso comite. Eos tamen a Dubravio, ut diximus, confusos distinguendos esse ea ratione arbitramur, quod socii Adalberti non in Poloniam prius, sed in Bohemiam perrexerint; Johannes autem & Benedictus discipuli Romualdi recta Poloniam versus iter fecerint; deinde illi hoc anno, & forte antea, Pragam se contulerant; Johannes vero & Benedictus a Damiano nominati, & Perei eremitæ non fuere ante annum 1001. in Poloniam directi; Bonifacius enim insignis Prussiæ martyr & discipulus Romualdi in eremo Perei diu vixit cum Johanne & Benedicto eremitis juxta auctores chronicorum Magdeburgensis & Halberstadensis; alibi autem videbimus ante annum 998. non fuisse Perensis eremi incolam Bonifacium, qui ad annum 1001. eos in Poloniam ad Boleslaum principem direxit; ea propter hi postremi diversi sunt a primis, & Dubravius eorum gesta cum aliorum gestis intermiscuit; Grandius vero monumentorum defectu Johannis & Benedicti adventum in Poloniam ocyus retulit, quam reapse contigerit.

a Vit. S. Rom. cap. XXVIII.

XXIII. Quo tempore fundatum Breunoviense cœnobium?

ERRAVIT in eo etiam Dubravius, qui ibidem scribit Adalbertum prima vice reducem in Bohemiam, & in locum suum, ac in bona quædam paterna restitutum summo honore a Boleslao acceptum fuisse, ipsaque bona sua paullo post in officia pietatis distribuisse, & una cum Boleslao principe cœnobium, quod Breunoviam vocant, hoc anno ædificasse, ac munificentissime dotasse; deduxisse pariter in contubernium sodales, quos ex Italia secum adduxerat, ac illis præposuisse Anastasium, alio nomine Astricum, in abbatem; erravit etiam Mabillonius [b] Dubravii verba trahens ad reditum secundum Adalberti in Bohemiam, qui contigit anno 996. vel sequenti; contra quos animadvertimus, monasterium Breunoviense conditum jam fuisse, illique præfuisse Anastasium non solum ante secundum, sed etiam ante primum episcopi Adalberti reditum ad suam Pragensem ecclesiam. Reditus quidem primus Adalberti ante hunc annum nequit consignari, cum ex auctore ejus vitæ, quæ ordine secunda est apud Mabillonium, quinquennio ipse moratus fuerit Romæ in monasterio sancti Alexii, & anno 989. vel 990. ut habet chronici Magdeburgensis auctor, monasticum habitum ibidem assumpserit. At constat ex privilegio Johannis papæ XV. dato *Romæ* II. *kalendas junii anno incarnationis Dominicæ* DCCCC. XCIII. *pontificatus nostri mense octavo* (ita apud Ludewigium [c], sed legendum *anno* octavo) eo anno 993. Anastasium fuisse Breunoviensis monasterii abbatem, cum dicat idem Romanus pontifex: *Decrevimus ipsam*, nempe ecclesiam Breunoviensem, *caput esse & magistram in correctione, & reformatricem regularis disciplinæ super omnia claustra ordinis sancti Benedicti posthæc in Bohemia construenda, primumque locum post Pragensem episcopum tibi Anastasio abbati, tuisque successoribus canonice succedentibus super omnes & in omnibus concedimus habiturum*, cui etiam indulget, ut *chirothecis*, *manipulariis*, *sandaliis baltheoque* uti possit. Servabatur hoc privilegium, licet vetustate sua consumptum, tamen cum summa reverentia, in eodem monasterio in honorificum testimonium Breunoviensis abbatiæ ætate auctoris chronici Bohemici [d], qui chronologus etiam sequens affert breve Boleslai Bohemiæ ducis diploma [e]. *Sciant*

b Act. SS. O. S. B. Secul. V. p. 823. Annal. T. IV. p. 115.

c Ludewig. Reliquiæ manuscript. T. VI. pag. 54.

d Mencken. T. III. col. 1648.

e Ibid. col. 1645.

omnes

omnes Christi fideles præsentis & futuri temporis, quod ego Boleslaus gratia Dei Bohemorum dux ad petitionem venerabilis Adalberti episcopi, & Anastasii abbatis Brewnoviensis monasterii de redditibus nostri ducatus, quousque mundus voluit, 2500. *denarios per diversa tempora contuli solvendos. In Pascha videlicet* 500. *& in Pentecoste totidem, & in festo sancti Gnerami episcopi Ratisbonensis residuum. Si quis autem hoc decretum violaverit, sciat se æternaliter damnandum. Facta est autem hæc donatio anno Dominicæ incarnat.* DCCCC. XCIII. Constat demum [a] ex diplomate altero ejusdem Boleslai, quod ipse *divina inspiratione instructus*, ut inquit, *pro salute animæ meæ parentumque meorum Brewnoviensi monasterio a me, & a venerabili patre domino Adalberto episcopo Pragensi ex præcepto domini Johannis papæ, laudabiliter constructo* eodem anno 993. multa bona & prædia contulerit &c. *Datum per manum domini Christiani fratris illustrissimi ducis Boleslai, anno gratiæ* DCCCC. XCIII. *in ipsa die dedicationis monasterii suprascripti.* Quare opinamur Adalbertum Boleslao auctorem fuisse, ut conderet monasterium Breunoviense, antequam prima vice desereret anno 989. gregem sibi commissum; post adventum vero suum in Italiam, & tempore suæ conversationis monasticæ præmisisse in Bohemiam Anastasium & monachos, quibuscum postea in Breunoviensi cœnobio vixerit aliquantulum temporis, cum primo rediit ad ecclesiam suam hoc anno 994. ut vera fieri possint ea omnia, quæ refert Dubravius de eodem Adalberto, de quo hæc etiam scribit: „ [b] Sæpius in hoc contubernio Adalbertum, „ quam in domo sua pontificali reperisses; adeo moribus & natura cum „ sanctis illis patribus congruebat, sed nec Boleslaus a consuetudine illo„ rum abhorrrebat, sponte veniens, ut bonis mos est, ad bonorum con„ vivia, quæ a precibus illi incipiebant, & cum precibus finiebant, ma„ gna cum modestia, & disciplina atque abstinentia ciborum. “

Ann. Chr. 994. Romualdi 87.

[a] Ludewig Reliquiæ mss. & diplom. T. VI. pag. 48.

[b] Lib. VI.

Johannes abbas sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe Ildibrando & Stephano illustrissimis germanis fratribus filiis quondam Stephani, qui vocabatur *de Imizza*, terras in Mandra-camellaria ad castellum noviter ædificandum concedit ad tertiam personam ipsis scilicet, filiis, & nepotibus; quod si filios vel nepotes non habuerint, uni extraneæ personæ, *excepto piis locis vel publicum numero militum seu bando. Anno* &c. *domni Johannis* &c. *quintidecimi pape nono indictione septima mense martio die vicesima*. Maria vero, quæ vocabatur Rosa, & Petrus ejus genitor largiuntur eidem Johanni abbati domum *positam intro civitate nova, que vocatur Leoniana juxta sanctum Martinum* eodem anno & indictione *mense julio die quintadecima*. De Rosa nobili femina donatrice anno 967. monasterio Sublacensi, chartam affert Muratorius [c]. Tabulæ suprarelatæ ex codice Gregoriano, more nostro, remittuntur ad Appendicem.

[c] T. II. col. 137. Antiq.

Dominicum, postea Loricati agnomine donatnm, ortum circa annum nongentesimum-nonagesimum-quintum tradit Jacobillius [d]; id sine auctoritate assertum fuisse a Jacobillio scribit Octavius Turchius canonicus perinsignis collegiatæ ecclesiæ Apiri & eruditus vir amicissimus noster, qui anno 1749. vitam ejusdem sancti Dominici exaravit. Verum cum ex una parte & ipse Turchius intra decennium illud, quod interfluit ab anno 990. ad 1000. nativitatem constituat Dominici; ex altera autem Dominicus sexagesimum excessisse vitæ annum clare dicatur a Damiano; hic enim postquam contra sedentes in divinis officiis opposuisset exemplum Gezonis sexagenaria jam circiter ætate grandævi, [f] subdit: *Alius quoque nobiscum fuit ætate provectior, qui jure Dominicus vocabatur;* confi-

Ann. Chr. 995. Romualdi 88.

XXIV. Ortus Dominici Loricati.

[d] T. II. SS. Umbriæ p. 336.

[e] Pag. 63.

[f] Opusc. XXXIX. cap. III.

Ann. Chr. 995. Romualdi 88.

conficitur ipſum Dominicum, qui obiit anno 1060. ſuperaſſe eo anno ſexagenariam Gezonis ætatem, & attigiſſe circiter ſexageſimum-quintum vitæ annum. Ergo præterpropter hunc annum 995. in lucem editum ipſum fuiſſe, Damiani auctoritate comprobatur. Fulginii natum, patre Johanne, matre Ampa, genere & religione illuſtribus tradit Angelus de Nuce [a] in notis ad chronicon Caſinenſe Leonis Oſtienſis. Ubi manifeſtiſſime patet clarum adnotatorem confundere ſanctum Dominicum Loricatum cum ſancto Dominico Sorano, quorum non ille, ſed hic Fulginii ortum habuit. In eumdem errorem incidit & Sigonius ad annum 1031. qui unum ab altero non diſtinxit, quod Mabillonius animadvertit ad calcem libri LVI. tomi IV. Annalium [b]; & ipſe tamen quædam eidem Loricato tribuit, quæ ad Soranum pertinent; loquens enim de beato Amico eremita hæc habet [c]: „ Beatus Amicus eremita, qui tunc in monaſterio ſancti Petri de Avellano, quod ſanctus Dominicus Loricatus „ extruxerat Caſinatibus conceſſum, demorabatur. “ Idipſum aſſeruit [d] Ciarlante & [e] Lubinus. Loricatum autem neſcimus unquam exiiſſe fines Umbriæ & Piceni, ſed ſemper vel Luceoli, vel in monaſterio ſanctæ Clucis de Fonte-avellana, vel in illo Conjunctuli, vel Auximi, vel in Suavicina eremo commoratum fuiſſe; adeoque ſcimus ad ipſum non ſpectare conſtructionem monaſterii ſancti Petri de Avellano, poſiti in territorio Triventino, ubi propius vixit Dominicus Soranus, qui, teſte Alberico monacho Caſinenſi in ejus vita paullo poſt ejuſdem obitum ſcripta [f], *rogatus a Burello Majore in Sangro conſtruxit cœnobium, quod ab enormi arbore Avellana, quæ juxta olim conſtiterat, ſancti Petri de Avellana nuncupationem accepit.* Æquivocum *Avellanæ* nomen erroris Mabillonio & ceteris anſam præbuit, ſed Avellanæ, quam incoluit Dominicus Loricatus, titulus erat ſancti Andreæ, vel ſanctæ Crucis, non autem ſancti Petri. Præterea Amicus eremita anno 1039. jam habitabat in monaſterio ſancti Petri de Avellana, ubi eo anno divinitus reſcivit obitum Hugonis Farfenſis abbatis, quodque dotatum atque conſtructum jam fuerat a Burello anno 1026. Spectat ergo ipſius cœnobii fundatio ad Dominicum Soranum, qui defunctus fuerat anno 1031. non ad Loricatum, qui iis annis nondum exierat ab eremo Luceoli, in qua *per plurimos vixit annos*, ab ea non egreſſus niſi tempore, quo Petrus Damianus Fontis-avellanæ præfecturam jam ſuſceperat, poſt annum nimirum 1043.

a *Lib. II. pag. 272. lit. 5.*

b *Pag. 376.*

c *Ibid. p. 434.*

d *Memor. Hiſtor. Samnii lib. III. p. 254.*

e *Notit. Abbatiar. p. 36.*

f *Apud Gattolam Hiſtor. Caſinen. P. I. pag. 238.*

XXV. Quo in loco ortus Dominicus?

Jacobillius præterea Luceoli natum aſſerit Dominicum noſtrum. Luceoli locus eſt in provincia Umbriæ, non multum diſſitus a ponte, vulgo dicto *Riccioli*, hoc eſt Luceoli prope viam Flaminiam inter Callium & Eugubium. „ De eo loco hæc habet Ferrarius [g]: “ Luceoli civitas fuit Umbriæ, cujus veſtigia, & rudera apud Candianum, vulgo „ *Cantiano*, oppidum inter Callium & Eugubium cernuntur. “ Et ante „ ipſum Rubeus. “ Erat, [h] ait, Luceolum eo loco, quem incolæ ſupra „ Cantianum pontem Riviolum nuncupant; “ ibi a militiæ Ravennatis ducibus trucidatus fuit anno 618. Eleutherius exarchus, qui ſe regem Italiæ declaraverat. Luceolorum quoque mentionem haberi in tabulis auguſtalibus Ludovici pii cæſaris aſſerit pag. 223. idem Rubeus, urbemque contendit fuiſſe Pentapolis, ſub qua eo tempore continebantur „ Ariminum, Piſaurum, Fanum, Senogallia, Ancona, Auximum, Humana, „ Æſium, Forum-ſempronii, Mons-feretrius, Urbinum, & territorium „ Balnenſe, Calles, *Luceoli*, Eugubium cum omnibus finibus, ac terris „ ad eaſdem civitates pertinentibus. “ Et revera, ſubdit Turchius, in excolendis proximis agris reliquiæ deteguntur ejus loci vel Luceolanæ olim

g *Catalog. SS. Italiæ XIV. octob. pag. 651.*

h *Lib. IV. p. 199.*

olim urbis. Creditur hæc urbs multoties a Gothis & a Langobardis vastata, & demum ad hæc ortus Dominici tempora sub Ottone III. anno 996. funditus eversa, ac ex ejus maceriis suscitata nobilis Cantiani terra juxta Blondum, Scotum & Albertum. Verum, cum Damianus nihil referat de loco ortus Dominici, plenam fidem adhibendam non esse Jacobillio nos admonet supradictus Turchius [a], qui ceteroquin nisi certe, saltem dubitanter, credi posse Luceolos natale fuisse solum Loricati autumat [b] alio in loco.

Ann. Chr. 995. Romualdi 88.

a *Pag.* 81.

b *Pag.* 86.

Anno ineunte, die scilicet prima januarii, vel hujus vel sequentis anni, indictione nona, quæ pertinet ad annum sequentem, *anno pontificatus domni Johannis* &c. *quintidecimi pape* &c. *decimo*, qui spectat ad præsentem, atque propterea vel emendanda indictio, vel corrigendus annus pontificis, *Constantia nobilissima femina jugalis filia, que dicitur Franco, seu Theodora, que dicitur jugalis* una per consensum & voluntatem de Duello nobili viro suo Johanni *coangelico* abbati sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe medietatem suam de casal Casanobula, & de terris positis foris portam beati Petri apostoli, milliario, ab Urbe Roma plus minus octavo, in loco, qui vocatur *Molarupta*, dilargitur, ut integre habetur in Appendice.

Ann. Chr. 996. Romualdi 89.

XXVI Otto III. ordinat Classensem abbatiam illi præficiens Romualdum.

OTTO III. rex Germaniam deserens, potenti exercitu stipatus, Italiam petiit veris tempore hujus anni, ad reprimendum insanum furorem Crescentii Numentani, qui tyrannidem usurpans, senatores, & ipsum Romanum pontificem Johannem XV. exagitabat. Jam a multis annis impotentia animi percitus omnia pro arbitrio gerebat; etenim episcopi in synodo Remensi congregati retulerant nuncios regis Hugonis, & episcoporum Galliæ ad pontificem missos prohibitos fuisse a collocutione cum ipso Romano pontifice ob violentiam Crescentii, qui eos a palatio pontificio arcuerat, eo quod sibi dona non detulissent. Post Pascha Papiæ celebratum substitit itaque Otto Ravennæ, ibique, antequam Romam versus contenderet, Classensem abbatiam ordinare desiderans, utpote qui non minus sollicitus erat pro reddenda Italiæ quiete, quam pro restituendo cultu divino, & pro monastico ordine reparando, convocatis Classensibus monachis eorum arbitrio commisit electionem proprii præsulis; ipsi vero concordi animo elegerunt in abbatem Romualdum. *Eodem vero tempore*, ait Damianus, *junior Otto imperator Classensem abbatiam ordinare desiderans, optionem fratribus dedit, ut quem ipsi vellent, indubitante religerent. At illi continuo unanimiter expetunt Romualdum.* [c] Rubeus, non ad annum sequentem, ut scribit [d] Muratorius in Annalibus, sed ad antecedentem annum referens hanc Romualdi electionem, certissime errat, cum anno 995. in Germania moraretur Otto, & testimonio [e] chronographi Saxonis tantum *vernali tempore* hujus anni ex Germania in Italiam primum descenderit, & *Dominicam resurrectionem Papiæ regali more celebraverit*, indeque se Ravennam contulerit, ubi etiam obitum Johannis papæ XV. compertum habuit.

c *Lib. V. p.* 270.

d *T. V. p.* 500.

e *Accession. Hist. Leibnit.*

Otto igitur audito monachorum Classensium desiderio, votis ipsorum annuit, sed timens, ne Romualdus ad palatium suum Ravennæ sponte veniret, se conferre statuit ad cellam, ubi erat ipse Romualdus, ibique ea nocte quievit in lectulo sancti viri. Ex itinere ab Ottone suscepto, ipsiusque statione noctis tempore in loco, ubi erat Romualdus, colligi potest Romualdum ita obtemperasse jussioni sancti Apollinaris commorando in monasterio Classis, ut tamen frequenter diverteret ad alias eremos, & præ-

Ann. Chr. 996. Romualdi 89.

præsertim ad dilectam suam Perei solitudinem, ubi reapse eo tempore degebat, quo electus fuit prædicti cœnobii abbas. Si enim in Classe domicilium fixum Romualdus habuisset, non cellæ ipsius, sed monasterii verba usurpasset Damianus, neque etiam dixisset eo pervenisse Ottonem sole jam occidente; quod demonstrat longiorem viam, duodecim scilicet milliariorum, quot distabat Pereum ab urbe Ravenna, vel saltem a Classis civitate, & a monasterio sancti Apollinaris. Hujus nostræ sententiæ fuit etiam Mabillonius.[a]

a T. IV. Annal. pag. 99.

Mane Romualdum Otto ad palatium duxit, ipsumque exoravit, ut abbatis onus susciperet, qui tamen nullo modo assensum præbuit regiæ petitioni, ne a sua solitudine divelleretur. At rex obfirmatum ejus animum agnoscens minitatus est se synodale concilium coacturum, ut sub excommunicationis pœna dignitatem sibi oblatam reciperet. Veritus Romualdus excommunicationis minas, necessitate coactus acquievit, & proprios humeros oneri supposuit. Hæc declarantur a Damiano hisce verbis:[b] *Imperator autem diffidens beatum virum ad regiam aulam evocari posse per nuncium, ire ad eum per semetipsum voluit, & ad cellam ejus sole jam occidente pervenit. Cui Romualdus, quia magnum hospitem in parva domo susceperat, lectulum suum ad quiescendum dare dignatus est. Coopertorium tamen rex noluit, quia asperrimum judicavit. Mane autem facto, rex eum secum ad palatium duxit, tandemque sibi instare, ut abbatiam susciperet, multis precibus cœpit. Qui cum reluctaretur, & regiæ petitioni assensum penitus denegaret, rex autem e contrario excommunicationem & anathema ab omnibus episcopis, archiepiscopis & toto synodali concilio minaretur, tandem imminente necessitate succubuit, & animarum regimen coactus accepit. Referebat tunc hoc sibi nequaquam videri novum, sed ante quinquennium sibi fuisse divinitus revelatum.* Suscepisse Romualdum regimen abbatiæ Classensis cogente Ottone II. imperatore, & jubente Sergio papa III. scribit Hieronymus Pragensis,[c] sed duplici mendo, cum Sergius III. initio hujus seculi in Romana cathedra sederit, & cum sub Ottone III. id accidisse, ex contextu eorum, quæ narrat Damianus, clare eruatur; licet enim sub junioris Ottonis nomine possit intelligi & Otto II. Ottoni tamen II. non potest referri obsidio Tiburtinæ civitatis, & Crescenti tyranni occisio, quæ subsequuntur electionem abbatis Classensis in textu Damiani. Legendum ergo est in Hieronymo Pragensi, *cogente Ottone III. imperatore, & jubente Johanne papa XV.* Plura sunt in Pragensi, quæ vel ejus errore, vel amanuensium vitio corrigi mereantur.

b Cap. XXII.

c Cap. II.

XXVII. In eo monasterio regularem observantiam restituit Romualdus.

Regulares consuetudines in Classensi cœnobio restituere curavit vir sanctus, absque ulla monachorum literatorum, vel nobilium acceptione personarum; sciensque sibi imputandum minorem profectum, quem Deus inventurus esset in animabus sibi commissis, neminem a recta conversatione, & a regulæ disciplina desciscere permittebat, & si quando aliquid sibi adversi a monachis pati contigisset, cor vel oculos ad cœlos attollebat, quo remedio hominibus displicentiam afferre non timebat, perinde ac a mentis vel oculorum elatione ad Dei gloriam se agere indicare vellet, vel tamquam auxilium & fortitudinem ab alto quæreret. Brevi autem monachos pœnituit eorum consilii, & quem unanimiter in abbatem expetierant, perosum habere incipiunt; contra ipsum insurgunt, ei detrahunt, nimium se faciles fuisse in eo exposcendo conqueruntur, plura contra ipsum moliuntur, & sancto viro improbe præbent doloris & mœroris occasiones. *Regebat itaque monachos*, prosequitur Damianus[d], *sub districta regulæ disciplina*,

d Cap. XXII.

sciplina, neque alicui ab ea declinare impune licebat; non denique nobilis, non literis eruditus per actus illicitos in dextram, lævamque partem deflectere, vel a rectæ conversationis audebat rectitudine deviare. Vir denique sanctus cordis oculos in cœlum figens, ut Deo in omnibus obtemperaret, non timebat hominibus displicere. Hoc autem fratres considerantes semetipsos prius accusant, quia hunc sibi præesse poposcerant, deinde multis eum detractionum susurrationibus lacerant, & duris scandalorum aculeis vexant.

ANN. CHR. 996. ROMUALDI 89.

XXVIII. Obit Johannes XV. Rom. pont. Sufficitur Gregorius V.

INTEREA commorante Ottone Ravennæ moritur Romanus pontifex Johannes XV. quo comperto, antequam Romam se conferret pro nova electione curanda, sollicite præmisit Otto ad ipsam urbem viros nobilitate & ingenio claros, qui curarent, ut cito eligeretur in summum antistitem Bruno Saxo ejus nepos, qui capellani officio fungebatur in comitatu suo. Is revera electus fuit a Romanis, nomenque assumpsit Gregorii V. mense majo, cujus die 21. ipsum Ottonem etiam in imperatorem coronavit. Decreta fuit pariter pœna exilii Crescentio, qui impotenti tyrannide omnia pro lubitu sacra & humana miscere non cessabat; sed electus pontifex obtinuit pro eo veniam. Ita annalista Saxo apud Eccardum: [a] *Habitoque cum Romanis placito, quemdam Crescentium, quia priorem papam injuriis sæpe laceravit, exilio statuit deportari. Sed ad preces novi Apostolici imperator omnino remisit.* Versus autumnum arbitratus Otto pacifica omnia futura Romæ, lætusque se virum sui amicissimum collocasse in Romana cathedra, Germaniam contra Slavos pugnaturus repetiit.

a T. I. col. 363.

XXIX. Hugonis marchionis donatio abbatiæ Vangaticiensi.

HUGO marchio altera donationis charta beneficum se exhibuit etiam præsenti anno erga monasterium Vangaticiense, offerens *Deo & ecclesie & monasterio beate sancte Marie, que est constructa in loco, qui dicitur Vangadicia*, plures domos & ecclesias. Edita fuit donationis pagina a [b], Bronzerio, a [c] Silvestrio & [d] a Muratorio, sed ab isto mutila, ab illis vero pluribus erroribus respersa; quam propterea in Appendice denuo producimus, eam supplentes ex schedis domni Romualdi Blanci, in cujus etiam exemplari loco, *sexto kalendas januarii*, qui dies pertineret ad finem anni præcedentis, legitur *sexto kal. junii*, mense majo nimirum hujus anni.

b Pag. 161.
c Pag. 49.
d T. VI. col. 208. Antiq. medii ævi.

ANN. CHR. 997. ROMUALDI 90.

XXX. Martyrium S. Adalberti.

MARTYRIUM Adalberti præsenti anno contigisse edocemur ex notis chronologicis ad calcem ejus vitæ scriptæ a monacho San-bonifaciano. *Passus est autem*, ait, [e] *sanctus & gloriosissimus martyr Christi Adalbertus nono kalendas maji, imperante rerum domino Ottone tertio pio & clarissimo cæsare, feria sexta, scilicet, ut qua die dominus Jesus Christus pro homine, eadem die homo ille pro Deo suo pateretur.* Litera Dominicalis hujus anni erat C. & Pascha celebratum fuerat die 28. martii, ita ut dies 23. aprilis inciderit in feriam sextam. Verum, antequam passionem ejus describamus, quid eam præcesserit, adnotare non pigeat. Redierat Pragam anno 994. ut observavimus, Adalbertus, sed paullo post vel eodem anno, vel initio sequentis, quod colligimus ex auctore chronici Magdeburgensis, videns se parum proficere, ac vitia e contra magis dominari in populo sibi subjecto, [f] *pro spectandis sequentibus malis oculos claudere volens, dulcis Romæ mœnia revisit, & navi monasterii mutat pastoralia fræna.* Ante hunc secundum reditum Romam auctor secundæ vitæ [g] Hungarorum conversionem, & ducis Geizæ ac filii Stephani baptismum per Adalbertum procurata describit. In monasterio itaque sancti Bonifacii iterato se reclusit Adalbertus anno 994. vel 995. & in eo permansit

e Ap. Mabill. Secul. V. pag. 839. num. 46.
f Ibid. num. 29. pag. 833.
g Ibid. p. 842. num. 15.

Ann. Chr. 997. Romualdi 90.

usque ad annum 996. quo, creato post mortem Johannis XV. pontifice Gregorio V. & præsente Ottone III. imperatore, Moguntino archiepiscopo Willigiso veterem querimoniam canente, in apostolica synodo Romæ coacta Pragam redire jubetur, vel [a] *si in commissis sibi animabus dignos fructus agere nequisset, extraneis & non baptizatis prædicator mittitur*. Discessus secundus ab urbe Roma Adalberti ante initium junii nequit consignari; Gregorius enim papa mense majo tantum electus fuit Romanus pontifex, & 21. die ejusdem mensis coronatus imperator Otto. Junio itaque, vel *autumnalibus mensibus una cum imperatore*, ut habet secundæ vitæ scriptor, monasterium sancti Bonifacii pro secunda vice liquit Adalbertus, & ultra alpes profectus, post duorum mensium iter Moguntiam venit [b], *ubi regressus ab Italicis oris imperator commoratus est*. Porro mense augusto anni 996. Otto imperator erat adhuc Papiæ, & autumnali tempore tantum rediit in Germaniam. Cum eo *vir Dei mansit bonum tempus*, reliquis nimirum mensibus probabiliter hujus anni; & *nocte pariter, ac die velut sanctissimus cubicularius imperiali cameræ adhæsit*. Hoc temporis intervallo, præter monita quotidiana salutis, quæ dabat venerabilis vir optimo imperatori, [c] *cunctis, qui in regia domo erant, velut servus omnium, sic eorum vilissima quæque manibus tractat, & omni humilitate eorum servitia facit; noctibus quoque cum carpserant somnum, calceamenta eorum componere cura fuit, a janitore usque ad principem regiæ domus, omnium caligas aqua lavit, & purgatis sordibus eas suo loco restituit*. Tum Turonos peregre profectus est ad sepulcrum sancti Martini, inde Floriacum ad beatissimum corpus sancti Benedicti; & si auctorem secundæ vitæ audire velimus, se contulit etiam Glannafolium ad sanctum Maurum, & Parisios ad sanctum Dionysium; postea regressus est ad imperatorem, & ab eo licentiam petens, ad suos Bohemos pergere habuit in animo, & iter quidem arripuit, sed nuncium accipiens de nece suorum fratrum & propinquorum, ad Boleslaum Poloniæ ducem declinavit eo usurus tamquam sequestre pacis, & per ejus missos exploraturus, an Bohemi forent ipsum libenter recepturi. Sed literas indignatione plenas exscripserunt Bohemi adventum episcopi reformidantes, & eum recipere negantes, ne colore pietatis ultor cædis fratrum accederet; quare Adalbertus Dei voluntatem legens, liberatumque se putans ab onere episcopali, ad Gentes se totum convertit, & contra profanos idololatras prædicationis verbum assumpsit. Intra id temporis forsan Gnesnensem ecclesiam administraverit, ut verum aliquo modo esse possit, quod tradunt Poloni scriptores, Adalbertum Pragensem prius, deinde Gnesnensem fuisse archiepiscopum. Ex hac narratione per compendium excerpta ab vitæ ejus monacho scriptore, clare patet tempus & occasionem defuisse Adalberto ad constructionem monasterii Breunoviensis in hoc secundo reditu; tempus quidem, quia tribus vel quatuor tantum mensibus supervixit, quod sacris itineribus partim, & partim Gentibus convertendis integrum impendit; occasionem vero, quia Pragam non rediit: quare ea confirmantur, quæ de extructione Breunoviensis cœnobii diximus ad annum 994.

Sed jam verbis coævi vitæ ejus scriptoris postrema gesta & passionem Adalberti referamus: [d] *Inde adversus diram barbariem, profanosque idololatras gladium prædicationis acuens & aptans, cum quibus primum, cum quibus post dimicare oporteret, animo deliberare cœpit; utrum Luiticenses, quos Christianorum præda, miserorumque hominum damna pascunt, an Pruzzorum fines adiret, quorum Deus venter est, & avaritia juncta cum morte est. Tandem alternanti potior sententia successit animo, ut quia hæc regio* proxi-

[a] Ibidem n. 32. pag. 834.

[b] Ibid. n. 33.

[c] Ibidem num. 33. & seqq.

[d] Mabill. Act. SS. Secul. V. pag. 837. num. 37. & seqq.

ANN. CHR. 997. ROMUALDI 90.

*proxima, & nota fuerat duci prædicto, Pruziæ deos & idola iret debellaturus. Dux vero cognita voluntate ejus, dat ei navem, & ipsam pro pace itineris ter deno milite armat. Ipse vero primo adiit urbem Gidanie, quam ducis latissima regna dirimentem maris confinia tangunt. Ibi divina misericordia adventum ejus prosperante, baptizabantur hominum multæ catervæ: ibi Missarum sollemnia celebrans Patri immolat Christum: cui non post multos illos dies seipsum pro hostia fuerat oblaturus. Quidquid vero sero superfuit de eo, quod ipse & novi baptizati communicarunt, colligere jubet, & mundissimo panno involutum sibi servavit pro Viatico deportandum. Postera autem die salutatis omnibus imponitur carinæ & pelago, & tollitur ab eorum oculis numquam postea videndus. Hinc nauticum iter velocissimo cursu peragens, post paucos dies marinum litus egreditur, & reversa est navis cum armato custode. Ipse autem pro præstitis beneficiis gratiam vectoribus & vectorum domino agens, remansit ibi cum geminis fratribus, quorum alter presbyter Benedictus, alter dilectus, & a puero sibi comes, frater Gaudentius erat. Tunc magna fiducia Christum prædicantes intrant parvam insulam, quæ curvo amne circumvecta formam circuli adeuntibus monstrat. Venientes vero loci possessores cum pugnis expulerunt eos: & quidam arrepto naviculæ remo adstitit episcopo propius; & ut forte psalmos in libro decantaverat, ingentem ictum inter scapulas dedit. Excussus manibus volat in diversa codex, & ipse extenso capite & membris jacet humo prostratus: sed exterius afflicto corpore, quid pia mens intus ageret, risus cordis per vocis organum mox patefecit. Gratias tibi, inquit, Domine, quia etsi amplius non erit, saltem vel unum ictum pro Crucifixo meo accipere merui. Transiens vero in aliam partem fluminis stetit ibi sabbato. Vespere autem facto dominus villæ divinum heroa Adalbertum transduxit in villam. Congregat se undique iners vulgus, & quid de illo foret acturus, furibunda voce, & canino rictu exspectant. Tunc sanctus Adalbertus, quis & unde esset, vel ob quam causam illuc veniret, interrogatus, talia e contra miti voce respondit: Sum nativitate Sclavus *, nomine Adalbertus, professione monachus, ordine quondam episcopus, officio nunc vester Apostolus. Causa nostri itineris est vestra salus, ut relinquentes simulacra muta & surda agnoscatis creatorem vestrum, qui solus, & extra quem alter Deus non est, & ut credentes in nomine ejus vitam habeatis, & in atriis immarcescibilibus cœlestium gaudiorum præmia percipere mereamini. Hæc sanctus Adalbertus. Illi autem jamdudum indignantes, & cum clamore blasphema verba adversus eum proclamantes, mortem sibi minantur. Extemplo terram baculis percutiunt, fustes capiti ejus apponunt, & infrendunt dire dentibus in eum. Magnum sit tibi, inquiunt, quod huc usque impune venisti, & sicut celer reditus spem vitæ, ita tibi parvæ moræ necis damna creabunt. Nobis & toti huic regno, cujus nos fauces sumus, communis lex imperat, & unus ordo vivendi. Vos vero, qui estis alterius & ignotæ legis, nisi hac nocte discedatis, in crastinum decapitabimini. Ipsa nocte naviculæ imponebantur, & retro ducti manserunt quinque dies in vico quodam.*

* al. Bohemus

Et post aliqua [a]: *Jam exsurgente purpureo die cœptum iter agunt, & Davidico carmine viam sibi adbreviant, & dulcis vitæ gaudium continuo appellant Christum. Inde nemora & feralia lustra linquentes, sole adscendente ad meridiem campestria loca adierunt. Ibi fratre Gaudentio Missam celebrante, sanctus ille monachus communicavit, & post sacram communionem pro alleviando labore itineris, pauxillum obsonii accepit, & dicto versu, & sequenti psalmo, surgit de gramineo cespite, & quantum jactus est lapidis, vel missus sagittæ, progressus loco resedit. Hic tum cœpit eum somnus,*

a *Ibid. num.* 43.

Ann. Chr. 997. Romualdi 90.

mnus, & quia diutini labore itineris fessus erat, pleno cornu perfudit eum soporifera quies. Ad ultimum pausantibus cunctis affuit paganicus furor, & irruerunt super eos impetu magno, & injecerunt omnes in vincula. Sanctus vero Adalbertus stans contra Gaudentium, & alium fratrem ligatum: Fratres, inquit, nolite contristari; scitis, quia hæc patimur pro nomine Domini, cujus virtus ultra omnes virtutes, pulchritudo supra omnes decores, potentia inenarrabilis, pietas singularis. Quid enim fortius, quid eo pulchrius? Quam dulce est pro dulcissimo Jesu fundere vitam! Prosilit ex furibundo agmine igneus Siggo, & totis viribus ingens jaculum movens, transfixit ejus penetralia cordis. Ipse enim sacerdos idolorum, & dux conjuratæ cohortis, velut ex debito prima vulnera facit. Deinde concurrunt omnes, & vulnera miscentes iram exsaturant. Profluit purpureus sanguis per foramina utriusque lateris: ille oculis ac manibus stat orans in cœlum. Exiit rubeus amnis divite vena, & extractæ hastæ septem ingentia vulnera pandunt. Ille vinculis solutis extendit manus in modum crucis, & suppliciter fusis precibus pro sua & persecutorum salute ad Dominum clamat. Sic illa sancta anima carcere suo evolat, sic nobile corpus protenta cruce terram occupat, sic quoque multo sanguine vitam fundens, beatis sedibus, & semper carissimo tandem perfruitur Christo. O sanctum & beatissimum virum, cujus in vultu angelicus splendor, in corde semper Christus erat! o pium & omni honore dignissimum, qui crucem, quam voluntate semper in animo, tunc etiam manibus, & toto corpore complexus est! Accurrunt undique armis dira barbaries, & nondum expleto furore auferunt corpori nobile caput, & separant exsanguia membra. Corpus vero loco dimittentes, caput palo fixerunt, & læto clamore sua scelera laudantes, reversi sunt unusquisque ad proprias sedes.

Ex quo vero fonte hauserit Hieronymus Camaldulensis [a], corpus sancti Adalberti virtute divina erectum, ipsumque accepto proprio capite in manibus, eadem ipsa via, qua venerat, iterum in Poloniam fuisse regressum, nobis incompertum. Ex rudi tamen aliqua vulgi traditione id profectum. Etiam auctor anonymus chronici Bohemici apud Menckenium [b] miraculum hoc refert, idipsum pariter monumenta & annales archivi Warmiensis, teste Henschenio, [c] ex Mathia Sarbivio confirmant, corpus scilicet martyris redintegratum surrexisse, induisse se sacris vestibus, sumpsisse caput ante pectus, & per terras & aquas per quindecim milliaria Germanica ambulasse ad capellam, uno circiter milliario a Gedano sitam, nunc ad sanctum Adalbertum nuncupatam. Corpus vero sancti martyris redemit Boleslaus Poloniæ dux, & Gnesnam in metropolitana basilica collocavit, „ ubi frequenti & assidua cœpit vir Dei miraculorum operatione „ clarescere, & in variis languoribus supplicibus suis magnificus adjutor „ existere, propter quæ non solum ex Polonia, sed ex remotissimis Ger„ manorum, Pannoniorumque finibus ad tumbam corporis sancti populo„ rum eam adeuntium, sanctitatisque solatia recipientium, cœpit esse fre„ quentia. “ Hæc Duglossus. [d].

a Cap. VIII.

b T. III. p. 1148.

c Act. SS. Aprilis T. III. die XXIII. pag. 177.

XXXI. Varius exitus monachorum ejus comitatus.

Adalberto a paganis interempto, monachorum comitum ejus varius fuit exitus. Gaudentius ipsius frater in Poloniam rediit, ubi anno 1000. juxta chronicon Hildesheimense, Gnesnensis archiepiscopus consecratus est. Astricus, qui & Anastasius, cœnobii Breunoviensis regimine derelicto, in Hungariam concessit, ubi a Stephano duce benigne exceptus, ædificato monasterio in honorem sancti Benedicti ad radicem Montis-ferrei, non minus ibi, quam in Bohemia sanctitatis opinione floruit, deinde Colocensis episcopus cum pallii honore creatus. Ex monachis Breunoviensibus

sibus aliquot ejus contubernales in Poloniam ex Bohemia sub Gaudentio migrarunt, ubi solitudini vacantes totam provinciam in sui admirationem traxere. Sed de his suo loco, hoc est anno 1001. quo transitus hujuscemodi videtur collocandus.

Ann. Chr. 997. Romualdi 90.

XXXII. De Athanasio & Laurentio martyribus.

ATHANASIUS & Laurentius, alii Adalberti comites vel discipuli martyrium subiere apud Pruthenos. De istis, quoniam annus eorum felicis obitus ignoratur, breviter hic agemus, ipsissima verba in medium adducentes, quæ apud [a] Martinum Baronium, & in Fortalitio sanctorum Poloniæ habentur. „ Sanctus Laurentius, ait Baronius, Polonus, Posnaniensis, eremita Camaldulensis (ita per anticipationem appellat) sancti „ Adalberti martyris & archiepiscopi Gnesnensis cum sancto Athanasio „ ordinis ejusdem socius, prædicationis verbi divini in Prussia comes, vir „ sanctitate conspicuus, & multis virtutibus clarus, multo fœnore, & „ non modico fructu prædicationis suæ apud gentiles Pruthenos reportato, sævitiam ipsorum, & quævis dira supplicia pro nomine Christi „ nihili putans, constantissime Christum, & ejus evangelium prædicando, „ ad extremum ab eisdem Pruthenis concisus, martyrii palmam promeruit, cœlestisque gaudii hæres effectus pro nobis ad Deum interpellat. „ In Prussia sepultus. " Et licet in textu Baronius solum Laurentium martyrem faciat, ad oram tamen ei in corona martyrii adjungit & Athanasium prædicationis comitem. Demalevicius quoque utrumque martyrem appellat, & Camaldulensem eremitam; ac de iis agunt Thomas Minius, Portesanus, Vallemanius, Botta & Grandius ex nostris.

a *Vit. SS. VIII. fratrum Polonor. pag.* 15.

XXXIII. Hugo Farfensis reformat suum monasterium.

HUGO Farfensis abbas, qui anno præsenti *in hanc abbatiam cupiditate honoris captus venire* ausus fuerat, ac *pecuniam* obtulerat *domno papæ*, utique Gregorio V. & studuerat *eam acquirere inique*, ut ipse de se fatetur in enarratione *de studio suo pro restituenda in Farfensi monasterio regulari disciplina*, [b] apud Muratorium; *recognoscens se graviter deliquisse*, cœpit *de hoc ingemiscens cogitare*, *& de hujus monasterii redintegratione*, *si forte sibi propter hoc misereretur Deus*, *& per suæ sanctissimæ genitricis intercessionem*, *si aliquem fructum efficere* posset *ad hujus cœnobii recuperationem. Erat enim tunc iste locus in omni religione pene destitutus*, *itaut plures monachi seculariter & cum maxima lascivia forent*, *carnem in refectorio manducantes*, *vestimenta quoque non monachica*, *sed quasi laicalia ad suum libitum ferentes*. Perrexit *igitur Hugo primo ad Sublacenses monachos*, *& huc inde* sustulit *aliquos*, *quia* sibi *aliquantulum videbantur incedere melius*, *sed non multo post eorum cognita religione*, *non ut* desiderabat, *in eis* reperit *regularem perfectionem*. *Deinde ad Casinense* properavit *cœnobium*, *in quo similiter* invenit, *quod non cernebatur commodum. Tunc relatum illi est*, *quod Ravennate monasterium regularem tramitem observaret plenius*. Ille *autem ceu sitiens* abiit, *& illinc quosdam*, *qui religiosi videbantur*, acquisivit. Hucusque ipsemet Hugo.

b *T. II. P. II. Scriptor. rer. Italic. col.* 547.

XXXIV. Hugo Romualdi imitator, a quo etiam monachos recipit.

MONASTERIUM Ravennas, ex quo monachos in Farfensis cœnobii reparationem extraxit Hugo, videtur fuisse Classense, ubi regularem disciplinam tunc restituebat sanctus Romualdus: nisi malumus etiam dicere, fuisse Perensem eremum, in qua adamussim observabatur regularis disciplina, cujus loci expetierit a Romualdo familiarissimo, sibique conjunctissimo, viros pro reformatione sui monasterii. Auctor certe prologi in consuetudines Cluniacenses [c] receptas in Farfensi monasterio habet, quod *venerabilis Hugo abbas Romualdi exempla imitatus renovavit prisca sanctorum patrum*, *eximiique Benedicti clarissimi & luculenti patris in cœnobio beatæ Mariæ semper virginis in loco*, *qui dicitur Acutianus*, *ubi destru-*

c *Ex codice Vaticano n.* 6808.

ctus

Ann. Chr. 997. Romualdi 90.

ctus erat nimis omnis ordo & compositio monachorum. Ex numero eorum monachorum, quos a Romualdo accepit Hugo, fuit *Johannes* quidam *nomine, ex discipulis domni Romualdi*, qui post aliquod tempus *valde inspiratus, & accensus in fervore monastico, cum uno suo socio ad videndum & scribendum properavit apud Cluniacense cœnobium, & ita exaravit in paginulis, ut oculis vidit, & in codicibus affixit, posterisque legenda contradidit*. Nam, ut prosequitur in sua narratione idem Hugo abbas, post receptos in suo cœnobio Ravennates monachos, a quibus etiam parum discrete habitus fuit, *supervenerunt quidam sancti viri & patres Cluniacensis monasterii in hoc cœnobium, qui meum desiderium hujus monasterii de recuperanda perfectione cernentes, valde ædificati laudaverunt, & qualiter ad magnum pervenire possem proficuum, utillimum spiritualiter consilium dederunt. Quorum postremo compunctus admonitione dedi operam, ut hanc abbatiam amitterem, & pœnitentiam ab eis congruam susciperem. Itaque ut dignam pœnitudinem perficerem, me admonuerunt, & ne abbatiam dimitterem omnino interdixerunt &c.* Et in constitutione sua de receptis atque servandis in monasterio suo consuetudinibus cœnobii Cluniacensis, apud eumdem [a] Muratorium hæc habet: *Dum per omnipotentis Dei pietatem recognoscerem gravissimum crimen Simoniacæ hæreseos me incurrisse, data pecunia pro honore hujus abbatiæ, digne confessus sum, & pœnitentiam suscipiens, eamdem abbatiam in manibus sanctorum patrum præsentium Odilonis*, (abbatis Cluniacensis celeberrimi) *& Guilielmi* (Divionensis abbatis) *Cluniacensis almi monasterii refutavi, & deinceps me quiescere, & retinere ab ea fideli sponsione promisi. Tunc illi magis congruo huic monasterio in futurum utentes consilio, pro hoc peccato hanc mihi induxerunt pœnitentiam, ut præfati Cluniacensis monasterii sanctam consuetamque religionem in hoc nostro monasterio introducerem, & prout cumque plenius valerem, juxta hujus loci possibilitatem facerem retinere*. Ea occasione proinde supradictum Johannem cum socio Cluniacum misit ad consuetudines ejus monasterii exscribendas. Et hoc tempore *Hugo nimio zelo fervens*, & cum Romualdo *concordans*, ac *sequipeda ejus effectus*, ut scribit supralaudatus auctor prologi, [b] qui fuit Guido monachus, & forte successor Hugonis in regimine, monasterium suum Farfense optimis communivit legibus, ipsumque reddidit & in disciplina monastica, & in bonis temporalibus illustre magis, quam acceperat, & *in regali suo cœnobio* id præstitit, quod *in theoretica præclarus, necnon & in ædificatione multorum monasteriorum* præstabat *domnus Romualdus*; verba sunt ejusdem auctoris. Johannes autem Romualdi discipulus, qui consuetudines scripsit, & alterum prologum addidit, *sub religiosissimo abbate Joseph* in monasterio incerto vixisse ulterius dicitur. *Joseph Novaliciensis abbas* legitur suffectus Odiloni ad annum 1030. de quo etiam ad annum 1040. mentionem facit [c] Mabillonius. An ex Farfensi ad Novaliciense cœnobium transiit Johannes? Ceterum Johannis hujus Romualdi discipuli iter ad Cluniacense monasterium post Odilonis abbatis Cluniacensis adventum in Italiam videtur statuendus. Porro Odilo quater saltem Italiam invisit; prima vice tempore Gregorii papæ V. tum sub Silvestro II. anno 1001. ut ex placito ejusdem anni habito in monasterio sancti Apollinaris in Classe, cui interfuit; item cum Henrico imperatore anno 1014. & demum penultimo vitæ suæ anno. Post primam vel post secundam vicem, quibus Odilo in Italiam advenit, Johannes Cluniacum profecto se contulit pro consuetudinibus illius monasterii exscribendis, quæ observari debebant a monachis Farfensibus.

[a] *Ubi supra col.* 548.

[b] *Ibid.*

[c] *Annal. T. IV. pag.* 449.

Hugo

Hugoni Farfensi abbati alterum abbatem adjungimus Willelmum Divionensem, cujus *societas* celebratur, ac *grata & jucunda conjunctio* cum Romualdo, ceterisque eremitis, quos *in magna veneratione habebat urbs Ravenna*. Natus fuerat Willelmus in Italia anno 961. & post peractam vitam monasticam in cœnobiis Lucediense & Clusino, anno ætatis suæ vigesimo-octavo ordinatus fuerat abbas monasterii sancti Benigni in urbe Divione a Brunone Lingonensi episcopo, Majoli sanctissimi Cluniacensis abbatis suasu. *Officio abbatis accepto, divinis seipsum cœpit exercere virtutibus, & ex diversis partibus ad ejus cœnobium multitudo confluxit innumerabilis. Audita fama ejus religionis*, & fervore ipsius monasticæ disciplinæ, itaut universaliter cognomentum obtinuerit [a] *Supra-regulam*, commissæ ei fuere abbatiæ plurimæ reformandæ, de quibus fuse agunt Glaber Rodulphus, & chronographi sancti Benigni & Besuensis ejus vitæ, & fere contemporanei auctores. Anno *sexto suæ ordinationis*, hoc est 995. *Willelmus abbas Romam perrexit ad Apostolorum limina*. Ex eo tempore *cœperunt ex sua patria, hoc est Italia, multi ad eum convenire, aliqui literis bene eruditi, alii diversorum operum magisterio docti, alii agriculturæ scientia præditi, & crescebat quotidie multitudo monachorum sub ejus magisterio degentium .... plures quoque sacerdotum vel abbatum sibi commissorum locorum vel ecclesiarum relinquentes curam ad patris Willelmi confluebant doctrinam*. Occasione igitur hujus itineris, (ni dicere velimus Romualdum Willelmo cognitum opera Johannis eremitæ Clusini, dum in eo monasterio Willelmus moras trahebat) credibile est Willelmum familiaritatem, de qua supra, iniisse, & societatem contraxisse cum Romualdo, qui tunc Ravennæ vel in Pereo morabatur. Sed præstat chronographum San-benignianum audire. *Ipsi denique sancti viri, patres & doctores eremitarum existentes, fama sanctitatis longe lateque notificati*, ROMVALDVS *scilicet*, WILLELMUS *ac* MARTINVS, *quos in magna veneratione habebat urbs Ravenna, ceterique, quos intra se concludit Italia, patris Willelmi expetebant societatem, quia Sanctorum conjunctio grata & jucunda, ecclesiæque pernecessaria, & e contra societas malorum, impedimentum bonorum*.

Ann. Chr. 997. Romualdi 90.

XXXV. Willelmus Divionensis conjunctissimus societate cum Romualdo ceterisque eremitis.

[a] *Labbe Biblioth. T. I. p. 183.*

Explicat [b] Mabillonius, qui sint hi eremitæ, & proinde in adnotationibus ad vitam sancti Willelmi hæc scribit: „ Romualdus Camaldulen„ sium pater, Willelmus ejus discipulus, qui laudatur a Petro Damiani „ in ejusdem vita num. XXXI. & forte Martinus seu Marinus, sub cu„ jus magisterio Romualdus prima didicit vitæ eremiticæ præcepta. “ Mabillonio non assentimur quoad Marinum, quem jam obiisse circa annum 988. conjecimus, quique nunquam legitur ad tempora Willelmi abbatis Divionensis Ravennæ constitisse, quinimmo ad annum 983. teste Damiano, secesserat in Apuliam. Existimamus potius intelligi ibi Martinum partim abbatem, partim eremitam Pomposianum, qui, ut habetur [c] in vita sancti Guidonis, *erat vir summæ continentiæ, & adeo in moribus vitæ probabilis, ut merito cunctis, ad quos ejus notitia vel fama pervenerat, venerabilis haberetur & sanctus. Habitabat autem in insula, quæ interfluente Pado Pomposiam a se divisam ab Aquilone considerat*; & Guido, qui *Hierosolymam pergere animo fervente cogitabat*, admonitus fuit *in somniis Ravennam redire, atque ibi in vicino sub cujusdam Martini eremitæ disciplina vivere, ac Domino deservire*. Forte Martinus idem est cum eo, de quo loquitur Damianus opusculo XLV. *de tempore celebrandi nuptias*, cum ait: [d] *Quid ætate mea hoc Dominicæ Crucis die contigerit succincte perstringam. Apud Ravennam sane urbem multa animalia in macello sunt*

a li-

XXXVI. Qui forent hi eremitæ ? ubi plura de Martino, Willelmo & Guidone abbatibus Pomposianis.

[b] *Secul. VI. P. I. pag.* 302.

[c] *Ibid. pag.* 449.

[d] *T. III. pag.* 345.

ANN. CHR. 997. ROMUALDI 90.

a libripendibus cæsa, *quæ communi Senatus-consulto*, *& præcipue Martini venerabilis eremitæ decreto omnia canibus sunt projecta*; potuit enim Martinus, post depositam sarcinam Pomposiani regiminis, ad multum tempus solitariam vitam protrahere. Porro Martinus Pomposianus probabiliter post Constantinum abbatem, cujus memoria extat in placito anni 1001. quique vivebat sub Johanne XII. archiepiscopo Ravennate, a quo petierat eximi a subjectione monasterii sancti Salvatoris Papiensis monasterium suum Pomposiæ, ab anno 988. reperitur rexisse cœnobium illud, ut constat ex tabulario monasterii sancti Benedicti Ferrariæ, quod jura nomenque retinet abbatiæ Pomposianæ, quodque tabularium incredibili diligentia abbatis Benedicti Bacchinii olim dispositum, licuit nobis summa animi humanitate doctissimi præsentis abbatis domni Francisci-Mariæ Riccii percurrere. Continetur [a] in eo charta donationis *unius petiæ terræ positæ in vico Reve in loco vocabulo Trunbolo facta a Petro vocabulo Stadio*, *& a Petronia uxore ejus pro illuminatione animarum suarum*, *& Benedicti filii sui presbyteri*, *favore domni Martini monachi & abbatis regule sancte Marie*, *que vocatur in Pomposia*, *abbatum successorum & conventus*. *Actum iu vico Reve*, *rogatu Maifredi notarii anno domini Johannis pape tertio die* VIII. *februarii indictione I.* Memoratur Martinus etiam ad annum *991.* in judicato [b] *cujusdam domus*, *que fuerat Juliani diaconi monachi Pomposiani* facto *ab Albina cum consensu Petri mariti sui*.

a A. II. 22.

b Capf. V. Fasc. IV. n. 4.

Willelmum vero, alterum Divionensis amicissimum, credimus illum esse, quem laudat & titulo venerabilis decorat Damianus in vita sancti Romualdi capite XXXI. cujus etiam discipulum facit; neque diversus forte is fuit a Willelmo, qui loco supralaudati Martini gubernabat Pomposiam per hæc tempora. *Pomposiense cœnobium satis tunc pauperrimum*, ait scriptor vitæ sancti Guidonis, *ad Martini curam tempore illo pertinebat*, *cui providentia Romani pontificis illud regendum submiserat: sed Guillelmus abbas huic ex Martini consilio præsidebat*. Otto III. etiam *petitione domini Willelmi Deo amabilis heremite*, monasterii sanctæ Mariæ, quod dicitur in Pomposia, confirmat bona II. *kalendas aprilis anno dominice incarnationis millesimo primo indictione* XIIII. *anno* III. *Ottonis regni* XVII. *imperii* V. Rectius itaque in [c] Annalibus scribit idem Mabillonius dicens: „ Guillielmus ac Martinus Pomposiani. “ Illud consideratione dignum nobis videtur, quod suprarelatus chronographus sancti Benigni Romualdo Willelmi Divionensis amico adjungit Willelmum, & Martinum; primumque inter sacros viros, patres & doctores eremitarum, fama sanctitatis longe lateque notificatos, locum det Romualdo; quod non alia factum de causa putandum est, nisi quia Romualdus primus hujus vitæ eremiticæ institutor, vel suscitator in Occidente, sicut modo habetur, ita & tunc habebatur, ad cujus normam, doctrinam & institutum Willelmus, Martinus, & ceteri hujus temporis eremitæ se componebant. Eamdem ob causam sub his tantum temporibus leguntur in Italia adjunctæ cœnobiis eremi, & præcipue Pomposiano monasterio, cujus reapse abbas Martinus, *habitabat*, ut vidimus, *in insula* eremiticam vitam ducens. Pariter *Willelmus abbas solitariæ vitæ amore succensus per idem tempus eremum petiit relicto cœnobio*, *vicariumque fratribus*, *quos relinquebat*, *Johannem*, *cognomento Angelum*, *in abbatem constituit*, *virum per omnia probatum*, *& angelica merito nuncupatione condignum*. Otto in laudato præcepto statuit, *ut nemo ibidem ponatur in abbatem*, nisi quem *heremite ibidem Deo militantes eligant*. Guido quoque *mansit in prædicta insula sub Martini imperio per tres annos*, quorum spatio *continentioris & arctioris eremiticæ vitæ obser-*

c T. IV. p. 125.

vationi-

stitutionibus apud se satis sufficienterque instruxit, & suffectus Johanni non alia ratione præsulatui se subjecit, nisi ut copia fieret eremum pro libitu petendi. *Johanne quoque migrante ad Dominum Guido obnitens quamvis & invitus, tamen præcipiente Martino, cui a Guidone resisti rationis non erat, abbas efficitur, hac sane conditione, ut quandoque sibi liceret dimittere, quod cogebatur admittere .... & revera regebat vir providus monasterium suum, subrogatis per temporum vices, quos e subditis elegerat abbatibus aliis, quorum primus fuit Vitalis, quo decedente elegit Petrum, post cujus obitum Theobaldus fuit, post Theobaldum constituitur Leo, post omnes, qui admirabilis ejusdem etiam nominis eligitur Guido ..... Porro ille .... habitabat in silva longe a monasterio milliariis tribus*. Hæc omnia liquent ex vita ejusdem Guidonis apud [a] Mabillonium. Cur etiam tempore sui regiminis Petrum Damianum eremitam Avellanensem biennio detinuit idem Guido in suo monasterio, nisi ut tirones ediscerent ab ipso, præter sacram doctrinam, eremiticæ simul & monasticæ disciplinæ conjunctionem, atque utriusque perfectionem? Diutius perduravit eremus prope Pomposianam abbatiam. Sub venerabili abbate Hieronymo, ad finem sequentis seculi, bibliothecæ *ex abbatis jussu Bonus nomine & exemplo monachus ex eremita præerat omnium dogmate artium peritus*, teste Henrico clerico in epistola ad Stephanum relata in [b] *Diario Italico* domni Bernardi de Montfaucon, qui etiam Henricus hæc habet ad calcem epistolæ: *Hoc autem, quod de vita sancti viri Hieronymi abbatis, deque fratrum numero, & de eremi amœnitate, & totius loci ædificiis quævis in libello, quem proprie de ea re scripsi, invenias. Actum vero hoc in libro pontificum anno ab incarnatione* M. XCIII. Quare rationabili fundamento innixa ea sententia nobis videtur, hanc insoliti hucusque generis in Pomposiano monasterio introductam, perseverantemque consuetudinem non ex alio fonte profluxisse, quam a Romualdi instituto, præsertim cum non remotus tunc viveret, sed in patria Romualdus, & quidem apprime cognitus tum nobilitate familiæ, tum sanctimonia vitæ, tum denique divinorum charismatum affluentia, ut facillimum ei foret vicinos suos Willelmum & Martinum, ac concives imprimis Ravennates, cujusmodi erat Guido, ad parem amplexandam conversationem allicere.

ANN. CHR. 997. ROMUALDI 90.

a *Sec. VI. Par. I. p.* 447. & *seqq.*

b *Pag.* 81.

XXXVII. Quot annis Guido Pomposiæ præfuerit?

CETERUM, attentis quadraginta & octo annis, quibus rexisse monasterium Pomposianum Guido dicitur a scriptore ejus vitæ, asserendum foret præfectum fuisse a Martino circa hæc tempora eumdem Guidonem monasterio sancti Severi in Classe, itaut Martinus circa annum 992. ipsum ad habitum monasticum susceperit, triennio in eremitica vita erudiverit usque ad annum 995. inde *cœnobialis institutionis rudimenta perdiscere cupientem Pomposiam transmiserit*; Willelmus autem *providenti consilio per singula quæque illius cœnobii officia, eum per vices temporum ministrare* constituerit, *quatenus postmodum confidentius doceret, quod enixius didicisset; Non post multum temporis idem Martinus* eumdem... *apud Ravennam cœnobio sancti Severi* præposuerit, *in quo regulariter & ipse vixit, & subditos vivere docuit*; brevi tamen, hoc est anno sequenti 998. obeunte Johanne-angelo abbate, transtulerit Martinus Guidonem ad Pomposianum monasterium. Hæc scilicet dicenda forent, si quadraginta & octo annis Pomposianam abbatiam tenuit Guido, qui certe obiit anno 1046. Verum cum nomen Johannis *presbyteri, monachi & abbatis regulæ sanctæ Mariæ in Pomposia* (is est Johannes-angelus, cui Guido suffectus) constanter legatur in chartulis ejusdem tabularii cœnobii sancti Benedicti annis 1002. & sequentibus usque ad annum 1009. & Guidonis nomen non appareat, nisi

ANN. CHR. 997. ROMUALDI 90.

nisi anno 1010. in dubium venimus notas numericas ejus administrationis, quoad Pomposianum monasterium, nutare, & loco XXXXVIII. legendum esse XXXVIII. annos, vel forte XXXXVIII. annos ipsius regiminis auspicandos esse non ab obitu Johannis, cui successit in abbatia Pomposiana, sed ab eo anno, quo a Martino Pomposiam transmissus fuit ex eremo ad *cœnobialis institutionis rudimenta perdiscenda* sub Willelmo abbate. Quare nisi serius postponenda sit monastici Guidonis habitus assumptio, saltem postponendum est demandatum illi regimen cœnobii sancti Severi, quod obtinuisse videtur post Bonizonem, de quo agemus ad annum 1001. & forsan etiam post Benedictum itidem abbatem, qui ad partes postea transiit Willelmi Divionensis, & per consequens ad annos proxime antecedentes annum 1010. qui fuit primus Guidonis in præfectura Pomposiana. Re enim vera post annum 1010. dumtaxat notantur in iisdem Ferrariensis archivi chartulis nomina Petri abbatis & Vitalis, quos scriptor vitæ Guidonis ait, illum sibi subrogasse *per temporum vices*. Præter ceteros nominatos abbates in regimine sibi substitutos a Guidone Pomposiano, invenimus in eodem tabulario Dominicum abbatem suffectum ad annum 1036. die XV. septembris, cujus mentionem non facit scriptor vitæ sancti Guidonis. Atque hæc dicta sint occasione societatis, quam ad invicem inierunt Romualdus & Willelmus abbas Divionensis, qui postremus insuper videtur in suo cœnobio ad Romualdi imitationem solitariam vitam, reclusionemque introduxisse. Certe ex necrologio San-benigniano colligitur in sancti Benigni cœnobio fuisse reclusos: *Idibus junii Johannes reclusus*; in necrologio quoque sancti Germani notatur: VI. *kal. junii Paulus solitarius sancti Benigni*.

XXXVIII. Hugo marchio beneficus in monasterium Vangaticiense.

INSIGNIS pertinet ad hunc annum tertia Hugonis marchionis donatio facta monasterio Vangaticiæ, qua eidem loco concessit lege sua Salica *per fistucum nodatum, ramum arborum, atque per cultellum, & guasonem* curtem suam domnicatam, quam a germana sua Gualdrada comparaverat. Ejus mentionem facit in suis [a] Annalibus ex Puccinellio [b] Mabillonius, qui hanc chartam sibi primam esse, quæ notitiam det illius monasterii, cujus auctor ignoratur, asserit; verum nos in superioribus annis plura de ecclesia, de monasterio de abbate Martino Vangaticiensibus, necnon de Almerico marchione & de Franca ejus jugali, qui videntur fuisse monasterii auctores, produximus. Donationis Hugonis chartam correctiorem ea, quam integris lineis deficientem protulit Puccinellius, publici juris facimus in nostra Appendice ex apographo membranaceo tabularii nostri sancti Michaeli de Muriano, sed veteri, utpote confecto anno 1192. a Lanfranco notario. Edimus pariter chartam translationis curtis factæ eodem anno a Gualdrada Hugoni germano suo, quam curtem cum aliis bonis eidem monasterio Vangaticiensi tradidit idem Hugo marchio tabulis, de quibus modo agimus.

a T. IV. p. 116.

b *Chron. abb. Floren. p. 239.*



AN-



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER SEXTUS.

Ab anno CHRISTI DCCCC. XCVIII. *ad annum* M.



HUGONEM magnum Thusciæ marchionem, quem pluribus donationibus fuisse de Vangaticiensi cœnobio optime meritum, superioribus annis vidimus, quem etiam Romualdo pecuniam subministrasse pro ædificatione monasterii Vergaretani ad annum 986. retulimus, hoc anno intelligimus ex Ratberto scriptore vitæ sancti Bononii abbatis expetiisse ab eodem Romualdo, ut aliquem ex suis Perei monachis in abbatem sibi concederet, qui una cum tribus aliis fratribus se reciperet ad habitandum regendumque monasterium, quod ipse Hugo recens sub invocatione sancti Michaelis archangeli construxerat in castro Marturi. Accepta legatione Romualdus aptiorem eo munere nullum existimavit Bononio, qui tunc adhuc in Pereo commorabatur, & quem propterea ad Hugonem destinavit. Sed ipsum Ratbertum audiamus. [a] *Interim cum potentissimus in Thuscia marchio, idemque vir piissimus Hugo monasterium apud ecclesiam summi archangeli Michaelis de castro Marturi pro sua devotione erigere statuisset ad podium Bonitii, humilem Romualdo supplicationem misit, ut ex alumnis suis aliquem in abbatem promovendum cum tribus aliis monachis destinare dignaretur, per quos regularis disciplinæ observantia in novo cœnobio reflorescere posset. Quod audiens vir venerabilis Romualdus non distulit devoti ducis intentioni satisfacere, ipsumque in primis Bononium abbatem constituit, quem cum tribus aliis religiosis fratribus ad Hugonem direxit, sicque monasterium ædificari cœpit in omnis regularis tramitis fervore conspicuum, quod multis bonis & prædiis idem marchio locupletavit, ut omnibus monachorum necessitatibus prospiceret, intuitu præsertim venerandi abbatis Bononii, cujus sancta conversatione compunctus, multa alia bona opera cum subditorum suorum ædificatione exinde patravit.*

ANN. CHR. 998. ROMUALDI 91.

I. Hugo marchio ædificat cœnobium de castro Marturi.

a Cap. VII.

Castrum Marturi Senas inter & Florentiam positum est in colle, cujus radices amnis Marturius olim alluebat, Podium etiam Bonitium di-

ANN. CHR. 998. ROMUALDI 91.

ctum, cujus frequens est in Senensibus & Florentinis historiis mentio. In eo castro, præter monasterium sanctæ Mariæ Magdalenæ ibidem constructum, & sub Martino III. priore generali seculo XIII. unitum eremo Camaldulensi, cujus pariter meminit Alexander papa IV. in privilegio anni 1258. exurgebat antiquior hæc sancti Michaelis abbatia, de qua monumenta supersunt usque ad seculum XV. quo serviens commendatariis sub Eugenio IV. a Johanne Bellincionio de Agliis ultimo abbate anno 1445. monialibus Paradisi ordinis sanctæ Birgittæ extra Florentiam commorantibus resignata fuit in manus fratris Urbani earum prioris & syndici, permutata a Bellincionio dicta sancti Michaelis abbatia cum altera itidem sancti Michaelis Discalceatorum, sive de Orticaria prope Pisas, antea monachorum alborum ordinis sancti Benedicti congregationis Pulsanensis. Nostris temporibus, suppressis Birgittanis Paradisi monialibus, earum monasterii redditus, una cum redditibus aliorum trium monialium cœnobiorum, hospitali Bonifacii in via sancti Galli Florentiæ, post monialium illarum omnium obitum assignavit Clemens papa XII. bulla sua anni 1734. die 25. maji. Ante Bellincionium initio ejus seculi reperitur *Bartholomæus abbas monasterii sancti Michaelis de Podio Bonzi Florentinæ diœcesis* subscriptus etiam Pisano concilio anno 1409. celebrato; annis 1380. & 1313. rector sancti Bartholomæi de Pinu, & alter rector sancti Ansani Gallognani ab abbatibus sancti Michaelis, tamquam patronis, præsentantur. Guinicellus abbas legitur ad annum 1278. Rollandus autem ad annum 1180. & Rainerius ad annum 1157. ut colligitur ex chartis adhuc existentibus in archivo earumdem monialium Paradisi. In tabulario vero archiepiscopali Pisano reperimus donationem Alberti marchionis filii quondam Obizonis marchionis factam anno 1061. Johanni abbati monasterii sancti Michaelis *in Martuli*, & chartam ac transactionem Rodulfi abbatis sancti Michaelis de Marturi cum Rogerio archiepiscopo Pisano, qua anno 1129. Rodulfus cedit Rogerio jura sua in castro de Vico; quas etiam refert Muratorius tomo III. [a] antiquitatum medii ævi.

a *Col.* 1089. & 1143. & 1145.

II. Expenduntur chartæ donationum ejusdem Hugonis factæ eidem monasterio.

PORRO chartæ ad monasterii sancti Michaelis originem spectantes, primæque donationum ab Hugone marchione confectæ tabulæ duæ ex eodem Paradisi chartulario laudantur a Cosmo de Arena [b], ac referuntur integræ a Puccinellio. [c] Prima data est *regnante domino nostro Octo Dei gratia imperator augustus anno imperii ejus* VIIII. & *filio ejusdem Octo itemque imperator anno imperii ejus* III. *quarto idus julii indictione tertia decima*. Quæ notæ chronicæ ad annum 970. proculdubio pertinent, non ad annum 986. a Puccinellio indicatum; & in ea hæc habentur: *Manifestus sum ego Ugo marchio lege vivente Salicha filio bone memorie Uberti, qui fuit marchio, quia per hanc chartulam offersionis pro anima mea & remedium anime de genitore meo & de genitrice mea offero in ecclesia sancti Michaelis archangeli, quod est monasterio, qui est positus intus castello Marturi, tota curte illa mea domnicata* &c. Infra vero mentio est ipsius Bononii abbatis his verbis: *Omnia & in omnibus, quod superius leguntur, ipsius ecclesie, & monasterio sancti Michaelis archangeli jure proprietario omnia sunt in potestate* BOLONUS *abbas suisque successoribus &c.* Laborat plurimum Cosmus de Arena, ut ejus chartæ annum cum ipsius Hugonis marchionis ætate conciliet. Grandius autem noster diutius laboravit, ut cum sancti Romualdi tempore componeret.

b *Serie de' Duchi di Toscana p.* 159. & 172.

c *Chron. abbatiæ Florentinæ n.* 34. 35.

Secunda charta data legitur: R*egnante Domino nostro Otto gratia Dei imperator augustus filio bone memorie imperatoris Ottonis imperatoris, nepos bone memorie imperatoris item Ottonis anno imperii ejus in Italia tertio* VII. *ka-*

VII. *kalend. augusti indictione* XI. Quæ notæ annum 998. designant, atque in ea sic dispositum legitur: *Unde ego in Dei nomine Ugo dux & marchio lege vivente Salica filius bone memorie Uberti, qui fuit similiter marchio, lege vivente Salica, in Dei omnipotentis ac misericordissimi nomine pro anime mee, parentumque meorum, & imperatorum omniumque christianorum, vivorum sive defunctorum remedium, ecclesiam edificavi in honorem sancti Michaelis archangeli in monte & podio, qui dicitur castello de Marturi, & hanc ecclesiam ad optimum statum religionis ducere cupiens, monasterium monachorum juxta regulam sancti Benedicti in Domino servientium statuere decerno & confirmo. Eo vero ordine vel statu, ut a modo in antea jam dicta ecclesia monastice ditionis perenniter delegata permaneat, & cum omni sua possessione monasterium monachorum ibi Domino servientium omni tempore fiat, quatenus in eodem sacrosancto loco usque in perpetuum abbas cum monachis regulariter vivant, & Dei servitium secundum prædicti patris normam die noctuque inibi faciant, & pro animabus nostris, parentumque nostrorum, sive religiosorum imperatorum preteritorum, presentium & futurorum, & omnium christianorum assidue intercedant.* Et infra tribus vicibus Bononii nostri mentio in eadem charta occurrit, videlicet *trado & offero omnipotenti Deo & eidem beatissimo Michaeli archangelo* &c. *& tibi* BOLONIO *venerabili abbati & tibi perenniter regulariter succedentibus* &c. Mox enumeratis quamplurimis bonis huic monasterio concessis repetit: *Monasterio beati Michaelis archangeli* &c. *& tibi* BOLONIO *venerabili abbati, & tibi religiose succedentibus offero, trado & concedo eo videlicet ordine, ut ab odierno die in antea in ipsa Dei ecclesia & monasterio te abbatem, te patrem cum monachis & presbiteris &c.* & denique: *Infra in manibus tuis, venerabilis abbas* BOLONI, *legitimam facio investituram & traditionem per cultellum & fistucum nodatum & guantonem* &c. Quæ omnia cum probent hoc dumtaxat anno 998. jacta fuisse fundamenta hujus monasterii, institutumque in eo Bononium primum abbatem, utique concludendum est post Grandium, priorem aliam chartam, quæ nihil habet de erigendo cœnobio, neque de abbate constituendo (tunc enim confugium aliquod foret, & conciliationem aliquam inducere possemus ei similem, quam protulimus ad annum 993.) sed quæ monasterium jam excitatum innuit, abbatemque ei loco simul præsidentem Bononium memorat, aut hac secunda posteriorem esse, & ad annum 1000. pertinere, ad hoc ut indictio XIII. locum habeat, ita quod in consignandis annis imperii utriusque Ottonis amanuensis erraverit, ex alio diplomate illius initium forte corrosum imprudenter supplens, aut dicendum falsam omnino & suppositiam esse primam chartam; neque adeo attendendum esse tempus Ottonum I. & II. sicut nec annum 970. ibidem indicatum, qui annus, etsi posset cum Hugonis, non potest tamen cum Romualdi & Bononii ætate & gestis componi. Ad Ottonis itaque III. tempus, & ad annum prædictum 998. cœnobii sancti Michaelis in castro Marturi erectio, & Bononii ordinatio in abbatem sunt referenda. Ista hausimus ex Grandii nostri annotatis ad vitam sancti Bononii a monacho Ratberto scriptam. Utramque chartam ad Romualdi & Bononii historiam illustrandam in Appendice ex Puccinellio proferimus, ex quarum postrema etiam in cognitionem veniemus, quot ecclesiæ, quot castra & prædia subjecta forent insigni illi cœnobio eo tempore.

ANN. CHR 998. ROMUALDI 91.

III. Romualdus se abdicat præfectura Classensi.

INTEREA *Romualdus*, qui secundum gerebat in præfectura Classensi annum, *videns*, ait Damianus [a], *& suam perfectionem aliquatenus minui, & illorum*, hoc est monachorum Classensium, *mores proclivius in deteriora*

a *Vit. S. Rom. cap.* XXIII.

Ann. Chr. 998. Romualdi 91.

a Annal. O.S.B. T. IV. p. 99.

b Vit. S. Rom. ibidem.

ra converti, regem impiger adiit, & eo non leviter reluctante, una cum archiepiscopo Ravennate, in utriusque conspectu virgam projecit, & monasterium dimisit. Hæc abbatiæ dimissio Ravennæ facta fuit hoc anno mense februario. Ne eam cum [a] Mabillonio ad annum *996.* referamus, vetat verborum contextus Damiani: [b] *Porro autem rex Tiburtinam tunc obsidebat civitatem ..... unde non dubium est beatum Romualdum illuc ex divina providentia missum.... fecit quoque venerabilis vir apud Tibur aliud boni operis fructum.... apud prædictam quoque civitatem convertit beatissimus vir Romualdus Tammum ;* post quæ narrat illatam tyranno Crescentio insidiose necem. Quæ omnia cum contigerint anno *998.* etiam abbatiæ dimissio, quæ immediate hæc omnia præcessit, ad eum annum est referenda. Ita ergo chronologia ordinanda videtur. Otto imperator ex Germania secundo in Italiam devenerat sub finem anni præcedentis, ut probat Pagius redarguens chronographum Saxonem supponentem nonnisi initio anni sequentis *998.* ipsum advenisse in Italiam. Etiam Cl. V. Dominus Mansius in notis ad Pagium, ut rem certam existimat anno *997.* Ottonem non discessisse e Germania; & tamen infallibilia documenta superiorem Pagii sententiam comprobant. Extat apud Puccinellium [c] diploma datum *Tridenti sub die* XIII. *decembris anni 997.* & apud Ughellium [d] alterum ecclesiæ Vercellensi concessum *Papiæ in palatio* II. *Kal. januarias anno incarnationis Domini 997. indictione* XI. *anno regni* XIIII. *imperii autem* II. Inde ex Papia imperator Cremonam se contulit, tum Ferrariam, postea Ravennam; in qua urbe cum consisteret, voluntate captus Venetias visendi, & simulato recessu cum quinque sociis in monasterium Pomposiæ, ex illo se transtulit Venetias, id quod habemus in chronico Danduli. Redux Ravennam cum florentissimo exercitu, papa Gregorio comitante, iter fecit Romam versus, in qua urbe consedisse 22. die februarii colligimus ex diplomate in favorem insignis abbatiæ Farfensis relato in [e] chronico ipsius monasterii, quo spoliavit Hugonem regimine ejusdem abbatiæ, licet post breve tempus in pristinum gradum eumdem restituerit. Aliud Ottonis diploma datum *Romæ* V. *Kalendas martii* legitur apud [f] Muratorium.

c Chron. abbatiæ Florentinæ p. 232.

d T. IV. col. 772.

e Rer. Italic. T. II. Par. II. col. 492.

f Antiq. medii ævi T. II. col. 9.

Ravennæ ergo commorantem februario mense Ottonem Romualdus intrepide adiens, post multas colluctationes cum ipso & cum Johanne XII. adhuc archiepiscopo Ravennate, tandem in manus utriusque abbatiam Classensem resignavit. Dicimus Johannem XII. adhuc Ravennatem rexisse ecclesiam, quam non anno præcedenti, ut putat Rubeus, [g] neque minus anno *996.* ut scribunt Baronius & Bollandus, gubernandam assumpsit, sed hoc anno tantum sub finem mensis aprilis Gerbertus successor Johannis, sicut asserunt [h] Mabillonius & [i] Muratorius. Abbatiali onere exutus Romualdus statim Ottonem Romam properantem secutus est, ubi ea contigere, quæ exinde sumus narraturi. Sed prius causam, cur Otto imperator secundo Romam hoc anno advenerit, inquiramus.

g Lib. V. p. 273.

h Annal. T. IV. p. 117.

i Annal. T. V. p. 510.

IV. Otto imp. Romam adit. Crescentium tyrannum fraude capit & occidit.

Causa nimirum fuit tyrannis Crescentii, qui abutens clementia, quam ipsi exhibuerat precibus Gregorii papæ V. imperator, post hujus in Germaniam reditum perversior evaserat, & Roma expulerat ipsum suum benefactorem Gregorium, collocans in ejus locum Johannem episcopum Placentinum, quem vidimus anno *972.* electum Nonantulanum abbatem, deinde Placentiæ antistitem; quæ antipapæ electio contigit anno *997.* circa mensem majum. Exul Gregorius confugerat ad Ottonem post excommunicatum Crescentium in synodo Papiæ celebrata; & Otto indignatus ob tyrannidem Crescentii, cum magnis viribus in Italiam descenderat

derat Romanam urbem liberaturus, & ultionem de tyranno sumpturus. Crescentius agnoscens impares esse vires suas ad potentissimum Ottonis exercitum ferendum, se clauserat in mole Hadriana; e contra imperator longam & forsan inutilem tyranni obsidionem metuens, ad fraudulentum consilium confugit, quod executus est Tammus Ottonis amicissimus; hoc nimirum fuit, ut sacramento securum redderet sontem Crescentium impune exeundi e mole. Fidens proinde Crescentius exivit, & statim ut reus læsæ majestatis tyrannidem suam capite luit. Ita factum describit Petrus Damianus: [a] *Crescentius namque senator Romanus indignationem regis incurrens, in montem, qui dicitur sancti Angeli, confugium petiit, & quia munitio inexpugnabilis est, obsidente rege, ad defendendum se fiducialiter præparavit. Cui Tammus ex præcepto regis jusjurandum securitatis præstitit; & ita ille deceptus, adnitente papa, qui sibi inimicus erat, quasi reus majestatis, capitalem sententiam subiit.* Porro Gregorius papa inimicus dicitur Crescentii, quia hic antipapam erexerat Johannem XVI. episcopum Placentinum contra ipsum. Consentit Damiani narrationi etiam [b] Leo Ostiensis; consentiunt pariter Arnulphus, & Landulphus senior historici Mediolanenses, quibus utpote Italis major fides est adhibenda, quam exteris, qui vi obsidionis captum Crescentium & decollatum asseruere. Ceterum contra auctoritatem veterum Baronius refert ad annum *996.* cædem Crescentii, cum a Lamberto monacho Schafnaburgensi, qui floruit seculo XI. in annalibus Germaniæ ad annum *998.* ea assignetur, & Mabillonius [c] adducat Ottonis literas, quibus mansos quatuor in comitatu Walterii comitis Einsidlensi monasterio donavit, datas III. *Kal. maii anno Dominicæ incarnationis* DCCCC. XCVIII. *indictione* XI. *anno tertii Ottonis regnantis* XV. *imperii secundo. Actum Romæ, quando Crescentius decollatus suspensus fuit.*

Ann. Chr. 998. Romualdi 91.

a *Vit. S. Rom. cap.* XXV.

b *Lib. II. cap.* XVIII.

c *Annal. T. IV. p.* 117.

An vero post mortem Crescentii Otto in concubinam acceperit interfecti uxorem, affirmat Damianus his verbis: [d] *Cujus uxorem postea imperator in concubinam accepit;* id quod asserunt & aliqui alii scriptores, inter quos quis invenitur reum adulterii Ottonem faciens. Ceteri tamen eum ab hoc probro absolvunt.

d *Vit. S. Rom. cap.* XXV.

V. Alia Ottonis crimina.

Alterum Ottoni crimen impingitur, ob injurias nimirum & contumelias factas contra depositum antipapam post decem menses usurpati solii apostolici, cui oculos erui, & amputari aures & nares jussit. Advenerat insuper ex Valle-lucii Romam abbas Nilus asceta celeberrimus, [e] ut impetraret antipapæ veniam, ipsiusque dimissionem post tam gravem pœnam, & Otto quidem Nilo pollicitus fuerat usurum se clementia erga depositum & obcæcatum pontificem; cum miser ita male redditus, impositus fuit asello, capite verso ad posteriorem partem jumenti, & data cauda in ejus manibus, ut hac ignominiosa forma per vias Romanæ urbis equitaret, ludibrium insanæ & furibundæ plebis. Accidit hæc tragœdia tempore quadragesimæ hujusce anni, qua refert auctor vitæ sancti Nili, qui hoc eodem tempore scribebat, & diligens ab omnibus habetur, Nilum iter suscepisse cum non parvo incommodo ob inclementiam aeris & tempestatis. Petrus quidem Damianus [f] has injurias tribuit populo furenti. *Resipiscente*, ait, *Quiritum populo, atque in zelum dignæ ultionis exardescente, irruentes in eum manus injiciunt, oculos eruunt, aures naresque præscindunt.* Sed auctor vitæ sancti Nili, licet Ottonem aliquantulum excuset dicens: *Neque enim revera tota res ejus consilio peracta est*, tamen de hoc facinore redarguit Ottonem; quare inducit nonagenarium senem Nilum ita loquentem Ottoni & pontifici Gregorio: [g] *Donastis*

e *Apud Baron. ad annum* 996. *num.* XVI.

f *Epist. II. ad Cadaloum antipapam.*

g *Ap. Baron.*

Ann. Chr. 998. Romualdi 91.

nastis mihi cæcum istum, non mei timore nec magna mei potentia, sed tantum Dei amore. Nunc igitur, quæcumque insuper fecistis, non illi, sed mihi fecistis, vel potius Deum ipsum contumelia affecistis. Scitote igitur, quod quemadmodum vos non pepercistis illi, neque misericordiam ostendistis erga illum, qui a Deo manibus vestris traditus est, ita neque Pater vester cœlestis parcet peccatis vestris. Illud interim immerito exquirit a Damiano Muratorius [a], quomodo coactus fuerit Johannes antipapa asello insidens canere: *Tale supplicium patitur, qui Romanum papam de sua sede pellere nititur*, cum ei jam avulsa fuisset lingua? non animadvertens Damiani textum in epistola II. ad Cadolaum antipapam præferre quidem oculos, aures, & nares præcisa fuisse Johanni Placentino, non autem linguam, de cujus avulsione Damianus silet, licet auctor vitæ sancti Nili addat ceteris mutilationibus amputationem etiam linguæ. Deinde Damianus non scribit hoc elogium sibi cecinisse ipsum Johannem, sed potius populum furentem, cum dicat: *Hæc ut canerent, impulerunt: Tale supplicium &c.*

a *Annal. Ital. T. V. p.* 501.

VI. Pœnitentiam ideo suscipit a Romualdo.

Igitur ob hæc crimina, sed præcipue ob jusjurandum violatum in nece tyranni Crescentii, Otto imperator pœnitudine ductus culpam suam agnovit, & beato Romualdo detexit reatum suum, qui sanctus vir ei pro expiatione imposuit, ut ad ecclesiam sancti Michaelis archangeli in monte Gargano se conferret, & purgaret hoc modo scelus suum. Verba Damiani sunt sequentia. [b] *Ipse autem rex ex eodem crimine beato viro confessus, pœnitentiæ causa nudis pedibus de Romana urbe progrediens, sic usque in Garganum montem ad sancti Michaelis perrexit ecclesiam. Per totam etiam quadragesimam in Classensi monasterio beati Apollinaris, paucis sibi adhærentibus, mansit. Ubi jejunio & psalmodiæ, prout valebat, intentus, cilicio ad carnem indutus, aurata desuper purpura tegebatur. Lecto etiam fulgentibus palliis strato, ipse in storea de papyris confecta, tenera delicati corporis membra terebat. Promisit itaque beato Romualdo, quod imperium relinquens, monachicum susciperet habitum, & cui innumeri mortales erant obnoxii, jam ipse pauperculo subjectus cœpit esse debitor sui.* Philippus Brietius ad annum 996. post narratam pœnitentiam Ottonis jussu Romualdi juxta Damiani verba, hæc addit: „ Quæ narrantur a Petro „ Damiani, apud plerosque non inveniunt fidem. “ Potuisset his reponere Brietius, incredibilia non esse, quæ de Ottonis satisfactione refert Damianus. Incredibilis profecto non est peregrinatio nudis pedibus ad montem Garganum; alia enim suppetunt exempla de peregrinatione nudipeda ab Ottone suscepta. Narrat chronographus Magdeburgensis [c] ipsum Gnesnam accedentem pro veneratione corporis sancti Adalberti martyris, conspecta a longe urbe, pedes exuisse, & suppliciter nudis pedibus accessisse ad locum ejus sepulcri: *Videns autem a longe civitatem desideratam nudis pedibus suppliciter advenit.* Si ergo religionis causa pedes exuit, cur non exuerit pœnitentiæ gratia? Ottonem montem Garganum petiisse sequenti anno habemus ex actis comitum Capuanorum his verbis. [d] *In hoc autem venit Otto tertius imperator Capuam, abiit in Gargano ad sanctum Michaelem, & revertit Romam.* Abiisse pro expiatione adimplenda illi imposita a sancto Romualdo, clare legimus in Leone Ostiensi [e], sed ad annum 1000. *Imperator Beneventum venit & causa pœnitentiæ, quam illi beatus Romualdus injunxerat, abiit ad montem Garganum.* Roma ad montem Garganum pedestrem se contulisse Ottonem, testatur coævus auctor vitæ sancti Nili abbatis: [f] *Imperator vero pœnitentiam pollicitus pedes ab Urbe ad Garganum montem ivit ad sanctum Michaelem archangelum.*

b *Vit. S. Rom. cap.* xxv.

c *Ap. Mabill. Sec.V. pag.*845.

d *Muratori. rerum Italicar. T. II. p.* 335.

e *Lib. II. cap.* xxiiii.

f *Apud Baron. ad ann.* 996. *num.* xviii.

lum. Habemus præterea diploma ipsius Ottonis ad favorem monasterii Montis-casini relatum a doctissimo abbate Erasmo Gattola datum[a] *Capuæ mense martio* sequentis anni, ubi consistebat imperator forsan ratione hujus itineris. Alterum datum *Sublaci in sancto Benedicto* III. *idus augusti indictione* XII.[b] apud Muratorium. Cur ergo soli Petro Damiano erit neganda fides, quæ non denegatur ceteris auctoribus eadem cum Damiano scribentibus? Nudis tamen pedibus Ottonem iter confecisse ita est intelligendum, ut non soleis exutus, sed cooperimentum tantum poplitum & crurum deponens montem Garganum adierit. An vero eodem sequenti anno *999.* aliam Otto satisfactionem subierit quadraginta dierum, jejunio & psalmodiæ intentus in monasterio Classensi, licet credibile putemus post Mabillonium, Grandium & Collinam, & præcipue in expiationem homicidii perpetrati contra Crescentium tyrannum, quæ pœnitentia quadraginta dierum imponebatur iis, qui virum de medio sustulissent, nil tamen vetat, quin potuerit adimpleri ab Ottone etiam post eum annum, & præsertim anno 1001. quo non semel Ravennæ substitit idem imperator. Illud tamen cum Grandio & Collina monemus contra Muratorium[c], & etiam contra Mabillonium[d], *Quadragesimæ* a Damiano appellatæ nomine, non intelligendum spatium XXXXVI. dierum, quibus ecclesiastica quadragesima cum abstinentia ciborum est fidelibus assignata, sed quadragesimam legalem, quadraginta nimirum dierum, quocumque demum anni tempore id contingeret, sibi succedentium.

ANN. CHR. 998.
ROMUALDI 91.

a *Histor. Montis-casini Addition.* T. I. *Par.* II. *pag.* 312.

b *Annal.* T. V. *pag.* 515.

c *Annal.* T. VI. *pag.* 3.

d *Lib.* LI. *p.* 141.

VII. Romualdus Ottonem conciliat cum Tiburtinis.

ALIA fuit præordinatio divina, ut Romualdus hoc anno Romam veniret. Cives Tiburtini occiderant quemdam Mazolinum, ut vocat Petrus Damianus, vel Masolinum, ut appellatur a nostro Hieronymo Pragensi, vel demum Matolinum, ut legitur apud Surium & Baronium, qui dux erat fortissimus in exercitu imperatoris. Immo rebelles Tiburtini imperatori contra ipsum arma corripuerant, a finibus sui territorii ejus exercitum arcentes. Imperator succensuit valde, & aprili mense hujus anni, post mortem Crescentii, & post sumptam de antipapa ultionem, obsidione tenuit Tibur, ut eam urbem funditus destrueret, eo vel etiam quia Tiburtini adhæserant & adhærebant factioni tyranni Crescentii; quod post Baronium asserit etiam Bollandus. Causam quinimmo Tiburis obsidendi eam unam fuisse scribit Baronius sub eodem anno[e], quod nimirum Tiburtes Crescentio tyranno favissent, atque ideo, quæ hic narrantur, perpetrassent. Porro Romualdus præsentissimum eorum civium periculum, & urbis excidium videns, ita leniter allocutus est imperatorem, ut gratiam invenerit apud ipsum pro civibus illis. Remisit ergo Otto Tiburtinis injuriam cum iis conditionibus, ut sibi darent obsides, & demolirent mœnia urbis, ac matri interfecti ducis obstrictum catenis mitterent occisorem filii. Mulier vero lacrymis & precibus mitigata Romualdi, placavit iram suam, & interfectori pepercit, eum omnino incolumem remittens ad domum suam. En Damiani verba.[f] *Porro autem rex Tiburtinam tunc civitatem obsidebat. Cives enim inclytum ejus ducem Mazolinum nomine interfecerant, ipsum quoque regem correptis armis a suis mœnibus exturbarant. Unde non dubium est, beatum Romualdum illuc ex divina providentia missum, qui imminens tot animarum periculum sequestra pace delevit. Hoc etenim inter eos pactus est, ut Tiburtes ad honorem regis murorum partem diruerent, obsides darent, ducis vero interfectorem ad ejus matrem catenatum dirigerent. Quæ, sancti viri fusis ad Deum precibus, mitigata, crudeliter offensa, & crimen indulsit, & incolumem ad propria redire permisit.*

e *Num.* 77.

f *Vit. S. Rom. cap.* XXIII.

Ann. Chr. 998. Romualdi 91.

VIII. Defenditur Damianus historiam hanc narrans.

Doctissimus Muratorius, [a] narrata Tiburis liberatione, ut eam ex Damiano mox retulimus, sancti doctoris auctoritatem elevare conatur, subdens: „ Quam parum tuto fidendum narrationibus sancti Petri „ Damiani, qui nondum his temporibus natus erat, colligetur ex narra„ tionis suæ collatione cum narratione presbyteri Tagmari, qui cum san„ cto Bernwardo Hildesheimensi episcopo præsens adfuit facto. Nihil „ Tagmarus scribit de sancto Romualdo; hoc tantum in medium pro„ fert, quod inveniente imperatore in obsessis vires magnas ad resisten„ dum, & cupiente cum honore ab obsidione exsolvi, quæ ipsum solli„ citum nimis reddebat, Silvester papa & episcopus Bernwardus ecclesia„ stico zelo perciti, institerunt apud cives Tiburtinos, ut paterentur se „ ingredi in urbem; qui lætanter excepti, Tiburtinos adduxere ad se „ ipsos subjiciendos imperatori, & ad se dedendos. “ En verba [b] Tagmari, quorum aliquam partem, in confirmationem suæ sententiæ, producit in annalibus Muratorius. *Illis quippe diebus dominus imperator Tiburtinam civitatem arcta obsidione vallavit. Machinis autem & plerisque instrumentis ad expugnationem paratis, fossis etiam miræ magnitudinis, ut aquam a meatu deducerent, cum magnam vim civibus ingererent, nec ad deditionem cogere possent, imperator invitatur. Nec mora, adest cum Apostolico, & venerabili Bernwardo episcopo. Cumque, ut in talibus fit, alii augere obsidionem auderent, alii diuturno ac grandi labore parum se profecisse dicerent, bonum videri, tantum ut cum honore fiat, obsidionem solvi. Imperator beatum Bernwardum præsulem seorsim abducens, quid agat, consulit, ægre admodum ferre se cum injuria cœptis desistere. Ad quem ille: Non patior, ait, super his vos, anima mi, quem vita cariorem habeo, commoveri: sed nunc præcipite arctiori obsidione urbem vallari. Nam etsi reditum ad patriam desidero, non ante a majestate vestra diverto, quam urbem populumque vestro juri subactam Dei pietate videbo. Ad hæc imperator lætus, dilecto gratatur magistro, locum arctiori obsidione munit, milites ad expugnationem instruit, intrandi vel exeundi licentia omnibus imperiali auctoritate interdicit. Aliquot diebus exactis, dominus Bernwardus & Apostolicus præfatam urbem adeunt. Cives læti adventantes, servos Dei honorifice excipiunt, urbi intromittunt, nec prius desistunt, quam omnes pacatos imperatoris ditioni, Dei gratia adjuti, subdunt. Postera namque die nobili triumpho subsequente, episcopi imperatorem adeunt: nam cuncti primarii cives nudi, femoralibus tantum tecti, dextera gladios, læva scopas ad palatium prætendentes, imperiali jure se subactos nihil pacisci, nec ipsam quidem vitam; quos digne judicaverit, ense feriat, vel pro misericordia ad palum scopis examinari faciat; si muros urbis solo complanari votis ejus suppetat, promptos libenti animo cuncta exequi, nec jussis ejus majestatis, dum vivant, contradicturos. Imperator pacis mediatores papam & venerabilem Bernwardum episcopum magnifice gratando extollit, atque ad illorum nutum reis veniam tribuit; placitoque habito, urbem non destrui in commune deliberant.* Ex Tagmaro hæc Muratorius, ut Romualdum probet nullam in Tiburtinæ urbis liberatione partem habuisse.

Collina noster [c] Tagmari narrationem cum illa Damiani conciliasse sibi plaudit dicens, silentium Tagmari non excludere Romualdum quoque fecialem fuisse, auctoremque pacis. Papam & Bernwardum ingressos fuisse Tibur pro disponendis civibus ad deditionem, quia probe erat eis nota Ottonis propensio ad veniam, non ad urbis ruinam; Tagmarum vero non indicare virum, qui Ottonis animum ad clementiam jam allexerat. Præterquamquod, ait, si Otto honorifice ad finem perducere obsidionem

a *Annal. d' Italia T. VI. p. 3.*

b *Mabill. Secul. VI. Par. I. in vita S. Bernvardi n. 25.*

c *Vit. S. Rom. cap. XX.*

nem

nem illam in optatis habuisset, non indigebat tot precibus papæ & episcopi, ut concederet veniam, quippe qui potius Ottoni, quam civibus Tiburtinis serviebant, sese immiscendo huic negotio. Videtur ergo repugnare narratio Tagmari, & sibi ipsi non satis constare. Potest simul conciliari magna resistentia, quam ab obsessis expertus est imperator, ejusque desiderium sine dedecore bellum absolvendi; sed admitti debet æqualiter periculum extremum ipsius urbis, aliter cives sese non dedissent in plenum Ottonis arbitratum, & tam enorme sui spectaculum non exhibuissent. Ex modo, quo rem narrat Tagmarus, intelligitur, vires & quidem magnas, potentemque fuisse imperatoris exercitum contra obsessam urbem; Tiburtinos autem indiguisse alicujus proxenetæ ope, qui flecteret animum ipsius ad clementiam, & hic fuit Romualdus. Post hanc primam in mentem Ottonis introductam dispositionem, prosecuti sunt rem ad felicem exitum usque papa & episcopus Bernwardus. Papam autem Collina supponit non Silvestrum II. sed Gregorium V. fuisse. Et ita confirmari narrationem Damiani ab illa Tagmari putat; hunc nimirum media speciosiora & notiora descripsisse, illum confidentiora & abditiora asserit. Quam Collinæ conciliationem, ut sententiam nostram aperiamus, perpulcre concinnatam, sed inutilem, & insuper veritati minime innixam credimus, pace amicissimi nobis viri; quia diversa est obsidio urbis Tiburis descripta a Petro Damiano ab obsidione narrata a Tagmaro; & hæc Tagmari evenit eo temporis dumtaxat, quo Bernwardus episcopus Hildesheimensis Romam se contulit, ubi se recepit anno 1001. Quare duæ Tiburis obsidiones distinguendæ sunt post Mabillonium; alia quæ anno 997. accidisse dicitur a Sigonio, & anno 996. a Baronio, quam nos ad hunc annum 998. referimus, quæque sancti Romualdi interventu impedita fuit, & describitur a Petro Damiano; & alia, quæ contigit anno 1001. narraturque a Tagmaro. Sicuti ad compescendum Crescentium tyrannum bis Romam venit Otto imperator, anno nempe 996. & anno 998. ita valde verisimile est Tiburtinos, licet veniam obtinuerint præsenti anno ab Ottone, anno tamen 1001. denuo rebellasse, & se opposuisse imperatori. Turbulentiæ, quæ his diebus Romæ vigebant, quammaxime confluebant, ut seditionibus exardescerent etiam finitimæ urbes. Romani indigne tulerunt Tiburtinos cum imperatore pacatos, ut ait Tagmarus, quod demonstrat Romanos temporibus anteactis inimicitias cum iis gessisse, & animum imperatoris contra ipsos commovisse, ac Tiburtinos alia vice contra imperatorem arma suscepisse. Alia ratio distinguendi duplicem obsidionem est, quod conceptis verbis Tagmarus hanc urbis obsidionem secundam contigisse dicat Silvestri II. tempore. Cum enim sub ipso tantum, anno nimirum 1001. Romam venerit Bernwardus, & illis diebus imperator Tiburtinam civitatem arcta obsidione vallaverit, Apostolicus, qui eum pacificum reddidit Tiburtinis, fuit certe Silvester II. at in prima obsidione nondum erat Romanus pontifex sub nomine Silvestri Gerbertus, sed tantum vix erat archiepiscopus Ravennas electus. E contra Romualdi adventum Romam & ad urbem Tiburtinam non sub Silvestro II. sed sub Gregorio V. contigisse declarant satis clare ea, quæ superius attulimus, & ea, quæ inferius proferemus, a Romualdo Romæ & Tibure perpetrata, & non tantum a Damiano, sed ab aliis etiam auctoribus ipsi attributa, potissimum a Leone Ostiense.

Fides proinde non est deneganda Damiano scribenti hanc primam obsidionem Tiburtinam opera Romualdi solutam fuisse, eo vel maxime, quod usque ad præsentem diem urbs hæc gratum animum servet erga suum libera-

ANN. CHR. 998. ROMUALDI 91.

beratorem Romualdum, quem in protectorem elegit, oblationem quotannis, die sollemni ejus festi, ecclesiæ nostræ sancti Andreæ exhibens. Illud tamen miramur obsidionem & liberationem utramque ignoratas fuisse ab aliis auctoribus, præterquam a Tagmaro & a Petro Damiano; & canonicum Franciscum Martium, qui historiam edidit hujus urbis impressam Romæ anno 1665. non sine nomine supinæ negligentiæ utramque silentio præteriisse.

IX. Romualdus Venerio Tiburtino leges dat eremitici instituti.

QUID ulterius Tibure egerit Romualdus, verbis ipsius Damiani prosequamur ex capite XXIII. quod inscriptum est *de sancto Venerio*. Etiam Vaticanus codex *Sanctum* appellat, cum tamen careant hoc titulo capita XXVI. & XXVIII. quæ tractant *de Bonifacio martyre*, *& de Johanne & Benedicto martyribus*, qui ab ecclesia Sanctorum albo sunt adscripti; ex quo titulo desumi potest argumentum sanctitatis Venerii. Inquit ergo Damianus: [a] *Fecit quoque venerabilis vir apud Tibur alium boni operis fructum, quem silentio prætereundum esse non arbitror. Quidam namque beatus vir, Venerius nomine, habitare primitus in monasterio cœpit cum tanta humilitate & simplicitate, ut omnes illum fratres subsannando despicerent, & delirum eum atque dementem esse putarent. Alii namque illum sæpe colaphizare, alii sordida, qua lebetes lavabantur, aqua perfundere, alii diversis illum solebant conviciorum jurgiis lacerare. Cumque ille se perpenderet inter tot adversa tranquillum suæ mentis statum servare non posse, consortium deserens, in solitudinem fugiens properavit. Ubi per sex annos absque vino omnique pulmento sub nimiæ districtionis aviditate permansit. Hunc itaque Romualdus, audita ejus fama, visitare curavit. Quem interrogans, sub cujus regimine degeret, cujusve arbitrio suæ conversationis obedientiam exhiberet, respondit se alieno solutum imperio hoc sequi, quod sibi utilius videretur. Cui Romualdus ait: Si crucem Christi portas, superest, ut Christi obedientiam non relinquas. Vade igitur, & consensu a proprio abbate suscepto, revertere, & sub ejus dominio humiliter vive; quatenus sacri operis ædificium, quod bona voluntas ædificat, humilitas erigit, obedientiæ virtus extollat. Hæc & multa alia ædificationis monita proferens, docuit eum qualiter cogitationibus suis resistere, qualiter posset iniquorum spirituum infestationibus repugnare, & ita confirmatum & instructum in multa eum alacritate reliquit. Ille igitur sancti viri documenta gratanter amplectens, abbatem suum protinus adiit, consensum accepit, & ad dilectam solitudinem quantocyus remeavit. Volens autem in possessione sui monasterii habitare, ascendit in quoddam saxum nullis hominum vestigiis pervium, & ab humana penitus conversatione remotum, ibique per quatuor annos omni humano solatio destitutus, singulariter habitans, exceptis tribus buccellis, quas de monasterio secum detulerat, non panem comedit, non vinum bibit, non coctum aliquid omnino gustavit, sed solis arborum pomis, & herbarum radicibus vixit. Erat autem in eodem saxo quædam concavitas, ubi colligebatur aqua in hyeme, ex qua vir sanctus tota bibebat æstate. Tandem vero cognito, quod ibi servus Dei moraretur, cœperunt ad eum multi confluere, ciborum alimenta deferre, & quæque sibi quasi necessaria ministrare. Quorum ille nullius indigens, cuncta pastoribus pecorum & aliis indigentibus exhibebat. Exhortante autem loci episcopo, basilicam sibi fieri, & consecrari permisit. In qua ipse aliquanto post tempore defunctus est, & a quibusdam se quærentibus inventus est acclivis ante altare, quasi causa orationis in cubitis & genibus jacens. Ubi nonnulla per eum Dominus miraculorum signa operari dignatus est. Sic denique, sic bona terra uberes fructus reddidit, quæ verbi semen ex ore Romualdi multiplicatum suscepit.*

a Vit. S. Rom. cap. XXIV.

Vene-

Venerio nullus cultus publicus Tibure exhibetur. Distinguendus hic Venerius ab alio Venerio presbytero ecclesiæ sancti Gregorii rectore, qui hoc eodem tempore vivebat Arimini, & hortatu Arduini itidem presbyteri Ariminensis onus abbatis in cœnobio sancti Gaudentii de Arimino, sibi collatum a Johanne episcopo, suscepit. Ferrarius [a] consignavit diem obitus sancti Venerii Tiburtini ad diem XI. septembris; XIII. die ejusdem mensis alter sanctus Venerius abbas colitur, ut adnotavit Baronius ad eam diem in martyrologio Romano. Præter Ferrarium agunt de Venerio Tiburtino Maurolycus, & Petrus Canisius in martyrologio, qui postremus ad diem XIII. septembris tradit, Venerium quatuor panibus vitam quadriennio traduxisse Ottone III. imperante. Episcopus Tiburtinus per ea tempora erat Gualterus, de quo vide Ughellium [b]. Ceterum in hoc Venerii facto specimen habemus novi anachoretice vivendi generis a Romualdo instituti. Veteres eremitæ in speluncis, & in locis solitariis vivebant, nullius imperio subjecti, sibique tantum operum suorum erant conscii. At eremitæ, quos præceptis informavit Romualdus, sub prælati obedientia degebant, majorum suorum consensu singularem vitam illam eligebant, poterantque, si minus eorum acta probabantur, ad claustra revocari. Sociata ergo fuit Romualdi opera cœnobitica cum anachoretica disciplina, & utriusque vitæ conjuncta commoda & merita.

ANN. CHR. 998. ROMUALDI 91.

a In Cat. SS.

b T. I. col. 1306.

X. Idem Tammum, Bonifacium & plures Teutonicos monachos facit.

NON cum solo Ottone fuit tam rigidus censor Romualdus, sed & Tammum ipsum, qui jusjurandum fregerat, adstrinxit, ut seculo valediceret. Erat Tammus sive Tamus, vel Thamius, princeps militiæ, ut eum effert [c] Hieronymus Camaldulensis, Teutonicus genere, & Ottoni in primis carus, itaut *utriusque vestes*, ait Damianus [d], *utrumque contegerent, & amborum manus una paropsis communi sæpe convivio sociaret*. Hic ex præcepto Ottonis jusjurandum præstiterat Crescentio, ut sine læsionis metu exiret e mole Hadriani, & ita illusum Crescentium ad necem perduxerat. Apud prædictam ergo civitatem Tiburis a Romualdo fuit ad Deum conversus, & [e] *quia fraudis fuerat conscius, & perjurio tenebatur obnoxius, iccirco a beato Romualdo jussus est relinquere seculum. Qui mox a rege licentiam expetens, non modo facilem reperit, sed nimium etiam alacrem fecit. Erat enim prædictus imperator monastico ordini benevolus, & nimia circa Dei famulos affectione devotus*. Distinguendus hic Tammus a Tammone comite, *imperatori grato, viro certe omnium morum probitate præclaro fratre sancti Bernwardi episcopi Hildesheimensis*, de quo ad annum 1001. loquitur Tagmarus presbyter in vita ejusdem sancti Bernwardi, quique eodem anno in imperatoris Ottonis servitio perdurabat. Præter Tammum, & alios plures Teutonicos, quos Romualdus convertit, convertit & Brunonem-Bonifacium imperatoris ejusdem consanguineum, cujus proinde, quia nos in progressu res gestas & illustre martyrium referre debebimus, initia uberiore stylo placet hic dare.

c Cap. VIII.

d Vit. S. Rom. cap. XXV.

e Ibidem.

XI. Primordia Bonifacii, diversæque scriptorum opiniones.

NATUS est Bonifacius anno 976. ut Conradus Janningius in Appendice ad diem XIX. Junii [f] existimat, sententiam suam deducens ex eo, quod *contemporaneus* & *conscholaris* suus a Ditmaro appellatur sub finem libri VI. sui chronici, qui libro III. se natum anno 976. VIII. kalendas augusti fatetur. Collina [g] tamen Bonifacii ortum quadriennio antevertit, cum possint dari consodales inter se quadriennio, & quinquennio dispares. Magdeburgum fuit ipsius natale solum; pater ejus appellabatur Bruno, mater Ida, ex comitibus Quernefurti, qui forsan ob amorem Ottonis I. conditoris Magdeburgi post subjugatos Slavos, Magdeburgum se contulerant ad habitandum. Frater fuit Bonifacius Gevehardi, cujus pronepotes exti-

f T. VI. P. I. pag. 221. Act. SS.

g Vita di S. Bruno-Bonifazio pag. 10.

Ann. Chr. 998. Romualdi 91.

extitere Conradus archiepiscopus Magdeburgensis, & Lotharius, prius creatus dux Saxoniæ ab Henrico V. imperatore, postea electus imperator anno 1125. ut constat ex chronographo Saxone [a] a Leibnitio anno *1696.* edito tomo Accessionum historicarum. Elias Reusnerus in Accessione operis genealogici, [b] eo loci, ubi exhibet stemma gentilitium comitum Quernefurtensium, nominat duos Brunonis fratres Gebehardum & Burchardum, & sororem Elisabeth, quam ait fuisse Pragæ abbatissam. Sed ejus narratio non subsistit, neque consentit cum illa chronographi Saxonis, juxta quem Gevehardus filios suscepit Burchardum & Idam; atque ex Burchardo Conradus archiepiscopus Magdeburgensis ortus est, & ab Ida Gevehardus pater Lotharii imperatoris. *Pater præfati episcopi* (Bonifacii) ait Saxo chronographus, *Bruno dicebatur*, *mater Ida*, *frater Gevehardus. Gevehardus genuit Burchardum*, *&* *Idam*; *Burchardus genuit Gevehardum comitem*, *patrem Lotharii imperatoris.* Ex iis liquet propterea hallucinatos fuisse Johannem Trithemium in libro *de Scriptoribus ecclesiasticis*, & Guilielmum Einsengrenium in *Catalogo testimoniorum veritatis*, & Sixtum Senensem, [c] in *Bibliotheca sancta*. qui Brunonem-Bonifacium Italum faciunt, ibique in scientiis eruditum asserunt. Alius error est Arnoldi Wion, qui putat Bonifacium monachum extitisse in Sancti Alexii monasterio Romæ, contra apertam assertionem Damiani, aliorumque auctorum dicentium, ante ejus conversionem factam cum ceteris Teutonicis a Romualdo moratum fuisse Bonifacium in capella regia.

Scientiis informatus fuit Magdeburgi sub directione Adalberti primi archiepiscopi Magdeburgensis, qui *primus ordinatus in Magdeburgh*, ait Adamus [d], *duodecim annis strenue pontificatum administravit*. Præsidebat scholæ Geddo philosophus, & schola aperta erat eo in loco, qui primitus fuerat monasterium ordinis sancti Benedicti erectum ab Ottone I. magno, interventu Edithæ piissimæ augustæ uxoris. Hinc fluxit alter error Sixti Senensis, qui eum monachum Casinensem nominat; alius pariter Gabrielis Buccellini, qui in annalibus Germaniæ ad annum 1008. ipsum supponit factum monachum Magdeburgi, ubi cum Ditmaro literis operam dederit. Non animadverterunt supradicti auctores monasterium institutum ab Ottone, paucis annis post suam erectionem, voluntate ipsius Ottonis, & consensu Romani pontificis Johannis XII. mutatum fuisse in sedem archiepiscopalem, & monachos translatos fuisse ad vicinum montem sancti Johannis-baptistæ, ut docemur ex bulla ejusdem pontificis [e] relata a Mabillonio. Quando porro scientiis vacabat Bruno-Bonifacius Magdeburgi, locus incolebatur a clericis, & ad vicem erat seminarii. Neque proinde attendendus est etiam Langius, qui eum Benedictino ordini ideo adscribit, quia educatus fuit in monasterio Magdeburgensi, etenim eo tempore monachi alio fuerant translati. Bruno ergo Bonifacius monachum non induit Magdeburgi, sed primus ejus monachatus tempore Ottonis III. & sub sancto Romualdo est ponendus, ut clarissime affirmavit Ditmarus [f]: *A tertio Ottone igitur desideratus suscipitur*, *quem non longe post deserens solitariam vi am quæsivit.*

A teneris unguiculis pietati deditus, ceteris scholaribus ludentibus, ipse orationi incumbebat, musicæ operam dabat, & scientiis ac ceteris liberalibus disciplinis totum se tradiderat, & præter cetera ingenii sui monumenta, vitam, passionem & acta martyrii sancti Adalberti Pragensis episcopi conscripsit, quod chronicon Magdeburgense testatur [g]. *Adalbertus*, *qui postea Pragensis episcopus*, *glorioso martyrio coronari meruit*, *cujus consodalis sanctus Bruno*, *qui & Bonifacius*, *nobilitate & meritis illi per omnia*

a Ad ann. 1009.
b Pag. 45.
c Lib. 4.
d Lib. II. cap. 7.
e Secul. V. Act. SS. Ord. S. Bened. pag. 564.
f Lib. VI.
g Meimbom. Historicor. German. collect. T. II.

nia simillimus, dum passionem & actus ipsius scribendo miratus est, ipse nihilo minus archiepiscopus Gentium pari agonis triumpho subsequenter in confinio Russiæ & Littuæ regionum martyrizatus est. Quare Trithemius [a] non solum sanctissimum doctrina & moribus, sed clarissimum doctrina & scientia scripturarum appellat; licet in eo erraverit, quod Brunoni-Bonifacio tribuat commentaria in Genesim, aliaque opera, quæ sanctum Brunonem episcopum Signinum, monachum Casinatem, parentem agnoscunt. Ex collegio Magdeburgensi; in quo fere per decennium degit, transiit Bonifacius ad canonicatum ecclesiæ sancti Mauritii Magdeburgi, sub cujus Sancti patrocinio Otto locum dicatum voluit, licet monasterium sub regula sancti Benedicti olim excitatum fuisset in honorem sanctorum Petri & Pauli, & sancti Innocentii martyris, ut ait [b] Krantzius; inde sacerdos effectus, & ab Ottone III. *dilectus, præses effectus est suæ capellæ regiæ;* vel, ut habet chronicon Halberstadense: [c] *Imperialis aulæ capellanus.* Advenientem deinde Ottonem III. in Italiam comitatus est Bonifacius, an etiam prima, vel tantum secunda vice, non liquet; illud constat Bonifacium tempore dumtaxat liberationis Tiburis urbis, & cædis Crescentii tyranni, adhæsisse Romualdo, a quo cum ceteris conversus fuit, & monastico habitu fuit indutus.

ANN. CHR. 998. ROMUALDI 91.

a *De viris illustr. ord. S. Bened. Lib. III. pag.* 230.

b *Saxonia lib. III. cap.* 24.

c T. II. *rerum Brunsuicens. a Gotefrido Guil. lelm. Leibnitio edit. pag.* 119.

XII. Bonifacius idem ac Bruno cum Janningio demonstratur.

ANTEQUAM tamen Bonifacii historiam prosequamur, quem lectores jam a nobis hactenus confusum cum Brunone apostolo Russiæ sive Prussiæ apertissime cognoscunt, rationem reddamus, cur Bonifacium Romualdi discipulum, de quo plura habet Damianus, unum eumdemque esse cum Brunone, cujus meminere Ditmarus, & alii scriptores Germanici, non solum opinemur, sed certo asseramus. Hanc provinciam ante nos sumpsere, & laudabiliter prosecuti sunt Conradus Janningius [d] *in Actis Sanctorum*, & Bonifacius Collina noster in Vita sancti Brunonis-Bonifacii Italice conscripta, & edita Bononiæ anno 1746. Quorum ille fatetur, Bollandum ad diem XIV. februarii de sanctis martyribus Brunone archiepiscopo & XVIII. sociis in Prussia egisse, eorumque acta descripsisse ex Ditmaro Merseburgense episcopo, sancti Brunonis consanguineo, & condiscipulo studiorum Magdeburgi; accuratum esse Bollandi commentarium de Brunone, verum de Bonifacio in Prussia martyre, idem-ne esset cum Brunone, an secus, nihil ei in mentem venisse; Franciscum Verhovium pariter acta sancti Bonifacii archiepiscopi apostolici, ordinis Camaldulensis, circa Russiam martyris, illustrasse ad diem XIX. junii, sed cogitationem hanc, unum eumdemque esse Bonifacium cum Brunone, illum non subiisse. Se autem & Johannem-Baptistam Sollerium subrogatum in locum Verhovii præpropera morte sublati anno 1701. collatis inter se Bonifacii & Brunonis martyrum actis, dubitare cœpisse, an revera diversi inter se existimandi essent Sancti isti, communique consensu statuisse examini subjicere, quæ ad probandam diversitatem, vel identitatem personarum occurrerent. Tum adducit, quæ scriptores Germani de suo Brunone martyre reliquerunt posteritati, inter quos primum locum dat Ditmaro coævo, condiscipulo & consanguineo Brunonis, cujus verba exscribit, tum ejus apostolatum, postremo martyrium; & relato Ditmari testimonio, desumit Ditmarum compendio continere ea fere omnia, quæ Petrus Damianus scribit de suo Bonifacio. Subjungit deinde, quæ scriptores Germani veteres de eodem sancto Brunone retulere, quorum aliqui ipsum etiam appellant *Bonifacium*. Et primo laudat chronicon Magdeburgense [e], in quo nominatur *Bruno, qui & Bonifacius.* Secundo chronicon Quidlinburgense a Leibnitio editum [f], ubi pariter appellatur *sanctus Bruno, qui cogno-*

d T. VI. Par. II. p. 217.

e *Script. rer. German. Meimbomii pag.* 275.

f Tom. III. *pag.* 287. *rer. Brunsuicensium.*

Ann. Chr. 998. Romualdi 91.

gnominatur Bonifacius. Tum Accessiones historicas ejusdem Leibnitii, in quibus habetur chronographus Saxo, qui sanctum Brunonem archiepiscopum vocat, *qui & Bonifacius*. Clariora deinde adducit ex chronographo Magdeburgensi [a], qui insuper addit, Taginonem Magdeburgensem consecrasse *episcopum Brunonem, cognomento Bonifacium, prius quidem sancti Mauritii Magdeburgi canonicum, postea vero in palatio regio assumptum, sed fugientem cum deliciis suis seculum, ut sibi lucrifaceret Christum, sicque apud Italiæ eremum cum beatis sociis Benedicto atque Johanne in monachica religione perfectissime conversatum*. Laudat quoque Janningius chronicon Halberstadense apud prædictum Leibnitium [b], in quo de Brunone hæc scribuntur: *Hic etiam imperator* (Otto III.) *sanctum Brunonem Magdeburgensis ecclesiæ canonicum de castro Quernefurde, nobilis viri domini Brunonis filium, spiritualiter dilexit, & imperialis aulæ capellanum fecit; qui tandem secularis conversationis tumultuationem non sustinens, in Italiam proficiscens, habitum religionis induit, & monachum se fecit. Exinde cum duobus fratribus sui cœnobii Benedicto & Johanne eremi solitudinem inhabitavit, tandemque eosdem confratres suos de consilio Ottonis imperatoris in Poloniam misit, ipseque Romam proficiscitur a domino papa licentiam accepturus cum iisdem suis confratribus in augmentum coronæ suæ paganis gentibus Christi evangelium prædicare*. Prætermittit recentiores Paulum Langium & Johannem Trithemium scriptores Benedictinos, qui similia de sancto Brunone tradunt; & quidem scribit [c] Trithemius Brunonem fuisse monachum cujusdam cœnobii in Italia, cujus tamen nomen memoriæ suæ tunc non occurrebat, quod & alibi [d] repetit. „ Verum Langius & Trithemius ordinis sui monachum faciunt", quod intelligi aliter non debere asserit Janningius, quam quatenus regulam sancti Benedicti, quæ a Camaldulensibus quoque observatur, secutus sit. " Observat insuper Ditmarum, ceterosque allatos auctores scripsisse in Germania & in Saxonia, quæ erat etiam Bonifacii patria; hinc ea commemorare uberius, quæ Brunoni in Saxonia contigere: quæ vero occurrere Bonifacio in Italia, vix attigisse. Petrum autem Damianum, utpote Italum, plura addidisse, quæ Bonifacio evenere in Italia, contentum dixisse quoad cetera, quæ ad Germaniam spectant, ipsum fuisse Teutonicum, ac narrasse ejus martyrium, ut ore hominum ferebatur; de cetero scriptores Germanos ea proferre de Brunone, quæ Damianus adducit de Bonifacio, & illos cum isto apprime convenire, ut patebit conferenti auctores supracitatos cum Damiano.

Quam collationem, post Janningium, eo libentius facimus, quo, data occasione, Brunonis-Bonifacii vitam non injucundum erit legentibus compendio audire. Damiano [e] *Bonifacius* natione est *Teutonicus*, *vir clarissimus, regis fuerat consanguineus, & ita carus, ut rex illum non alio vocaret nomine, nisi anima mea. Erat autem apprime liberalium artium doctrinis instructus, maximeque in modulationis musicæ studiis approbatus*. Ditmarus vero libro VI. sui chronici versus finem hæc habet. *Fuit quidam, Brun nomine, contemporaneus & conscholaris meus e genere clarissimo editus, sed divina miseratione præ ceteris parentibus suis inter filios Dei dilectus. Hic ab Ida venerabili matre sua unice dilectus magisterio Geddonis philosophi traditus, & omne, quod habere debuit, cum abundantia ei præbebatur. Hujus pater Brun dicebatur senior clarus, & per omnia laudabilis, amicus mihi consanguinitate, & omnibus familiaritate erat proximus. Filius autem ejus & æquivocus, cum mane ad scholam ire debuisset, antequam ab hospitio exiret, veniam petiit, & ludentibus nobis ipse in oratione fuit. Otio* nego-

a *Pag.* 284.

b *Ibid. T. II. pag.* 119.

c *De viris illustr. O. S. B. lib. II.*

d *Ibid. lib. III. p.* 230. *lib. IV. p.* 116.

e *Vit. S. Rom. cap.* XXVI. & XXVII.

negotium præposuit, & sic fructificans ad maturitatem pervenit. A tertio igitur Ottone desideratus suscipitur, quem non longe post deserens solitariam vitam quæsivit, & de opere manuum suarum vivebat. Damianus de Bonifacio & de ceteris inclusis in Pereo ait: [a] *Faciebant autem omnes opera manuum, alii scilicet coclearia, alii nebant, alii retia nectebant, alii cilicia*; & de Bonifacio peculiarius habet: [b] *Hic itaque cum in capella regia moraretur, videns ecclesiam antiqui martyris Bonifacii mox exemplo sui æquivoci ad martyrii desiderium provocatus ait: Et ego Bonifacius vocor, cur ergo etiam ipse Christi martyr esse non debeo? Deinde quoque jam monachus factus, tanta se abstinentiæ frugalitate constrinxit, ut &c.* Chronica supralaudata socios ei in eremo assignant *Johannem & Benedictum*, eosdem socios dat Bonifacio Damianus. Mortuo Ottone *cum licentia papæ benedictionem episcopalem accepit .... Et ad Prussiam pergens, steriles hos agros semine divino studuit fœcundare*, ait Ditmarus. *Ab apostolica sede consecrationem archiepiscopatus accepit .... ad Gentiles autem postremo veniens, cum tanta cœpit fervidi pectoris constantia prædicare ut &c.* habet Damianus, [c] qui subdit: *Cum ad Russorum regem vir venerabilis pervenisset .... frater regis decollari præcepit*, cui concinit Ditmarus dicens: *Tunc in confinio prædictæ regionis, & Russiæ cum prædicaret, plus evangelizans capitur, deinde .... mitis ut agnus decollatur.* Tempora martyrii Brunonis & Bonifacii congruunt; compertum est Brunonem anno 1008. vel 1009. passum, ad eumdem annum Bonifacii martyrium constituit Verhovius in suo commentario ad vitam ejusdem sancti, [d] & satis probat non potuisse citius contigisse, nec esse cur diutius differatur.

ANN. CHR. 998. ROMUALDI 91.

a Ibid. cap. XXV.

b Ibidem cap. XXVI.

c Ibidem.

d Numm. 4. & 5.

XIII. Solvuntur argumenta in contrarium opposita.

DILUIT post hæc Janningius argumenta, quæ contra hanc identitatem opponuntur. Ea petuntur prius a diversitate nominis; deinde Bonifacius consecrationem archiepiscopalem accepit a summo pontifice Romæ, Bruno Merseburgi a Taginone archiepiscopo III. Magdeburgensi. Tertio, alter in Prussiam, in Russiam alter profectus fuit ad prædicandum evangelium. Quarto, modus martyrii amborum diversimode narratur; Brunoni decem & octo socii adduntur, nullus Bonifacio. Quinto multa de Bonifacio habet Damianus, quæ frustra quæras in auctoribus Germanis. Sexto, dies natalis martyrii Bonifacii est XIX. junii; Brunonis XV. octobris. „ Ad primum respondet, per diversa nomina non semper denotari diversas personas, sed unam sæpe & eamdem, quæ duplex sortita sit nomen; *Bonifacium* uno nomine vocatum ab Italis, a Germanis duobus „ appellatum *Brunonem-Bonifacium*. Ad secundum, verba Damiani de consecratione archiepiscopatus accepta per Bonifacium ab apostolica sede „ non esse ita intelligenda, quod summus pontifex per se illam contulerit, sed facultatem dederit illam accipiendi; simulque asserit Romanum antistitem Bonifacio tradidisse pallium, & ipsum misisse ad imperatorem in Germaniam, cujus jussu a Taginone archiepiscopo Magdeburgensi, tunc Merseburgi commorante, consecratus fuerit. Ad tertium, „ quamvis Bruno a Germanis in Prussiam missus dicatur, Bonifacius ab „ Italis in Russiam, non tanti id esse, ut propterea personarum diversitas inducatur. Bruno, teste Ditmaro, ad Prussiam pergens, in prædictæ regionis confinio & Russiæ, martyr effectus est. Quod si de eodem „ scripserit homo Italus, remotius quam Saxones a loco martyrii positus, missum fuisse in Russiam, & Russorum apostolum vocet, non-ne „ id facile conciliari potest cum Ditmari sententia & explicari? immo „ utrique nationi Prussis & Russis recte adscribi Brunonem paucis verbis „ explicat martyrologium Romanum ad diem XV. octobris hoc elogio:

Ann. Chr. 998. Romualdi 91.

„ *In Prussia sancti Brunonis Ruthenorum* (sive Russorum) *episcopi & martyris*. Adscribi potest Prussis, quia apud illos mortuus; Russis, quia eorum episcopus nominatur. Cur Prussia ad Helmoldo annumerata Sclavorum nationibus, ab aliis annumerari non potuerit Russorum nationibus? neque necesse est ad interiora Russiæ, aut ad metropolim ejus adducere sanctum Bonifacium, quia regem Russorum convertisse dicitur ab Italis ignorantibus tamen nomen regis. Sub nomine regis venerit aliquis regulus Prussiæ vicinus, aut provinciæ alicui præfectus, immo sic debere intelligi suadet, quod supremus Russiæ monarcha pridem ad fidem conversus fuerit a Græcis, quam eo perrexerint aut Bruno, aut Bonifacius, aut etiam Adalbertus. Ad quartum & ad quintum ait, nil esse facilius quam ut duo auctores vitæ sancti alicujus plures circumstantias alter, pauciores secundus afferant; dummodo ergo non adducant circumstantias inter se pugnantes, credendum utrique & omnibus, qui majori vel minori brevitati indulgent. Ditmarus socios addit Brunoni, non addit Damianus, quia Italus cum esset, nullumque testem visu ejus martyrii narratorem haberet, ea tantum scribebat, quæ sibi relata fuerant a discipulis Romualdi. Ad ultimum respondet, diem, quo quis sanctus memoratur in martyrologio, non esse semper ipsius natalem. Bruno e. g. notatur die xv. octobris, & tamen ex Ditmaro ejus natalis dies est xiiii. februarii. Similiter Bonifacius adnotatur xix. junii, sed tacente Damiano, & alio quocumque antiquo scriptore diem obitus ejus. “

Atque ita Janningius existimat sententiam suam aperuisse, & sufficienter demonstrasse unum eumdemque esse Brunonem & Bonifacium. Rejicit tandem opinionem Ademari monachi Aquitani, qui Brunonem episcopum fuisse de civitate Osburg (ipsa est Augusta-Windelicorum) scribit, cum in Saxonia natus sit, nullique sedi episcopali addictus, neque tempore, quo vixit Bruno noster, ullus ejus nominis fuerit episcopus in Augusta-Windelicorum provinciæ Bajoariæ. Falsum quoque esse, quod idem Ademarus subjungit, Brunonem petiisse ab imperatore, ut pro se juberet consecrari in ea sede Augustanum episcopum, quem sibi elegerat, nomine Odolricum. Ademarum distinguere Hungariam in Albam & Nigram, asserere Brunonem convertisse ad fidem Hungariam, & regem ejus Geitz, Ottonem imperatorem Geitz baptizasse die sancti Stephani, & alia plura hujus farinæ, quæ demonstrant ejus auctoritatem nutare, ut nutant ea, quæ de sancto Adalberto Pragensi episcopo idem Ademarus narrat. Hactenus Janningius, quem sequitur & magis illustrat Collina noster, quibus tamen præiverant alii in ea opinione. Ad annum 1000.[a] suorum Annalium refert Mabillonius sententiam cujusdam viri docti, qui ex nominatis Sanctis unum fecit; sed quis fuerit, non aperit. „ Quidam vir eruditus, ait, opinatur hunc Bonifacium non alium esse a Brunone, Prussorum dicto apostolo, qui Bonifacius quoque vocabatur. “ Ad annum 1009. eadem repetit, sed breviter, & rationibus hinc inde examinatis, quamvis fateatur alteram opinionem fundamento non carere, negativæ tamen sententiæ favere videtur. Doctissimus vir Fleurius [b] ad annum 1007. refert acta sancti Brunonis, quem statuit ipsum esse Bonifacium, vitam construens ex relationibus Ditmari & Damiani, & demum concludit ecclesiam honorare hunc sanctum martyrem sub nomine Brunonis die xv. octobris. Sed Brunonis-Bonifacii singula singulis assignabimus annis.

a T. IV. pag. 142.

b *Histoire ecclesiastique* T. XII.

XIV. Bonifacius martyr esse cupit. Aliqua de ecclesia S. Bonifacii in monte Aventino.

Pertinet ergo ad hunc annum desiderium, quod gerebat Bruno-

Boni-

Bonifacius, martyrii. Cum enim Romæ in comitatu Ottonis commoraretur, sæpe divertebat ad basilicam sancti Bonifacii martyris, cujus felici sorti invidebat, cupiebatque ad illius similitudinem vitam dare pro Christo. *Hic itaque*, ait Damianus [a], *cum in capella regia moraretur, videns ecclesiam antiqui martyris Bonifacii, mox exemplo sui æquivoci ad martyrii desiderium provocatus ait: Et ego Bonifacius vocor, cur ergo etiam Christi martyr esse non debeo?* Situm erat monasterium hocce in monte Aventino, titulo sanctorum Bonifacii & Alexii sacrum, cujus templi & cœnobii historica monumenta summa cum laude collegit non una vice a nobis honorifice nominandus V. Cl. domnus Felix Nerinius abbas Hieronymianus anno 1752. nuncupavitque doctissimo & eminentissimo cardinali domno Angelo-Mariæ Quirino basilicæ & monasterii ejusdem munificentissimo reparatori; cœnobium nimirum antiquum in primis & celeberrimum, quod Benedictus papa VII. initio sui pontificatus Sergio Damasci metropolitæ a Saracenis pulso dederat, ut in monasterium converteret vel restitueret sub regula sancti Benedicti, quod in ejus epitaphio apud Nerinium legitur.

ANN. CHR. 998. ROMUALDI 91.

a Vit. S. Rom. cap. XXVII.

† SERGIVS. HIC. RECVBAT. METROPOLITA. SEPVLTVS
QVI. QVONDAM. FVERAT. DAMASCI. TEMPORE. LONGO
NVMINE. PERDVCTVS. AD. SACRI. CVLMINA. PETRI
TEMPORIBVS. PII. BENEDICTI. PRAESVLIS. ALMI
MARTYRIS. HOC. TEMPLVM. CESSIT. MONACHOSQ. LOCAVIT
COENOVIVM. SCI. BENEDICTI. CONDIDIT. HICCE
PRIMO. QVI. STATVIT NRAE. CERTAMINA. VITAE
QVATVOR. HIC. ANNOS. VIXIT. SVB. TRAMITE. RECTO.
ANN. DNIC. INCARNAT. DCCCC. LXXXI. INDICT. VIIII.
IN PACE. III. IDVS. NOVEMBER. VIX. AN. LXXIIII.

C. ☧ R.

Et noster Petrus Damianus opusculo ad Nicolaum papam II. *Sergius* [b], inquit, *metropolita Damasci non inconvenienter his posset adnecti, qui ecclesiam suam pro Christi amore deseruit, & Romam peregrinus advenit, reperiensque beatorum Bonifacii & Alexii basilicam sacerdotalibus pene officiis destitutam, Benedictum Romanæ sedis antistitem adiit, atque ut se monasterialem ibi permitteret regulam constituere, precibus impetravit: ubi nimirum longo post tempore religiose degens vitam finivit.* Quinquennio in eodem cœnobio recens stationem suam elegerat, ut vidimus, Adalbertus Pragensis episcopus, inde martyr, Bonifacio nostro multis nominibus conjunctissimus; Leo Nonantulanus olim abbas pariter ibi se receperat, & forte adhuc vivebat. Leo alter legationibus insignis præsulatum ibi gerebat; & ad id monasterium facile tempore sui Romani incolatus diverterat & hospes erat Romualdus noster. Cum ergo in basilica sancti Bonifacii sæpius oraret alter Bonifacius, stimulos sibi additos persentiebat ad sanguinem pro Deo dandum. Confundendus non est Bonifacius martyr, qui templum habebat in monte Aventino, cum Bonifacio Moguntino archiepiscopo itidem martyre; ut enim probat idem Nerinius, excitata jam a lon-

b Opusc. XIX. T. III. p. 220.

ANN. CHR. 998. ROMUALDI 91.

a longo tempore fuerat basilica sancti Bonifacii in monte Aventino ante martyrium Moguntini antistitis Bonifacii.

XV. Romualdus cum Bonifacio & ceteris conversis Montem-casinum petit.

VERUM jam satis digressi sumus; tempus est, ut Damiani textum prosequamur, & quid egerint hi nobilissimi *conversi* sub Romualdo enarremus. Id autem verbis ipsius sancti doctoris referemus [a]. *Romualdus igitur cum eo, quem prædiximus, Tammo, & cum Bonifacio viro clarissimo, quem nunc felicissimum martyrem se habere Russiana gloriatur ecclesia, & cum aliis conversis Teutonibus a Tiburis oppido ad monasterium beati Benedicti, quod in Casino constitutum est monte, devenit*. Adventus Romualdi ad Montem-casinum meminit etiam in suo chronico Leo Ostiensis [b] hisce verbis: *Eo etiam tempore vir Dei Romualdus una cum beato Bonifacio imperatoris consanguineo, & cum aliis pluribus Teutonicis de prædicti imperatoris exercitu ad hoc beati Benedicti monasterium orationis gratia venit, eo scilicet tempore, quo idem imperator Crescentium Romanum senatorem, qui se in castello Sancti-Angeli de ponte sancti Petri contra eum rebellans munierat, sacramento deceptum cœpit, & mox quasi reum majestatis capite obtruncavit*; ubi cum dicat *eo etiam tempore* Romualdum advenisse Montem-casinum, quo Crescentio amputatum fuit caput, satis demonstrat, hoc eodem anno post Crescentii mortem cum suis recens conversis Romualdum Casinum adventasse. Causa cur Romualdus eos adduxerit ad Montem-casinum ea fuit, ut tam ipse, quam sui discipuli venerarentur ossa sancti patris Benedicti; *orationis causa* ait Ostiensis, nam cum Tibur plurimum non abesset a Monte-casino, ipsa videbatur opportunitas sacras ejus exuvias visitandi. Desiderium pariter habuerit Romualdus locum videndi, ubi Olibanum olim, licet postea non perseveraverit, direxerat, & ubi Johannes Gradonicus discipulus suus commorabatur in cella prope monasterium; & demum ea fuerit intentio Romualdi, ut antequam hos conversos in eremo includeret, disciplina monastica institueret in præcipuo orbis Benedictini cœnobio. Quanto tempore cum comitibus Romualdus substiterit Casini, silent auctores. Damianus ait tantum, ibi Romualdum morbo laborasse: *Ibi nempe graviter infirmatus est, sed cito ex divina misericordia convaluit*. Post peregrinationem illam ad Montem-casinum, & etiam post aliquanti temporis in eo sacro loco stationem, illos Romualdus secum duxit ad Pereum. Cum Casinum pervenit Romualdus, post obcæcationem Mansonis, quæ contigit hoc anno 998. die 14. novembris, vel anno antecedenti, melius quam anno 995. ut putat Mabillonius, præerat sacro illi loco *Johannes abbas vicesimus nonus*, qui teste Leone Ostiensi [c] *sedit anno uno*. Hic *venerabilis abbas*, prosequitur Leo, *cum jam senectute pariter & infirmitate gravatus, tanti regiminis pondus se ferre non posse perspiceret, consensu atque electione cunctorum fratrum abbatem sibi substituit; ipse vero abbatia relicta in proximam eremum, in loco, qui hodie Piretum appellatur, cum quinque fratribus secessit, ibique in honorem sanctorum Cosmæ & Damiani parvula constructa ecclesia, solitarius quodammodo degens in spiritualibus operibus reliquum vitæ suæ tempus exegit*. Anne Romualdus pio & humili seni, ut dimitteret abbatiam, & secessum quæreret, opportunitate data, & juxta morem suum, auctor fuit?

XVI. Filius Busclavi regis quis fit juxta alios auctores?

ILLUSTRIOREM aliam humilitatis Romualdi actionem narrat Damianus occasione hujus suscepti itineris. *Habebat autem*, [d] inquit, *equum satis egregium, quem sibi Busclavi Sclavonici regis filius dederat, factus ab eo monachus. Hunc vir sanctus humilitatis studio permutavit, & lucroso concambio asinum laudabilis negotiator accepit. Nimio quippe Redempto-*

a *Vit. S. Rom. cap.* XXVI.

b *Lib. II. c.* 18.

c *Lib. II. cap.* XX.

d *Vit. S. Rom. cap.* XXVI.

demptoris nostri desiderio, qui asellæ tergo consederat, vir venerabilis hoc ipsum animal libentius equitabat. Quis sit hic Busclavus vel Busclavinus, ut habet Surius, merito inquiritur. Matthæus Miechovias medicus & scriptor Polonus sic scribit: [a] „ Casimirus delegit tandem, matre consentiente, „ monachari, & accedere personaliter ad Romualdum vitæ sanctitate pollentem in Italia, donato ei pulcro caballo, exposuit quis esset, poscens ab eodem susceptionem & professionem regularem, quo annuente rediit Cluniacum. “ Martinus Cromerus [b] alter Polonus historicus, „ Profectus est autem Casimirus, inquit, Lutetiam anno Christi 1036. „ voluntate matris, ut ingenium honestis disciplinis excoleret, inde post „ aliquot annos, visa obiter Italia, & Romualdo abbate sancto, Cluniaci in Benedictinorum monachorum sodalitatem se dedit, monasticam „ vitam professus. “ Omittimus Demalevicium, ceterosque regionis ejusdem auctores similia scribentes, qui proinde Casimirum filium Miecislai regis Poloniæ sub nomine filii Busclavi regis Polonici designatum hoc loco a Damiano sentiunt. Eamdem opinionem, vita de industria edita anno 1620. sequutus est Thomas Minius, inde Grandius quoque ceterique fere ex nostris, & rerum monasticarum ad Romualdum spectantium scriptores; præter paucos, qui Busclavum principem Pruthenorum faciunt, ut Didacus Francus; vel credunt filium Busclavi regis eumdem fuisse ac Bonifacium postea Prussorum apostolum, ut Bejerlinchius.

ANN. CHR. 998. ROMUALDI 91.

a Lib. II. cap. 13. Histor. Polon.

b Lib. IV. c. 1.

XVII. Sententia nostra de Busclavo rege.

SENTENTIAM nostram libet hic apponere. Busclavi mentionem duabus vicibus facit Damianus; capite nimirum XXVI. ubi narrat, Romualdo egregium equum donatum fuisse a filio Busclavi Sclavonici regis facto ab eo monacho, & capp. XXVIII. & XXIX. quibus petitionem apostolicorum virorum factam Ottoni III. a Busclavo rege pro conversione sui regni enarrat. Utroque loco Damianum nomine Busclavi non nomen proprium eorum regum intellexisse credimus, sed genericum nomen, quo communiter appellarentur reges vel domini Sclavonicarum provinciarum. *Bu* enim Sclavonica lingua significat *magnum*, sicut *Boli*, *majorem*; hinc Ditmarus [c] scribit: *Bolizlaus, qui major laus non merito, sed more antiquo interpretatur;* ubi forte legendum est potius *major Slavus* vel *Sclavus*, ita ut sensus sit regem, sive eorum ducem esse *majorem Sclavum*, eodem modo quo principem Turcarum, *magnum Turcam*, principem Mogolis *magnum Mogolem* solemus appellare. Vox *Bu* etiam apud Græcos; vel ipsi a Sclavis, vel Sclavi a Græcis dictionem istam acceperint; magnis & amplis rebus præponebatur, a magnitudine scilicet bovis; hinc *Bupedas* magnos pueros, *Bupodas* magnos pedes, *Bulimiam* magnam famem, *Bumastos* genus uvæ crassioris, *Busycon* ficum præcipue magnitudinis, *Butysiam* magnum sacrificium dixerunt apud Festum, *Bucephalum* equum Alexandri magni vel ab aspectu torvo, vel a magno capite appellarunt, & Veneti nostri Illyrico & Sclavoniæ contermini *Bucentaurum* genus navigii excellentioris & majoris amplitudinis hodiedum nominant. Cum autem in provinciis Sclavorum sive Slavorum plures essent duces, in Chroatia nimirum, in Albania, in Epiro, in Bohemia, in Polonia, in Russia, omnes appellabatur *Busclavi* vel *Boleslavi*; ita eodem tempore in Bohemia regnabat *Boleslaus*, & *Boleslaus* alter imperabat in Polonia, & in hac postrema provincia noti sunt in historia *Boleslaus senior*, & *Boleslaus junior*, qui ad discrimen ceterorum cognomenta assumebant, ut Boleslaus junior appellatus fuit *Chabri*. Quibus in antecessum positis, filius Busclavi Sclavonici regis, factus a Romualdo monachus, non Casimirus fuit filius Boleslai, vel melius Miecislai regis Poloniæ; tempora enim non congruunt

c Lib. IV. Chron.

Ann. Chr. 998. Romualdi 91.

gruunt cum ætate Romualdi, ut alibi ostendemus, sed filius regis, vel ducis alicujus provinciæ Sclavonicæ. Briscam Charvaciæ & Bulgariæ regis filium revera donatorem fuisse equi sensit [a] Hieronymus Camaldulensis. Verum enim vero Chroatos tunc regium nomen obtinuisse negat [b] Bollandus in annotationibus ad vitam sancti Romualdi a Damiano scriptam; & sustinet eos tantum post mortem Romualdi anno nimirum 1076. reges habuisse; sed si Lucium [c] audiamus, Dircislavus anno 970. rex erat Dalmatiæ & Chroatiæ; anno 990: Tirpimir; post eum Murcimir; immo cum in eorum serie etiam Crasemere & Chresimir vel Cresimir reperiantur iisdem annis, ut juxta testimonia Constantini Porphyrogeniti, & Thomæ archidiaconi Spalatensis demonstrat idem Lucius, hinc apparet nomen Cresimiri in usu fuisse apud Croatos; quare verisimile putamus filium Busclavi regis Slavonici factum monachum a Romualdo, & nominatum a Damiano, appellatum fuisse Cresimirum. Hinc orto forsan errore ex similitudine nominis, cum parum remote ab iis temporibus floruerit alter Casimirus illustris rex Poloniæ ex monacho Cluniacensi, existimari facile potuit monachum illum, qui suasu Romualdi monasticam vestem induit, fuisse Casimirum Polonum. Vel si nomine Busclavi regis Sclavonici intellexit Damianus [d] Boleslaum Chabri Poloniæ regem, contingere potuit, ut Boleslaus filium habuerit monastico habitu indutum a Romualdo, & de cujus ad Deum conversione historici Poloni siluerint, de regni tantum historia solliciti. Revera Poloni huic Boleslao solum Miecislaum vel Miesiconem filium tribuunt, cum tamen Ditmarus Merseburgensis episcodus auctor æqualis tres ipsum uxores habuisse scribat; primam nimirum filiam Rigdagi marchionis; secundam ex Hungaria petitam, ex qua filium Bespreri suscepit; & Connildem filiam Dobremiri, quæ peperit ei Miseconem & Drobemirum, & tres filias. Bollandus ex Hungarica uxore filium progenitum putavit monachum factum sub Romualdo. In qua sententia Bollandi nomen Romualdi ante annum 998. innotuisset in Polonia. Quamcumque demum opinionem amplectamur, illud certum est nomine filii Boleslai aut Busclavi ad hunc annum non venire Casimirum filium Miseconis II. ut putavere supralaudati Miechovias, Cromerus, Minius & Grandius, qui varia incedentes via, ad ipsum extorquent verba Damiani. Hic enim Casimirus non a Romualdo, sed ab Odilone ad annum circiter 1034. & temporibus Conradi imperatoris, non Ottonis III. in Galliis monasticum schema ad tempus gessit. Multominus audiendus noster Macchiarellius existimans Casimirum hoc anno 998. quo nondum natus erat, immo forsan neque pater ejus Miseco, cum Romualdo adiisse Montem-casinum, & ex eo monte directum fuisse ab eodem in Gallias ad Cluniacense cœnobium. Credibile autem est filium Busclavi Sclavonici regis, vel ex Chroatia demum, vel ex Polonia fuerit, monachum a Romualdo redditum ante hunc annum, vel in Perensi solitudine, vel in Classensi cœnobio, vel denique in aliquo aut Sclavonico, aut Italico monasterio constitutum fuisse, quin opus fuerit, ut is ad celeberrimum Cluniacense cœnobium a Romualdo dirigeretur. Atque hæc quidem de Busclavo Sclavonico rege ad caput XXVI. occasione equi, quem in asellum commutavit Romualdus; illud exploratius est Busclavi nomine ad capp. XXVIII. & XXIX. ejusdem Damiani, venire Boleslaum Chabri regem sive ducem Poloniæ; sed de hoc ad annum 1001. fusius agemus.

XVIII. Petrus abbas Classensis juramentum fidelitatis præstat Gerberto archiep. Ravennati.

Classenses autem sancti Apollinaris monachi post Romualdi abdicationem in abbatem sibi elegerunt Petrum. Fortunius [e] Hardefadum discipulum Romualdi sancto viro successisse scribit, sed ex charta tabularii

a *Serm. S. Rom. cap.* VII.

b *Febr. T. I. p.* 13.

c *Regn. Dalm. lib. II.*

d *Vit. S. Rom. cap.* XVI.

e *Par. Lib. II. I. cap.* 15.

rii ejusdem monasterii, quam Artusinus notarius exemplavit ab autographo, constat Petrum ante Hardefadum fuisse sancti Apollinaris abbatem. Continet ipsa juramentum fidelitatis, quod præstat *Petrus presbyter & monachus electus a congregatione monasterii sancti Apollenaris, quod vocatur ad Classem, Gerberto archiepiscopo sancte Ravennatis ecclesie*, qui ipsum in abbatiæ illius possessionem introduxerat. Successerat Gerbertus Johanni sub finem mensis aprilis hoc anno. Jurat autem Petrus super *sanctum altare, & sanctas ibidem conditas reliquias, & sancta quatuor Dei evangelia anno Deo propitio pontificatus domni Gregorii V. & universalis pape in apostolica sacratissimi beati Petri apostoli sede tertio, atque imperante domno Ottone tertio juniore anno tertio die trigesimo mensis novembris indictione* X. *Ravenne*. Notarius exemplum conficiens errore scripsit indictionem X. cum reapse hoc anno decurreret indictio XI. Inter cetera promittit Petrus se *in festivitatibus sanctorum martyrum Apollenaris & Vitalis omni anno ad synodum secundum antiquam consuetudinem* venturum. An vero etiam ante Petrum, & immediate post Romualdum, abbas monasterii sancti Apollinaris fuerit *Johannes*, de quo mentio fit in vita [a] sancti Willelmi abbatis Divionensis, excerpta ex chronico sancti Benigni, quod habemus in tomo primo Spicilegii Acheriani, & ex Spicilegio editum in actis Sanctorum ordinis sancti Benedicti, an autem Johannes post Petrum, vel etiam post Hardefadum & Bonum abbates Classenses regimen tenuerit ejusdem monasterii, divinare nequimus; illud unum liquet, Johannem hunc cum ceteris abbatibus nominari, qui *sibi commissorum locorum vel ecclesiarum relinquentes curam, ad patris Willelmi confluebant doctrinam, & sponte se ipsi subjiciebant, obedire parati*.

Ann. Chr. 998. Romualdi 91.

a *Antiq. medii ævi T. I. col.* 493.

XIX. Placitum pro monasterio Palatiolensi.

Habemus [b] apud Muratorium placitum in urbe Foro-corneliensi habitum hoc anno coram Oldarico subdiacono, & misso domni Ottonis imperatoris, Erardo comite, aliisque, in quo *Ursus presbyter & monachus atque præpositus monasterii sanctæ Mariæ, quod vocatur in Palatiolo*, evincit quosdam fundos: *Anno Deo propitio pontificatus domni nostri Gregorii summi pontificis & universalis papæ in apostolica sanctissimi beati Petri apostoli Domini sede tertio, sicque imperante vero domino nostro piissimo semper augusto Ottone a Deo coronato, pacifico, magno imperatore in Italia vero anno tertio die* XVI. *mensis septembris indictione* XII. *civitate Corneliense juxta monasterium sanctæ Mariæ, quod vocatur in regula*. Ursus successit forte Andreæ, de quo ad annum 983. in regimine ejusdem monasterii Palatiolensis Ravennatis territorii.

b *Mabill. Sec. VI. Par. I. pag.* 302.

Ann. Chr. 999. Romualdi 92.

XX. Perensium eremitarum vita

Romualdus e Monte-casino redux cum nobilissimis conversis Teutonicis, quos Romæ & Tibure ad perfectiorem monasticam vitam allexerat, ad Pereum se receperat anno antecedenti, ut vidimus, *ibique his & aliis multis fratribus aggregatis, & per cellas singulas constitutis, tanto fervore eremiticæ conversationis rigorem in se & in aliis tenuit*, ait Damianus [c], *ut illorum vita omnibus, ad quos fama eorumdem pervenire poterat, mirabilis haberetur*. Dolemus aliorum multorum fratrum nomina Damianum præteriisse; ex iis enim non parva Camaldulensibus fastis fieret accessio, dum eorum mirabilem vitam adeo hic loci commendat Damianus.

c *Vit. S. Rom. cap.* XXVI.

Licet alibi viderimus consuevisse binos eremitas in unica cella manere, eaque consuetudo etiam apud Avellanenses aliquando viguerit, mos tamen a Romualdo introductus, qui etiamnum perseverat apud nostros eremitas, is fuit, ut singuli solitarii singulas cellas, & quidem separatas, habi-

Ann. Chr. 999. Romualdi 92.

habitarent, non quidem tanto intervallo, ut servabant Sinaitæ monachi, quos refert sanctus Nilus in historia cædis sanctorum patrum in Sina capite v. apud [a] Bollandum, fecisse *habitationes non sibi invicem propinquas, sed satis procul distantes, ut viginti & eo amplius stadia abesset alius ab alio*; id enim commodum non fuisset cœnobiticæ conversationi, quam in eremitis suis etiam statuere volebat Romualdus, sed paucis certe passibus inter se dissitas, ut omnes commode ad sacram synaxim convenire possent; quod aliquo modo servasse quoque sanctum Gallum abbatem Walfridus in ejus vita capite XXVI. narrat dicens: *Oratorium construxit, mansiunculis per gyrum dispositis ad commanendum fratribus*.

a T. I. Januar.

Vitam actionesve Perensium eremitarum his verbis describit Damianus: *Quis enim non obstupesceret? Quis non immutationem divinæ dexteræ prædicaret, cum vidisset prius homines sericis, immo deauratis vestibus indutos, crebris obsequentium cuneis constipatos, omnium deliciarum affluentiis assuetos, nunc eos cerneret uno birro contentos, inclusos, discalceatos, incultos, & tanta abstinentiæ ariditate contritos?* Describitur hic Romualdi discipulorum in Perei eremo nobilitas, utpote qui ex aula imperatoris ad solitudinem illam essent acciti, quam nobilitatem elogio prædicat etiam Clemens papa VIII. in constitutione de Romualdi officio recitando dicens: „ Multos clarissimos etiam viros, reges & principes suo exemplo „ ad humiles casas in eremo habitandas, & fulgorem purpuræ cum vili „ tunica commutandum illexit. " Birri nomine venit villosa & impolita tunica. Observat Bollandus in vita sancti Deicolæ idibus januarii cap. IV. n. XX. legi: *Birrum suum*, quem *Græci amphybalum vocant*, *deponere voluit*, *refrigerandi gratia*; quo ex loco, inquit ipse, patet non interiorem tunicam birrum fuisse, sed clamydis cujusdam genus. Legendum tamen potius, ut animadvertit Grandius noster, in notis mss. ad vitam sancti Romualdi, *amphymallum*, quod vestis genus utraque ex parte pilis est refertum, sicut *eteromalla* ex altera tantum parte pilos habebat. Birrum insuper aliquando significabat & vestem superhumeralem illam, quam deferunt ab utraque parte e scapulis pendentem episcopi, & abbates vulgo *mozzetam*. *Offeratur mihi birrum pretiosum*, inquit Augustinus sermone X. *forte decet episcopum*. In actis pariter sancti Cypriani Chartaginensis episcopi & martyris legitur: *Exuit birrum*, *inde tunicam*, & *sic in linea expectavit spiculatorem*. Juxta utramque vocis acceptionem, intelligimus eremitas Perenses ex rudibus caprarum vel ovium pilis facili textura invicem compositis gausapina hujusmodi gestasse, ad eam ferre similitudinem, qua pallium gestant hodierna die Camaldulenses nostri eremitæ.

b Ut supra.

Inter ceteras Perensium consuetudines laudat Damianus inclusionem, nudipedium, rerum omnium neglectum, admirabilemque abstinentiam. Etiamnum eremitæ, qui reclusioni se subdunt, religiosum nudipedium observant. Prosequitur sanctus doctor: *Faciebant autem omnes opera manuum*, *alii scilicet coclearia*, *alii nebant*, *alii retia nectebant*, *alii cilicia*. Addit Hieronymus Pragensis: „ Faciebant singuli opera manuum in „ cellis suis, *alii scribebant*, alii coclearia &c. " Etiam Petrus Damianus, deposito Ostiensis ecclesiæ regimine, atque ad suam Avellanensem solitudinem reversus, coceariis conficiendis operam dabat, quæ aliquando dono transmittens Alexandro II. Romano pontifici, his versibus [c] sociatum munus voluit.

Magna per exiguum munus aurea suscipe lignum.
Nolo datum trutines, sed dantis viscera libres.

c Oper. T. IV. pag. 24.

Au-

Audeo, quod parti non est præsumere toti.
Carmina quot scripsi, totidem tibi ligna polivi.
Chartula venalis, donantur cetera gratis.

ANN. CHR. 999. ROMUALDI 92.

XXI. Leonis archiep. Ravennatis epistola Duranti eremitæ.

GREGORIO papa V. supremum diem obeunte, a Ravennate ad Romanam ecclesiam favore Ottonis III. imperatoris evectus Gerbertus, assumpto Silvestri II. nomine, locum fecerat in cathedra Ravennate Leoni. Leonem hunc Muratorius & Mabillonius Nonantulanum extitisse prius abbatem docent, contra quos ad annum 985. dubia nostra movimus. Certius videtur ipsum ad Ravennatem ecclesiam assumptum fuisse ex monacho ordinis sancti Benedicti; non obscure enim se familiæ Benedictinæ nomen dedisse manifestat in epistola, de qua mox sumus verba facturi. Quare ipsum potius ex aliquo Ravennate, & probabiliter ex Classensi monasterio ad præcipuam ejusdem urbis dignitatem vocatum judicamus.

Quo sui præsulatus anno non liquet, certe vel præsenti, vel aliquo ex duobus sequentibus annis, quibus tantum eam ecclesiam rexit, epistolam dedit Duranti monacho & ceteris, qui cum eo erant eremitis, quam ab [a] Ughellio editam, & denuo suis Benedictinis seculis a Mabillonio insertam [b], tertio in Appendice procudimus, ne hac epistola insugillasse credatur Leo sectatores vitæ eremiticæ, quæ tunc maxime Ravennæ, opera potissimum Romualdi, florebat. „ Durans & ceteri eremitæ e monaste„ rio forte Classensi, ait idem Mabillonius, [c] obtentu perfectioris vitæ, „ absque abbatis sui venia in solitudinem secesserant. Consultus ab eis „ Leo archiepiscopus, quid de ipsorum secessu sentiret, " epistolam scripsit optimis sensibus refertam, quibus non eremiticam vitam damnat, sed subtractionem ab obedientia, & secessum in solitudinem, non probante neque permittente ipsorum abbate. Vidimus Romualdum evocatum ad perfectiorem solitariam vitam sub Marino, licentiam ipsius capessendæ petiisse ab abbate Classensi, cui erat subditus; similem in suis asseclis requirebat sanctus vir obedientiam erga præpositos suos, ipsos quoque eremitas nolebat propria voluntate dirigi, sed sub prælati jugo eremiticæ vitæ insistere. Recens attulimus anno præcedenti exemplum in Venerio Tiburtino eremita. Rem porro ita contigisse credendum. Plerique Classenses monachi, non ea, qua par erat, regulari disciplina subacti, seculi potius, ambitionis & propriæ voluntatis leges sectabantur, parvipendebant regulæ præcepta, & majorum jussa atque exempla deridebant; hinc Romualdus post brevem ejus abbatiæ administrationem, *videns & suam perfectionem minui, & Classensium mores proclivius in deteriora converti*, regimen illius monasterii anno superiori dimiserat. Erat in eo cœnobio & Durans, quem *cautum Dei servum* appellat scriptor vitæ sancti Adalberti in [d] additionibus Surianis. Hic, recto quidem fine, sed non rectis adhibitis mediis, Romualdi exemplum imitari animo suo proposuit, factaque confratrum suorum collectione, sed abbate & majoribus inconsultis, abscesserat a monasterio, locum solitarium petierat, & quodammodo schisma inter cœnobitas conflaverat, itaut noviter conversum a monasterio recedere & secum venire seduceret, immo reciperet. Non videtur ad Perensem solitudinem Durans se contulisse, neque ad alia a Romualdo solitariæ vitæ dedicata loca, nam in iis sine literis sui abbatis receptus non fuisset, sed in aliqua silva casas sibi & sociis suis ædificasse. Hæc animadvertens Leo archiepiscopus, mirum non est, quod ad ipsum & ad asseclas ejus epistolam dederit, quam dedisset & ipse Romualdus, ad eorum superbiam coercendam. Eam habes in Appendice, una cum præcepto Ottonis imperatoris

a *Ital. Sacr.* T. II. *col.* 355.
b *Act. SS. Secul.* V. *pag.* 870.
c *Annal.* T. IV. *pag.* 127.
d *Ap. Mabil. Secul.* V. *pag.* 842.

Ann. Chr. 999. Romualdi 92.

toris in favorem ejusdem Leonis, quod in gratiam studiosorum antiquæ rei diplomaticæ exscripsimus ex autographo servato in tabulario monialium nostrarum Camaldulensium sanctæ Christinæ de Bononia.

XXII. Perfectio monasterii Clusini prope Taurinum.

Hoc fere anno ad integram sui perfectionem redacta fuit monasterii sancti Michaelis ad Clusam & ecclesiæ ædificatio, quare iterato locus fuit ab omni subjectione exemptus sub Amizone, qui sedem Taurinensem conscenderat anno 998. & sub Silvestro II. Romano pontifice apostolicum primum privilegium obtentum. *Advertus*, olim Lezatensis abbas, cui Hugo Arvernensis institutor commiserat loci instaurationem, ut ad annum 985. vidimus, *Deo plenus*, verba sunt Willelmi monachi in vita sancti Benedicti abbatis Clusini, [a] *omnino plena devotione satagens opportuna monachis ædificiola secundum situm loci* (nam scopulis asperrimus erat) *cœpit construere*, *&* *quidquid usquam colligere poterat*, *modico victu contentus*, *ad id solum expendere*. *Tempore constituto*, *sicut promiserat*, *Hugo rediit*, *&* *omnibus necessariis impensis ad perficiendam ecclesiæ fabricam datis*, *iterum ad præfatum marchionem* (Harduinum) *transitum fecit*, *&* *ab eo*, *sicut &* *prius dato pretio villulam monti contiguam nomine Clusam*, *&* *ædificandis villulis congruas terras nihilo minus contiguas adquisivit*. *Ut autem libertatis loci*, *pro qua præcipue satagebat*, *scrupulus omnino nullus inesset*, *Taurinensem pontificem*, *qui Amizo dicebatur*, *adiit*, *&* *oblatis*, *quæ tantum virum decebant*, *muneribus*, *cunctis iterum locum solvi conditionibus cum anathematis etiam interpositione favorabiliter impetravit*. *Indeque Romam profectus omnium prædictarum sponsionum tam pontificis*, *quam marchionis tenores*, *omnemque sui operis ordiens historiam papæ Silvestro retulit*, *&* *ejus ad præsens principis Apostolorum auctoritate*, *postea vero etiam imperatoriæ majestatis corroborari locum literis &* *nomine fecit*. *Post hæc*, *quoad vixit*, *omnia monasterio secundum posse necessaria vel attulit*, *vel direxit*, *&* *exinde cœnobium incrementis opportunis ex tempore*, *Deo favente*, *meritis hactenus archangeli crevit*, *&* *variis miraculis coruscans diversis populis gratum &* *venerabile fuit*. *Ne autem aliqua dubietas ex his*, *quæ relata sunt*, *in cordibus fidelium possit oriri*, *testis est prædicti Hugonis filius Mauricius*, *testis &* *ipsa familia*, *quorum vel suis*, *vel parentum proximis diebus tantis indiciis angelica virtus dignata est propalari*. Hæc porro unico contextu attulimus, non quia ea omnia anno dumtaxat præsenti contigisse doceamus; neque enim ad hunc annum pervenit Advertus, nam ex testimonio ejusdem Willelmi *postquam bonæ memoriæ Advertus abbas migrasset ad Dominum*, *successit ei in regimine fratrum consensu &* *electione vir simplicitatis ac prudentiæ merito Benedictus &* *nomine*. Hic quadraginta quatuor annis abbatiam sancti Michaelis gubernavit, & obiit triennio post Lemovicense concilium celebratum anno 1031. ergo Advertus, cui subrogatus fuit, decessit circa annum 990. Primordia itaque constructionis hujus monasterii pertinent ad Advertum; perfectio autem operis ad Benedictum. Consecratio ecclesiæ similiter, & primum privilegium ad Annunconem; privilegium secundum ad Amizonem spectant, quod postremum statui non potest ante annum 998. & non ante præsentem annum 999. privilegium Silvestri Romani pontificis, de quibus loquitur Willelmus.

a T. III. Annal. Mabill. pag. 716.

Ceterum eremita *Johannes* interim *conventicula affluentium populorum evitando*, ait scriptor anonymus ipsius vitæ in Spicilegio Ravennate, *propositoque eremiticæ vitæ arctius inhærere peroptando*, *ad montem videlicet primum suæ habitationis solitarium domicilium repedavit*, *ibique inæstimabili divini ardoris studio plus solito insudavit*. *Ecclesia vero sanctæ Dei genitricis*

nitricis

nitricis Mariæ ab ipso stabilita atque ædificata, indefesse jejuniis vigiliisque intentus, contemplationi assiduæ, orationi semper vacabat, rarissime ab ipsa ecclesia recedendo, fatiscentesque artus impassibili alicui fortissimo juventute florenti exercitio frugalitatis & vigiliarum decoquendo; cœlesti tamen privilegio patenti signorum indicio insignitum, in honore & nomine gloriosi archangeli Michaelis consecratum, quod incola primum, in quo residebat montis vertice reliquerat templum, ita indocibilis ardoris amore complectebatur, fratrumque illi sincere Deo militantium caritatis studio condelectabatur, ut sæpe numero non alicujus sonipedis vel asini usus vehiculo, sed pedestris sitibundo bonæ voluntatis contentus solatio persacile difficiles binorum montium ascensus vel descensus transeundo, confrequentaret, & post orationem fratrum refocillatus sancta dilectione ad propria solitariæ habitationis devitato otio propere remearet. Et quo ferventiori desiderio mellifluæ suæ mentis oculos incessanti lacrymarum infusione irrigando se Dei servitio mancipabat, tanto acrius nequissimi hostis tentatio in monstruoso diversorum animalium portento, murum scilicet vel ranarum, ipsum persequebatur imperterritum. Cernebat enimvero illum spiritu & Christicolarum obsequio attentius insistere, cum quibus conflictum sibi & omnibus suis exitiale perenniter detrimentum ab initio dignoscitur habuisse, ideoque illi vehementius machinabatur insidias suæ malignitatis prætendere. Miraculorum quoque insignia quamplurima per illum ostendebantur, quorum multa ab incolis ipsius declivii montis sæpedicti Caprasii usque hodie referuntur.

ANN. CHR. 999. ROMUALDI 92.

XXIII. Fundatio monasterii S. Mariæ Pratalìæ.

STATUENDA videtur ad hæc pariter tempora ædificatio monasterii sub invocatione sanctæ Mariæ, & sancti Benedicti, & omnium Sanctorum in alpe Pratalia juxta rivum Bidentem, ad radices Montis-acuti, qui Thusciam & Romaniam dividit. In privilegio eidem monasterio concesso anno 1002. ab Ottone III. nominantur mansi, quos per libellum dederat prædictæ abbatiæ Hugo marchio; quare vivente Hugone, eo circiter tempore, quo bonis ditavit, & locupletavit prædiis alia monasteria sua munificentia erecta vel dotata, fundata quoque fuit abbatia Pratalìæ. Ejus conditores fuere Helempertus episcopus Arretinus, ut ipse se nominat in charta donationis anni 1008. & Rodulfus quondam Righizo, qui *a fundamento* ædificasse dicitur ecclesiam sanctæ Mariæ de Pratalia in alia donationis pagina anni 1010. Putant aliqui de abbatia Pratalienſi intelligenda esse ea verba, quæ leguntur in quadam enarratione *eorum, quæ perverse gesta sunt a custodibus ecclesiarum Arretinarum* scripta circa annum 1092. apud Muratorium [a]; ea porro sunt: Helperto *præsidente in ecclesia prædicta* (Arretina) *cum maximo labore reædificavit ecclesiam sanctæ Mariæ, & veniente ibi Romano pontifice cum maximo honore ac desiderio consecrare eam ab eo fecit*. Et infra: *Denique ipse*, Albertus, *secutus antecessorem suum Helpertum, qui ecclesiam sanctæ Mariæ a fundamentis renovaverat, sic & iste &c.* Sed melius alii hæc verba referunt ad alteram ecclesiam sanctæ Mariæ positam in civitate Arretina, & non ad Pratalienſem in montibus sitam, quæ insuper non reædificata, neque renovata fuit ab Helemperto, sed a fundamentis primum excitata. Primus loci præses videtur fuisse Teuzo, qui non abbas, sed *rector* appellatur anno 1002. ab Ottone III. anno vero 1008. Sigizo nominatur abbas ordinatus in ecclesia Pratalìæ ab eodem Helemperto episcopo. Plura subinde suis annis dicemus de hac abbatia, quæ seculo XII. unita fuit eremo Camaldulensi, & seculo XIV. extincta, ejusque redditus eidem Camaldulensi cœnobio assignati.

[a] *T. V. Antiq. med. æv. col.* 217.

Ann. Chr. 999. Romualdi 92.

XXIV. Altera monasterii Silvæmundæ in comitatu Arretino.

Referri potest ad idem plus minusve tempus constructio alterius monasterii appellati Silva-munda in comitatu Arretino. Institutionis ipsius auctor fuit quidam nobilis vir Griffus, qui eidem filiam suam religionis intuitu præfecit, sanctimoniales feminas ei jungendo; verum aliquanto post ob filiæ suæ inhonestos mores iratus, abjecit e claustris moniales, virosque monachos earum loco introduxit, donata monasterio libertate. Exortis temporis progressu simultatibus, bellisque inter filium prædicti Griffi, & inter ejus nepotes, monachi dicti cœnobii coacti fuere monasterium deserere, novumque sibi requirere ad tute vivendum locum; id quod accidit sub Leone papa IX. cui supplices libellos pro hujusmodi mutatione porrexere. Constant ista ex [a] bulla Innocentii papæ II. anno sui pontificatus sexto confirmantis eamdem licentiam concessam olim monachis a Leone IX. prædecessore suo. Nolumus divinare, an ad prædictum monasterium Silva-mundense, vel ad alterum Arretinum asceterium pertineret [b] *Gariperga sanctimonialis filia olim Alberti, Albizo vocati*, quæ anno 1024. *pro anima sua judicavit monasterio sanctæ Mariæ de Pratalia casam cum terra, vinea & horto super se posita in territorio Partinæ, casali Monte, vocabulo Lucioli, juxta terram sancti Donati a duobus lateribus, & Ursoni quondam Lanfredi & viam publicam?* Quamquam scimus eo temporis sanctimoniales feminas plures consuevisse vivere in domibus paternis, quin se addicerent ulli monasterio. Silva-mundense etiam monasterium initio seculi XII. disciplinæ eremi Camaldulensis se subjecit.

a *Archiv. Cam.* §. *Amissæ. n.* 209.

b *Archiv. Camald.* §. *Donat.* 33.

Ann. Chr. 1000. Romualdi 93.

XXV. Obitus Johannis eremitæ Clusini.

Supremus hic annus fuit sancto Johanni Vincentio eremitæ, olim ad Ravennatem archiepiscopatum ex Romualdi alumnis assumpto, qui in cellula apud monasterium Clusinum commorans, ad imitationem ejusdem sui parentis Romualdi, qui sæpius se intra cellam includebat, & Johannis Gradonici, qui juxta Montem-casinum tunc vivens in cella easdem reclusionis leges servabat, die XII. januarii placide obdormivit in Domino, nullo teste, nullo circumstante, ut etiam in hoc similem per omnia sortiretur mortem, quam sortiri debebat magister ejus Romualdus. Præstat audire ejus vitæ auctorem. [c] *Cum ergo tot & tantis lucifluis mirabilium ornamentis sanctissimus Domini confessor Johannes polleret, & clementissimus & æquissimus remunerator suum fortissimum athletam suo indefesso labore de senili agone jam decertato nobiliter triumphantem, gloria & perpetuali honore donare disponeret, cœpit æstuantius frigore febricitare, & toto nisu mentis ad Deum inhianter spiritum dirigere. Videres singularem eremitam in simplici cellula alacri animo ad bravium anhelantem, omnino ab humanis destitutum, cœlesti Angelorum solatio delectari more solito, ut quibus aulam orationis non auro vel gemmis renitentem, sed divina virtute præditam in terris construxerat, illi cum sociorum agminum tripudio, ejus sanctissimam animam summi regis, cui toto corde servierat, conspectibus præsentarent in cœli palatio. Quam a seculo migrantem, ut alterum Paulum eximium anachoretam, humanus oculus, ut ejus temporales & familiares ferunt dixisse, non potuit respicere; miroque modo ab æquissimo Deo actum est, ut quorum conspectibus in sua vita cœlestium amore se subtraxerat, illis in mortis suæ transitu cernendus denegaretur, & angelorum collegio, quorum incessabili ardore æstuabat, frequentique colloquio, & visitatione persæpe relevatus fuerat, præsente in supremo agone animaretur, & spiritus ejus cœlicis excubiis honorificatus velut virtuosi agonistæ ab ipsius astricolis civibus Domino suo gloria & honore perenni remunerandus assignaretur.*

c *T. I. Par. II. p.* 566. *rer. Italic. Script.*

tur. Addit idem auctor sepultum fuisse Johannem in ecclesia sanctæ Mariæ, *cujus*, inquit, *sanctum corpus in eadem ecclesia gloriosæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ, quam construxerat, & in qua jejuniis & continuis vigiliis usque ad mortem perseverando .... obdormivit*, *honorifice est humatum*. At Fabrius [a] opinatur depositum fuisse in ecclesia sanctorum martyrum Solutoris, Valentini & Victoris, dum hæc habet: „ Venerationi expositum est ejus sacrum corpus in villa sancti Ambrosii, „ loco posito ad radices montis Pyrchiriani & montis Cellarum, ubi in „ ecclesia parœciali ejus nomini dicata, quæ forte illa erit, quam erexit „ in honorem sanctorum Solutoris, Valentini & Victoris, super aram „ maximam intra deauratam capsam asservatur, & sollemnissima pompa, „ & concursu magno populorum circumhabitantium, quotannis die ipsius „ festivo, qui ibi celebratur ad XII. januarii, defertur in publica supplicatione a clericis & sacerdotibus sacris vestibus indutis; ipsius vero „ caput intra thecam ligneam inauratam clausum defertur a præposito „ ejusdem ecclesiæ, in qua celebratur ea die officium de communi confessoris pontificis. Ab ipso sacro corpore anno 1522. ablatum fuit os „ costæ, & nodus digiti, quæ dono data fuere Carolo III. Sabaudiæ „ duci ab Urbano Miolans episcopo Diensi & Valentino, abbate commendatario sancti Michaelis de Clusis. Prope villam autem Cellarum, „ quæ est in monte Caprasio contra montem Pyrchirianum, visitur etiam „ hodie specus, sive cellula, ubi Johannes eremita vixit. " Quæ omnia a se narrata legi asserit Fabrius in quadam relatione latina excerpta ex libris visitationum, ac ex scripturis veteribus existentibus in archivo sancti Michaelis Clusarum, mandante domno Antonio a Sabaudia abbate dicti loci, & subscripta a Gasparo-francisco Mongrandi archipresbytero, canonico metropolitanæ Taurinensis & abbatiæ vicario generali.

a *Mem. Sagr. Raven. p.* 385.

XXVI. Inscriptio ad ejus tumulum.

DIES & annus obitus sancti Johannis indicantur ab antiqua epigraphe tumuli post sequiseculum renovati, cujus dumtaxat fragmenta sub finem elapsi seculi ad Grandium nostrum, inter cujus schedas reperitur inscriptio, pervenere diligentia tunc viventis præpositi castri villæ sancti Ambrosii, posterorum memoriæ servata; quæ est hujusmodi.

HIC. TVMVLVS. CLAVDIT. VENERABILIS. OSSA. JOHANNIS
QVEM. MONS. CAPRASIVS. ROMALDI. ACCEPIT. ALVMNVM
.... EX. PRAESVLE. FACTVM
RVRSVS. EREMITAM.................... MICHAELIS
PYRCHIRIANVS. APEX. EX. ILLO. SVMPSIT. HONOREM
QVAS. QVOQVE. FVNDAVIT................ AEDES
PRIDIE. IDVS. IANI. DVM. MILLENARIVS. INSTAT
.... PENETRAVIT. SPIRITVS. ASTRA
POS. A. MCLIV.

Atque en demum inscriptionem, qua fulti integram Johannis Ravennatis archiepiscopi, inde eremitæ, historiam in nostros Annales derivavimus. Diu hæsimus, quid tandem consilii caperemus in ea conditione positi, ut rerum nostrarum vel contemptores, vel faciles exceptores audiremus. Prævaluit apud nos fides in Grandium nostrum; & insuper ne diligentia nostra

ANN. CHR. 1000. ROMUALDI 93.

ſtra deeſſet, exorare decrevimus, multaque inſtantia exoravimus amantiſſimos noſtros eremitas Camaldulenſes congregationis Pedemontanæ, præſertim reverendiſſimum patrem domnum Apollinarem illius eremi majorem, ut inſcriptionem olim Grandio tranſmiſſam iterum conſulerent; qui ad eum locum directis probis doctiſque viris, maximo animi noſtri mœrore pro reſponſo nobis ſignificarunt, eccleſiam, in qua proſtabat epigraphe, multiplicibus hujus ſeculi bellis penitus fuiſſe disjectam, deperditos libros omnes, monumenta omnia miſerandum in modum periiſſe, nullamque relictam ipſis ſatisfaciendi juſtæ petitioni noſtræ viam.

a T. II. P. II. col. 735. Script. rer. Ital.

Non imus inficias ab auctore chronici Novalicienſis apud [a] Muratorium inter abbates Bremetenſes nominari *Romaldum*, qui *fuit vir timoratus*, *& totus Deo plenus*, *ut clare ejus fama poſtmodum docuit*, *tam corpore*, *quam ſanctitate procerus*, *ex cujus tumba odor manat ſuaviſſimus*; ſed quonam tempore is vixerit, difficillimum eſt, ne dicamus impoſſibile, ab chronographo Novalicienſi exſpiſcari. Ab anno 961. ad annum 984. inter abbates Bremetenſes, eo tempore, quo ibi confugerant Novalicienſes monachi, legitur Gezo; ante ipſum Glabrio, ſive Arduinus abbas forte ſecularis; poſt Gezonem Gothifredus. Bremetenſis proinde Romaldi alumnum fuiſſe Johannem eremitam, non eſt cur ſuſpicemur, præſertim cum in Bremetenſi cœnobio vita eremitica non ageretur, quam multo probabilius agere potuit Johannes ſub celeberrimo ejuſdem nominis & ætatis abbate Romualdo. Nullam præterea veri ſpeciem habet Johannem Ravennæ natum, Ravennæ poſtea archiepiſcopum, alibi ſolitudini ante archiepiſcopatum vacaſſe quam prope patriam, ubi potiſſimum ſub Romualdo reſtitutore, immo inſtitutore, vigebat perfecta anachoreſis. Otioſum non erit ſuperaddere, Johannem Ravennatem archiepiſcopum, ſi non ante adeptum ejus honoris culmen adhæſiſſe putetur Romualdo, adhærere potuiſſe ſaltem tempore ſui præſulatus, cum animo verſabat ſolitariam, quam, cum licuit, elegit vitam; conſilium pluries expetiiſſe Romualdi, qui, ut ejus voto obſecundaret, illi perſuaſerit, ut extorris etiam a patria, ſicut ſecedebat a dignitate, ita in remotum ſe locum conferret, datis ad hoc vitæ genus facilius capeſſendum ſaluberrimis præceptis & inſtitutis. Romualdus enim erat eremitarum pater, ut ait chronographus San-benignianus, & ſi ejus in vita anachoretica doctrinam remotiorum provinciarum viri ſuſpiciebant, quanto magis viciniores, ipſa ejus patria, virique in ea conſiſtentes. Hæc libenter animadvertimus, ne ultra quam par eſt, inſcriptioni, quam non vidimus, quæve amplius non extat, & cujus vades eſſe nolumus, fidere videamur.

XXVII. Quo die objerit?

INCOMPERTUM tamen nobis eſt, cur ſanctus eremita Johannes, quem ſupradicta inſcriptio defunctum habet *pridie idus jani*, & cujus pariter a Fabrio aſſeritur feſtum honorari ſollemniſſima pompa & concurſu populorum die XII. januarii, ab auctore ejus vitæ in Spicilegio Ravennate dicatur XXI. novembris obiiſſe. *Cujus ſanctum corpus*, inquit, *in eadem eccleſia glorioſæ Dei genitricis*, *quam conſtruxerat*, *& in qua jejuniis & continuis vigiliis uſque ad mortem perſeverando* XI. *kalendas decembris in Domino obdormivit*, *honorifice eſt humatum*. Immo addit Petrus-hiacynthus Gallizia canonicus inſignis collegiatæ Javeni in vita ſancti Johannis confeſſoris archiepiſcopi Ravennatis, protectoris loci ſancti Ambroſii in marchionatu Seguſiæ, edita Taurini anno 1742. Fabrium deceptum fuiſſe ab iis, a quibus notitias hauſit, cum ſcripſit feſtum ſancti Johannis celebrari die XII. januarii; etenim „ ab immemorabili, inquit Gal„ lizia [b], die XXI. novembris feſtivus dies ejuſdem ſancti recurrit, “ laudatque

b Pag. 28.

datque Ferrarium ad eum diem Johannis festum referentem. Verum Ferrarius in catalogo generali Sanctorum, qui in martyrologio Romano non sunt, XI. kalendas decembris meminit: *Ravennæ sancti Johannis episcopi cognomento Angeloptes*. Et in adnotationibus ad eam diem habet: „ Ex „ tabulario ecclesiæ Ravennatis hac die; at in Romano martyrologio die „ XII. januarii Johannes, qui Angelum vidit, appellatur; hoc enim so- „ nat Angeloptes; " ubi manifeste loquitur de Johanne I. non vero de Johanne XI. archiepiscopo Ravennate. Attamen, quod in valle Segusiana festum sancti Johannis eremitæ celebretur die XXI. novembris, ut ait Gallizia, & multo ante ipsum scriptor anonymus, id potuit contingere, quia eo die translatio, quæ duplex contigit, corporis sancti viri facta fuerit. Enimvero anonymus scriptor addit & sequentia, quæ ad Johannis honorem pertinent. *Paucis*, ait, *quoque evolutis annorum curriculis ineffabilis Domini pietas dignata est servum suum, cujus esset meriti, revelare pluribus miraculis glorificatum, nam quicumque vario febrium incommodo detinebatur, aut alia corporis molestia affligebatur, mox ut sacrum ejus sepulcrum plena fide visitabat, meritis ipsius sancti confessoris Johannis archipræsulis pristina sanitate reddita, omnique languoris tœdio ablato, lætus exultans ad propria remeabat. Quibus visis miraculorum signis, abbas Clusini cœnobii supramemorati sancti Michaelis archangeli, congregato venerabili ejusdem monasterii cœtu, præfectorum consilio deliberat, ut sanctissimi corporis ipsius sancti Johannis reliquiæ elevatæ super altare sanctæ Dei genitricis semper virginis Mariæ, ante quod tumulatum fuerat, reponi debeant. Deinde directis ab ipso abbate nonnullis illius venerandi cœnobii fratribus ad jamdictam sanctæ Mariæ ecclesiam in montis e contra ad Arcton vergentis culmine sitam, corpus a sepulcro digna cum reverentia sustollitur, & feretro reconditum hymnis & laudum jubilationibus super prænotatum altare reponitur.*

His diffinitis licet aut pulvere redimitis
Eximiæ vitæ digni titulis eremitæ,
Præsulis insignis necnon decoris bene signis,
Sic juvaretur delatio corporis ejus,
Et quæ sunt gesta miracula jam manifesta,
Ejus per merita cuncto populo veneranda
Huic assignentur, laudique suæ recitentur.

Narrat præterea idem Gallizia [a], sacra sancti Johannis ossa, quæ in ecclesia Clusina sancti Michaelis diu jacuerant, instantibus potentibus viris, nescit tamen qua occasione vel tempore, sublata fuisse, ut vel in Gallias, vel ut alii malunt, Ravennam deportarentur, sed mulum, qui sacram sarcinam gestabat, ad sancti Ambrosii castrum pervenientem substitisse, neque verberibus, neque aliis experimentis potuisse ab eo loco dimoveri; quapropter conjicientes ductores eam esse Dei voluntatem, ut etiam sacra lipsana ibidem permanerent, reverenter ea deposuerunt in ecclesiam parœcialem supradicti pagi, quæ in charta membranacea anni 1369. titulum jam præferebat sancti Johannis. Nil vetat ergo, quod XI. kalendas decembris contigerit prima corporis elevatio, vel alterum prodigium, ut proinde indigenæ potuerint assignare pro celebranda sancti Johannis festivitate diem translationis vel adventus sacrarum reliquiarum ad ipsos; ita pariter auctoritati anonymi scriptoris ejus vitæ poterit satisfieri.

[a] *Pag.* 21.

XXVIII. Aliqua circa annum ipsius obitus.

Multoque minus facessere debet negotium, neque dimovere cogimur ab anno præsenti annum emortualem sancti Johannis eremitæ, propter

Ann. Chr. 1000. Romualdi 93.

pter verba Willelmi monachi Clusini, ex quibus videtur posse deduci ipsum migrasse ad Deum pluribus annis ante annum millenarium, nempe obiisse ante electionem Benedicti in abbatem Clusinum, qui ut vidimus, creatus fuit abbas illius loci circa annum 990. præterquamquod enim multis peccat in notis chronologicis Willelmus, successio duplex Benedicti abbatis potest distingui; alia nimirum potest ad mortem Adverti referri, alia autem ad obitum etiam Johannis eremitæ cum dicat: *Postquam etiam sanctus Johannes eremita, nec non & bonæ memoriæ Advertus abbas migrassent ad Dominum, successit ei* (notandum dici *ei*, hoc est Adverto, non *eis*) *in regimine fratrum consensu & electione vir simplicitatis ac prudentiæ merito Benedictus & nomine*. Potuit itaque Benedictus Adverto succedere anno 990. superstite adhuc Johanne; sed quæ postea subjungit Willelmus, & ad Benedicti gloriam faciunt, pertinent ad tempus, quo post decennium obierat etiam Johannes eremita, *caritatis* nimirum *affluentia*, *hospitalitatis liberalitas*, munificentia, qua Benedictus *omnes ad se venientes*, *& montis ardua & Archangeli patrocinia petentes* suscipiebat. In eo enim totus est Willelmus, ut posteaquam ejus loci sanctitatem descripsit sub Johanne & sub Adverto, describat pariter sub Benedicto Adverti successore in dignitate, & successore Johannis in virtutibus. Utut sit, Willelmus ipse Willelmo objiciendus, qui anachoretam Johannem vixisse sub Amizone præsule Taurinensi admittit, dum scribit, pium antistitem anachoretæ precibus constituisse, *ut liber esset locus* &c. Porro Amizo ante annum 998. eam ecclesiam gubernandam non suscepit, ut alibi diximus.

XXIX. Monasterium Vangaticiense recipitur sub protectione sedis apostolicæ.

Monasterium Vangaticiense sedente Silvestro II. Romano pontifice in protectionem sedis apostolicæ susceptum fuit. Id contigit sub ejus pontificatu, sed quo anno non liquet; probabile est, curante Hugone marchione insigni benefactore cœnobii, qui obiit sub finem anni sequentis, præstitum hoc fuisse. Mentionem faciunt privilegii Silvestri II. Calixtus II. Innocentius II. Alexander III. & Cœlestinus III. inter quos Calixtus asserit: *Vangaticiense monasterium beatæ Dei genitricis virginis Mariæ ab ipsa fundatione sui per sanctæ recordationis papam Silvestrum litate donatum fuisse*.



AN-



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER SEPTIMUS.

Ab anno CHRISTI M.I. *ad annum* M.VI.



UNDECIMUM ecclesiæ centenarium ingredimur, cujus initiis Romualdus natus anno 907. jam elapsum seculum fere æquabat, nonagesimum nimirum & quartum vitæ annum assecutus, quorum proinde numerus & onus sepulcro potius indicabant proximum venerabilem senem, quam parem tot illustrioribus factis, quæ sumus de ipso in subsequens tempus narraturi, quæque pertinent ad viginti & septem annos, quibus ulterius supervixit. Ipsum Romana ab urbe spoliis & nobilissimorum virorum præda onustum deduximus anno 998. ad concupitam suam Perei solitudinem, ubi hoc etiam anno commorabatur, quo ab imperatore Ottone impetravit, ut prope ipsam monasterium construeretur & dedicaretur in honorem sancti Adalberti recens martyrium passi. Præcedenti anno imperator Otto Gnesnam accesserat, nudisque pedibus urbem illam intraverat veneraturus sacra lipsana ibi deposita sancti archiepiscopi. Ingressum hunc *quadragesimæ tempore* accidisse docet nos chronographus Hildesheimensis; postea *palmarum sollemnitatem Parthenopoli*, idest Magdeburgi peregerat, & *paschalia tempora Quidilingaburgi*, *pentecostes* vero *Aquisgrani*, ubi templum erexerat ad cultum ejusdem sancti martyris. Mense autem julio in Italiam descenderat, atque Papiæ [a] erat die sexta ejusdem mensis ex diplomate a [b] Margarinio publicato; prima vero novembris, & in festis natalitiis Domini Romæ stationem habebat; id iterum nos docent Annales Hildesheimenses; atque in insula Tiberina secundum construxerat in honorem ejusdem sancti Adalberti templum, conquisitis undique Sanctorum reliquiis.

ANN. CHR. 1001. ROMUALDI 94.

I. Otto imp. templa ædificat in honorem S. Adalberti martyris.

a *Leibnit. Script. Brunsvic.* T. I. *pag.* 721.

b T. *II. pag.* 62. *Bullar. Casin.*

RAVENNAM inde se contulit imperator, ibique cum esset mense aprili hujus anni, Romualdi suggestu, tertium in venerationem ipsius sancti martyris templum & monasterium ædificavit in insula Perei: *Dum moraretur autem*, [c] inquit Damianus, *adhuc in Pereo*, *imperator Otto mo-*

II. Unum ex ipsis cum monasterio condit in insula Perei.

c *Vit. S. Rom. cap.* XXX.

ANN. CHR. 1001. ROMUALDI 94.

nasterium ibi ad honorem sancti Adalberti, eo suggerente, construxit, cui contigua Classensis cœnobii prædia contulit, & ea sibi ex fiscali possessione in Firmensis monarchiæ partibus recompensavit. Hieronymus Rubeus [a] existimat Adalbertum Traversarium precibus suis se adjunxisse precibus Romualdi apud Ottonem, ut ædificaretur hoc sancti Adalberti templum: „ Ex Andrea Pauli filio, ait, Ugo, Balduinus, & Adalbertus nascun- „ tur: hic Ottoni cæsari admodum carus, adjutor accessit divo Romual- „ do, ut cæsar divo Adalberto templum in insula Pereo ædificaret, ab „ eoque tempore Romualdus Ottoni notus & veneratus est. " Verum hanc Ravennatis civis intercessionem a Rubeo, forte occasione æquivoci nominis, quod cum eodem martyre gerebat Traversarius, suppositam demonstrant illa verba Damiani *eo suggerente*, quæ potius indicant Romualdum dumtaxat motum tam Ottonis cultu propensiore, quam sua propria religione erga sanctum episcopum, cui discipulos olim in apostolatu comites verisimiliter dederat, cujusque amicissimus vir Bonifacius vivebat tunc in Pereo, Ottoni insinuasse, ut quæ aliis in locis pietatis & venerationis signa præstiterat, præstaret etiam in Perensi solitudine sancto Adalberto. Vel si etiam Traversarii intercessionem admittamus, illud Rubeo minime concedimus Romualdum ab eo tantum tempore cognitum fuisse Ottoni, cui Romualdus saltem ab anno 996. notissimus erat, in cujus cella & lectulo imperator pernoctaverat, a quo pœnitentiam acceperat, cui demum pollicitus fuerat forte jam ab eo tempore, vel ab anno 998. regio diademate deposito, monasticam cucullam se suscepturum.

a Lib.V.p.277.

III. Dubitationibus Henschenii circa locum hujus templi fit satis.

GODEFRIDUS Henschenius, [b] relata opinione Hieronymi Fabri, [c] vicum nempe communiter dictum *sancti Alberti* in finibus vallium Comaclensium, duodecim milliaribus a Ravenna distantem, eumdem esse cum Perei insula ob Romualdi anachoresim celebri, ibique conditum ab Ottone monasterium, quod postea ad canonicos regulares Portuenses translatum, tandem ad conditionem prioratus secularis reciderit, quod & admittit Gabriel Pennotus [d], vellet certius confirmari, loci hujus auctorem fuisse Ottonem III. Dubitat inde an vicus sancti Alberti insula sit; id demum probandum dimittit Ravennatibus, qui quanto melius ostenderint ibi tunc habitasse sanctum Romualdum, tanto credibiliora facient, quod ejus observantissimus imperator visitationis ergo transire illac voluerit, jusseritque sancto Adalberto, cui pariter devotissimus erat, locum dedicari. Nos Heschenio satisfacimus, sed prius [e] Rubei verba in medium proferamus: „ Sub idem fere tempus, inquit Rubeus, Otto „ idem cæsar divi Romualdi instinctu divo Adelberto Pragensi, qui haud „ ita diu ante in Prusia ob Christi fidem fuerat trucidatus, cœnobium „ dicavit in Pereo, continentibusque nonnullis Classensis cœnobii prædiis „ donavit, cum alia in Firmano Classensi tribuisset. Hujus insulæ Pere- „ hi fines in ejus ætatis tabulis leguntur: Padus Juveniacus, Fossa Au- „ gusta, quæ per Humanam in Padum descendit, Padorenus & medium „ Grangenum. Ipseque Otto cæsar profectus in eam insulam, cœnobii „ locum, ubi ædificandum esset, juxta divi Cassiani templum designat, „ & divum Romualdum abbatem facit, ut ex tabulis augustalibus Ra- „ vennæ datis, quas in divi Vitalis tabulario legimus, cognosci facile po- „ test. " Hæc Rubeus. Cupientes nos, dum Ravennæ consistebamus, Ottonis diploma videre, indoluimus misere deperditum una cum pluribus aliis veteribus documentis anno 1636. in alluvione fluminum, quibus ex alveo tumide debacchantibus tunc tota pene sub aquis fuit urbs Raven-

b Addend. ad diem XXIII. aprilis T. III. p. 991.

c Memor. sacre di Ravenna p. 71.

d Histor. Canonicor. Regular. Lib. II. cap. 54. n. 2.

e Lib.V.p.273.

Ravenna. Confinia tamen Perei, quæ ex Ottonis diplomate laudat Rubeus, ad hanc etiam diem perseverant in vico sancti Alberti; vocatur enim *Humana* aqua quædam decurrens inter vicum sancti Alberti & inter Argentam; ac Padus, qui communiter appellatur *il Poatello di Argenta*, inde *di sant' Alberto*, ac postremo *di Primaro*, quæ nomina flumini tribuuntur juxta vicinitatem riparum, quas alluit, peritorum hujus loci judicio est Padus Juveniacus. Qua ratione autem territorium sancti Alberti insula appellaretur tempore Damiani, immo etiam posterioribus temporibus, ut legimus in [a] diaccepto A. ecclesiæ ipsius loci anni 1304. & in altero anni 1547. cui titulus: *Diaceptum monasterii & ecclesie sancti Alberti de insula Perei, & riperia sancti Alberti territorii Ravennatis*, intelligimus ex veteri, quam vidimus apud ejusdem ecclesiæ priorem D. Johannem-antonium Focaccia, tabula chorographica positionem loci & aquarum describente, antequam cardinalis Cajetanus, ut Padum sancti Alberti versus Primarii portum redderet navigationi & cursui aptiorem, alveum novum fodiendum curaret, ab ejus nomine Cajetanum vocatum, intelligimus scilicet territorium illud insulæ formam obtinuisse, quia ab una parte valles Comaclenses, ab alia flumen, nempe Padum Juveniacum, habebat contermina. Territorium præterea sancti Alberti esse vetus Pereum, deducimus ex antiquis privilegiis, quibus fruuntur habitatores hujus loci, immunes a vectigalium solutione, quæ privilegia ipsis confirmavit Pius V. ne se dederent principibus Estensibus, cum quorum Ferrariensi territorio agros confines habebant. Novem quidem dumtaxat milliaribus abest nunc vicus sancti Alberti a Ravenna; quare si Petrus Damianus a Ravenna duodecim milliaribus distare Pereum asseruit, vel est intelligendus ratione monasterii Classensis, ex quo ad Pereum totidem milliaria intercedunt, vel ratione palustrium locorum, qui tortuosum magis tunc reddebant iter. Sed quod rem plane conficit, & Henschenio satis superque esse debet, petitur ex charta anni 1016. in qua nominatur *Vitalis abbas monasterii sancti Adalberti siti in isula, que vocatur Pereum*, qui ostendit patribus concilii Ravennatis ejusdem anni præceptum, *quod quondam Otto imperator fecit in eodem monasterio*. Hic habemus Pereum appellatum fuisse insulam, monasterium sancti Adalberti situm fuisse in ea insula, quæ appellatur Pereum, & demum Ottonem ei monasterio, quod, teste Damiano, condiderat, privilegium concessisse. Sed de charta hac ad annum 1016. sicut etiam videbimus ad annum 1053. Henricum archiepiscopum Ravennatem Aimmoni abbati ejusdem monasterii sancti Adalberti piscariam concedentem ita describere confinia loci: *Ab uno latere fossa, que dicitur de Grengeno, ab alio latere Padusiolus percurrens usque in portu de Primario*. Et inferius: *Concedistis nobis in perpetuum Padorenum ..... & fossam de Augusta usque ad Pollicinium de Carpeneta*; ubi eadem nimirum locorum nomina occurrunt, quæ in prima Ottonis donationis charta leguntur, & quæ ad hodiernam diem adhuc perseverant prope vicum sancti Alberti.

ANN. CHR. 1001. ROMUALDI 94.

a Pag. 14.

IV. Imperator bona assignat eidem monasterio.

MONASTERIO sancti Adalberti recens ædificato Otto imperator Classensis cœnobii prædia (*præsidia*, sed non recte, legitur in editione postrema operum sancti Petri Damiani) assignavit, & Classensi cœnobio alia concessit ex fiscali possessione in Firmanæ monarchiæ partibus. Sed quid sibi vult *Firmensis monarchia*? Errori potest id tribui amanuensis, qui compendiariam *marchiæ* notam in Damiano interpretatus fuerit *monarchiam*. Quinquies in operibus Damiani hæc vox *monarchia* legitur, & in omnibus his locis *marchia* videtur debere substitui: capite præsenti

Ann. Chr. 1001. Romualdi 94.

xxx. vitæ sancti Romualdi, *Firmensis monarchia*, quæ est marchiæ Anconitanæ provincia, ubi Firmum civitas, vulgo *Fermo*; capite xxxv. *Camerinensis monarchia*, sic appellata a Camerino civitate episcopali ad Picenæ & Umbricæ provinciarum confinia posita; capite xl. ubi inducitur Rainerius obtinens *monarchiam*; ipsa est marchia Thusciæ. In vita sancti Dominici Loricati [a] *Spoletina* nominatur *monarchia*, quæ fuit & ducatus. In opusculo demum *de principis officio* [b] vocat Damianus Hugonem marchionem, qui *obtinuit utramque monarchiam, & quam Tyrrhenum videlicet, & quam mare Adriaticum alluit; sed cum perpenderet, quia propter improbitatem injuste viventium strenue regere utramque non posset, ultroneæ renuntiationis arbitrio cessit imperatori monarchiam Camerini cum Spoletano ducatu, juri vero proprio Thusciam reservavit*. Hinc clare liqueret in omnibus his locis legendum esse non *monarchiam*, sed *marchiam*, uti etiam ante nos observavit doctissimus Muratorius. [c] Nihilo tamen secius in charta ejusdem Ottonis imperatoris hujus anni pro monasterio Classensi inferius producenda habetur confirmatio bonorum ejus monasterii *tam in monarchia, quam per singula loca nostri regni*; similia leguntur in præcepto Conradi Salici in favorem ejusdem monasterii & Lamberti abbatis anno 1037. ubi *monarchiæ* nomine intelliguntur bona posita *in marchia Firmensi*, nimirum in *Perusino*, *Tudertino*, *Eugubino*, *Camerinensi*, *Firmano* &c. territoriis, in quibus possessiones habebat monasterium sancti Apollinaris Classis, ut proinde tunc temporis *monarchia* aliquas complecteretur Italiæ provincias vel territoria; quo posito, retinenda foret vox *monarchiæ* in textu Damiani.

a Cap. xi.

b Opusc. LVII. cap. III.

c Antiq. medii ævi T. I. col. 323.

Monasterium novum erectum ab Ottone sub invocatione sancti Adalberti non impedit, quo minus ibi antea fuerit eremus. Si enim ad Pereum Romualdus a triennio duxerat Bonifacium & ceteros Teutones, ipsisque cellas constituerat, ergo ante ædificationem monasterii extabat eremus; immo in eremo, ad quam eos duxit, *dudum*, ut ait Damianus, *Romualdus inhabitaverat*; ante hunc annum pariter vixerat in ea venerabilis ejus discipulus Willelmus. Hæc denuo contra eos sint dicta, qui existimant ab hoc anno dumtaxat auspicandam esse ædificationem Perei & eremi.

V. Insigne placitum in monasterio S. Apollinaris in Classe.

Ravennae cum consisteret idem imperator, placitum insigne tenuit die quarta mensis aprilis in monasterio Classensi sancti Apollinaris. Placitum hoc a Muratorio ex pergamena authentica, sive ex autographo notarii, qui illud literis consignavit, inventum apud Bonifacium Rangonium marchionem non minus ex antiqua & clarissima nobilitate, quam ex eruditione inter Mutinenses præstantem, missum fuit ad eruditissimum, suique & nostri amantissimum virum Antonium-franciscum Gorium, qui volumini V. suarum *Symbolarum Literariarum* inseruit. Continet autem placitum renunciationem factam ab episcopis Comaclensi & Adriensi, necnon ab Andrea abbate monasterii sancti Salvatoris Ticinensis, jurium, quæ prætendebant in monasterium Pomposianum, & in illud sancti Vitalis in Comaclensi territorio sita. Cum enim Adelais imperatrix Ottonis I. augusti conjux extra Ticinensem urbem condidisset celebre monasterium sancti Salvatoris, & insigniter dotasset, atque diuturno illo tempore, quo vice mariti & Ottonis II. filii, & Ottonis III. nepotis regnum Italiæ, tunc temporis Ravennam cum exarchatu, & Comaclum complectens, rexit, quibus poterat modis, novum suum cœnobium exaltare curaret, cæsareo imperio ei subjecit Pomposianum, & sancti Vitalis in comitatu Comaclensi posita cœnobia. Defuncta

vero

Ann. Chr. 1001. Romualdi 94.

vero Adelaide anno 998. reclamare cœpere tum archiepiscopus Ravennas, tum abbates eorumdem monasteriorum, jus suum in duo illa monasteria læsum contendentes, & Silvestri papæ, qui biennio ante fuerat archiepiscopus Ravennas, potissimum opera & auctoritate effecerunt, ut abbas sancti Salvatoris Ticinensis in hoc placito, una cum nominatis episcopis, supradictis juribus cederet. Huic placito adstiterunt inter ceteros *Romualdus abbas & eremita*, *Guillelmus presbiter & eremita*, *Johannes presbiter & eremita*, *& alius Johannes monachus similiter & eremita*, *Bonifacius eremita*, *Arderardus abbas monasterii sancti Apollinaris in Classe*, *& Bonizo abbas monasterii sancti Severi*; ex quibus *Arderardus presbiter & monachus & abbas sancti Apollinaris*, & *Romualdus monachus* subscripsere. De his omnibus, qui interfuerunt, aliqua singillatim sunt nobis dicenda. *Romualdus monachus*, *abbas & eremita* ipse dubio procul est noster parens, in hac charta appellatus *abbas*, utpote qui olim præfuerat monasterio Classensi, vel tunc etiam *abbas* dicebatur, quia plura monasteria illius se disciplinæ subjecerant. Appellatur etiam *monachus & eremita*, quia utramque vitam in se copulabat, cœnobiticam & solitariam. *Guillelmus presbiter & eremita* est venerabilis ille Romualdi discipulus, de quo cohabitante in Perei eremo cum Romualdo agit Petrus Damianus; [a] quem insuper eumdem arbitramur cum Guillelmo eremita, olim abbate Pomposiæ, & cum Willelmo *eremitarum patre* appellato in chronico sancti Benigni Divionensis ad vitam sancti Willelmi abbatis item Divionensis. *Johannes presbiter & eremita* est is, quem cum Bonifacio *in eremo apud Italiam* vixisse asserit auctor chronici Halberstadensis; & clarius ex Damiano is est, qui postquam una cum Bonifacio vixit in ea eremo, se obtulit una cum Benedicto ad fidem prædicandam Polonis, ibique gloriosum martyrium subiit, ut videbimus infra. Alter *Johannes monachus* similiter *& eremita* forte fuerit is, qui *cultor* cum esset *eremi*, *relicta quiete solitudinis*, sub magisterio Willelmi abbatis Divionensis gavisus est associari, & demum *Fiscamnensi cœnobio abbas est institutus*, ut habet chronographus San-benignianus in vita ejusdem sancti Willelmi; vel potius alius *Johannes ex discipulis domni Romualdi*, *qui valde inspiratus*, *& accensus in fervore monastico cum uno suo socio ad videndum & scribendum properavit apud Cluniacense cœnobium*, *& ita exaravit in paginulis*, *ut oculis vidit* &c. *Bonifacius eremita* est clarissimus ille vir a Germanis *Bruno* vocatus, qui tunc in Perei insula eremiticam ducebat vitam sub magistro Romualdo. *Arderadus*, sive Ardesadus vel Hardesadus Classensibus monachis suslectus in præsulatum fuerat Petro successori Romualdi. *Bonizo* tandem abbas erat sancti Severi in Classe. Anne Bonizo abbas sanctæ Mariæ in Palatiolo, de quo inferius agemus hoc anno, idem erat ac Bonizo abbas sancti Severi, & consequenter abbas duorum monasteriorum? Vel duo tunc vivebant Bonizones abbates, Palatiolensis alter, alter sancti Severi? Videtur insuper Bonizo sancti Severi anno 1001. abbas idem cum Bonizone, cui donatio facta fuerat a Petronia anno 988. ut eo anno retulimus. Circa hæc tempora alius [b] reperitur *sancti Severi urbis Classis abbas Benedictus*, qui *relinquens curam commissi sibi loci*, *ad patris Willelmi*, abbatis scilicet Divionensis, *confluit doctrinam*. Placitum hocce visum est nobis denuo recudendum in Appendice, tamquam egregium monumentum, quod tot piorum & celebrium virorum nomina complectatur, ad Romualdi nimirum & Perensium eremitarum nostrorum illustrationem & gloriam, qui in eo conventu assederunt.

a *Vit. S. Rom. cap.* XXI.

b *Mabill. Secul. VI. Par. I. p.* 302.

PER-

Ann. Chr. 1001. Romualdi 94.

VI. Missio Johannis & Benedicti in Poloniam.

Pertinet etiam ad hunc annum missio Johannis & Benedicti Perensium eremitarum & discipulorum sancti Romualdi in Poloniam. Inter cetera, quæ anno præcedenti ab Ottone Gnesnam accedente expetierat Boleslaus Poloniæ dux, ipsum exoraverat, ut ad dilatandam in suo dominio evangelicam fidem, apostolicos sibi viros mitteret. Memor Otto petitionis Boleslai, cum Ravennæ esset, a Romualdo efflagitavit, ut aliquot de suis monachis vel eremitis in Poloniam dirigeret. Hæc monachorum Perensium ab Ottone facta postulatio confirmat, quæ alibi diximus, ante hoc tempus nimirum Romualdi & ejus discipulorum nomen in Polonia & in Bohemia inclaruisse, ipsumque forte Boleslaum nominatim illos expetiisse, vel saltem Ottonem eos præ ceteris elegisse, quorum sancta conversatio manifestata foret Adalberti olim præconio in illis provinciis. Si ab Adalberto comites sui itineris & laboris assumpti fuissent ex monasterio sanctorum Bonifacii & Alexii Romæ, ut credidere Dubravius & alii Bohemi scriptores, facilius & consultius Otto, qui, antequam Ravennam hoc anno veniret, Romæ substiterat sub finem anni præcedentis, monachos alios ex eodem cœnobio tunc temporis præclarissimo extraxisset in adjutorium eorum, qui annis præcedentibus cum Adalberto in Bohemiam & Poloniam commigrassent, & non ad eremitas Perenses confugium habuisset. Romualdo autem neminem cogere volenti, & ipsorum libertati se accommodanti, duo sese obtulere, Johannes & Benedictus. Rem sic describit Damianus. *Interea Romualdo in Pereo adhuc habitante, Busclavus rex preces imperatori direxit, ut sibi spirituales viros mitteret, qui regni sui gentem ad fidem vocarent. Mox Romualdum imperator aggreditur, & concedi sibi de suis monachis, qui illuc destinari utiliter valeant, deprecatur. Ille vero nulli suorum hoc præcipere, velut ex prælationis auctoritate voluit, sed in eorum voto ponens sive manendi, sive abeundi eis optionem dedit; ignorabat enim ex tam metuendo negotio voluntatem Dei, & ideo non illud suo, sed fratrum potius arbitrio committebat. Interrogante igitur eos, & humiliter obsecrante, tandem duo solummodo sunt ex omnibus inventi, qui se ultro ad eundum promptos offerunt. Quorum unus Johannes, Benedictus alter vocabatur.* Sciebat equidem Romualdus plures ex suis eremitis coronam martyrii, quæ fere semper prædicationem sequitur, ardenter concupiscere; Bonifacii votum pariter non ignorabat, qui martyris sui homonymi sorti invidebat; verum probe callens hoc ex Dei vocantis nutu pendere, uniuscujusque arbitrio deliberationem remisit. Suasu sui consodalis Bonifacii, ut habet chronographus Halberstadensis,[b] Johannes & Benedictus se ad longum iter, & ad apostolatum alacres exhibuerunt, quos propterea etiam hac ratione ad annum 994. distinguendos duximus ab aliis monachis eodem nomine donatis apud Dubravium, contubernalibus sancti Adalberti. Itineri ergo se committentes Poloniam ingressi sunt, & ut officium suum congrue explere possent, idiomati Illyrico addiscendo vacavere, in solitudine interea commorantes. *Hi itaque*, [c] subdit Damianus, *ad Busclavum euntes in eremo prius eo sustentante manere cœperunt, & ut prædicare postmodum possent, Sclavonicam linguam laboriose discere studuerunt.*

a Vit. S. Rom. cap. XXVIII.

b T. II. pag. 119. rer. Brunsvic. Leibnitii.

c Ibid.

VII. Transmigratio monachorum Breunoviensium in idem regnum.

Occasione Johannis & Benedicti Perensium eremitarum, aliam, quæ circa hæc tempora contigit, monachorum aliquot Breunoviensium transmigrationem in solitudinem Polonicam subjungimus. Dubravius,[d] postquam præmisit Adalbertum secum sex fratres conturbernales ex Italia adduxisse, qui ei semper adhæserunt ad mortem usque, quosque constituerat in monasterio Breunoviensi, eorum transitum ex Bohemia in Poloniam

d Histor. Bohem. Lib. VI.

loniam ita describit: „ Præter Anastasium autem & Gaudentium, alios „ insuper sex contubernales Breunovia habuit, uti vitæ sanctimonia celebres, ita celebritate hominum minime gaudentes. Illi igitur desiderio solitudinis (cum migrare ex Bohemia in Poloniam cœpissent) occiso Adalberto ad Gaudentium diverterunt cupidissimum illos penes se retinendi, nisi quod cupidius illi secretum sibi dari, ostendique petebant. Evictus precibus Gaudentius, deduci illos in locum plane solum, longeque ab hominibus semotum jubet. Nacti illi, quem optabant secessum, in eo tuguriolum, & juxta sacellum ex lignis coagmentatum sibi constituunt. Nomina contubernalium *Matthæus*, *Benedictus*, *Johannes*, *Isaac*, *Christinus*, *Barnabas*. Frugalitatis omnium istorum, innocentiæque, & continentiæ atque vigiliarum indicium hoc fuerit, quod non solum ab injuriæ noxa, sed ab omni prorsus specie mala abstinuerint: quod famem sæpius pane solo, raro olere adjuncto, quod sua sibi manu severant, legerantque, explebant; sitim autem aqua semper sedabant: quod a pecunia possidenda ita temperaverint, ut ne teruncium quidem in zonis suis, aut marsupiis suis possidere vellent: quod denique stratis humi in matta scirpea corporibus cilicio vestitis, somnum ante mediam noctem interruptum habuerint, & quasi jam aurora illis illuxisset, reliquum noctis dieique perpetuo in hoc vigilaverint, ut Deum peccatis hominum offensum assiduis deprecationibus placarent. Nam ipsi ita propitium illum habebant, ut morbo impeditos homines, aut a malo dæmone obsessos sola oratione percurarent, liberarentque. “ Dubravii narrationem exscribit Stanislaus Sczygielski in *Aquila Polono-Benedictina* Cracoviæ impressa anno *1663*. & ex historia ejusdem Dubravii ferme excerptæ sunt lectiones auctoritate cardinalis Georgii Radzivili episcopi Cracoviensis editæ, & per synodum Petricoviensem in eodem regno approbatæ ad honorem sanctorum martyrum supradictorum.

VIII. Narrationes scriptorum Bohemorum de his monachis.

Pariter ante Dubravium auctor chronici Bohemici editus a Menckenio [a] sequentia de iisdem monachis habet ad annum *999*. *Circa id tempus Gaudentius frater germanus ex ordine sancti Adalberti in archiepiscopum Gnesnensem eligitur. Cujus fama pariter & amore ducti sex fratres, videlicet Benedictus, Matthæus, Johannes, Isaac, Christianus & Barnabas, qui cum fratre ipsius sancto Adalberto de Roma venerant, cum consensu & voluntate Anastasii abbatis monasterii Brewnoviensis Poloniam ipsam gratia visitandi adeunt, & ad petitionem ejus, ne desererent ipsum, eremum quamdam intrant*. Et ad annum 1004. [b]: *Benedictus cum sociis suis Matthæo, Isaac, Johanne, & Christiano in Polonia heremiticam & sanctam vitam ducentes per quosdam prædones Polonos, qui se apud dictos sanctos viros quamdam massam auri, quam ipsis Metzko dux Polonorum devotione permotus miserat, quamque viri sancti, ne pecuniæ dediti in suis orationibus impedimenta sentirent, dicto duci remiserant, invenire sperabant, nocturno tempore crudeliter interfecti. Et sic martyrium passi migraverunt ad Dominum. Fuerunt enim hi sancti viri quondam socii sancti Adalberti Pragensis episcopi, quos idem episcopus de Roma ex monasterio sancti Alexii secum usque Bohemiam adduxerat, ac monasterio Brewnoviense fundato in eodem locaverat. Qui etiam vestigia patris pii & directoris sui sancti Adalberti sequentes multos in Polonia converterunt ad fidem, & omnipotenti Deo, quamdiu in hoc seculo fuerunt, sanctis operibus placuerunt*. Sed auctorem vetustiorem audiamus, Cosmam nimirum Pragensem decanum, vita exemptum XII. kal. novembris anno dominicæ incarnationis millesimo cen-

[a] T. III. col. 1649.

[b] Ibid. col. 1653.

ANN. CHR. 1001. ROMUALDI 94.

centesimo-trigesimo-sexto, qui ad annum 1004. hæc scribit: [a] *Anno dominicæ incarnationis* M. IV. *quinque fratres martyrizati sunt*; at in codice Dresdensi, cujus varias lectiones affert idem Menckenius [b], hæc adduntur ad Cosmam: *Anno dominicæ incarnationis* M. IIII. *sanctus Benedictus cum sociis suis martyrizatus est. Temporibus Henrici imperatoris, qui post Ottonem tertium rexit Romanum imperium, in partibus Poloniæ quinque fuere monachi & eremitæ viri Israelitæ, Benedictus, Matthæus, Johannes, Isaac, Crispinus, & sextus Barnabas, quorum non est inventus in ore dolus, nec in manibus pravum opus. Horum de vita patrum scripturus multa, malui pauca, quia semper dulcius sumitur, quæ parcius apponitur esca. Erat tamen eorum conversatio laudabilis, Deo acceptabilis, hominibus admirabilis, & eam sectari volentibus imitabilis. Nam ad hoc merita Sanctorum admiramur, ut eos imitando ipsi admirabiles reddamur. Hos quippe viros quinque non incongrue æquiparare possumus sive quinque porticibus probaticæ piscinæ, sive prudentibus quinque virginibus oleo abundantibus misericordiæ, quia pauperes ipsi pauperibus Christi, quos in suis confovebant mansionibus, eis prout poterant, subministrabant misericordiæ sumtibus. Ipsis autem virtus talis erat abstinentiæ, ut alius bis, alius semel in sabbato, nullus tamen dietim sumeret cibum. Cibus autem eis erat holus propriis elaboratum manibus. Panem raro habuere, sed pisces numquam. Legumina, aut milium nonnisi in Pascha aut Pentecosten sumere licuit. Limpham incorruptam, & hanc libant ad mensuram. Carnis esca eis abbominabilis & feminæ visus execrabilis. Vestis hyrta & aspera contexta de cauda & equinis jubis. In lectulo lapis pro sustentaculo capitis, & matta pro lectisternio, & hæc vetus nimis & singularis. Nec fuit ulla quies, stant tota nocte lugentes tam proprium, quam plebiculæ scelus atque reatum. Nunc sonant pectora crebris tunsionibus livida, nunc sudant corpora innumeris genuflexionibus fessa, nunc manibus expansis & oculis erectis, vivat ut in cælis, precibus unusquisque instat anhelis. Nunquam locuti sunt ad invicem, nisi venientem ad hospitem, & ad hunc paucis. Vere legis factores, non auditores erant: vere semet ipsos cum vitiis & concupiscentiis mundi crucifigentes, & crucem Christi mente & corpore bajulantes, gratum Deo sacrificium non ex pecore alieno, sed ex corpore proprio offerebant, quia cotidie vicissim vapulabant. Talis enim mos erat illorum simul unaquaque dierum. Post primam dorsum mollire usque deorsum. In faciemque cadens ad fratrem frater ajebat: Si parcis, peccas, cum tangis, ne mihi parcas; & stans cum flagello respondit: Sicut vis, fiat, Christumque rogat, fratremque flagellat dicens: Hæc præfata pius solvat tua crimina Christus, atque cadens iterum præbet sua terga vicissim. Nec doluit frater, dum fratrem verberat alter, sed Miserere mei Deus, aut Benedicite cantat. Nam suffert leviter, patitur quod quisque libenter. Horum Deus ex alto prospectans patientiam, & vitæ innocentiam, atque fidei & operis perseverantiam, cum jam laborum ipsorum mercedem reddere vellet, & ut per viam mirabilem eos ad patriam reduceret exultabilem. Dux Mesco audiens bonam famam eorum & conversationem sanctam, venit cum paucis, ut se commendaret hominibus sanctis. Et ut eorum cognovit inopiam, dat eis magnam census copiam, scilicet marsupium centum marcis plenum. Et accipiens ab eis fraternitatem, & orationum communitatem, lætus abiit ad suam aulam, multum rogans & commendans se, ut sui habeant memoriam. At illi nesciunt, quid faciant de pecunia, quia tale quid nunquam habuerant. Stant stupefacti, & qui jam per dimidium annum nihil locuti fuerant ad invicem, unus ex illis aperuit os suum, & ait: Laqueus est mortis argenti pondus & auri, & quibus semper habundat* mor-

a *Ibid.* T. I. *col.* 2010.

b *Ibid.* T. III. *col.* 1779.

mordax crumena, his non facile patebunt loca elysii amœna, sed horroris plena infernalis pœna illos cruciabit in Æthna. Nimirum hæc est temptatio humani generis inimici, ut nos faciat inimicos Christi. Nam qui amicus est mundi, inimicus constituitur Dei. Deo namque contradicunt, qui ejus mandata non custodiunt. Nam Deus dixit: Nemo potest duobus dominis servire, & quasi exponens adjunxit: Non potestis Deo servire & mammonæ. Jam mammonæ erimus servi, qui hactenus fuimus parsimoniæ liberi. An non ad motum auræ portans aurum pavebit? An non cantabit vacuus coram latrone viator? Nonne multotiens ad nos latrones veniunt, & ob quam rem nos interficerent, non invenientes, aliquando plagis nobis impositis, aliquando benedictionibus acceptis abierunt? Certe jam volat fama per mundum, nos dilige e mundum, & ea quæ sunt mundi. Clamat contra nos, & hæc ipsa, quæ nunquam scit tacere, pecunia, & jamjamque aderit improba manus latronum in janua, quia quod faciunt domini, sciunt plurimi; quin potius ejiciatur citius mortis fomentum, mali nutrimentum, animæ detrimentum, & referatur ad eum, cujus est hoc argentum. Et mittunt unum de fratribus, cui nomen Barnabas, q i semper exteriores tractabat causas, ut ex parte fratrum referat duci: licet nos peccatores & indigni sumus, tamen vestri memoriam in nostris orationibus habemus continuam. Argentum nunquam habuimus, nec habere volumus. Dominus enim noster Jhesus Christus a nobis non argentum, sed bonæ operationis duplex exigit talentum. Monachus si habet obulum, non valet obulum. Ecce quod tuum est, accipe argentum, nobis illicita possidere non est licitum. Illo abeunte ducis ad curiam, mox in prima noctis vigilia affuit manus inimica, & irrumpentes valvas domus subito, inveniunt eos cantantes & psallentes Domino. Quorum adactis jugulo gladiis inquiunt: Vivere si vultis cum pace bona, quod habetis argentum nobis date nunc, & parcite vobis. Scimus enim vere, vos censum regis habere. At illi, teste Deo, jurant, censumque negant constanter, & ajunt: Pecunia, quam quæritis, jam est in camera ducis, quæ non fuit necessaria nobis. Quod si non creditis, ecce domus nostra, quærite quantum vobis placet, tantummodo nolite male facere nobis. At illi rigidiores saxis; non est opus, inquiunt, verbis, aut nobis reddite ducis pecuniam, aut diram mortis subibitis sententiam. Et statim eos crudeliter ligaverunt, & per totam noctem diversis pœnis affecerunt, ad ultimum in ore gladii simul omnes interfecerunt. Sicque furor impiorum transvexit ad regna eos polorum. Passi sunt autem hii quinque fratres BENEDICTUS, MATTHAEUS, YSAAC, CRISPINUS *atque* JOHANNES *anno Dominicæ incarnationis* M.IIII. III. *idus novembris.* In aliis codicibus mss. ejusdem Cosmæ legitur II. idus novembris. Hæc de sanctis illis martyribus habentur in Cosmæ Pragensis codice Dresdensi; videtur tamen esse potius assutura alicujus posterioris auctoris, qui carminibus, & simili syllabarum desinentia infarcivit narrationem Cosmæ, a cujus stylo totus iste excursus videtur differre. Ex hac prolixa narratione ad nostras conjecturas transitum facimus.

IX. Bohemici auctores confundunt Breunovienses cum discipulis Romualdi.

OPINATI sumus ad annum 994. Dubravium nomina contubernalium Adalberti, quos Italos fuisse cum ipso est credendum, confudisse cum nominibus æque illustrium eremitarum solitudinis Polonicæ, qui cum Johanne & Benedicto Romualdi discipulis vixerunt. Conjecturam hanc nostram nunc firmamus auctoritate omnium historicorum Polonorum, qui scribunt Matthæum, Isaac, Christinum & Barnabam Johannis & Benedicti socios non Italos fuisse, sed Polonos. „ Regnante Boleslao Chabri, ait Miechovias [a], floruerunt sex fratres in Polonia, duo Benedictus & Johannes ad instan-

[a] *Histor. Polon.*

ANN. CHR. 1001. ROMUALDI 94.

„ instantiam præfati Boleslai, & promotionem imperatoris Henrici (lege *Ottonis*) ex Perei cœnobio viri insignis sanctitatis Romualdi pro „ neophytis in Polonia edocendis concessi, & tamquam angeli Dei per „ nuncios ad Boleslaum adducti, & quatuor Matthæus, Isaac, Christinus & Barnabas Poloni natione, illis sponte conjuncti. Habitabant in „ eremo prope oppidum majoris Poloniæ Kasimir in arctissima vita, & „ observantia in orationibus & jejuniis assiduis, docentes verbo & exemplo quosque requirentes & advenientes. " Duglossus [a] ad annum 1005. " „ Floruerunt, ait, ea tempestate in Poloniæ regno sex viri religione & „ vita insignes *Benedictus*, *Matthæus*, *Johannes*, *Isaac*, *Christinus* & *Barnabas*. Boleslaus siquidem Poloniæ rex beati Romualdi celeberrimi famam audiens misit ad illum magna rogans instantia, quatenus sibi aliquos sui cœnobii fratres in Poloniam remitteret. " Deinde narrans inventos fuisse duos Johannem & Benedictum, qui perrexerunt in eam provinciam, subdit: „ Atque illis & quatuor aliis Isaac, Matthæo, Christino & Barnabæ genere Polonis, qui se illis conjunxerant linguam „ Polonicam ab illis præcepturi, locum, ubi nunc Cazimierz oppidum „ in majori Polonia situm est, pro suo incolatu assignavit. " Martinus Cromerus [b] Duglossum exscribit; similia habent Martinus Baronius, Abraham Bzovius, Martinus Bielskius [c] & Demalevicius. Annales pariter Hungarici eamdem sententiam tuentur, ut proinde e Polonia oriundos Matthæum, Isaac, Christinum & Barnabam fateri cogamur, qui nimirum, post adventum Johannis & Benedicti in Poloniam, rapti exemplo admirabili eorum innocuæ & solitariæ vitæ, socios se eis adjunxerint in eadem eremo ab anno 1001. qui fuit primus eremitarum Perensium transmigrationis in eamdem provinciam, ad annum 1008. quo vitam celebri martyrio, ut videbimus, coronarunt. Hinc Dubravio negotium non facessimus circa transitum in solitudinem Polonicam monachorum Breunoviensium, contubernalium olim Adalberti, quos suspicamur eodem vitæ genere inflammatos e Bohemia in eremum Poloniæ, vel proximam vel eamdem, in qua vivebant primi, concessisse, sed credere malumus a supradescriptis alios fuisse, aliaque nomina sortitos: ipsumque Dubravium Bohemum de suis monachis Breunoviensibus tantum sollicitum, quos commigrasse sciebat eodem tempore in solitudinem Polonicam, tribuisse eis nomina, eremitarum genere Polonorum, & sociorum Johannis & Benedicti. Illud obiter adjungimus, Matthæum, Isaac, Christinum, Johannem & Benedictum, quos Dubravius Italos facit, Poloni Polonos volunt, Bohuslaum Balbinum S. J. contendere Bohemos gente fuisse; quod certe etiamsi de Matthæo, Isaac, Christino & Barnaba probare vellet, numquam probaret de Johanne & Benedicto immediatis Romualdi discipulis in Perei eremo. Ad annum 1008. cetera, quantum nobis virium erit, componemus.

a Lib. II. pag. 142. Histor. Polon.

b Ex edit. Basil. 1568.

c De reb. gestis Boleslai Chabri Lib. I.

X. Romualdus ordinat monasterium S. Adalberti.

INTERIM Johannem & Benedictum in eremo commorantes dimittamus, & ad Romualdum regrediamur, qui volens monasterium sancti Adalberti de novo ab Ottone imperatore constructum ordinare, quemdam ex suis discipulis in abbatem ejus loci elegit, & novam fratrum suorum coloniam in cœnobium illud deduxit. *Abbate ergo*, ait Damianus, [d] *illic ex Romualdi discipulis constituto, & fratribus aggregatis, cœpit eos Romualdus sub magna tenere custodia, & docebat eos sub regulari vivere disciplina. Præcepit etiam abbati, ut in eremum secedens, per totam hebdomadam in cella consisteret, diebus vero Dominicis fratres ad monasterium veniens visitaret*; volens nimirum, quæ fuit semper Romualdi consuetudo,

d Vit. S. Rom. cap. XXX.

do, ut cœnobitica simul & eremitica, quantum fas esset, conjungeretur vita in monasteriis a se ædificatis vel reformatis. Sed abbas, prosequitur Damianus, *sancti viri jussa contemnens, cœpit seculariter vivere, & pede operis semel exorbitante, in rectitudinis tramite jam longius declinare. Videns ergo Romualdus, quod secundum suæ voluntatis ardorem ibi laborare non posset, regem protinus adiit, & acceptæ promissionis exactor, ut rex monachus fieret, insistere vehementius cœpit.*

ANN. CHR. 1001. ROMUALDI 94.

XI. Exigit ab Ottone imp. ut monachus fiat. Ei prædicit mortem.

VEL anno *996.* vel probabilius anno *998.* post necem illatam Crescentio tyranno, vel demum saltem anno præsenti mense aprili, tempore, quo pœnitentiam egit in monasterio Classis, fidem suam Romualdo obligaverat Otto recipiendi habitus monastici. *At ille*, Otto nimirum, subdit Damianus, *facturum se quidem, quod exigebatur, asseruit, si tamen prius Romam, quæ sibi rebellabat, impeteret; & ea devicta Ravennam cum victoria remearet. Cui Romualdus, si Romam, inquit, jeris, Ravennam ulterius non videbis; & apertissime illi mortem propinquam esse denuncians, quia eum revocare non potuit, proculdubio de ejus certus interitu.* Ignoramus, cur domnus Augustinus Erath præpositus Sanct-andreanus in dissertatione *de Ottone III. imperatore augustissimo* [a] apud Duellium, vaticinium sancti Romualdi accenseat ceteris narrationibus, quæ circumferuntur, utputa „ de Augusta Ottonis conjuge ob adulterium flammis ad„ dicta; de porrecto veneno; de illicito erga Crescentii conjugem amore; „ & de chirothecis toxico ab ea infectis; confidenterque asserat fabulas „ has esse posteriorum temporum scriptoris, quem alii recentioris ævi au„ ctores passim solent sequi absque ulteriore originariæ historiæ investiga„ tione. " Profecto Damianus, qui vaticinium refert sancti Romualdi de obitu Ottonis, posteriorum temporum scriptor non est appellandus, cum quinquennio dumtaxat ab obitu Ottonis in lucem venerit. Quidquid ergo sit de aliis factis, quæ ad fabulas amandat illustris præpositus Sanct-andreanus, deneganda non est fides Damiano, qui vel a Ravennatibus monachis vel a Perensibus eremitis de omnibus fuit plene imbutus, quæ Romualdo contigere Ravennæ vel in Pereo. Quod si Ditmarus in suo chronico vaticinii Romualdi non meminerit, nil mirum, cum in Germania scribens non omnia scire potuerit, quæ in Italia agebantur, colloquia præsertim Ottonis cum sanctis viris, & cum Romualdo, quem nec nominat in suo chronico.

[a] *Miscell. lib II. pag. 375.*

XII. Mansiones Ottonis variæ hoc anno in urbe Ravenna. Romam adit.

RAVENNAE bis constitit hoc anno Otto, mensibus nimirum aprili & novembri. Ab urbe Perusina, ubi erat VII. die mensis martii, ex præcepto inferius referendo pro monasterio sancti Laurentii in Campo, Ravennam prima vice se recepit, & die ultima ejusdem mensis ibi commorabatur; pridie enim kalendas aprilis diplomate, de quo etiam agemus, confirmavit bona Pomposiani monasterii; integro vero mense aprili permansisse Ottonem in urbe Ravenna constat ex placito Classensi, quod attulimus, ad diem IV. pertinente, ex alio præcepto a Muratorio [b] adducto pro confirmatione privilegiorum monasterii Posterulæ Papiæ, ad diem XX. ex diplomate ad favorem Erluini Cameracensis antistitis, quod laudat [c] Mabillonius, ad diem XXI. & demum ex privilegio nostro Classensi, de quo infra, ad diem XXVI. ejusdem mensis aprilis pertinentibus. Obiter animadvertimus non potuisse Ottonem celebrare Romæ, ut asserit chronographus Saxo, sacrosanctum Dominicæ resurrectionis festum, quod contigit hoc anno XIII. die aprilis; sed chronographus forte de alio festo est intelligendus, & facile de die natalitio Domini, ut conjicit etiam Muratorius, non quidem hujus desinentis anni 1001., quia ea die Otto erat

[b] *Antiq. medii ævi T. I. col.* 385.

[c] *Annal. T. IV. p.* 147.

ANN. CHR. 1001. ROMUALDI 94.

Tuderti, sed anni elapsi; verisimilius enim chronographus Saxo annum 1001. auspicatus est a die natalitio Domini anni præcedentis, ut auspicatur annos etiam Lambertus Schafnaburgensis; quo posito veritati minime adversatur ex Tagmaro, ex annalibus Hildesheimensibus & ex aliis chronographis, Ottonem natalem antecedentem celebrasse Romæ. Mense itaque aprili pro prima vice Ravennæ residebat Otto; post aprilem se subripuit Ravenna, & Papiam excurrisse prope finem junii docet nos diploma ab ipso concessum Petro episcopo Novariensi apud [a] Baronium ad hunc annum. Transiit inde in Spoletanas partes, ubi circa æstivum tempus [b] inventus fuit a Tagmaro directo ad Apostolicum, & ad imperatorem a Bernwardo episcopo Hildesheimensi vice sua, qui Tagmarus jussus fuit expectare synodum, quæ apud Tudertinam civitatem in natali Domini erat habenda. Sed interim Ravennam secundo concessit imperator, ibique morabatur mense novembri, & aliquot diebus mensis decembris; XXI. enim die novembris privilegium [c] concessit monialibus sancti Felicis Papiæ, & die sequenti alterum eidem parthenoni; hac eadem die XXII. Pomposianum monasterium sub sua protectione suscepit, & II. idus decembris duo monasteria in urbe Polensi [d] donavit Friderico archiepiscopo Ravennati. Hac igitur secunda Ottonis in urbe Ravenna statione Romualdus exegit ab ipso pollicitationis sui monachatus executionem, mortemque proximam prænuntiavit; cujus prophetia effectu non caruit, nam Otto Romam statim profectus, & seditione ibidem utcumque composita, Tudertum se recepit, ubi celebratis natalitiis Domini, die sequenti synodo una cum pontifice interfuit, ut asserunt annales Hildesheimenses & [e] Tagmarus, qui aderat. Ibi constitit usque ad Epiphaniam Domini anni sequentis, immo usque ad diem undecimam januarii, qua die dimisit a se eumdem Tagmarum legatum Bernwardi, & paucis post diebus Paterni obiit. Sed de Ottonis obitu anno sequenti.

a T. XI. *Annal.*

b *Mabill. Secul. VI. Par. I. p.* 197.

c T. IV. *Antiq. medii ævi col.* 198. *T. V. col.* 523.

d *Ibid. T. IV. col.* 199.

e *Mabill. ibid. num.* 32.

Rebellio, quam Otto in excusationem suæ dilationis ad amplectendum statum monasticum attulit Romualdo, fuit defectio cujusdam Gregorii sui familiaris, cujus meminit [f] Ditmarus; quare emendandus, ut Mabillonius quoque observat, Reineccius, qui, in margine ad suum Ditmarum, hanc rebellionem Gregorio papæ V. temere attribuit; nam ipse Ditmarus de Gregorii Romani pontificis morte paullo ante dixerat: *Papa quoque Gregorius, bene dispositis Romæ omnibus*, II. *nonas februarii obiit*, *Gerberto sibi succedente*. Deinde descriptis peregrinatione Ottonis ad sanctum Adalbertum, & ejus adventu Aquisgranum, subdit: *Cunctis apud transalpinos bene dispositis Romanum visitavit imperium*, *Romuleasque pervenit ad arces*, *ubi ab Apostolico*, *ceterisque coepiscopis magnis laudibus suscipitur*. *Post hoc Gregorius*, *qui cæsari valde carus erat*, *dolo eum capere nisus*, *occultas tendebat insidias*. *Quibus collectis*, *&* *ex improviso adversus eum jam insurgentibus*, *imperator de porta cum paucis evasit* &c. Et statim Ottonis mortem enarrat his verbis: *Appropinquantem ejus obitum multa prævenere importuna*, *qui facie clarus*, *ac fide præcipuus* IX. *kalendas februarii Romani corona imperii exivit ab hoc seculo*, ut clarissime compertum fiat Ottonis ad Romanam urbem accessum fuisse ad sedandam rebellionem non Gregorii papæ, sed alterius Gregorii, quæ eadem fuit, de qua verba Romualdo ipse Otto fecerat.

f *Lib. IV.*

XIII. Obitus magni Hugonis marchionis & ducis.

INTER præcipuos imperatoris in hoc Romano discrimine fautores recensetur Hugo dux & marchio Thusciæ, qui tamen ad paucos dies post hocce factum supervixit, & XXI. mensis decembris, ut ajunt Cosmus *de la Rena* & Puccinellius ex anniversario, quod ea die celebratur quotannis

nis in abbatia Florentina, fato conceſſit. Quinquagenarium obiiſſe Hugonem ſcribit [a] Damianus referens epiſcopi cujuſdam expreſſam *in ligno* viſionem *per quædam literarum veſtigia : Hugo marchio quinquaginta annis vixit*. Cum hac Hugonis morientis ætate, ut alibi vidimus, non pugnat, quod natus, immo novennis eſſet anno *961*. quo ipſius interventu Berengarius & Adelbertus Italiæ reges Martino abbati Vangaticienſi terrarum donationem in inſula Carpi fecerunt. De eodem Hugone hæc proſequitur Damianus: *Hic præterea* * *ſex monaſteria in ſui juris poſſeſſione conſtruxit, quæ non modo prædiis ac mancipiis, ſed & aureis & argenteis vaſis, diverſis etiam eccleſiaſticis ornamentis copioſa liberalitate ditavit. In quorum uno venerabili videlicet ac religioſo, quod ad honorem Dei genitricis eſt in Florentina urbe conſtructum, jacet cadaver ejus humatum. Cujus obitum cum auguſtus, qui tunc habenas Romani regebat imperii, Otto videlicet tertius agnoviſſet, quia quondam adverſus eum ſtimulo mordebatur invidiæ, protinus in hanc vocem congratulabundus erupit*: Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. *Sed paullo poſt, eodem ſcilicet anno* (intra nimirum unum annum) *& ipſe defunctus eſt. Sic itaque ſuam improvidus pertulit, qui de morte alterius nequiter exultavit, non attendens id, quod vir ſapiens ait: Noli de mortuo inimico gaudere, ſciens quod omnes morimur*. Aliud de Hugone adnectit Damianus, *quod inter ſanctos ejuſdem cœnobii monachos celebri redolere memoria frequenter* audiverat : *ajunt enim, quia præfatus marchio Marino abbati, qui monaſterium id tunc regebat, per ſpeciem nocturnæ viſionis apparuit, atque ut corpus ſuum in ſupinum juxta conſuetudinem volveret, quod in os reclinatum jacebat, admonuit. Quibus profecto viſionibus abbas fidem præbens, probare rem voluit, & honeſti viri corpus pronum, & in faciem jacens, ſicut ſibi revelatum erat, inveniens, reverenter, ut decebat, in latus alterum ſupinavit*. Libuit hic commemorare Hugonis obitum, cujus pietati & munificentiæ plurimum debuerunt majores noſtri, & ipſe parens Romualdus, expertus liberalitatis ipſius officia in monaſteria Vergaretanum, ſancti Michaelis apud Podium-bonitium, & Vangaticienſe.

ANN. CHR. 1001. ROMUALDI 94.

a T. *III. pag.* 441. *Opuſc. LVII. cap.* v.

* l. *ſeptem*.

XIV. Romualdus Parentium verſus navigat. Bonifacii vita in Pereo.

OTTONIS obfirmatum animum Romam adeundi comperiens Romualdus, relicto Pereo, *navim aſcendens*, hyeme ineunte, *dum rex Romam properat, ad civitatem Parentium transfretat*. Sed de Parentino Romualdi incolatu plura annis ſequentibus. Interim ſub ipſo magiſtro, & poſt ejus diſceſſum prælucebat inter ceteros eremitas Perenſes Bonifacius, cujus converſationis rigidiſſimum tenorem deſcribit Damianus ſequentibus verbis : *Jam monachus factus, tanta ſe abſtinentiæ frugalitate conſtrinxit, ut ſæpe Dominicis diebus & quinta tantum feria per hebdomadam manducaret. Nonnumquam vero, ſi urticarum vel etiam veprium cerneret denſitatem, illuc ſe projiciens volutabat. Ex quo, cum quidam frater aliquando eum corriperet dicens: Hypocrita, quare hoc ad captandos popularis auræ rumores coram omnibus facis? nihil aliud reſpondit : Tui ſint confeſſores, mei ſint martyres*, qua in re deſiderium ſuum pro Chriſti amore patiendi denuntiabat, quod aliquando effectum ſuum ſortiri debebat.

XV. PræceptumOttonis ad favorem abbatiæ Claſſenſis.

OTTO imperator, dum prima vice Ravennæ conſiſteret, VI. *kl. anno Dominice incarnationis milleſimo primo indictione decima quarta anno vero tertii Ottonis regnantis V. imperii autem* XVII. *Actum Ravenna*, præceptum edidit ad favorem Hardefadi presbyteri & monachi atque abbatis monaſterii ſancti Apollinaris in Claſſe, quo confirmavit bona omnia ejuſdem cœnobii. Autographum tranſcripſimus ex tabulario ipſius monaſterii, pluriesque

ANN. CHR. 1001. ROMUALDI 94.

riesque illud consuluimus, ut intelligeremus, an notæ chronicæ proferrent VI. *kal. martii*, vel VI. *kal. maji*, tandemque legendum VI. *kalendas magii* statuimus, & cifram explicandam pro litera *g*, non pro literis *ci*, lineolam vero superpositam fuisse ad complendam dictionem *mag*. In veteribus chartis mensis iste effertur *majus*, *madius* & *magius*. Paginam archivi monasterii Ambrosiani indicat Muratorius [a] in annalibus scriptam *mense magio indictione quarta* anno 931. Ottonis diploma proferimus in Appendice, ad quam etiam rejicimus literas Leonis archiepiscopi Ravennatis inscriptas hoc anno mense junio Bonizoni abbati sanctæ Mariæ in Palatiolo prope Ravennam, quas ex autographo cardinalis Casanatæ edidit [b] Mabillonius.

a T. *V. pag.* 318.

b *De re Diplom. lib. V. p.* 446.

XVI. Literæ Leonis archiep. Ravennatis ad Bonizonem abbatem Palatioli.

IN eo tamen Mabillonius erravit, quod Bonizonem prædictum arbitratus est fuisse abbatem sanctæ Mariæ de Palatiolo in Thuscia, cujus monasterii auctor & abbas fuit olim sanctus Walfredus; idipsum [c] repetiit in annalibus; cum nihilominus aliud sanctæ Mariæ de Palatiolo monasterium extaret, ut alibi vidimus, & ipse Mabillonius agnoscit, parum dissitum a Ravenna, ad cujus etiam incendio fœdati reparationem Romualdus sexaginta solidos paucis ab hinc annis in adjutorium subministraverat. Quid enim juris Leoni archiepiscopo Ravennati in Thuscum cœnobium? & aliunde monasterium Palatiolense in Etruria nec bona, nec ecclesias possidebat in urbe Ravenna, neque emphyteuticum poterat esse archiepiscopii Ravennatis, ut in ipso Leonis præcepto emphyteuticum appellatur Palatiolense Ravennæ cœnobium. Bonizo successerat in Palatioli præfectura Urso abbati, de quo ad annum 998. Ceterum Leo archiepiscopus hoc eodem anno paralysi in lingua captus, ecclesiæ Ravennati nuntium remisit, & fere quadriennio supervixit, possessionibus ecclesiæ, quibus aleretur, non inopibus ab ejus successore donatus, ut in epistola de abdicatione episcopatus ad Nicolaum papam II. asserit [d] Damianus. Subrogatus fuit in ejus locum cardinalis presbyter Fridericus, paullo post suam reversionem a legatione Germanica, quam obivit junio hujus anni, ut asserit Tagmarus in vita sancti Bernwardi episcopi Hildesheimensis [e], & in synodo Tudertina habita die 26. decembris sedit, ut *metropolitanus ecclesiæ Ravennatensis*, rationem redditurus suæ legationis; immo archiepiscopus erat jam a die decima septima novembris, qua petente Ottone imperatore, privilegium concesserat abbatiæ Pomposiæ, eam ab omni archiepiscoporum successorum Ravennatum jurisdictione eximens.

c *T. IV. p.* 147.

d *Opusc. XIX. cap.* XI. *T. II. pag.* 220.

e *Num.* XXVIII.

XVII. Aliud Ottonis præceptum pro S. Laurentio in Campo.

DIXIMUS superius Ottonem imperatorem ad diem VII. martii Perusii substitisse. Ea enim die in hac urbe gratioso diplomate in protectionem suam suscepit *per interventum domni spiritualis patris nostri Silvestri* II. *pape* ecclesias & prædia *monasterii sancti Laurentii in Campo*, quæ confirmavit *Petro venerabili abbati* loci illius. Situm erat hoc monasterium in diœcesi Fanensi ad ripas fluvii Cesani, non longe a ruderibus antiquissimi oppidi Suasæ, ut literis nobis datis a Cl. V. Annibale Oliverio Pisaurensi patricio docemur. Bona habebat sancti Laurentii cœnobium contermina cum bonis sancti Apollinaris in Classe, & præterea prope monasterium aderat eremus. *Confirmamus*, inquit Otto, *omnia*, *quæ* . . . . *ad utilitatem monasterii*, & *heremi substentationem in presenti haberi videris* &c. In suspicionem adducimur abbatiam hanc reformatam fuisse a Romualdo, qui juxta peculiarem morem suum non longe a cœnobiis construendas curabat eremos pro iis monachis, qui majoris perfectionis & solitudinis studio tenerentur; id quod potuit præstare Romualdus annis il-

lis,

lis, quibus Catriensem seu Avellanensem non nimis dissitum recessum incolebat. Certe ante Romualdum nullum ordinatarum in Italia eremorum prope monasteria vestigium apparet, e contra ab ejus tempore frequentes reperiuntur eremi cœnobiis adhærentes. Edidit hocce Ottonis præceptum Muratorius [a] ad se transmissum a doctissimo, dum viveret, Josepho Tiraboſco Senogalliensi, quod & nos in Appendice damus, ea spe, quod tempus & monumenta lucem aliquam sint allatura iis tenebris, quibus involvuntur gesta Romualdi, qui certissime per hæc tempora, Damiano teste, *totum mundum putabatur velle in eremum convertere.*

ANN. CHR. 1001. ROMUALDI 94.

a *Antiq. medii ævi T. V. col.* 489.

SECUNDO pariter kalendas aprilis Otto Pomposiani monasterii jura ac bona confirmavit *petitione domni Willelmi Deo amabilis eremitæ*, statuens; *ut nemo ibidem ponatur in abbatem, nisi quem eremite ibidem Deo militantes eligant communi consilio fratrum.* Diploma, quia adhuc minime editum putamus, ex autographo tabularii sancti Benedicti de Ferraria in Appendice producimus, diversum ab eo, quod X. kalendas decembris datum ad favorem ejusdem monasterii edidit Ughellius [b], & quod contra [c] Fontaninium, suppositítium hoc postremum esse asserentem, optimo jure vindicat Muratorius [d].

XVIII. Jura etiam confirmat Pomposiani monasterii.

b *T. II. p.* 359.

c *Difesa II. p.* 326.

d *Piena esposizione pag.* 130.

Hæc tria diplomata exhibent annum XVII. regnantis Ottonis, non XVIII. ut exhibere deberent juxta epocham ordinariam ejus imperatoris. Unienda proinde sunt ceteris, quæ eumdem annum XVII. signantia congerit in annalibus idem [e] Muratorius.

e *T. VI. pag.* 4.

INITIO hujus anni juxta Romualdi prædictionem obiit Otto III. imperator die 23. januarii, ut habent Tagmarus, annales Hildesheimenses & Hermannus Contractus; die 24. juxta Ditmarum, qui forsan explicandus est de die tumulationis, vel quia probabiliter obierit horis conterminis inter diem 23. & 24. *Rex itaque*, ait Damianus, [f] *secundum beati viri prophetiam, vix a Roma reverti incipiens, mox languore correptus apud Paternum defunctus est.* Post sedatam defectionem Gregorii, Tudertum ad synodum se contulerat, & in ea urbe substiterat Otto usque ad diem undecimam januarii, qua dimisit a se, ut vidimus, Tagmarum legatum Bernwardi episcopi Hildesheimensis. Quæ tamen Tudertina Ottonis commoratio non est ita intelligenda, perinde ac in ea urbe domicilium fixum haberet; divertebat enim purioris aeris gratia Paternum, ubi erat VI. idus januarii, qua die præceptum dedit ad favorem abbatiæ Florentinæ: *Anno dominicæ incarnationis* M. II. *indictione* XV. *anno* III. *Othonis regni* XVIII. *imperii* VI. *Datum in Paterno* apud Puccinellium [g]. Et similiter ex Paterno aliud diploma concessit in confirmationem bonorum monasterii nostri sanctæ Mariæ de Pratalia III. *idus januarii*, hoc est eadem die, qua Tagmarum in Saxoniam remisit: *Anno dominice incarnationis* M. II. *indictione* XV. *actum in Paterno* [h].

ANN. CHR. 1002. ROMUALDI 95.

XIX. Obitus Ottonis III. in loco Paterno.

f *Vit. S. Rom. cap.* XXX.

g *Chronic. abbatiæ Florentinæ pag.* 241.

h *Arch. Fontis boni Privil. Ai.* 6.

QUAERITUR hic, ubinam loci fuerit Paternum? Plura hujus nominis loca occurrunt in tabulis geographicis. Reperitur Paternum Italiæ castrum in agro Romano versus mare mediterraneum, quod habet Ostiam ad occidentem, & Numici ostium ad orientem, de quo loquitur [i] Martinierius. Domnus Placidus Poltri monachus Vallis-umbrosanus in epistola inedita apud nos ad domnum Theophilum Macchettium monachum nostrum anno 1689. scripta, indicato Paterno prope Spoletum, alterum Paternum memorat ad radices illustris castri Magnalis a Catilina ædificati, ut se reciperet tempore suæ perduellionis, putatque Ottonem, defunctum apud Paternum, obiisse in Magnalis castro, Paterno vicino. Distat hoc castrum

XX. Ubinam Paternum?

i *Le grand Dictionaire geographique. Lit. P.*

Ann. Chr. 1002. Romualdi 95.

castrum tribus milliaribus ab abbatia Vallis-umbrosæ, ut legitur [a] apud Soldanium. Cosmus de Arena [b] in comitatu Perusino situm Paternum autumat, una die distantem a Tuderto. Leo Ostiensis, [c] ante supradictos, Ottonem narrat secessisse *apud oppidum, quod nuncupatur Paternum, non longe a civitate quæ dicitur Castellana;* & in tabulis geographicis Maginii collocatur Paternum in comitatu urbis Castellanæ. In Paterno proximiori Tuderto profecto contigit mors Ottonis, quia contigit eo in loco, ubi, teste Tagmaro, [d] expectabat una cum Silvestro Romano pontifice Coloniensem archipræsulem Heribertum, ceterosque Germanos episcopos, qui proxime venturi erant ad synodum, in qua tractanda erat causa Bernwardi episcopi Hildesheimensis. Accidit præterea ejus obitus adstantibus episcopis, qui convenerant ad concilium Tudertinum, itaut certum videatur Ottonem nunc Tuderti, nunc Paterni, salubrioris aeris ergo, diebus præcedentibus suum obitum commoratum fuisse, & tandem Paterni animam efflasse. Error irrepsit apud annalistam Saxonem, & apud auctorem vel amanuensem annalium Hildesheimensium, in quibus loco Paterni legitur Salerni. Scriptores Germanici ex febre maligna ipsum obiisse tradunt; Leo Ostiensis, Landulphus senior, Rupertus Tuitiensis, Rodulphus Glaber aliique unanimiter defunctum conveniunt ex veneno ei propinato a Stephania uxore olim Crescentii, quem ipse Romæ capite plexerat. Deductum fuit ejus cadaver Aquisgranum, & post eum Italiæ rex electus fuit Arduinus in Italia, in Germania vero Henricus claudus pius & sanctus.

a *Questioni Valombrosane pag. 9.*
b *serie de' Duchi di Toscana p. 83.*
c *Lib.* II. *c.* 24.
d *Num.* 32. *vit. S. Bernvvardi.*

XXI. Privilegium ejusdem datum Paterni pro abbatia Prataliensi.

Privilegium, quod concessit cœnobio sanctæ Mariæ & sancti Benedicti Prataliæ, *interventu Theuzonis monachi & rectoris ejusdem monasterii*, Otto III. antequam mortem oppeteret, & cum Paterni, ubi occubuit, subsisteret, exscripsimus ex tabulario Fontis-boni, & ad Appendicem remittimus, corrigentes insuper nonnulla sphalmata, quæ apud Puccinellium, [e] qui illud edidit in chronico abbatiæ Florentinæ, leguntur. Enumerat Otto in eo privilegio bona, quæ Hugo marchio donaverat eidem monasterio, de cujus origine verba fecimus ad annum 999. Animadvertenda est in ipso formula *Otto servus apostolorum*, quam contra Fontaninium pro simili ad favorem Pomposiani monasterii vindicat Muratorius in *Expositione* [f] *jurium Estensium super urbem Comaclensem*, & in [g] *Antiquitatibus medii aevi;* sicut etiam notanda consignatio paginæ facta ab *Heriberto cancellario ad vicem Petri Cumani episcopi & archicancellarii.*

e *Pag.* 208.
f *Pag.* 130.
g *T. IV. col.* 197.

XXII. Romualdus ædificat monasterium Parentii.

Interea Romualdus Parentium navigaverat, & [h] *tribus annis in Parentinæ civitatis finibus habitans in uno monasterium construxit, & abbatem in eo cum fratribus ordinavit, in duobus vero inclusus mansit.* Non recte intellexisse textum Damiani videtur Mabillonius [i], qui in adnotationibus ad sancti Romualdi vitam, tria monasteria apud urbem Parentinam ab ipso constructa fuisse asseruit; „ primum ex his tribus, dicens, „ quod apud urbem Parentium in Histriæ peninsula sitam construxit vir „ sanctus, sancto Petro; alterum sanctæ Petronillæ; tertium, quod adhuc „ superest, sancto Michaeli nuncupata sunt; “ id quod licet verum esse possit, non tamen deducitur ex Damiano, qui non tria monasteria ædificata a Romualdo scribit, sed tres annos ait in Parentinæ civitatis finibus ipsum habitasse, & in uno (anno) monasterium construxisse, & abbatem in eo cum fratribus ordinasse, in duobus vero (annis) inclusum mansisse. Id tamen mutuatus est Mabillonius [k] a Fortunio nostro, qui similia affirmavit, & ab antiquiori Petro de Natalibus, qui pariter tria ibi a Romualdo ædificata fuisse monasteria sensit. Omittimus Mabillonium

h *Cap.* XXXXI.
i *Seculo VI. Par. I. pag.* 223.
k *Annal. T. IV. p.* 299.

lonium etiam Bifurci monasterium errore statuisse in diœcesi Polensi; sed de hoc cœnobio verba faciemus ad annum sequentem. Lemmi incolæ, qui in territorio Parentino degunt, etiamnum cryptam quamdam demonstrant, quam habitasse perhibent Romualdum. At de monasterio sancti Michaelis de Lemmo, quod illud fuit, de quo loquitur Damianus, plura sese nobis offerent dicenda annis sequentibus.

ANN. CHR. 1002. ROMUALDI 95.

XXIII. Idem se includit, ut solitudini vacet.

Sub finem hujus anni inclusionis legibus se subdidisse videtur Romualdus, nam secundus annus ejus incolatus in Parentina diœcesi mensibus vel novembri, vel decembri initium habuit, cum iisdem mensibus anno præcedenti Ravennam linquens, Parentium navigaverit. Quibus cœlestibus donis decoratus fuerit Romualdus in ea solitudine, pergit narrare Damianus sequentibus verbis: [a] *Ibi nempe ad magnæ perfectionis cumulum pietas illum divina provexit, ita ut sancto afflatus Spiritu, & nonnulla futura prospiceret, & multa veteris ac novi Testamenti occulta mysteria radiis intelligentiæ penetraret. Anxiabatur autem ibi aliquando in lacrymas erumpere, sed nullo valebat conamine ad contriti cordis compunctionem venire. Factum est ergo quadam die, dum in cellula psalleret, ut in hunc psalmi versiculum incidisset: Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos. Repente igitur tanta sibi lacrymarum effusio orta est, & ita mens ejus ad intelligendas divinæ Scripturæ sententias illustrata, ut ex eodem die & deinceps, quamdiu vixit, & quandocumque voluisset, uberes sibi lacrymæ facillime fluerent, & plurima illum Scripturarum mysteria non laterent. Frequenter enim tanta illum Divinitatis contemplatio rapiebat, ut quasi totus in lacrymas resolutus, æstuante inenarrabili divini amoris ardore, clamaret: Care Jesu, care, mel meum dulce, desiderium ineffabile, dulcedo Sanctorum, suavitas Angelorum & cetera hujusmodi, quæ illo sancto Spiritu dictante in jubilum proferebat; nos humano sensu exprimere talia non valemus. Sicut enim Apostolus dicit:* [b] *Nos sicut oportet orare nescimus, sed ipse spiritus orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Hactenus Damianus. Habemus hic & donum lacrymarum, & Scripturarum intelligentiam, & ecstasim ad divinas res: ecstasis sive fixa contemplatio divinarum rerum frequentes exclamationes ex ore & ex corde Romualdi eliciebat; juxta Scripturarum intelligentiam psalmos & cantica exposuit, ut alibi videbimus. Familiaritatem autem lacrymarum hoc eodem capite, aliisque fusius describit Damianus. *Ideo*, inquit in hoc, *Romualdus Missam celebrare coram pluribus numquam volebat, quia se a lacrymarum inundantia continere non poterat*. Refert autem in aliis capitibus, quod psallens cum ceteris [c] *affluentium lacrymarum inundantiam atque singultus cohibere non poterat. Dum* [d] *prædicationis verba proferret, tanta illum compunctio in lacrymas excitabat, ut subito interruptum sermonem relinquens, aliquorsum repentino impetu velut amens aufugeret*. Equitabat post discipulos, ut liberius fluere possent lacrymæ, & [e] *nihilominus ac si in cellam resideret, jugiter lacrymas effundere non cessabat*. Putabat denique hoc suum singulare donum commune esse omnibus. [f] *Unde etiam postmodum præ nimia jam consuetudine vir simplicis animi putans gratiam sibi divinitus prærogatam omnibus esse concessam, dicebat plerumque discipulis: Cavete ne multas lacrymas effundatis, quia & visum minuunt, & verticem lædunt*.

Ceterum quonam modo se includere soleret Romualdus, cum eam perfectissimam solitudinis praxim ad tempus eligeret, breviter narrat idem Damianus dicens. [g] *Ubicumque vir sanctus habitare disponeret, oratorium cum altari primitus in cellula faciens, deinde se recludens, aditum damnabat*.

a *Ibid. ut supra*.
b *Rom. 8.*
c *Cap. XXXIV.*
d *Cap. XXXV.*
e *Ibidem*.
f *Cap. XXXI.*
g *Ibidem*.

Ann. Chr. 1002. Romualdi 95.

XXIV. Obitus Venerii Tiburtini eremitæ. Gaudentius Absarensis condit plura monasteria.

Ultimus hic fuit Venerii Tiburtini eremitæ mortalis peregrinationis annus; cum enim anno 998. a Romualdo injunctum ipsi fuerit, ut ad monasterium proprium reverteretur, & copia sibi facta ab abbate loci, solitudinem incoleret, ibique *per quatuor annos omni humano solatio destitutus singulariter habitans, solis arborum pomis & herbarum radicibus vixerit; exhortante autem loci episcopo, basilicam sibi fieri & consecrari permiserit, in qua ipse aliquanto post tempore defunctus est*, non admodum removendum videtur ab hoc anno tempus felicissimi sui obitus; *inventus est* autem a *quibusdam se quærentibus acclivis ante altare quasi causa orationis in cubitis & genibus jacens*; hujusmodi obitum nullo astante, nullo vidente, frequentem in solitariis invenimus, & in parente etiam nostro Romualdo suo tempore reperiemus.

Ad hæc eadem tempora referri possunt constructiones monasteriorum factæ in insula Absarensi a Gaudentio, Absarensi postea episcopo, & quem Romualdi discipulum faciunt cum plures auctores, tum traditio oppidanorum ejus insulæ. Ferunt enim Gaudentium nobilissima stirpe natum in urbe Absaro Dalmatiæ provinciæ, exemplo & auxilio monachorum Casinatum, qui ex eo sacro monte per hæc tempora in Histriam & Dalmatiam transmissi fuere, ope etiam, consilio & sub norma Romualdi, qui incola erat his annis circumjacentis & conterminæ regionis, monasteria plura erexisse, quæ seminarium fuerunt sanctorum & præclarissimorum virorum, qui Dalmatiam illustrarunt hoc potissimum seculo, Laurentii præsertim prius Absarensis, inde Spalatensis archiepiscopi, & Johannis Traguriensis episcopi. Recensetur in iis monasteriis cœnobium sancti Petri intra mœnia Absarensis urbis, cujus monachi canonicorum vicem supplebant in ecclesia principe ejus insulæ. Unitum subinde fuit monasterium hocce celebri abbatiæ sanctæ Mariæ Portus-novi Anconæ. Post annum 1440. commendatariis concessit. Aliquando monasterium sancti Petri obtinuit titulum etiam sancti Gaudentii a corpore sui illustris fundatoris, quod translatum ex abbatia Portus-novi conditum fuit, ut fertur, in ecclesia ejusdem cœnobii; nunc omnino locus est desertus, subsistente tamen ecclesia, & redditus ipsius assignati fuere hoc nostro seculo a Clemente papa XI. novo seminario clericorum Slavorum erecto in metropolitana urbe Jaderensi.

Alterum ædificavit pro sacris virginibus asceterium Gaudentius sub invocatione sancti Benedicti, subinde appellatum sanctæ Mariæ Gratiarum. Olim intra urbem continebatur, postea vero urbe angustiori reddita, extra ipsam remansit ad partem orientalem prope veterem cathedralem ecclesiam. Anno 1521. moniales piratarum excursus formidantes intra urbem receptæ fuere ad cœnobium sanctæ Mariæ Angelorum; paullopost regulam sancti Francisci sunt amplexæ, & earum ecclesia titulum adepta fuit sanctæ Claræ. Celebre est in eo cœnobio nomen Ceciliæ Coppæ abbatissæ sanctæ feminæ, cujus annulus, & pœnalia instrumenta cum veneratione custodiuntur.

Tertium appellabatur sancti Michaelis a Sanselongi tribus milliaribus dissitum a monte Absarensi in eadem insula a Gaudentio fundatum, adjuvante etiam Martino Absarensi episcopo. In veteribus chartis aliquando nomen profert etiam sancti Nicolai. Abbatia hæc progressu temporis præpositura & prioratus evasit; ipsiusque loci monumenta supersunt in chartis monasterii Montis-casini, cui annuam pensionem solvebat prioratus sancti Michaelis.

Quartum sancti Nicolai Montis-garbi. Subjectum erat hoc monaste-

rium cœnobio Portus-novi Anconæ. In summitate montis, ubi situm est monasterium sancti Nicolai, visitur ædicula sancto Gaudentio sacra, prope quam vestigia conspiciuntur ecclesiæ amplioris. Prior sancti Nicolai præerat eremo, quæ hodie appellatur *Stramnich*, idest *Domunculæ*, quarum cellarum reliquiæ adhuc supersunt ad instar eremorum, quas fundabat hoc tempore Romualdus. Vertex montis distat quinque milliaribus ab urbe Absarensi ad meridiem, eremus parum ab ipso dissita proxima erat castello nunc demolito, vocato olim *Tersich*. Prope hoc castellum exsurgebat alia ecclesiola sancto Petro dicata, nunc affatim subversa, quæ bona possidebat in loco nominato *Poglie*, quorum jus devolutum postea fuit ad abbatiam sancti Petri.

ANN. CHR. 1002. ROMUALDI 95.

Ulterius ecclesia, quæ modo appellatur sancti Francisci de Neresine, duobus milliaribus distans ab urbe Absarensi, altera sancti Martini, quæ abest decem milliaribus ab Absaro versum Chersum, alia sanctæ Mariæ de Viaro, quas omnes modo incolunt PP. ordinis sancti Francisci, putantur ab incolis originem suam debere Gaudentio. Crypta præterea in monte Absarensi hodie conspicitur, & lacus olim, dictus etiam Balnea sancti Gaudentii, visebatur, quæ sicut a sancto viro incolatu suo nobilitata existimantur, ita peculiari veneratione coluntur ab oppidanis.

Ceterum Gaudentius, post vitam monasticam & eremiticam pluribus annis exactam, patrias obtinuit episcopales infulas. Id contigit post annum 1018. quo Absarensis episcopus erat Martinus, cujus ad eum annum meminit Dandulus in chronico & Lucius. Sed de ipsius episcopatu, ac dignitatis dimissione multa dicemus ad annum 1048.

ANN. CHR. 1003. ROMUALDI 96.

XXV. Fratres Bifurci legationem mittunt ad Romualdum.

CUM in Parentino secessu habitaret Romualdus, *miserunt aliquando* [a], ait Damianus, *ad illum fratres, qui morabantur in solitudine, quæ Bifurcum dicitur, consilium flagitantes, qualiter conversari in eremo deberent, qualiter diabolicis impugnationibus resistere potuissent. Quorum nuntii cum ad monasterium, a quo Romualdi cella longius aberat, pervenissent, illico venerabilis vir per spiritum eorum cognovit adventum, præcepitque abbati Ansoni, qui sibi tunc assistebat, dicens: Vade, & pulmentum fratribus præpara, qui de longinquis partibus advenerunt. Qui continuo cœpit eum deridere, & dicere, quia vere falsus propheta esset. Postremo tamen velut coactus ad monasterium veniens, eos, quos vir sanctus prædixerat, orantes jam in ecclesia reperit, quos videlicet Romualdus multo salutaris doctrinæ sale condivit, multis denique contra antiqui hostis insidias virtutum armis instruxit, & postquam eos de omnibus subtiliter docuit, cum multa eos ad eremum alacritate remisit.*

a *Vit. S. Romualdi cap.* XXXII.

XXVI. Ubi Bifurci locus?

BIFURCI locus est in alpibus dominii Florentini Faventiam versus, inter Marradium oppidum, & abbatiam sanctæ Mariæ de Crispino positus, ubi monasterium divo Benedicto nuncupatum, absoluto etiam nomine sancti Benedicti in alpibus appellabatur, minime confundendum cum alio sanctissimæ Trinitatis & sancti Benedicti in alpibus, quod in diœcesi Arretina in sublimitate montium, qui Casentinum a valle Arni superiori disterminant, non longe a Prato-magno, constitutum erat, cujusque originem sub Ottone I. repetunt VV. Cll. [b] Lamius & [c] Soldanius fundationis chartam adducentes.

Existimavit Mabillonius [d] Bifurcum fuisse unum ex pluribus monasteriis, quæ erexit in Histria Romualdus, statuens illud in diœcesi Polensi, & putavit e Parentio illuc a Polæ episcopo evocatum sanctum virum; constat tamen ex narratione Damiani eremum illam fuisse in *longinquis parti-*

b *Deliciæ eruditorum anni* 1737. *pag.* 49

c *Historia Passinian. pag.* 35.

d *Annal. Bened. T.* IIII. *Lib.* 52. *p.* 229.

Ann. Chr. 1003. Romualdi 96.

partibus positam; pariter videbimus navigasse Romualdum Parentio Venetias aut Ravennam versus, & ex iis urbibus postea peditem, aut equo ductum concessisse Bifurcum in territorio Faventino, ubi eremus illa reapse erat condita. Appellatur autem Bifurcum a conjunctione duorum fluminum Lamonis & Crispini ex duobus alveis in unum exinde confluentium, ut in descriptione diœcesis Faventinæ asserit [a] Romualdus-maria Magnanus sacerdos Faventinus, qui insuper [b] monasterium sancti Benedicti Bifurci distinguit ab altero sancti Benedicti in alpibus cœnobio, prope Fontem-clausam, in eodem Faventino territorio.

a *Vite de' SS. e BB. del Territoro di Faenza pag.* XI.

b *Ibid. p.* XII.

In Bifurco Romualdum jam monasterium, vel saltem eremum fundasse alias diximus, & quidem circa annum *986.* (Grandius in suis Tabulis chronologicis putat anno *989.*) ad tempora nimirum ædificationis monasterii sancti Michaelis de Vergareto. Cur enim ad eum fratres inibi habitantes perrexissent, Adriatico superato mari, nisi aliqua ipsos inter & Romualdum cessisset relatio? vel certe dicendum eremitas illos absque scholæ magisterio collectos, neque satis abunde in disciplinæ eremiticæ conversatione instructos, audita Romualdi fama, ea duo ab ipso, ut magistro, expetiisse, quæ eremitis sunt apprime necessaria, ritum nimirum vivendi, & doctrinam obsistendi diaboli astutiis. Adnotabimus infra *Petrum* Bifurcensem eremitam appellari a Damiano *Romualdi discipulum*, statim ac Romualdus Bifurcum se recepit. Sed de hoc monasterio plura in annis subsequentibus dicemus.

Anso Abbas Parentinus, quem cum magistro suo Romualdo videbimus anno sequenti in Italiam navigare, alter opinione nostra est ab Ansone religioso viro, quem etiam viderat Damianus, quemque ipse ait habitasse in eremo Luceoli cum Dominico Loricato [c]; alter pariter a Johanne de Anso eremita Avellanensi, cui idem Damianus imposuisse dæmonem per turpem visum scribit [d].

c *Vit. S. Dom. Loric. cap.* VI.

d *Lib. II. epist.* XV.

XXVII. Bonifacius petit licentiam prædicandi Gentibus.

Serius hoc anno consignari nequit discessus Bonifacii a solitudine Perei, & accessus ad Romanam urbem pro obtinenda licentia evangelium Gentibus prædicandi. Cum enim pallium acceperit a Silvestro II. ut ait chronicon Halberstatense [e], necesse est dicamus Bonifacium Romam petiisse hoc anno ante diem duodecimam maji, circa quam obiit Silvester. Similiter cum a Ditmaro, & a chronographis Saxone & Magdeburgensi ejus consecratio ponatur sub *Henrico rege*, ac *diuturna* dicatur a Damiano ejus commoratio in eremitica vita, post majum præcedentis anni, quo mense electus fuit rex Henricus, Romam se contulit Bonifacius; rectius tamen anno præsenti, cum videatur quinquennii spatium sufficere ad hanc solitudinis diuturnitatem comprobandam.

e *T. II. Brunsvic. Leibnit. pag.* 119.

Scimus Conradum Janningium [f], fretum auctoritate ejusdem chronici Halberstatensis, Bonifacii profectionem ad Romanam urbem statuere ad annum 1001. Cum enim scribat dictus chronographus, Brunonem-Bonifacium de consilio domini Ottonis imperatoris misisse in Poloniam Benedictum & Johannem confratres sui cœnobii, ipsumque Romam profectum, ut a domino papa licentiam acciperet cum iisdem suis confratribus in augmentum coronæ suæ paganis gentibus Christi evangelium annuntiandi, & insuper papam cognoscentem causam ejus adventus, licentiam ei cum sociis suis tribuisse prædicandi, pallio quoque illi dato, ipsoque remisso ad Magdeburgensem ecclesiam per Taginonem in Gentium præsulem consecrando; cum scilicet hæc omnia simul conjungat auctor ille, consequens videtur, ut si missio Benedicti & Johannis in Poloniam contigerit anno 1001. ut ex Damiano demonstravimus, etiam adventus Bonifacii in Romanam urbem

f *T. VI. P. I. Junii in Append.*

bem eidem anno sit illigandus. Verum pace doctissimi viri arbitramur auctorem chronici Halberstatensis unico contextu plura facta ad diversos annos pertinentia narrasse, quæ a nobis ex aliis documentis sunt distinguenda, & in varios annos distribuenda. Exemplum sit in missione, quam narrat idem auctor, Brunonis facta a Silvestro papa ad Magdeburgensem ecclesiam, ut in ea consecraretur a Taginone. Tagino juxta chronicon Magdeburgense electus fuit Magdeburgensis archiepiscopus post mortem Giselarii, qui obiit anno M. IV. 7. kal. februarii. Ergo ad Taginonem non potuit Bruno consecrandus mitti a Silvestro papa, qui obiit circa duodecimam diem mensis maji anni præsentis M. III. Proinde eodem modo, quo verba Halberstatensis chronici, juxta id quod clarius explicat Ditmarus, ita sunt intelligenda, ut Silvester Brunonem miserit ad Henricum imperatorem, qui curaret ordinationem Brunonis peragi debere a suo antistite Magdeburgensi, quisquis ille foret, sic pariter cetera facta non ita sunt conjungenda, ut omnia ad eumdem annum pertineant. Præterea si Bonifacius Romam petiit anno 1001. vivente Ottone, ut credit Janningius, quid interea toto illo anno, & medietate sequentis usque ad creationem Henrici imperatoris egit Romæ vel in Italia, cum ex Ditmaro certum sit, Bonifacium Merseburgum venisse regnante Henrico II. a quo benedictionem episcopalem cum licentia domini papæ petiit, & eo jubente ab archiepiscopo Taginone consecratus fuit? Veri ne speciem præfert Bonifacium maximo zelo prædicationis inflammatum, tanto post petitam licentiam tempore abstinuisse a susceptione episcopalis muneris? nonne credibilius est, ipsum in dilecta sua solitudine perseverasse, præsertim cum Bonifacii Perensis commoratio *diuturna* a Damiano describatur? Si ab ea divulsus, vel sponte eam deseruisset anno 1001. ne triennium quidem eremum incoluisset, quod spatium brevis potius, quam diuturnæ eremiticæ conversationis titulum obtineret. Quibus propterea urgentibus argumentis, ita erit distribuenda narratio auctoris chronici Halberstatensis.

Ann. Chr. 1003. Romualdi 96.

Anno 1001. Bonifacius Johannem & Benedictum de consilio Ottonis imperatoris mittit in Poloniam.

Anno 1002. Obit Otto imperator januario mense. Majo eligitur Germaniæ rex Henricus pius. Bonifacius vitam suam eremiticam vivere pergit in eremo Perensi.

Anno 1003. Bonifacius, Pereo relicto, Romam se confert, petit licentiam a papa Silvestro prædicandi evangelium, & obtinet; dirigitur a Silvestro ad Henricum imperatorem. Obit Silvester papa. Bonifacius in Saxonia commoratur toto reliquo hoc anno. Monasterium auget, & ditat suis redditibus in patria.

Anno 1004. Obit initio anni Giselarius archiepiscopus Magdeburgensis; eligitur Tagino. Tagino plures ordinat episcopos, inter quos Bonifacium ab Henrico rege ad se missum ad munus consecrationis accipiendum.

XXVIII. A quo consecratus fuerit Bonifacius in episcopum.

VERUM afferamus jam Damiani verba, quibus fides habenda, utpote qui eorum, quæ dicit, relationem habuerit a quodam sene monacho, qui Bonifacium Romam comitatus fuerat. [a] *Cum post diuturnam eremiticæ conversationis vitam ad prædicandum jam ire disponeret, Romam pergere studuit, & ab apostolica sede consecrationem archiepiscopatus accepit. Retulit mihi quidam senex monachus, qui eum illuc comitatus de Ravennæ finibus fuerat, quia in toto illo itinere vir venerabilis, cum omnibus quidem, qui eum sequebantur, pedester ibat, sed ipse jugiter psallens, & ceteros longe nudis semper pedibus incedebat. Pro labore quidem itineris quotidie*

[a] *Vit. S. Rom. cap.* XXVII.

Ann. Chr. 1003. Romualdi 96.

tidie comedebat, sed per singulos dies de medio pane & aqua vivens; in diebus festis, ignoto videlicet omni liquamine, quotidiano victui poma quælibet, vel herbarum radices addebat. Postquam autem consecratus est, quotidie observabat & monasticum pariter, & canonicum in celebrandis horarum officiis ordinem. Cum vero jam ultramontanos peteret fines, equo quidem vehebatur, sed venerabilis pontifex, sicuti dicitur, nudis cruribus semper & plantis adeo intolerabilem frigidissimæ regionis tolerabat algorem, ut volens descendere, vix pedem ab subhærente ferro disjungeret, nisi aqua prius calida subveniret. Quod ait Damianus Bonifacium *ab apostolica sede consecrationem archiepiscopatus* accepisse, id intelligendum est, ut vidimus, hoc modo, quod acceperit nimirum a Romano pontifice facultatem, qua posset in archiepiscopum consecrari, & insuper secum detulerit pallium, ut eo indueretur a Taginone archiepiscopo Magdeburgense. *Præsedit tunc temporis*, inquit chronicon Halberstatense [a], *Romanæ ecclesiæ Silvester papa, qui beati Brunonis* (ex dictis ipse est Bonifacius) *agnoscens causam adventus, licentiam ei cum sociis suis tribuit prædicandi, pallio quoque sibi dato, remisit eum ad Magdeburgensem ecclesiam per Taginonem in Gentis præsulem consecrandum*. Similia refert Magdeburgensis chronographus [b]. Postquam enim enumeravit, quos Tagino consecraverat pro aliis ecclesiis episcopos, addit consecrasse quoque *Brunonem, cognomento Bonifacium, prius quidem sancti Mauritii Magdeburgi canonicum, postea vero in palatio regis assumptum, sed fugientem cum deliciis suis seculum, ut sibi lucrifaceret Christum, sicque apud Italiæ eremum cum beatis sociis Benedicto atque Johanne in monachica religione perfectissime conversatum, deinde a Romano pontifice ad regem Henricum, & eumdem archiepiscopum Taginonem directum. Hunc vero consecrasse ipsum archipræsulem Gentium, eique quod ab Apostolico detulit, circumposuisse pallium.* Brevius chronographus Saxo: [c] *Sanctus Bruno archiepiscopus, qui & Bonifacius, primum canonicus sancti Mauritii in Magdeburch, deinde monachicum habitum suscipiens, tempore illius cæsaris* (intellige Henrici) *Merseburch venit, ejusque jussione ab archiepiscopo Taginone consecrationem, & quod ipse detulit, pallium ibidem suscepit.* [d] Ditmarus vero: *Regnante Dei gratia secundo Henrico post mortem gloriosissimi Ottonis III. Merseburg veniens, benedictionem episcopalem cum licentia domini papæ ab eo petiit, & ejus jussione ab archiepiscopo Taginone consecrationem, & quod ipse detulit pallium, ibidem suscepit.* Ab aliis Tagino appellatur Tagmo & Dagino. Quare per anticipationem Damianus Bonifacium pontificis titulo decorat; vel ejus pias consuetudines describit, quas servabat factus episcopus, circa celebrationem divinorum officiorum, & circa itinerandi modum, non in ipso ex urbe Roma in Saxoniam itinere, sed in aliis, quæ prædicationis gratia postea obivit, cum in Saxoniam profectus episcopalia insignia recepit, vel demum pontificem appellat Bonifacium statim post missionem acceptam a Romano pontifice.

a *Apud Leibnit. ut supra pag.* 119.

b *Meibom. script. rer. Germ. pag.* 284.

c *Accesf. Hist. Leibnit.*

d *Lib. VI. vers. fin.*

XXIX. Virtutes & gesta Bonifacii ante prædicationem.

Porro Bonifacius iter Romanum ab urbe Ravenna conficiens pedester semper ambulavit, & tantummodo *cum peteret ultramontanos fines, ut dicitur*, equo vehi se passus est. Socios quidem itineris sui habuit, sed ex iis alii reversi fuere, ut senex ille monachus, cum quo loquutus fuit Damianus; alii vero eum in prædicationis ministerio sequuti sunt, ut habet auctor chronici Halberstatensis, asserens Silvestrum papam Bonifacio licentiam tribuisse prædicandi *cum sociis suis* (intellige præter Johannem & Benedictum; hi enim, ut videbimus ex Damiano ad annum 1008., recto tramite in Poloniam perrexerant anno 1001., non petita a Romano pontifice prædicandi licentia, quam petierunt eo tantum anno 1008.)

Pro-

Probabile est Bonifacium hos socios secum duxisse ex eadem Perei eremo, unde discessit, vel ab aliis monasteriis Ravennæ, & ejus regionis, quæ eo tempore subsidia ferebant etiam remotis monasteriis, ut in facto Hugonis abbatis Farfensis vidimus ad annum 997. Miræ sunt, quas Damianus prædicat, in itinere Bonifacii abstinentiæ, & patientiæ frigoris virtutes. Cetera, quæ narrare pergit Damianus ultramontanos fines ingressi Bonifacii, enuntiat ad fidem auctorum, qui ejusdem vitam scripsere, ac de auditu famæ vulgato, non autem de auditu eorum, qui cum illo conversati fuerint; & ideo utitur voce, *ut dicitur*, quia homo Italus de rebus in Germania subsecutis nonnisi ex aliorum relatione scire poterat. Episcopus factus Bonifacius nil remisit de sua austeritate, *castigans & crucians corpus suum inedia & vigiliis*, ut ait Ditmarus. Illud etiam ex Damiano notandum, quod episcopus consecratus monasticum simul horarum divinarum officium, & canonicum copulaverit. Quid egerit insuper post adeptum episcopatum, ab aliis auctoribus, & quidem Germanis repetendum. *Compos igitur factus voti sui*, ait chronographus [a] Halberstatensis, *in terram nativitatis suæ rediit, in qua aliquandiu moram faciens post consecrationem suam mira perfectione claruit, ita quod pedester super aquas incessit. Illo quoque egrediente de Saxonia, sub pedibus aselli ejus in saxo molliebantur vestigia, quæ apparent usque in bodiernum diem. Tandem de patrimonio suo aucto, & ditato satis decenter monachorum collegio, ipse cum octodecim sociis profectus est in Prussiam.* Quanto tempore in Saxonia commoratus fuerit, explicat chronographus Saxo: [b] *Dehinc duodecimo conversionis suæ anno in Pruciam pergens*; alter vero chronographus [c] Quidlinburgensis undecimo habet suæ *conversationis anno*; Ditmarus [d] *anno suæ inclitæ conversionis duodecimo ad Prussiam pergens*, qui antea de eodem Brunone sive Bonifacio dixerat, post narratam ejus consecrationem, *dehinc ob lucrum animarum laborem grandis & diversæ viæ subiit, castigans & crucians corpus suum inedia & vigiliis*. Licet & illud rectius dici potest, mox post episcopalem benedictionem acceptam, brevemque commorationem in Saxonia, ut habet chronicon Halberstatense, *redit in terram nativitatis suæ, in qua aliquandiu moram faciens &c.*, apostolatus munus exercuisse, ut sensit etiam Bollandus; ac verba Ditmari & aliorum de duodecimo conversionis suæ anno esse referenda ad annum ejus passionis, vel ejus profectus ad Prussos, cum prius potuerit apud alios populos, & præsertim Lithuanos, ut ajunt Bucellinus & Dorganius, evangelium prædicare. Verba Ditmari: *Dehinc ad lucrum animarum laborem grandis & diversæ viæ subiit*, possunt explicari de grandi via prius per Lithuaniam, & de diversa postea per Prussiam. Objectio, quod Lithuania sub Jagellone tantum receperit fidem, potest dilui dicendo, sub eo principe fidem quidem suscepisse universam gentem; hoc vero non impedire, quominus variis temporibus alii apostoli evangelium ibidem disseminaverint. *Multa a Bolislavo* (Polonorum duce), sequitur Ditmarus, *ceterisque divitibus Bonifacius bona suscepit, quæ mox ecclesiis & familiaribus suis & pauperibus, nil sibi retinendo, divisit.* Hoc diverticuli tempore ad Boleslaum, probabile admodum est Bonifacium jam consecratum episcopum visitasse ibi Johannem & Benedictum eremitas, quibuscum in Pereo convixerat, quique ibidem sumptu Boleslai in eremo nutriebantur, & discebant Sclavonicam linguam. In monachorum collegio, quod auxit & ditavit in natali solo patrimonio suo, introduxerit etiam Bonifacius disciplinam monasticam & eremiticam, quam a Romualdo acceperat in Italia, præsertim cum socii sui itineris, & futuræ prædicationis, quos ei tribuit auctor chronici Halber-

ANN. CHR. 1003. ROMUALDI 96.

a T. II. rer. Brunsvic. Leibnit. pag. 119.

b Access. hist. Leibnit.

c T. III. rer. Brunsvic. Leibnit. pag. 287.

d Lib. VI. chron.

ANN. CHR. 1003. ROMUALDI 96.

berstatensis, extracti verisimiliter fuerint vel ex eremis, vel ex monasteriis, quæ Romualdi instituta sequebantur. Interim tamen Bonifacium, in Saxonia anno sequenti consecrandum, & Gentibus evangelium prædicaturum futuris annis, dimittamus, & ad alium Romualdi discipulum, Ægypti mox apostolum futurum, sermonem convertamus.

XXX. Bononius expellitur a monasterio S. Michaelis in castro Marturi.

BONONIUS est is, cujus expulsionem a monasterio sancti Michaelis de castro Marturi Podii-Bonitii referimus ad hunc annum; contigit enim non diu a morte Hugonis marchionis, qui ipsum vocaverat; nequitia vero Bonifacii Alberti filii, qui imperabat post Hugonem in Thuscia. Sed præstat Ratbertum audire[a]. *Verum, quia Deus igne tribulationum servos suos probare consuevit, non diu pacifice ipsum Bononium præesse monasterio permisit. Nam Hugone mortuo, cum Bonifacius, Alberti comitis filius, ejus ducatum accepisset, instigante diabolo, cœnobium illud devastare, atque ejus bona Deo dicata sacrilege invadere, & servos Dei inquietare aggressus est, unde ipsum in primis Bononium abbatem, ac monachos omnes, quotquot ejus cupiditatibus non faverent, impudenter expulit, ut famulos & concubinas suas in habitacula famulorum & amicorum Dei introduceret, direpto ecclesiæ thesauro, quem impie in suos prophanos usus convertit.* Fusius hæc referuntur in fragmento vetustæ historiæ hujus monasterii apud Puccinellium [b], quod placet hic inserere: *Cum Azzo filius Petri occidisset Ugonem fratrem suum, & tulisset cognatam suam, & tulisset eam in uxorem, tulit etiam omnem substantiam ejus, itaut Guinizzo filius Ugonis ex omnibus bonis patris victum habere non posset, pergens ad marchionem Ugonem fecit cartulam de Papajano cum omni pertinentia sua, & de Buliscano, & retinuit in usufructuario, & ex illo die Johannes clericus de Gajano, & Bonizo gastaldio de Marturi homines, Guinizzo, & Tazzi & Azzi ducebant in omni opere, que domnicata marchionis erant, & vicecomes de Marturi castellum de Papajano liberabat & placitabat, & Leo presbyter de ecclesia sancti Andree serviebat marchioni. Postea Ugo marchio edificavit monasterium, & dedit monasterio quodcumque pertinebat sibi, & cessaverunt angaria & placita de Papajano; &, serviebat abbati sancto Bolonio, & Leo presbyter ibat in servitio monasterii, quandocumque abbas præcepisset. Mortuo Ugo marchio, cum Bonifacius filius Alberti factus esset marchio, & monasterium, quod Ugo edificaverat, devastaret, venit Marturi, & tam abbatem sanctum Bolonium, quam omnes monachos inde ejiciens, quodcumque ecclesie Dei pertinebat, suum domnicatum fecit, quin etiam in claustris & in ceteris officinis, monachis preparatis, habitabat cum famulis, & concubinis & ancillis; sed & thesaurum ecclesie scilicet tabulas aureas, textum evangelii tollens, unam fregit, & sciphos, & varios apparatos suos inde fabricari fecit. Alteram comiti Rozzo donavit, sicque factum est, ut Papajanum iterum ad domnicatum marchionis rediret, & Bonizo castaldo reinvestivit, & Leoni presbytero precepit, ut marchioni serviret, quod & fecit. Nam cum melle, & cera, & pigmentis, & pane, & vino, & carne in servitium marchionis venit, & massa illa de Fossule, que fuit Guinizo, dedit inde marchio Alberto presbytero de Castagneto, & ita ambo isti idem Leo & Alberto presbytero servierunt in capella marchionis, & adhuc terra Guinizi domnicata est. Porro autem filius idem Guinizi cum fideret de Ardingo, & quod juratus illo esset, & pater suus Guinizo patri illius ..... dedisset de eadem terra sua, quam marchioni dederat, non proprie sed quasi in consortio, sicut etiam adhuc, & isti faciunt de terra, quam de marchione tenent, & dant, cui sibi placent, quia & Ardingo familiaris erat marchionis Raginerii successoris Bonifacii, quem imperator advo-*

a *Cap.* VIII.

b Ex tabul. monial. *Paradisi Florentiæ apud Puccinel. chron. abbat. Florentinæ pag.* 222.

advocatorem monasterii de Marturi constituerat, & sicut Bolonus disvestiverat, ita & Raginerius reinvestiret, ut sicut Ugo marchio ipsi monasterio offererant, quamvis ipse Raginerius maximam partem sibi retinuerit, sicut & probabile est, & Ardingus apud eundem marchionem maximum locum familiaritatis obtineret. Idem Benno filius Guinizi cepit livellare, & donare & vendere terram suam quicumque emere voluisset, ipse enim non habebat filium, cui relinqueret, sicque venit Sizo clericus de Florentia filius Leonis presbyteri, de quo supra diximus, qui fuit capellanus Ugonis marchionis, & postea abbatis, ac iterum Bonifacii marchionis, qui adhuc vivebat, emit, vivente patre suo, capellam sancti Andree, quam pater suus tenuerat, ita sicut & diximus. Cui dixit pater: fili, ne facias, nosti quia ego marchioni servivi, hec quantum comparare vis, & si modo tacetur, iterum & reclamabitur, vide ne facias; qui noluit acquiescere, sed comparavit, & tenet filius ejus. Abbas autem tunc requisivit, sed habere non potuit, quia marchio omnia illa tenebat, & tenet adhuc, sed tunc quando Sizo comparavit ecclesiam, voluit ire Bonizo castaldo, & Johannes minatore, & investire quodcumque Benno tenebat, & que vendiderat, vel quod allivellaverat, & ecce Ardingo rogavit, ne faceret propter suam, quam tenebat, sicque ille accepto pretio siluerat. Hucusque vetus auctor.

ANN. CHR. 1003. ROMUALDI 96.

XXXI. De Bonifacio marchione injurio in sanctum Bononium.

BONIFACIUS injurius in sanctum virum Bononium distinguendus est a Bonifacio marchione patre magnæ comitissæ Mathildæ. Iste enim filius fuit Tedaldi, ille vero filius erat Alberti comitis, qui lege insuper vivebat Ribuaria, cujus Alberti & Bertillæ comitissæ ejus uxoris extat charta donationis factæ monasterio sancti Bartholomæi in agro Bononiensi, vico Mussiliano anno 981. in qua Albertus profitetur se oblationem facere pro *domna Gualdrada, que fuit gloriosa comitissa, & pro domno Teobaldo, qui fuit dux & marchio, genitore & genitrice meis; sicque pro animabus Bonifacii & Walfredi & Adelberti filiorum nostrorum* &c. Charta extat [a] apud Muratorium. Bonifacius Ribuarius etiam se prodit in altera charta donationis confectæ pro abbatia sanctæ Mariæ Florentiæ *anno ab incarnatione Domini nono post mille pridie idus augusti indictione septima. Ego quidem Bonifacius inclitus marchio filio domni Alberti, qui fuit comes, qui professus sum lege vivere Ribuariorum* &c. Extat donatio [b] apud Margarinium & apud [c] Ughellium. Ipsi pariter est tribuenda tertia charta [d] apud Muratorium eruta ex tabulario monasterii sancti Michaelis in Furculis Pistorii, qua Johanni abbati sancti Salvatoris agros aliquot donat. Nescit idem [e] Muratorius, ubi sit Fontana-Tanoni, in quo loco confecta fuit postrema donatio, sed Fons-Thaonis, seu Thaona locus erat in agro Pistoriensi, ubi extabat celebre monasterium, quod postea devenit ad congregationem Vallis-umbrosanam sub titulo sancti Michaelis, olim Reginæ, postea sancti Salvatoris appellatum, ut patet ex diplomate Hugonis Italiæ regis in favorem Tegrimi anno 927. ex alio Henrici imperatoris anno 1015. & ex duobus Conradi annis 1027. & 1037. apud [f] Soldanium. Quare quod conjecit olim Cosmus *de la Rena* Bonifacium filium Alberti facile fuisse Thusciæ ducem, quam tamen opinionem nullo niti fundamento asseruit [g] Muratorius, Ratberti scriptoris vitæ sancti Bononii, & suprarelatæ historiæ monasterii sancti Michaelis de Marturi auctoritate comprobatur. Mortuum vel dejectum a gradu suo Bonifacium anno 1012. indicat diploma [h] Henrici regis eo anno datum Marino abbati sanctæ Mariæ Florentiæ, quo confirmat eidem loco *cortes, quas quondam Bonifacius marchio per cartulas offersionis eidem tradidit monasterio*. Ipsi successit Raginerius seu Rainerius, de quo annis sequentibus.

a *Antiquit. med. ævi* T. II. *col.* 258.
b *Bull. Casinen.* T. II. *const.* 75.
c T. III. *col.* 45.
d T. I. *col.* 295.
e *Annal.* T. VI. *p.* 25.
f *Histor. Passinian. pagg.* 32. 33. 253. & 283.
g *Annal.* T. VI. *p.* 35.
h *Bullar. Casin* T. II. *const.* 76

Ann. Chr. 1003. Romualdi 96.

REDEAMUS ad Bononium, & Ratberti narrationem prosequamur. Subdit igitur:[a] *Frustra irritatam Christi Salvatoris iram nefario marchioni pius abbas zelo divini amoris exæstuans intentavit, nam surdus ad verba salutis, turpiter ab alloquio & conspectu suo salubria monentem ejecit, velut aspis obturans aures suas, & non exaudiens vocem incantantis sapienter. Secum hæc perpendens Bononius, postquam & orationum subsidio, & servorum Dei consilio adhibito, cedendum esse intellexit, tempus illud advenisse tandem, quo primum illud desiderium suum implere posset, sibi persuasit.* Remissis ergo monachis, quos ibi elegerat, ad Romualdum magistrum suum vel Parentium, ubi tunc habitabat sanctus vir, vel ad Pereum, ubi discipulos suos, Ravenna discedens, reliquerat Romualdus, Bononius peregrinationem suscepit versus sacra Palæstinæ loca. *Dispersis*, inquit Ratbertus, *ovibus sui gregis, quas ipse multo labore, ultra quinquagenos, congregaverat, nec alia pascua inveniens, ad quæ illas bonus pastor convocaret, satius habuit eas divinæ providentiæ, ac Romualdi curæ committere, qui per varios balantes oviculas divisit; ipse vero internæ inspirationi obsecundans in Syriam navigavit, solo Alcherio supradicto comitatus, quem semper deinceps fidum sibi socium & unanimem retinuit.*

XXXII. Bononius sacra Jerosolymorum loca lustrat.

a Ibidem.

Quis vero enarrare possit, subdit idem auctor,[b] *quanta devotione sancta Palæstinæ loca visitaverit, quam copiosis compunctionis lacrymis abluerit, quam frequentibus metanæis adoraverit, quæcumque invenire potuit Christi & Mariæ vestigia, atque Apostolorum memorias? Humiliabat se in Bethleem cum puero Jesu, jejunabat cum Christo in deserto, lavabatur cum illo in Jordane, angebatur cum ipso in Gethsemani, cum eodem crucifigebatur in Golgotha, consepeliebatur in sepulcro, congaudebat in olivarum monte, & ad ipsum ascendere desiderabat.* De Bononio reliqua subsequentibus annis.

b Cap. IX.

XXXIII. Origo monasterii de Fonte bona in agro Senensi.

EXTABAT in agro Senensi antiquum sanctimonialium asceterium sub titulo *sancti Salvatoris* in loco nuncupato *Campi*, ubi dicebatur *Fontebona*, super fluvio *Coja*, fundatum anno 867. a Winigiso, sive Guinischio filio quondam Reghinarii comite legem Salicam profitente, & a Richilda ejus uxore ea quidem ratione, ut ipsi, dum viverent, potestatem haberent *gubernandi, struendi & ædificandi*; ipsis autem decedentibus, Itta soror & Richilda filia Winigisi abbatissæ officium susciperent, ibique Deo secundum vires suas deservirent, ac *orationes & eleemosinas, officium & luminaria pro parentibus* facere studerent; post ipsarum vero obitum aliæ succederent abbatissæ de suo vel de Richildis uxoris stipite; cessante postremo utroque stipite, moniales ex proprio collegio cum consensu hæredum abbatissam sibi eligerent. Cautum quoque fuerat, ut in eodem monasterio viginti semper monachæ alerentur; & si abbatissa suprascriptum numerum complere negligeret, tunc potestatem haberent hæredes præfatam abbatissam *de ipso monasterio foras jactare, & aliam abbatissam ibidem mittere, eligere & ordinare. Facta donatio & traditio hanc in septimo decimo anno imperii domno nostro Ludovici imperatori filio Lotharii quondam augusto mense februarii indictione* XV. ipse est annus Christi 867. Hæc fundationis pagina servabatur in[c] codice pecudineo complurium instrumentorum apud canonicum Marium Ugurgerium, eam Hubertus Benvoglientius patricius Senensis descripsit, & Muratorio impertitus est, qui publici juris fecit in[d] antiquitatibus medii ævi. Legitur in eodem codice[e] altera ejusdem Winizonis, vel Winigisii comitis pagina pro supradicto monasterio, qua primam confirmat, quamque nullibi editam invenimus. Per ipsam Winigisus numerum monialium viginti præscriptum in

c Fol. 32.

d T. V. col. 513.

e Fol. 5.

prima

prima pagina adauget ad triginta Notæ temporariæ sunt sequentes: *Datum anno primo domini Caroli divina ordinante providentia imperator augustus, mense aprilis indictione* XIIII. quæ indictio pertinet ad annum 881. a quo anno aliqui auspicantur initium imperii Caroli Crassi; alii quidem uno anno, alii biennio præveniunt, & proinde ad annum 880. vel 879. referunt; sed cum illigetur confirmationis charta indictioni XIV. quæ decurrebat anno 881. eidem anno 881. adsignanda quoque eadem Winigisi pagina. Perseverarunt moniales in eo loco centum & triginta sex annis a prima, & centum ac viginti duobus a secunda donationis epocha; verum vel conditionem appositam, & relatam in superioribus chartis non servantes, vel ob morum corruptelam inde amotæ moniales, hoc anno 1003. locum fecere monachis meliorem disciplinam pollicentibus, quos ibidem introduxere Reinerius & Berardus germani legem æque Salicam profitentes, & Winigisi, ut videtur, hæredes. Illud animadvertimus in Muratoriana editione legi *Rodulphus* & *Bernardus*, in nostris vero apographis ex Ugurgerio legi *Reinerius* & *Berardus*. Primus abbas loci judicio nostro fuit Ardimannus, de quo verba faciemus ad annum 1007. Nos, quibus subsequenti tempore ea cura incumbet, ut plura de hoc monasterio versus finem hujus seculi Camaldulensi eremo unito proferamus, operæ pretium judicavimus ejus initia tam quoad incolatum monialium, quam quoad monachorum admissionem Appendici consignare, recudendo post Muratorium binas chartas ex nostris tamen exemplaribus, & tertiam hucusque ineditam superaddendo.

ANN. CHR. 1003. ROMUALDI 96.

XXXIV. Donatio Friderici archiep. Ravennatis Petro abbati Uranensi, aliæque donationes.

URANENSIS abbas hoc anno erat Petrus. Id constat ex Friderici archiepiscopi Ravennatis libello, apographo quidem sed vetusto, quem eduximus ex tabulario archiepiscopali Ravennæ, quo ipsi & sex ejus successoribus abbatibus *fundum Lizano, qui vocatur Pruneta, constitutum territorio Pupuliensi plebe sancte Marie, que vocatur in castro Cesubeo emphyteotecario modo* largitur. Vigebat ea consuetudo, ut monasteriis vel abbatibus concederentur ab episcopis sacra loca reformanda vel melioranda non sub eorum dumtaxat abbatum regimine, sed etiam ad plurium ipsis succedentium vitam. Petrus archiepiscopus Ravennas anno 945. concessit [a] *Johanni cantori* & presbytero ecclesiæ Fanensis, & *uni successori ejus* ecclesiam & monasterium sancti Viti ejusdem urbis. Arnaldus archiepiscopus itidem Ravennas anno 1014. dedit [b] per emphyteusim *Martino abbati sancti Johannis evangeliste Ravenne, & quinque ejus successoribus monasterium sancte Marie, quod vocatur Patrimonium Aureliani, partim incolume & partim in ruinis, sub pensione in nativitate Domini, in resurrectione & in purificatione beate Marie dandi oblatas quatuor & cereos quatuor, cum onere celebrandi in dicto monasterio missas matutinas & vespertinas, ceteraque divina officia die noctuque*. Ita quoque idem Arnaldus eidem Petro Uranensi & *sex ejus successoribus* anno 1018. ut videbimus, fundos cedit. Discimus etiam ex hac charta urbem Brittonorium appellatam olim fuisse *castrum Cesubeum*. Datus est libellus *anno Deo propitio pontificatus donni Silvestri summi pontificis sede quinto die septimo mensis aprilis indictione prima. Ravenne*. Ipsum ad Uranensis monasterii historiam continuandam exhibemus in eadem Appendice.

a *Vid. Append. nostram col.* 46.

b *Tabular. archiep. Ravenn. caps.* L.n.5031.

Monasterii autem sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe abbas erat Johannes, vel idem qui anno 962. cœnobium illud regebat, vel alter ejusdem nominis, qui insuper pondus regiminis divisisse videtur cum Gregorio, qui itidem abbas nominatur in charta ad hunc annum pertinente, atque ad eamdem Appendicem ex codice Gregoriano amandata, quæ

Ann. Chr. 1003.
Romualdi 96.

continet concessionem ad emphyteusim factam Sogualdo nobili viro Nepesino castelli appellati *Vetuli*, positi in eodem Nepesino territorio. Facta fuit charta *anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis & universalis septimi decimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli primo indictione prima mensis julii die quarta*. Ipse est Johannes XVII. cognomento Sicco, Silvestro II. successor datus post mensem majum hujus anni, quem nec etiam absolvit, locum faciens obitu suo alteri Johanni XVIII. hoc eodem anno desinente electo in Romanum pontificem.

Ann. Chr. 1004.
Romualdi 97.

XXXV.
Altera legatio Bifurcensium ad Romualdum, qui Parentio discedit.

a Vit. S. Rom. cap. XXXIII.

Fratres Bifurci instructi anno præcedenti doctrinis Romualdi, novam hoc anno legationem ad ipsum adhuc Parentinam solitudinem incolentem instituunt. Legatione accepta Romualdus una cum eis, Parentio relicto, in Italiam rediit. More nostro verba Petri Damiani afferimus: [a] *Alio quoque tempore rursus prædicti fratres ad eum nuncios dirigunt, & de eadem re consilium majori adhuc anxietate requirunt. Quibus vir venerabilis ait: Ego nunc libellum de pugna dæmonum scribo, quem vobis, cum redieritis, dabo, vel certe ipse vobiscum forsitan venio. Hoc illi audientes, protinus in faciem se prosternunt, & ut cum illis ire dignaretur, importuna admodum supplicatione deposcunt. Altera vero die iturum se cum eis incunctanter asseruit, & ut navim inquirerent, jussit. Audiens hoc Parentinus episcopus nimio mœrore perculsus est. Inveniens quoque monachos propter navigium discurrentes, multis contumeliarum eos dehonestavit injuriis. Hoc etiam cunctis juxta portum manentibus promulgavit edictum, ut quicumque Romualdo navim dare præsumeret, ipse quoque una cum ipso irrevocabili profectione demigrans, Parentium ulterius non rediret. Festine igitur nuncius ad Polensem episcopum mittitur, ut beato viro navigium mittere non moretur. Sæpe namque præfatus episcopus adhortatus illum fuerat, ut nequaquam de cetero in tam obscuro recessu inclusus lateret, sed illuc potius se conferret, ubi animarum lucrum copiosius facere potuisset, ne videlicet, sicut carbo soli sibimet arderet; sed magis, ut revera lucerna super candelabrum posita, omnibus qui in domo Dei sunt, radios suæ lucis infunderet. Dum igitur nuntius, qui missus fuerat, expectaretur, Romualdus his, qui secum erant, fratribus ait: Noveritis proculdubio, quia frater ille tardius veniet, & in alia navi nos ire prius, quam ille revertatur, oportet. Adveniente autem sancto die Dominico, in ipso primæ lucis crepusculo dixit assistenti sibi cuidam fratri, nomine Ingelberto, qui postea archiepiscopus in Gentibus factus est: Respice, inquit, procul in pelagus, & vide duas naves longinquis adhuc spatiis pari adversum nos velocitate tendentes, quarum nos definite debet una suscipere: qui curiosius intendens, & expansis oculorum radiis sollicite cuncta perlustrans, aliquod remigandi signum omnino videre non potuit. At cum dies jam jamque claresceret, ecce extremo videt intuitu duas naves eminus adventantes, & præ nimia adhuc longinquitate, quasi totidem volucres apparentes. Quibus tandem subeuntibus portum, interrogati remiges, utrum Romualdum cum suis in propria vellent nave suscipere, nova mox repleti lætitia, se & sua omnia in ejus potestate constituunt, & beatos se fore tam pretiosæ margaritæ pondere profitentur. Illo itaque die minas aeris formidantes, ire noluerunt. Romualdus autem exhortatus est eos, ut statim in spe Divinæ gratiæ iter inciperent, spondens eis, quia nullum omnino periculum subsisterent. Illi tamen tota die ibidem commorantes, nocte navigare cœperunt. Circa diluculum autem subito venti sæviunt, tempestas oritur, mare ab imo fundo versatur.*

Jam

Jam vero furentes undique procellæ ipsos quoque remiges transvolant, & navim hinc inde concutientes, totas pene tabulas laxant. Videres itaque homines, alios quidem se ad natandum exuere, alios vero diversis se paluſtribus religare; quosdam autem, ut supernatare fluctibus possent, remos aut lignum aliquod strictum tenere. Cumque in tanto discrimine non jam dubium desperatis omnibus naufragium immineret, illico Romualdus ad solita videlicet orationis armamenta cucurrit, & reclinato paullulum capitio, capite devexo in gremium, preces sub silentio ad Dominum fudit; deinde Ansoni abbati, qui cominus assidebat, secure præcepit, dicens: Denuntia nautis, ut nequaquam timeant, sed omnes se incolumes evasuros absque ulla penitus ambiguitate cognoscant. Vix modicum post hoc; & ecce ultra omnium spem absque ullo humano studio ipsa se navis dirigit, & mox in portum Capreolæ civitatis delapsa, celeriter subintravit. Tunc omnes liberatori Deo dignas referunt gratias, & manifeste se de faucibus mortis ereptos Romualdi meritis profitentur.

Ann. Chr. 1004. Romualdi 97.

XXXVI. Quis episcopus Parentinus vetans discessum Romualdi a Parentio?

LIBER *de pugna dæmonum* relatus a Damiano & compositus a Romualdo amplius non extat; nam pauca, quæ de impugnatione dæmonum in sermone, quem ad eremitas Camaldulenses habuisse dicitur, remanent apud Fortunium [a], credimus esse potius excursum pium ejusdem historici, quam ex libro sancti Romualdi excerpta fuisse. Episcopus *Parentinus* contrarius discessui Romualdi fuit Andreas, qui electus in locum Adami jam episcopalibus hujus ecclesiæ infulis decoratus legitur anno 990. Anno quoque 997. seu mavis 998. Veneta classe Parentinum portum ingressa, Urseolo II. Venetiarum duci obviam cum clero processisse Andream loci episcopum, testatur [b] Dandulus; quare corrigendus [c] est Lucentius, qui supponit dulcis caritatis fœdere junctum fuisse Romualdo Engelmanum vel Engdmanum, ut ipse vocat, melius Engelmarum, qui creatus fuit episcopus Parentinus circa annum 1028. tantum, & vivebat ad annum 1030. quo monasterium sancti Cassiani donavit alteri monasterio sancti Michaelis; Andreas enim vixit in ea sede ab anno 990. ad annum saltem 1010. quo responsum accepit a Sergio IV. pontifice, quod adservatur in primo libro regestorum Parentini episcopatus, & refertur [d] ab Ughellio, super parochiam Ruvinii, aliaque castella juris sui episcopatus a Johanne Aquilejensi patriarcha usurpata. Pariter post Andream episcopus Parentinus fuit Sulispuldus vel Sulpaldus aut Sigimbuldus, qui subscripsit Euphrasii decreto confecto anno 796. cui decreto nomen suum apposuere seculis posterioribus subsequentes episcopi Parentini; & post Andream in hac sede vixisse Sigimpuldum intelligimus ex eodem Euphrasii decreto, cui immediate post ipsum Andream subscripsit. Sigimpuldi igitur memoria non ad annum 1005. referenda est cum Ughellio, sed ad annum potius 1014. ut animadvertit in adnotationibus [e] Coletus. Ex his liquido constat eo tempore, quo Romualdus Parentinam incoluit solitudinem tum hac vice, tum secunda vice, ut dicemus ad annum 1010. episcopum Parentinum non fuisse Engelmarum, & cum eo Romualdum, qui obiit eodem tempore, quo ille paullo post episcopus fuit ordinatus, necessitudinis vinculo minime fuisse constrictum. Sed Lucentius excusatione dignus, qui id exscripsit [f] ex Fortunio. Ceterum Andreas Romualdum non patiebatur exire a finibus suæ diœcesis, quia grata caraque illi erat ipsius præsentia; quare comperiens voluntatem ejus, dispositionemque ad discessum nimio mœrore compulsus nihil intentatum reliquit, ut illum secum retineret, eodem fere modo, quo vidimus Galliæ populos discedentem Romualdum ex eorum regionibus impedivisse, mortemque ipsam, ne ab ipsis

[a] P. I. Lib. I. cap. 32.

[b] Lib. IX. cap. 11.

[c] Ital. Sac. T. V. col. 403.

[d] Ibid. col. 402.

[e] T. X. col. 312.

[f] Par. I. Lib. I. cap. 16.

ANN. CHR. 1004. ROMUALDI 97.

ipsis recederet, minitatos fuisse; quod probat, Romualdi sanctitatem in finibus Parentinis valde utilem acceptamque fuisse illi populo.

XXXVII. Quis Polensis episcopus? Varii Ingelberti discipuli Romualdi.

EPISCOPUS autem Polensis & ipse optime affectus Romualdo fuit Bertaldus, qui etiam reperitur in annalibus ejusdem [a] Danduli occurrisse Petro Urseolo duci sub anno 994. vel potius 998. ad Dalmaticum bellum proficiscenti, cum Polam applicuit, ipsumque lætanter excepisse; nam in serie episcoporum Polensium post Bertaldum invenitur Johannes ad annum 1031. dumtaxat, ut testis in quadam donatione Popponis patriarchæ Aquilejensis. Pola est antiquissima Histriæ urbs haud multum a Parentio dissita.

a Lib. IX. cap. 11.

Ingelbertus discipulus sancti Romualdi, qui postea archiepiscopus in Gentibus factus fuit, unus ex iis extitit [b], qui sanctum Romualdum comitati fuere in itinere Pannonico, a quo rediens Romualdus dimisit ex discipulis suis illos, qui iter pergere, subireque præfatum regnum optarunt; distinguendus proinde ab *Ingelberto* schismatico, de quo Damianus capite LVI. & probabiliter etiam ab alio *Ingelberto*, qui arrepto titione abbatem Classensem sancti Romualdi fauces sacrilege opprimentem fugavit, cujus meminit idem Damianus capite XLI.

b Vit. S. Rom. cap. XXXIX.

Urbs demum *Capreola*, quo applicuit navis, est Caprula sive Caprulæ civitas maritima quadraginta circiter milliariis Venetiis distans, cujus episcopus Veneti patriarchæ est suffraganeus.

XXXVIII. Romualdus Bifurcum venit. De Petro Bifurcensi.

REDUX Romualdus in Italiam properavit statim ad fratres eremi Bifurci, qui eum per nuntios expetierant, & apud ipsos aliquandiu moratus est. Tum hæc refert Damianus: [c] *Veniens itaque Romualdus Bifurcum, visis omnium fratrum cellis, quia superstitione quadam ambitiosæ videbantur, in nulla earum habere hospitium voluit, nisi in illa solummodo, in qua Petrus venerabilis ejus discipulus habitabat; vir siquidem mirabilis abstinentiæ, multæque admodum extremitatis, qui cellulam sibi ad sancti Hilarionis exemplum vix umquam largiorem fieri quatuor cubitis permittebat. Referebat autem postea idem venerabilis vir, quia dum beatus Romualdus cum ipso maneret, & psalmos uterque inter se vicariis versibus alternaret, tricies in nocte, vel eo amplius, se Romualdus ad requisita naturæ ire simulabat, quoniam affluentium lacrymarum inundantiam, atque singultus cohibere non poterat.* De sancto abbate Hilarione habetur ipsum *sibi extruxisse brevem cellulam latitudine pedum quatuor, altitudine pedum quinque, hoc est statura sua humiliorem, porro longitudine paullo ampliore, quam ejus corpusculum patiebatur, ut sepulcrum potiusquam domum crederes*, ut scribit divus Hieronymus in ejusdem vita. Venerabilis vir Petrus de Bifurco a scriptoribus præsertim Camaldulensibus *Beati* passim elogio effertur; & merito quidem, cum ea, quæ de ipso enarrat Damianus, hunc titulum illi promereantur, & dilectio præcipua, qua eum prosecutus est Romualdus, id exigere videatur. Mabillonius conjicit Petrum eremitam Bifurci eumdem esse cum Petro Dagnino, qui primus prior fuit eremi Camaldulensis; sed nullo fundamento inniti potest ipsius conjectura, præsertim cum Petrus Dagninus usque ad annum 1051. vixerit. Grandius autem putat Petrum Bifurcensem superstitem fuisse Romualdo; idque arguit ex illis verbis: *Referebat*, nempe Petrus, *postea*, *quia dum beatus Romualdus &c.* perinde ac ipsam historiam retulerit Damiano idem Petrus; quæ tamen ita possunt intelligi, ut potuerit hæc referre aliis, adhuc vivente sancto Romualdo, & ex relatione Petri narratum fuerit hoc factum Damiano non ab ipso Petro, sed ab aliis monachis, qui audierint illum ista narrantem. Ceterum vides a Damiano eremitas, qui tunc vivebant Bifurci,

c Ibidem cap. XXXIV.

d Secul. VI. Par. I. pag. 264. in notis.

furci, Romualdi discipulos appellari, quia ab ejus doctrina & disciplina pendebant, & ita eremiticæ conversationis sequebantur præcepta, ut non negligerent cœnobialis vitæ obedientiam, & subjectionem suis majoribus. Multum tamen non profecisse in hoc loco Romualdum, ea, quæ prosequitur Damianus, indicant. Ait enim: [a] *Cumque ibi Romualdus aliquandiu moraretur, & fratres non solum de spirituali certamine, verum etiam, ut sibi abbatem præferrent, & communia cuncta facerent, admoneret, illi, quia suum habebat unusquisque sustentatorem, & prout cuique libuerat, proprii sequebantur arbitrii libertatem, Romualdi præcepta suscipere non magnopere curaverunt.*

ANN. CHR. 1004. ROMUALDI 97.

[a] *Vit. S. Rom. cap.* XXXIV.

XXXIX. Bononius Ægypti apostolus, & restaurator monasticæ disciplinæ.

INTERIM Bononius, lustratis Palæstinæ sacris locis, in Ægyptum profectus fuerat, in quo regno monasteria & eremos construxerat. Audiamus scriptorem ejus vitæ Ratbertum. [b] *Denique iterum se mari committens, Alexandriam delatus est, & ad interiora Aegypti penetrans, varias lustrabat solitudines, sanctorum Patrum antiqua latibula exquirens; nec longe a Babylonis urbe stationem fixit, ubi varios discipulos iterum congregavit, & monasticam disciplinam cum summo eremiticæ vitæ vigore conjunctam in desertis illis reflorescere dedit.* Qui porro forent ejus alumni in monastica & eremitica vita, & quæ Bononii & discipulorum ipsius fama, pergit narrare idem auctor. [c] *Ejus utique, & alumnorum suorum, quos ex variis peregrinis, & mercatoribus ad caducas mundi opes contemnendas inductis, collegerat, vitæ austerioris exemplum, & sanctimoniæ fama adeo regiones illas impleverat, ut feras barbarorum mentes sibi delinire potuerit, atque procerum illius regni auxilio, quos a turpi superstitione ad veræ fidei lumen respiciendum prædicationibus suis venerabilis pater converterat, non modo diruta templa, sed & monasteria jacentia restauravit, ac monachis olim dispersis ad illas revocatis, abbatibusque præfectis, qui sanctam regulam custodirent, pristinum religionis fervorem, prout temporum conditio ferebat, restituit. Doctrinæ suæ robore, & instructionum suarum frequentibus stimulis, quas manifestis prodigiorum signaculis non raro confirmabat, novos semper Christo cultores acquirebat: vere novus Ægypti apostolus æstimatus, qui in venerando Jesu nomine feroces bestias cicures fecit, venenosas innoxias reddidit, ardores febrium compescuit, vulnera consolidavit & elementa sibi parere coegit, ad confirmationem fidei, quam prædicabat. Sic vero apostolicæ & anachoreticæ vitæ officia alternare solitus erat, ut nunc verbi divini semina spargens, provincias peragraret, nunc in solitudinem se reciperet; jam populos docens, jam monachos instruens, actuosæ & contemplativæ vitæ per vices incumberet.*

[b] *Cap.* IX.

[c] *Cap.* X.

Tum quid ei acciderit, cum Alexandriam versus navigaret, refert [d]. *Aliquando in navi, mercatoribus diversarum gentium plena, Alexandriam navigabat, cum ingens suborta tempestas, extremam navigio perniciem portendere visa est. Trepidantibus omnibus, solus ipse intrepidus Christum prædicare, atque ejus potentiam ea occasione insinuare nautis incredulis non cessabat, qui cum cetera despexissent viri sancti argumenta, metu procellæ sævientis perculsi, veluti ex vexatione intellectum accipientes, Bononium denique enixe rogarunt, ut virtute Dei sui, quem semper in ore gerebat, ex tanto vitæ discrimine tam ipsos, quam se liberaret: quod si obtinerent, se in Christum credituros, ejurata inani superstitione prophetæ sui, quem frustra eatenus invocarant, polliciti sunt. Conditionem hilaris accepit Bononius, & precibus ad Deum fusis, tempestate statim discussa, facta est aeris serenitas magna, & maris tranquillitas reddita; unde Alexandriæ portum inco-*

[d] *Cap.* XI.

ANN. CHR. 1004. ROMUALDI 97.

incolumes tenuerunt, ubi ſacro baptiſmate abluti nautæ novam vitam exorſi ſunt, Chriſti magnalia per ſervum ſuum prædicantes.

a Cap. XII.

[a] *Hinc ſummo in pretio haberi cœpit per illas regiones Bononii nomen, ſummique fervoris loco certatim quærebant primores civitatis, & quaslibet occaſiones captabant, ut illum videre, & alloqui poſſent, ac de ipſius colobii laciniis decerperent. Quæ res non minimam ſancto viro perturbationem animi attulit; nam laudum ſuarum lenocinia, & exiſtimationis propriæ fucum aufugiens, iterum ad dilectos filios inviſendos, ad eremum ſancti Salvatoris prope Babylonem poſitam ſe quam citiſſime recepit, ubi jejuniis, vigiliis & orationibus aſſidue vacans ſubdolas diaboli machinationes, qui ejus cor ad elationem inflare tentabat, penitus diſſolvit. Lectulus illi nuda humus fuit, lapide pro cervicali ſuppoſito, ad quem ſubnaſcentes cogitationes a ſuperbiæ ſpiritu immiſſas allidebat. Cilicium pro linteamine, & coopertorio inſerviit; vixque horis quatuor pauſaverat, cum ſollicitus, ne nimiæ quietis otio torperet, ad rerum cœleſtium contemplationem iterum evigilabat, uſquedum ad matutinam ſynaxim cum fratribus in oratorio perſolvendam, a ſacrarii cuſtode evocaretur, qui numquam illum jacentem & ſopitum invenire potuit, ſed ſemper orantem.*

b Num. 3. 4. 5. 6.

Anonymus vero Lucedii monachus hæc habet [b]. *De terra & cognatione ſua, & patria domo exivit, trans maria ſeceſſum ſolitudinis juxta Babylonem elegit. Ibi fræno durioris, & ſupra modum continentioris vitæ corpus ſuum perdomuit, omnibus carnis illecebris triumphator agonotheta expugnavit. Fama igitur ejus boni odoris per totam Ægyptum fragrante, principes Ægypti, & potior pars populi mira dilectione cœperunt eum amplecti, adeout darent ei optionem, quod vellet faciendi. At cum frequenter hoc facerent, gaviſus ſanctus pater Bononius Deo gratias egit, per quem barbarica feritas quievit, & in manſuetudinem converſa ſiluit. Inſuper quod inter ſævitiam barbarorum intrepidus maneret ad perficienda opera Chriſtianorum. Primum itaque ſuarum virtutum ſpirituale jecit fundamentum, laborando ad reparationem eccleſiarum barbarica vaſtatione dirutarum. Ibidem quam plurima reparavit monaſteria,* (codex Vercellenſis habet: *quamplurimas eccleſias reparavit; monaſterium condidit, in quo abbatem* &c.) *in quibus abbates & monachos ordinavit, quorum vitam ſecundum regulam ſancti Benedicti inſtituit. De loco ad locum tranſibat, verbum Dei ſeminabat; fides credentium creſcebat, ad quorum informationem multis ſignorum miraculis coruſcans alios ad fidem trahebat, & ſicut ager terræ bonæ fructum centeſimum, ſexageſimum & triceſimum producebat. Cumque quadam die ingreſſus navem cum mercatoribus illius regionis Alexandriam peteret, valida & inevitabili procella ſubito æquore turbato, nullam evadendi jam ſpem habentes clamabant omnes in tanto diſcrimine conſtituti, dicentes: Serve Dei, ecce miſerabiliter perimus, & tu nobiſcum; ſed ſecundum tuam prædicationem talem credimus Dominum tuum, ut ſi oraveris ad eum, liberabit te, & nos tecum, & liberati vovemus nos ſacramentum baptiſmatis a te ſumturos, omnino ſequi, & perfecte credere in eum. Ad ejus orationem repente vehemens maris commotio ſedata ſiluit, & navis a Deo directa felici curſu portum Alexandriæ, ſicut optaverant, intravit: & ſtatim de navi egreſſis, & de manu mortis Deo miſerante ereptis, vir Dei ſæpe memorandus ſacramenta baptiſmatis tradidit. Per totam Alexandriam rumor beatæ ejus opinionis ſonuit, quia per eum multa virtutum ſigna ibi Dominus oſtendit; & ne humanus favor, ut ſæpe aſſolet, ejus mentem nævo inſolentiæ obduceret, clam locum deſeruit, priſtinam Babylonis ſolitudinem repetens,*

tens, vigiliis, jejuniis, orationibus, & universis sanctis operibus vacavit, vias vitæ quamplurimis monstravit, atque ut omnes lucrifaceret vir justus, omnibus est omnia factus. Non adulationem per potentiam appetebat, nec fastidio aspernabatur superbos & insolentes, memor illius invectionis, qua comminatus est Dominus populi seductoribus, dicens: [a] *Væ vobis, qui consuitis pulvillos, & cervicalia sub omni cubito ad decipiendas animas. Ecce ego disrumpam eos de brachiis vestris, ut non ultra capiatis animas volantes. Quoniam nec prospera extollere, nec adversa noverant inclinare. Pauperes sustentabat, divites ad benefaciendum admonebat. Mollia strata non habebat, sed supra duram humum subjecto cilicio, & lapide capiti subposito, quiescere consueverat, si quies est dicenda, quæ jugibus orationibus dies & noctes continuabat, & membra sua mortificabat secundum illud Davidicum: Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Hæc sub uno contextu retulimus, quæ præsenti, & sequentibus annis a Bononio perpetrata fuere, nam cum per Ægyptum & Babylonem plura construxerit monasteria & eremos, id opus non fuit unius, sed plurium annorum. Jam ex his Bononium discipulum, magistri sui Romualdi vestigia ad amussim secutum comperimus, quippe qui nunc in cœnobiis, nunc in eremis vitam trahebat, monasteria vero jacentia erigebat, & ad normam sancti Benedicti reformabat; vanam hominum æstimationem quam maxime fugiebat; jejuniis, vigiliis & orationibus assidue vacabat, mira proinde, operum suorum merito, Deique virtute, operabatur prodigia in longinquis regionibus, eodem tempore, quo similia in Italia patrabat Romualdus. Verum alias res gestas Bononii ad annum 1010. reservamus.

Ann. Chr. 1004. Romualdi 97.

a *Ezech.* XIII. 18.

VIDENS Romualdus cum eremitarum Bifurcensium in laxiora declinantium animis nequicquam se proficere, & incassum recidere prædicationis suæ verba, locum infœcundum deseruit, sciens eos monachos revera non esse, quoadusque peculiaritatibus propriis inhærerent, ut pronunciaverat olim de Constantio electo a monachis Classensibus sanctorum Johannis & Stephani in locum demortui abbatis Claudii scribens ad Johannem subdiaconum Ravennatem Gregorius magnus, qui ideo Constantium repudiavit, quia [b] *cognovi*, inquit, *quod idem Constantius peculiaritati studeat; quæ res maxime testatur eum cor monachi non habere*. Bifurcensibus itaque vale dicens Romualdus in Camerinensem provinciam se hoc anno contulit, in qua fortunatioribus avibus monasticæ & eremiticæ vitæ semina jecit, & Simoniacæ insuper sectæ latius ibidem dominanti bellum indixit: *Romualdus ergo*, inquit Damianus [c], *sterilitatis impatiens, anxia cœpit aviditate perquirere, ubi terram potuisset ad proferendos animarum fructus idoneam invenire. Misit itaque nuntios ad Camerinæ provinciæ comites. Qui, audito nomine Romualdi, nimio repleti gaudio, cuncta suæ virtutis offerunt prædia, non modo silvarum & montium, sed, si sibi etiam placeret, agrorum. Postremo repertus est in eorum possessione locus eremiticæ conversationi satis congruus, montibus undique vallatus & silvis. In medio vero ampla quædam planities, non solum proferendis frugibus apta, sed perspicuis etiam fontium aquis irrigua. Hic itaque locus vallis de Castro antiquitus vocabatur, ubi jam parva erat ecclesia, in qua conversarum quarumdam mulierum videbatur esse conventus. His itaque loco cedentibus, constructis cellulis illic habitare cum suis discipulis vir venerabilis cœpit*. Ex hoc Damiani textu, quam longe lateque diffusum esset Romualdi nomen, innotescit; nam etsi superioribus annis Ravennæ habitasset, & ultimis tempori-

Ann. Chr. 1005. Romualdi 98.

XL. Romualdus in Vallem de Castro proficiscitur.

b *Epist.* XXIV. *Lib.* XII. *p.* 1194.

c *Vit. S. Rom. cap.* XXV.

Ann. Chr. 1005. Romualdi 98.

poribus vel prope Parentium, vel in alpibus Æmiliam inter & Thuſciam incolatum duxiſſet, percrebuerat tamen ejus fama in Piceno & in Umbria, itaut comites, qui in Camerinenſi provincia jus dicebant, admoniti per nuncios Romualdum expetere ipſorum regionem ſua præſentia decorare, valde exultantes, ei exhibuerint *cuncta ſuæ virtutis*, hoc eſt ditionis, *prædia*. Eruperat forſan e latebris Catriæ & vicinorum montium, quos ſolitudine ſua ante tria luſtra ſanctificaverat, ſed ſancti Apollinaris juſſione deſeruerat, mirabilis & ſancta ejus converſatio, & quem olim intra cellulam ſibi, paucisque viventem ſuſpexerant, nunc ſperabant in majori hominum frequentia ad provinciæ utilitatem procurandam, tamquam a cœlo deſtinatum. *Obtulerunt autem ei non modo ſilvas & montes, ſed, ſi ſibi etiam placeret, agros*; quæ quidem Damiani verba declarant, quam ſancte paupertatem coleret Romualdus, ut montibus & ſilvis eſſet contentus, quibus ſe, diſcipuloſque ſuos in ſolitudine detineret, non autem quæreret agros & prædia, quibus neceſſaria eorum ſubſtentationi providerentur. Sufficiebant ei cavernæ, vel ad ſummum ſilvarum ligna, quibus caſas fabricaret; verum ut exultantem & gratum ſui animum oſtenderent comites, exhibitionem ei fecere etiam fructiferarum terrarum, ſi eas recipere non renueret. Locus, quem præ ceteris elegit Romualdus, aberat Fabriano octo circiter milliaribus, & appellabatur Vallis-caſtri, nomen quod adhuc retinet; ex quo loco in apicibus circumſtantium montium cernebantur decimo-ſexto apud Fortunium [a], & decimo-ſeptimo ſeculo apud Jacobillium [b], reliquiæ arcium Montis-martis, ſive Martini, Civitellæ, & Montis-ferrati, a quibus aliqui etymologiam deſumunt ipſius loci, qui appellaretur Vallis-caſtrorum, & uſitatius Vallis-caſtri; probabiliorem quidem denominationis hujus originem deducentes, quam deduxerit idem Fortunius, qui a muliere quadam, Caſta nomine, locum conſtructum aſſerens, docet eam ex ſuo nomine regioni nomen feciſſe. Parva ibi erat conſtructa eccleſia, quam mulieres quædam ad Deum converſæ, vitamque religioſam agentes, poſſidebant; his ergo novo hoſpiti eccleſiam cedentibus, Romualdus circa eccleſiam vel antea, vel a ſe dicatam ſanctiſſimo Salvatori & beatæ Mariæ, cellulas pro eremitarum habitatione conſtruxit, forſitan etiam cœnobium, quod tamen eo tantum anno perfectum legimus, quo in Hungariam pergere propoſuit, id eſt anno 1009.

a P. II. Lib. I. cap. XVII.

b SS. Umbriæ T. II. pag. 27.

XLI. De Farolfo comite Vallis-caſtri.

Dominum Vallis-caſtri Fortunius [c] aſſerit fuiſſe Farolfum, cujus etiam inimicitias cum ceteris vicinis Camerinenſis provinciæ comitibus Romualdus compoſuerit, eumque proinde donatorem eccleſiæ & loci fuiſſe affirmat. Jacobillius [d] vero putat donatorem extitiſſe Humbaldum, ſecundum hujus nominis, Camerini marchionem & Spoleti ducem, & ſubdit in quodam Camerini monaſterio extare documentum, quo apparet ipſum conceſſiſſe ſupradictarum mulierum habitationem, & vicinam ſilvam Romualdo, quod donationis inſtrumentum incaſſum hucuſque quæſivimus a doctis Camerinenſibus.

c Ibidem.

d Ibidem.

Ceterum ſi Farolfus non fuit primus loci donator, profecto fuit inter primos optime meritus. Ipſe, Guidonis comitis filius, Montis-martis dominus, quem etiam Vallis-caſtri & prædiorum Urbis-veteris poſſeſſorem fuiſſe putant, a quo deſcendere conjiciunt Corbariæ comites, qui titulum comitum Montis-martis, & nomen Farolfi ſervant Tuderti; vel in grati animi ſignum, ut exiſtimat idem Fortunius, vel Romualdi ſanctitate motus, plurima ipſi dilargitus fuit prædia, quibus monaſterium poſtea extructum ſancti Salvatoris in Valle de Caſtro fuit locupletatum. Extabant Fortunii [e] ætate

e Ubi ſupra.

tate, extantque etiamnum, ut dicemus inferius, veteres picturæ in parietibus cœnobii, Romualdi & Farolfi gesta describentes. Ex iis facile ipse desumpserit, quæ in historia hujus monasterii narrat, & quorum non meminit Petrus Damianus. Ait itaque. „ Quadam die Farolfo cœnante, „ accidit ei gravissimus casus hujusmodi; spina enim ossis gutturi infixa „ faucibus taliter inversa est, ut spiritus ad extremam vitæ horam trahe„ retur; quare inter mortis angustias, cum sanctum Romualdum ad„ vocari jussisset, ingressus est vir sanctus ad eum, fusaque oratione, „ guttur tangens obtinet a Deo, ut comes spinam statim expuerit, sos„ pitate recepta, qui propterea Deo gratias agens, ex eoque die omni„ bus inimicis pacem ante omnia dans, subinde de sancta quietaque vi„ ta agenda sic cœpit esse sollicitus, ut Christum redemptorem, & san„ ctum Romualdum hæredem territorii loci, ubi constructum est cœno„ bium, fecerit per hujusmodi donationem. " Tum subjungit ipsum donationis instrumentum, sed mutilum, & a barbara latinitate, quo scriptum fuerat, a se, ut ait, emendatum.

ANN. CHR. 1005. ROMUALDI 98.

XLII. De charta donationis Farolfi factæ Romualdo.

VERUM antequam de Farolfi charta judicium feramus, sciendum est, imperitos notarios, scilicet Contulum Bernardi, & Vivianum Bonaventuræ, qui ex autographo exemplum confecere anno 1333. turpiter errasse in describendis annis ab incarnatione, & putasse instrumentum datum fuisse anno 785. quem proinde annum copularunt cum indictione octava, & cum imperio Caroli magni; quo quidem nihil ineptius exscribi poterat, cum post ducentos & plures annos ab ævo Caroli magni extructum tantummodo fuerit Valle-castrense monasterium, ac in ea regione vixerit sanctus Romualdus. Subolfecere forsan supradicti notarii enormem anachronismum; & ideo forte ne a posteris detegeretur, pessimo & implexo charactere has notas chronicas in exemplar suum transtulere; nam in quodam transumpto membranaceo hujus apographi existente in archivo sancti Blasii de Fabriano hæc leguntur. *In Dei omnipotentis nomine. amen. Hoc est exemplum & copia sive sumptum cujusdam concessionis in membranis transcriptum manu ser Contuli Bernardi, ex quodam instrumento publico scripto manu magistri Lamberti ...... copiati & transumpti per me Joannem Franciscum Perinum notarium infrascriptum de verbo ad verbum ommissis die & mense consu .... & ...., quæ ex longinquitate temporis unquam legi non possunt, ideoque præterii. Cujus quidem transumpti tenor talis est &c.* De hoc Contuli & Viviani apographo hæc habet [a] Fortunius. „ Circumfertur ipsa donationis pagina transumpta anno 1333. 4. februa„ rii in palatio Fabriani a duobus notariis non modicum mendosa, quip„ pe tempus atque imperatoris nomen male designat, quod factum credi„ mus, quia characteres, & maxime numerorum antiqui plerumque dif„ ficillimi lectu rerum imperitos decipiunt, quæ res doctos viros dubita„ re de ejus veritate aliquando facere potuisset, nisi cœnobium Vallis„ castri omnia ipsa bona sub eisdem finibus ad hanc diem possidere, nos „ quoque scrutantes viderimus anno 1575. ibi de familia adscripti. In„ terfuimus enim, quando Garzias ab Ilva abbas, arbiter hominum Por„ charellæ & Alvacinæ, gravissimas ac diuturnas eorum lites diremit, „ quæ per plurimos annos inter illos summo impendio agitatæ fuerant, „ occasione nemorum & terrarum, quæ bonis ipsis cœnobii finitima „ sunt. Tunc siquidem nobis præsentibus termini ipsi sub præscriptis vo„ cabulis, & aliis, de quibus in sequenti alia ejus donatione agitur, ad „ unguem recogniti sunt ex utriusque partis libris, & monumentis anti„ quissimis. " Quare Fortunius de veritate paginæ ceteroquin persuasus, sibi

[a] *P. II. Lib. I. cap.* XVIII.

ANN. CHR. 1005. ROMUALDI 98.

sibi licere arbitratus fuit notas chronologicas hujus chartæ corrigere, atque loco anni 785. substituit annum 995. qui concurrit revera cum indictione octava, sicut etiam pro *Carolo magno* apposuit *Ottonem tertium Romanorum imperatorem*. Qua tamen ratione & fundamento inductus fuerit ad illigandam eidem anno ædificationem monasterii Vallis-castrensis, cujus vestigia secuti fuere Jacobillius & Lubinus, nobis est incompertum; sicut compertissimum aliunde nobis est, non posse cum eo anno conjungi; nam series ipsa historiæ sancti Romualdi declarat, non potuisse ipsum ante præsentem annum in Camerinensem provinciam transmigrare. Paullo enim ante obitum Ottonis navigavit Parentium, triennio ibi constitit, deinde Bifurcum secessit, ubi aliquandiu mansit, tum in Vallem de Castro perrexit; quare vel ad hunc annum, vel ad annos statim sequentes pertinet Farolfi donatio, & facile ad annum 1009. quo decurrebat post mensem septembrem indictio octava; ipso enim anno conditum fuisse monasterium Valle-castrense ex Damiano juxta conjecturas nostras verisimillimum est. Alia vero ex parte anno 995. vel Ravennæ, vel in Pereo morabatur, ut vidimus, Romualdus. Ceterum, quod affirmat Fortunius de authenticitate & veritate hujus paginæ dubium non debere suboriri, confirmatur ipsius assertum auctoritate alterius chartæ anni 1211. indictione XIIII. Ottone IIII. imperante, in qua cum lis mota fuisset adversus monasterium Valle-castrense circa ejus jura & bona, producta occurrunt nomina locorum & prædiorum eadem cum iis, quæ leguntur in Farolfi donatione; immo iidem limites leguntur in donatione anteriori Francisci comitis facta anno 1075. eidem monasterio Valle-castrensi, quam memorant excerpta quædam existentia in protocollo XV. tabularii sancti Blasii de Fabriano.

Ipsum Farolfi donationis instrumentum in Appendice afferimus, transumptum anno 1521. ex apographo Contuli Bernardi, & Viviani Bonaventuræ, qui ex autographo eorum ætate existente descripsere anno 1333. Ipsum quoque transumptum aliquantisper damna sensit ignis, quo dire vastatum fuit seculo XVI. archivum sancti Blasii de Fabriano, in quo asservatur. Addimus quoque ex eodem archivo chartam suprarelatam anni 1211. in qua usurpantur eadem locorum nomina, quæ reperiuntur in Farolfi tabulis.

XLIII. Altera Farolfi donatio.

b *Histor. Camald. Part. II. Lib. I. pag. 39.*

ALTERAM in primæ sequelam a Farolfo donationem factam affirmat Fortunius, quam nos ipsius verbis hic producemus, utpote ab ipso per compendium relatam: *Ego Farolfus dono tibi domno Romualdo servo Dei hanc tenutam, videlicet quartum Civitelle, incipiendo a Civitella, & eundo ad fontem Civitelle ad Aquacias per caput Carthechetarum, & tendendo ad fontem aque Larelle, & eundo recta ad planum Vitis, & illinc gradiendo per quosdam limites certos ad vallem Ceresie, & ad fontem Nequilis, & ab ipso fonte per viam, que tendit ad furcam Lupanarem, ad portam Montis Martini, & ab ipsa porta ad saxum Briscajum, & inde ad saxum Malandrinum Civitellam usque*. Usurpatur in prima Farolfi donatione, & frequentius in multis veteribus chartis provinciæ Camerinensis verbum *senaitæ*, quod significat limitem, confinem, & forsan nomen derivativum est a voce latina *designatio*; licet Ducangius ipsum repetat a dictione Saxonica *Snithan*, h.e. incidere, „ *Sinaidam* dicens esse incisionem „ factam in arboribus ad limites statuendos; " quod utrumque verum esse potest. Ea vox reperitur etiam in Traditionibus Fuldensibus & in legibus Langobardis. Porro mulieres, quæ pro reverentia Romualdi locum ipsi inhabitandum reliquerunt, ad sancti Stephani Vallis-aceræ in regione

Per-

Percichiarum commigrarunt, qui locus ad ſanctimoniales divi Thomæ Fabriani hodie pertinet, ait Fortunius [a]. Putant alii monaſterium earum monialium tunc Fabrianum fuiſſe translatum, ipſumque eſſe, quod in honorem ſancti Sebaſtiani pro ſacris virginibus floret ad hodiernam diem in congregatione noſtra.

Ann. Chr. 1005. Romualdi 98.

a *Ibid. p. 36.*

XLIV. Explicatio veterum picturarum Vallecaſtrenſium. Chartæ aliorum monaſteriorum.

Diximus ſuperius extitiſſe tempore Fortunii veteres picturas in parietibus monaſterii Vallis-caſtri. Inquiſivimus, ſi adhuc extarent, tempore illo, quo ad chartas tranſcribendas, ſimul etiam veneraturi primum ſancti patris noſtri Romualdi ſepulcrum, ad Valle-caſtrenſe cœnobium acceſſimus anno 1752. Dictum nobis fuit ſupereſſe aliquas in antiquo monachorum refectorio, ſed ita temporis edacitate evanidas, peneque conſumptas, ut nil excerpi inde valeret. Attamen pulverem ſordeſque omnes ablui facientes, picturaſque pluries aqua conſpergentes, ſcalis admotis, & perſpicillis etiam adhibitis diligenter examinavimus, & licet vetuſtiſſimæ non ſint, cum ad ſeculum XV. pertinere videantur, ne tamen earum periret omnino de cetero memoria, eas in adverſariis noſtris quantum fas fuit, deſcripſimus, conſultumque ducimus heic loci explicare per ſummam brevitatem. In primo quadrato legitur ſententia: *Si optimus eſt, ſuis ſe affectibus probat. Juſta eſt ſemper ac fida cuſtodia bona voluntas.* Conſpicitur autem Romualdus adoleſcens equo ductus cum duobus famulis pedeſtribus, quorum alter manu ducit canem. A latere conſurgit urbs Ravenna, Romualdus autem procedit verſus pinetum ad aliud latus. In ſecundo quadrato ponitur epigraphe: *Optimum animalium eſt homo, ſed a lege ſeparatum & juſticia .... fit peſſimum omnium.* Cernitur autem Sergius ſuper equum ferro ſtricto propinquum ad terram ſternens; Romualdus vero equum verſus Claſſem calcaribus impellens. In tertio: *Deus juſta petentibus obtemperare cogitur.* Apparet Romualdus advolutus pedibus duorum monachorum, quos orat, ut ſe in monachum recipiant. Alibi ſanctus Apollinaris altaria incenſo ſuffumigat, quem genibus flexis attente ſuſpiciunt Romualdus & quidam converſus. In quarto: *Fili accedens ad ſervitutem Dei ſta in timore, & præpara animam tuam ad temptationem.* Romualdus ab abbate induitur veſte monaſtica, quam ſigno crucis benedicit archiepiſcopus Ravennas. Ad alteram quadrati oram Romualdus in terram proſtratus, perinde ac de feneſtra præceps ruiſſet, & quatuor monachi viſuntur ipſum a monaſterio expellentes. In quinto: *Si quidem minime tutum eſt, ut illic moras trahas ... tui ſimiles non invenias.* Marinus ſedens ſub arbore cædit Romualdum ſtantem, qui manu auriculam oſtendit; ex alio latere Romualdus pariter ſtat, & Petrus Urſeolus ducali veſte indutus genuflectit. Hinc Venetiæ, inde eremus. In ſexto, ut etiam in ſequentibus, literarum non apparent amplius veſtigia; ſed cymba conſpicitur cum quatuor monachis, & præterea Petrus Urſeolus cum regio paludamento, & a Veneto ſenatore comitatus. Venetiarum urbs recedit, cujus ærarii ædificium prope ripam plateæ divi Marci valde differt a præſenti architectura, & humilior eſt turris campanaria. In ſeptimo vir cernitur flectens genua ante Romualdum; credimus exprimi ibi admiſſionem Petri Urſeoli ad ſtatum monaſticum. Ex alia parte dominus quidem aſſidens menſæ, exanimis, famulo inixus, & femina ſtans ac plorans prope menſam. Is eſt vel comes in Galliis raptor vaccæ, de quo agit Damianus capite X. vel Farolfus a præſentiſſimo vitæ diſcrimine liberatus a Romualdo, ut putat Fortunius. In octavo vir ſanctus cucullа monachum cingulo præcinctum induit; monachus hic forte eſt Guido filius Farolfi. In nono dæmones Romualdum percutiunt, & pedibus conculcant; ab alia

parte

Ann. Chr. 1005. Romualdi 98.

parte Romualdus genibus flexis Salvatorem sibi apparentem, dæmonesque fugantem adorat. In decimo reges duo coronati cum militia pedite, & monachi plures conspiciuntur, inter quos præeminet unus reges alloquens; Otto nimirum III. indigitatur, & Henricus sanctus, cum quibus multa miscuit colloquia Romualdus. In undecimo cernuntur Romualdus & Maldulus dormientes; erigitur inter ipsos a terra ad cœlum scala cum angelis ascendentibus & descendentibus, & post Maldulum ingens fagus decidens, & cellulam suppositam non lædens. In duodecimo Romualdus pacis sequester in Valle de castro, cujus ecclesiæ & monasterii pictura respondet fere præsenti utriusque statui; inde ipse duos tauros indomitos, admirantibus dominis, manu ducit. In tertio-decimo ab Ancona & mari columnæ asportantur pro constructione Valle-castrensis ecclesiæ. In quarto-decimo tres angeli canistros rerum comestibilium indigenti Romualdo deferunt. Demum in quinto-decimo conspicitur monachus fugiens a cœnobio Vallis-castri cum sacco; castrum Porcharellæ eminet super collem; quatuor viri sacrum Romualdi corpus super humeros bajulantes, Æsio post se relicto, Fabrianum versus incedunt, quibus clerus cum Cruce obviam venit. Alludit pictor ad translationem corporis sancti Romualdi vergente seculo XV. a Valle de Castro ad Fabrianum factam.

Cnm quædam bona monasterii sanctæ Mariæ in Palatiolo prope Ravennam ab injustis invasoribus detinerentur, Dodo castaldius Friderici archiepiscopi Ravennatis sententiam contra ipsos promulgavit, eos ad restitutionem compellens. Ea sententia legitur in charta [a] tabularii archiepiscopii Ravennatis sub hoc anno.

a Caps. F. 2000.

Gregorius presbyter aliique coloni petunt a Johanne abbate monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe libellum emphyteusis decemnovennalis de bonis ejusdem monasterii positis in territorio *Calcata*: *Anno pontificatus domni Johannis summi pontificis septimidecimi pape* &c. *secundo indictione tertia mensis madii die vicesima*. Quem Johannes scriniarius scriptor hujus cartulæ decimum-septimum nominat, Benedictus scriniarius scriptor alterius chartulæ anno sequenti decimum-octavum appellat, ut proinde utroque numero gavisus fuerit, prout notariorum aliqui vel excludebant, vel includebant pontifices anteriores eodem nomine donatos, vel errore Johannes scriniarius decimum-septimum appellavit, qui revera erat decimus-octavus. Hæc quoque pagina ex codice Gregoriano locum obtinet in Appendice nostra.

Ann. Chr. 1006. Romualdi 99.

XLV. Lucra animarnm, quæ obtinuit Romualdus in Valle de Castro.

Romualdi zelus non intra fines tantum propagandæ eremiticæ vitæ continebatur, sed vel eremitarum, vel etiam monachorum colonia deducta in monasterium Valle-castrense, se totum prædicationi verbi Dei in Camerinensi provincia commisit. *Ibi autem*, inquit Damianus [b], *quantos animarum fructus per illum Dominus acquisierit, quis valeat vel atramento describere, vel lingua proferre? Cœpere namque homines ad pœnitentiam hinc inde confluere, sua pauperibus misericorditer erogare, alii seculum omnino relinquere, & ad sanctæ conversationis ordinem spiritu fervido festinare. Erat enim vir beatissimus quasi unus de Seraphim, quia & ipse flamma divini amoris incomparabiliter æstuabat, & alios, quocumque pergeret, sanctæ prædicationis facibus incendebat*. Aliam addit sanctus doctor circumstantiam, qua ejus fervorem in prædicando attollit: *Sæpe namque dum prædicationis verba proferret, tanta illum compunctio in lacrymas excitabat, ut subito interruptum sermonem relinquens, aliquorsum repentino impetu velut amens aufugeret. Nam & si, quando cum fratribus equitabat,*

b Vit. S. Rom. cap. XXXV.

longe

longe post alios veniens, semperque psallens, nihilominus, ac si in cellam resideret, jugiter lacrymas effundere non cessabat. Ad occultandam profecto divini Spiritus gratiam, quæ Romualdum dono lacrymarum participem faciebat, cum ipse itinerabatur vel equo ductus, vel pedester, hanc servabat consuetudinem, ut semotus ab aliis psalmos recitaret toto viæ cursu, quo temporis spatio, perinde ac in cella propria moraretur, irrigui abundabat dulcedine fletus. Id didicerat [a] forte ex regula beati Antonii abbatis, & sancti Isaac: *Si iter feceris cum fratribus, secede ab illis parumper, & sis in silentio, & dum incedis per viam, ne te convertas sinistrorsum, vel dextrorsum, sed meditare psalmos tuos, & ora in mente tua ad Deum*. Plura in hanc rem exempla congerit Martene [b]. Romualdi exemplum sequuti fuere ejus discipuli Adalbertus & Bonifacius; de illo enim & sociis [c] legitur: *Jam die exsurgente purpureo iter sibi abripiunt, & Davidico carmine sibi abbreviantes, dulcis vitæ gaudia continuo nomine appellant Christum*. De hoc autem tradit Damianus [d]: *In toto illo itinere*, ex urbe Ravenna nimirum, cum Romam petiit, archiepiscopatus munus petiturus in Gentibus, *vir venerabilis cum omnibus quidem, qui eum sequebantur, pedester ibat, sed ipse jugiter psallens longe*, (supple *præcedens* juxta editionem vitæ sancti Romualdi annorum 1513. & 1656.) *nudis semper pedibus incedebat*.

Ann. Chr. 1006. Romualdi 99.

a Cap. xliiii. num. 17.

b Lib. V. cap. 17. n. 17.

c Cap. xxxv. Vitæ.

d Cap. xxvi. Vitæ S. Rom.

XLVI. Bellum indicit Romualdus simoniacæ labi.

SERPEBAT porro, sicut in aliis provinciis, ita & in Camerinensi, Simoniaca labes, ad quam profligandam quid egerit Romualdus, pergit enarrare Damianus. [e] *Inter ceteros autem, præcipue seculares clericos, qui per pecuniam ordinati fuerant, durissima severitate corripiebat, & eos nisi ordinem sponte desererent, omnino damnabiles, & hæreticos asserebat. Qui novam rem audientes, occidere illum moliti sunt. Per totam namque illam monarchiam, usque ad Romualdi tempora, vulgata consuetudine, vix quisquam noverat simoniacam hæresim esse peccatum. Qui dixit eis: Canonum mihi libros afferte, & utrum vera sint, quæ dico, vestris attestantibus paginis comprobate. Quibus itaque diligenter inspectis, & crimen agnoscunt, & errata deplangunt*. Hæc profecto non infima laus est parentis nostri ipsum se opposuisse pro domo Dei veternoso simoniæ errori. Nec fructu caruit ejus prædicatio. *Nonnulli quoque episcopi*, sequitur ejus vitæ scriptor, *qui per simoniacam hæresim sacras ædes invaserant, ad eum causa pœnitentiæ concurrebant. Qui etiam venerabili viro se committentes, & episcopatum termino statuto deserere, & ad sanctæ conversationis se promittebant ordinem festinare. Ex quibus tamen vir sanctus, quamdiu vixit, nescio si vel unum convertere potuit. Est enim venenata illa hæresis, præsertim in episcopali ordine, tam dura, & ad convertendum rigida, ut semper promittens, semper de die in diem producens, atque in futurum procrastinans, facilius possit Judæus ad fidem converti, quam hæreticus latro plene ad pœnitentiam provocari*. Hæc Damianus, qui & ipse similes episcoporum technas frequenter expertus, probe callebat, quam tenax foret simoniæ vitium.

e Ibid. ut supra.

XLVII. Reformat canonicos & clericos.

ALIUD maximum bonum Camerinensi provinciæ præstitit Romualdus: *Constituit itaque vir sanctus*, teste eodem Damiano, [f] *plures canonicos & clericos, qui laicorum more seculariter habitabant, præpositis obedire, & communiter in congregatione vivere docuit*. En institutum non dissimile ab eo, quod in Africa stabiliverat magnus Augustinus pro suis canonicis, & simillimum ei, quod recentibus seculis maxima animarum salute promovit in ecclesia sanctus Philippus Nerius. Hoc Romualdi exemplum imitatus fuit Petrus Damianus, quippe qui Velitrensis ecclesiæ suæ canonicos

f Ibidem.

non

Ann. Chr. 1006. Romualdi 99.

non modo corripuit, sed ad arctam & regularem normam sponte gaudentes deduxit, ut in epistola ad A. venerabilem archiepiscopum refert. [a] Optime ergo Duellius in suis Miscellaneis & in præfatione ad opus, cui titulus: *Scutum Canonicorum Arnonis*, sanctum Romualdum tamquam canonicorum in primis reformatorem laudat. Nescimus an ad Romualdum, vel ad Petrum Damianum pertineat hujusmodi reformatio in ecclesia sancti Venantii de Fabriano, quæ octo milliaribus distabat a Valle-castrensi cœnobio. Reperimus vero anno 1046. canonicos seu presbyteros in eadem ecclesia simul convixisse, ipsisque donatam fuisse domum cum horto, & annualiter promissas decem libras auri & vitulum insuper cum duobus modiis tritici *pro* eorum *mensa*. Chartam ex tabulario ejusdem collegiatæ ecclesiæ exscripsit nobis amicissimus consodalis noster domnus Gabriel Guastuccius, quam damus in Appendice. Sed & Romualdi zelum tam contra simoniacam labem, quam contra clericorum laxam vitam multis encomiis extollit auctor prologi ad consuetudines Cluniacenses, quem affert Mabillonius [b] ex codice, qui olim fuerat monasterii Farfensis, nunc vero bibliothecæ Vaticanæ [c]. *Cum per universam*, inquit, *Italiam Christi præcepta annullarentur, & velut in fastidio versarentur, diabolicæ suggestiones cœperunt augmentari, & opere compleri, ita ut etiam in sacris constituti ordinibus, sicut mos laicorum est, uxores acciperent, & sine aliqua difficultate hæresim exercerent simoniacam. Cœlestis tunc clementia favente regis, qui pretioso olim mundum suo redemit cruore, suscitatus est quidam decore splendidus monachico Romualdus nomine, qui normam priscæ justitiæ in sexu renovavit utroqne & ordine.* Jure merito propterea ecclesiæ, & ecclesiasticæ puritatis primis defensoribus accensendus est Romualdus, quandoquidem contra simoniæ pestiferum errorem in suis pene incunabulis detonavit. Proximis enim annis ab orco exsurrexerat, vel revixerat lethale hoc monstrum, ut patet ex Gerberto archiepiscopo Ravennæ, cujus opusculum suffraganeis suis nuncupatum, in quo dolorem suum explicat pro hoc enormi vitio in clericis introducto, primus e tenebris eruit Mabillonius, inseruitque suis Analectis [d].

XLVIII. Condit monasterium puellarum.

Quod autem affirmat idem auctor prologi ad consuetudines Cluniacenses, Romualdum *normam priscæ justitiæ* renovasse *in sexu utroque*, optime convenit cum iis, quæ ad hunc annum referri possunt ex Damiano dicente [e]: *In iisdem quoque partibus vir sanctus monasterium condidit puellarum*. Habetur ex traditione monasterium illud fuisse, quod modo appellatum *sancti Romualdi* Fabriani incolunt moniales, ubi se recepisse creduntur ex silvarum & montium horroribus. Conjicit tamen Grandius in suis adnotationibus mss. ad vitam sancti Romualdi, monasterium hoc puellare fuisse prope Firmum, vocatumque sancti Petri in Monteriano, quod anno 1154. Bulignanus Firmanus episcopus, & deinde anno 1209. Adenulfus itidem Firmanus episcopus confirmarunt monachis, & abbati monasterii sancti Sabini prope Firmum, uti constat ex Ughellio. [f] Ad Damiani itaque fidem commode explicari debent Fabrius in sua *ephemeride sacra Ravennæ* ad diem x. septembris, & Lubinus in *Notitia abbatiarum Italiæ* [g], asserentes, primum monasterium monialium Camaldulensium fuisse illud sancti Petri de Luco in agro Mucellano extructum anno 1086. a beato Rodulfo IV. priore eremi Camaldulensis, dicendo primum quidem Lucense fuisse, quod disciplinæ eremi Camaldulensis paruerit, non primum monialium a sancto Romualdo institutarum; cum ex Damiano, quod etiam alibi videbimus, præter hoc in provincia Camerinensi excitatum, aliud nominetur fundatum ab ipso in Valle-bona; ut proinde irritum

[a] *Opusc.* XXXIV.
[b] *Annal. T. IV. pag.* 207.
[c] *Num.* 6808.
[d] *T. II. p.* 216.
[e] *Vit. S. Rom. cap.* XXXVI.
[f] *T. II. col.* 692. & 699.
[g] *Litt. L.*

ritum non cadat elogium, quo, ultra supra enarratum testimonium auctoris prologi ad consuetudines Cluniacenses, beatus Paullus Justinianus Romualdum protoparentem illustrat dicens: [a] „ Camaldulensis enim ipse ordinis „ auctor Romualdus apostolico more se omnium debitorem existimans, „ non solum viris, sed *puellis*, etiam infirmiorem sexum non spernens, „ cœnobia quædam instituit. “

ANN. CHR. 1006. ROMUALDI 99.

a *Reg. vit. erem. cap*, I.

XLIX. Mansuetudo Romualdi erga furem.

QUID autem contigerit Romualdo verba facienti discipulis suis in capitulo monasterii Vallis-castri, enarrat Damianus sequentibus verbis: [b] *Sollemni quadam die, dum vir venerabilis illic cum fratribus in capitulo resideret, & eos salutaris doctrinæ dapibus satiaret, repente ipsum interrumpens sermonem, anxia quadam animadversione exclamare cœpit & dicere: Agite nunc, inquit, agite, & quantocyus properate, quia jam fratris Gregorii cellam fur frangit: hic autem Gregorius archiepiscopus in Gentibus postmodum consecratus est; qui protinus exilientes ad cellam perniciter currunt, & furem jam parietes infringentem inveniunt. Quem capientes ad magistrum pertrahunt, & quid de tam sacrilego raptore faciendum esset, inquiunt. Quibus vir sanctus cœpit hilariter dicere: Et ego, fratres, ignoro, quid de tam malo homine possimus facere. Eruimus sibi oculos? sed postea non videbit. Incidimus ei manum? Sed amplius non laborabit, ac per hoc forsitan fame peribit. Si pedem truncamus? ambulare non poterit. Sed intro eum minate*, (ex obsoleto verbo *minare*, quod significat *ducere*) *& cibum illi prius apponite, ut quid de eo faciendum sit, interim pertractemus. Et ita vir sanctus exultans in Domino, postquam cibari latronem fecit, deinde modeste correptum, & dulcibus verbis admonitum redire ad propria in pace permisit*. Similia exempla referuntur in vita sancti Ammonis, qui latrones actu furantes correptos introduxit in cellam, posuit mensam, & jussit percipere cibum; in vita sancti Spiridionis, qui furibus arietem secum asportandum dilargitus est; & in dialogis sancti Gregorii [c] de sancto Libertino legitur, quod jumenti perditi damnum libenter ferens, etiam flagellum, quod tenebat, diripientibus obtulit dicens: *Tollite, ut habeatis, qualiter hoc jumentum minare possitis*: ut nullo propterea tempore defuerint sancti, qui mansuetudinis Christianæ exempla dederint. Quo facto sanctus Romualdus ulterius animositatem, quam aliqui ex suis discipulis conceperant in furem, coercere voluit.

b *Vit. S. Rom. cap.* XXXVI.

c *Lib. I. cap.* 2.

L. Sanat Gregorium fratrem.

VERUM alio vocatus Romualdus, postquam fere per biennium commoratus fuit in Valle de Castro & in proximis regionibus, tam eremiticum institutum propagaturus, quam clericorum moribus provisurus, Camerinensem provinciam deseruit, constituto in Valle de Castro Gregorio abbate, ut ait Fortunius. Hic Gregorius fuit, ut videtur, monachus ille, cujus cellam fur invaserat, qui deinde, teste Damiano, factus fuit archiepiscopus in Gentibus, eo, ut putamus, tempore, quo in Pannoniam iter cum discipulis aggressus est. Idem facile est Gregorius monachus, qui legitur inter testes donationis Farolfi comitis. [d] Hieronymus insuper Pragensis Gregorio supradicto tribuit, quæ Damianus capitibus LIII. & LV. *Gregorio fratri* adscribit. Unus vel plures fuerint Gregorii parum refert; supradicta capita, quandoquidem nullam habent temporis notam, hic subjicimus. Ex quorum primo eruitur, quam semper festivus & hilaris fuerit Romualdus; & ex alterutro quam cautus in occultandis signis, quæ per eum Deus operabatur; cujus moderationis alia jam attulimus specimina. *Sed quamquam*, dicit Damianus, [e] *vir sanctus tantam erga se servaret austeritatem, semper tamen hilarem vultum, semper serenam faciem ostendebat. Nam frater quidam Gregorius nomine gravissimum capitis dolorem*

d *Cap.* XII. *n.* 3.

e *Vit. S. Rom. cap.* LIII.

Ann. Chr. 1006. Romualdi 99. *se perpeti aliquando conquestus est. Qui cum ad beati viri cellulam, ubi & alii fratres tunc erant, cum nimia lamentatione venisset, mox ut eum vir venerabilis vidit, hunc dolorem nequaquam humorum inaequalitati, sed insidiis antiqui hostis indubitanter adscripsit; & mox quasi deridens eum, ut erat semper alacri vultu, per fenestram cellulae sibi insufflavit in frontem, & ut ceteri omnes, qui aderant, similiter facerent, innuit. Hoc autem facto, ita sanatus est, ut nullum penitus sentiret in suo capite doloris remansisse vestigium. Arbitror, quod iccirco vir sanctus hoc facere voluit, quia per Spiritum-sanctum, qui in ejus pectore praesidebat, effugandum esse iniquissimum hostem doloris immissorem credidit. Ad evitandam vero propriam laudem, & ludum finxit & socios quaesivit. Nam & Redemptor noster insufflasse legitur, cum Spiritum-sanctum apostolis dedisse perhibetur.* Et cap. LV. *Alio quoque tempore idem, qui supra, Gregorius, tam virosam & marcidam tolerabat in cruribus scabiem, ut jam ex elephantiae morbo crederet tam gravem prodire tumorem. Huic Romualdus hoc praecipuum medicinae genus indixit, videlicet ut crura per tres dies frigida aqua perfunderet, promittens, quia hoc modo sanitatem pristinam recuperaret. Quod tamen ille adimplere studuit, nimirum magis necessitate jussionis, quam recipiendae fiducia sospitatis. Mirum satis & solum divinae potentiae referendum! Confestim tibiarum tumor deponitur, virus omne siccatur, & penitus omni languore deposito, frater sanus per omnia redditur. Credi ergo rationabiliter potest, quia eodem spiritu Romualdus discipulo, ut ter aquis tumentia crura perfunderet, jussit, quo Eliseus Naaman leprosum lavari septies in Jordane mandavit.*

LI. Ortus Petri Damiani.

Sub finem hujus anni, vel initio sequentis contigit ortus Petri Damiani, insignis postea vitae eremiticae ad Romualdi normam propagatoris. Annum, quo in lucem editus est, ipse signat in epistola missa, non ad Senatum, ut scripsit Baronius ad annum 1072.[a] sed ad Gottifredum ducem, quae constituit opusculum LVII. de principis officio.[b] *Vix plane quinquennio*, ait, *ante meae nativitatis exortum, humanis rebus exemptus est tertius Otto, qui imperialis apicis dignitate pollucibiliter floruit, & Romanam rempublicam strenue gubernavit*. Conjicit Godefridus Henschenius in commentario praevio ad vitam Damiani §. VI.[c] natum fuisse Petrum quinque annos post obitum Ottonis II. is est annus nongentesimus-octuagesimus-octavus, cum anno 983. defunctus fuerit Otto II. & cogitatum suum fulciri putat, eo quod Damianus in epistola ad Alexandrum II. electum, hoc est ad annum 1061. senem se nominet, &[d] *caput, quod canis hactenus spargebatur, cygneo jam albore nivescere scribat*. Porro sic arguit Henschenius; eo anno 1061. ad summum absolvisset aetatis suae quinquagesimum-quintum, si anno 1006. vivere incoepisset; e contra optime convenirent ipsius dicta, si natus fuisset anno 988. ex quo ad annum 1061. excurrissent jam anni septuaginta-tres, cui aetati bene congruunt, quae de sua senectute ipse enarrat. Verum non animadvertit Henschenius, in codicibus mss. operum Damiani non per signa numeralia, quae facilem mutationem subire potuissent II. in III. sed per integram dictionem haberi *tertius Otto*, quae vox ab amanuensibus confundi non potuit cum secundo. Praeterquamquod non est, cur miremur Damianum non solum in epistola ad Alexandrum II. sed saepius in aliis epistolis *canis se conspersum, senem, longaevum* ante sexagesimum suae aetatis annum appellare; austera nimirum jejuniis, vigiliis & flagellationibus assiduis attrita vita ejus canitiem acceleravit, & senem, si non annis, saltem constitutione corporis confecit. Praesertim cum omnia, quae ibi amplificat de sua aetate, homini

a Num. 34.
b Cap. V.
c T. III. Febr. pag. 415.
d Opusc. XX. cap. V. T. II. pag. 224.

ni proxime sexagenario præterpropter possint aptari; quandoquidem dicit: *Ecce enim jam oculi caligant, & solito amplius phlegmatis humores abundant, rugæ subeunt, & dentium ruinam gingivæ minantur: Caput denique, quod canis hactenus spargebatur, cygneo jam albore nivescit, vox raucit, virtus deficit, & heu pro dolor! sola in me vitiorum radix ignorat penitus senectutem*; at viri fere sexagenarii veraciter idipsum ad hodiernam diem repetere queunt. Natus ergo est hoc anno Petrus *Ravennæ*, *honestis parentibus editus*, ut scribit Johannes Laudensis [a] in ejus vita, *sed ab ortus ipsius crepundiis rebus perurgeri cœpit adversis. Cum ejus nempe mater, jam filiorum pertæsa, domo videlicet hæredibus referta, hunc genuisset extremum, unus liberorum, qui tunc jam grandiusculus adoleverat, conquestus exclamat: Pro pudor, ecce jam tanti sumus, quod in hac domo vix capimur, & quam male sibi congruunt hæredum turba, & hæreditas angusta! Ad cujus verba mater vehementius indignata, & feminei livoris zelo succensa, complexis manibus, se miseram, seque ulterius vivere vociferatur indignam. Illico eum, ut ita loquar, ante pene quam lactaret, ablactat, & quasi numquam ipsum de cetero suis manibus attrectandum, infausta quædam sibimet imprecans a se prorsus ablegat; sic filium, antequam vivere discat, emancipat, & quod possidere solum posset, a possessione materni pectoris exhæredat. Cum igitur perexile illud plasma, quod erat omni nutriciæ sedulitatis officio destitutum, fame simul & algore nigresceret, & tenuis non dicam vox, sed quasi sibilus de pectusculo vix adhuc palpitante rauciret, cujusdam presbyteri femina, quæ patrii laris erat quasi vernacula, supervenit, & inhumanam matris suæ duritiam severa, in quantum licuit, invectione corripuit: Numquid domina, inquit, hoc est matris christianæ, quod non probatur esse tigridis vel leænæ? Illæ* * *parentes enutriunt catulos, & nos ad imaginem Dei conditos abjicimus e nostris visceribus procreatos? Et hic forte, qui nunc ita projicitur, si ad ætatis incrementa pervenerit, locum inter suos non infimum obtinebit: cavendum etiam, ne cujus mater esse contemnis, filicida merito judiceris. Hujusmodi plane verbis uxor presbyteri officio funct est sacerdotis, dum & maternum ad pietatem mollivit affectum, & morientem ad vitam restituit filium. Mox itaque non ignara virago ulnas fluentibus induviis expedit; substrata pelle juxta ignem puerilia membra distendit; & undique perungendo corpusculum, non modicæ summæ spongiam profligavit. Videres itaque tenellos artus liquescentis arvinæ fomenta combibere, & resumpto vitali calore rubescere, & sic in eo nitorem rudis infantiæ subito reflorere. Ubi notandum, quia & mater ejus facta fuerat Herodias, & illa facta est Elias; sicque per peccatricis mulierculæ studium, & desperatus de mortis faucibus retrahitur, & mater de filicidio liberatur; quæ nimirum jam sese matrem advertens, quem velut alienum immitis exploserat, ad piæ mox dilectionis amplexum maternorum viscerum affectibus revocat, omnemque illi nutriciæ curæ diligentiam instanter exhibere non cessat. Puer autem hac diligentia, donec oblactatur, perfruitur.*

Ann. Chr. 1006. Romualdi 99.

[a] Cap. 1.

* parientes

Ruppo nobilis vir, atque *fidecommissarius quondam Franco* largitur Johanni abbati monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe terras positas in territorio *Calcata* in fundo vocato *Roscanello* pro anima ejusdem Franconis. De Franconum familia agit [b] Nerinius in historia monasterii sanctorum Bonifacii & Alexii Romæ. Donatio confecta fuit *anno pontificatus domni Johannis* &c. *octavidecimi pape* &c. *tertio indictione quarta mensis julii die prima*. Chartam donationis ex Gregoriano codice ad Appendicem rejicimus.

[b] *Pag.* 381. & 390.



ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER OCTAVUS.

Ab anno CHRISTI M. VII. *ad annum* M. XI.

ANN. CHR. 1007. ROMUALDI 100.

I. Condit Romualdus monasteria prope Urbem-veterem.



NTEQUAM Romualdus centenarius hoc anno Valle-castrense cœnobium desereret, prænuntiavit discipulis suis, se post vicennium in eodem monasterio mortem obiturum, ibique sepulcri honore gavisurum. Tristes nimirum discipulos ob suum recessum consolatus fuit ea spe; se nimirum reversurum, quinimmo ibi vitam cum morte commutaturum. Ex Valle-castri autem monasterio se recepit Romualdus in Urbem-veterem, ubi novum condidit hoc anno monasterium. *Postremo*, ait Damianus, [a] *dimissis in Valle de Castro nonnullis de suis discipulis, ad regionem se Urbis-veteris contulit, & in possessione Pharulphi comitis monasterium, multis quidem suffragantibus, sed eo maxime expensas præbente, construxit.* Fortunius, Ractius [b] & una cum eis non pauci scriptores perperam vertunt Urbem-veterem in *Civita-vecchia*, olim Centumcellas; sed reapse de regione Urbe-vetana, vulgo *di Orvieto*, quæ civitas est non incelebris Etruriæ, sub ditione Ecclesiæ, olim etiam Herbanum dicta & Oropitum, super collem posita, a qua non longe confluentes Palliæ & Clanis aquæ Tiberi se immiscent, intelligi debet Damianus. Sententia nostra est Farolsum Urbe-vetanum eumdem esse cum Farolso, qui de Romualdo & de monasterio Valle-castrensi optime meritus fuerat, & sicut Romualdo in ædificatione illius cœnobii fuit maximus adjutor, ita suppetias ei tulisse etiam in ædificatione Urbe-vetani monasterii. Certe Farolsum Urbe-vetanum rerum affluentia prædivitem memorat Damianus in epistola ad Rodulsum & Ariprandum monachos, ut proinde prædia in Camerini & Thusciæ provinciis plura videatur possedisse; monachis quoque optime affectum ipsum, & de eorum recta conversatione sollicitum ibidem describit; sed præstat historiam quamdam in medium adductam a Damiano de Farolso narrare. [c] *Pharulphus Urbis-veteris comes, qui centum millia mansos habere dicebatur .... Enimvero, sicut mihi relatum est, dum ad mensam comes ille discumberet, quidam illi monachus assidebat,*

a *Cap.* XXXVII.

b *Pag.* 23. *Vit. S. Rom.*

c *T. I. Lib. VI. Epist.* 19.

bat, quem rogare cœpit, ut quia pisces deerant, dictante necessitate, carnibus vesceretur. Primo quidem ille negare, deinde sensim paulatimque mollescere, postremo cœpit animum, hortatibus delectabiliter impellentibus, inclinare. Verrinus interea callus apponitur, & hoc non esse carnem, ac per hoc irreprehensibiliter comedi posse, vecors monachus fallaciter adhortantium lenocinio suadetur. Fit itaque de illo, quod de stulto viro, atque a meretrice decepto per Salomonem dicitur. [a] *Irretivit, inquit, eum multis sermonibus & blanditiis labiorum protraxit illum; statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens & ignorans, & nescit, quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus, velut si avis festinet ad laqueum, & nescit, quia de periculo illius agitur. Hoc itaque modo captiosis atque blandiloquis persuasionibus frater ille pellectus impingitur, & velut avis mollis viscarii compedibus irretitur. Verecunda denique prius ora rubore suffundens, ac intuentium se per circuitum oculos expavescens, summotenus primo ligurire cœpit; deinde semel edendi libertate concepta, prurientis gulæ fræna laxavit. Cumque jam satiatus existeret, & carnalis illecebræ vota complesset, ecce permaximum lucium dapifer attulit, & in se convescentium oculos, & ora convertit. Cumque hunc & monachus miraretur, & oculos in eum inbianti curiositatis aviditate defigeret, ait comes: quia carnes tamquam laicus comedisti, piscem tamquam monachus cur attendis?* &c. Hæc obiter de Farolfo.

ANN. CHR. 1007. ROMUALDI 100.

Jacobillius [a] in vita beati Guidonis auctor est, tria monasteria ædificata fuisse, Farolfo adjuvante, a Romualdo in Urbe-vetana regione; unum divo Gregorio sacrum, hujusque situm describens, asserit ipsum extitisse inter Titignanum, Montem-martem & arcem Montis-mileti; alterum sub titulo sanctæ Mariæ inter Titignanum & Pindum; tertium in honorem quidem sanctæ Romanæ prope Tiberim & Titignanum, ac quinque milliaribus a Tuderto distans, sed sub titulo cognitum sancti Fortunati; cujus ædificationem ipse vult referri ad annum 978. reformationem vero suscepisse Romualdi hoc tempore. Sancti Fortunati monasterium juxta fluvium Tiberim, subjectum monasterio sancti Apollinaris Classis, memoratur in charta Gualterii archiepiscopi Ravennatis [b], qua donat eamdem abbatiam sancti Apollinaris in Classe Azoni priori Camaldulensi anno 1138. Sed & ante Gualterium Conradus imperator anno 1037. ipsum recenset inter loca eidem Classensi cœnobio supposita. Monasterium sancti Fortunati sub finem seculi XII. reformandum traditum fuit eremo Camaldulensi ab episcopo Tudertino, sed tractu temporis collapsum in temporalibus & spiritualibus monachis Vallis-umbrosanis assignavit Gregorius IX. ut [c] testatur Innocentius IV. anno 1249. VII. sui pontificatus, rursus concedens abbati Vallis-umbrosæ ejusdem monasterii reformationem. Demum subsecuta permutatione monasterii sancti Fortunati cum ecclesia sancti Angeli de Fontanellis, quæ erat juris fratrum Minorum, iidem fratres anno 1254. V. kal. januarii anno pontificatus primo Alexandri IV. introjerunt in possessionem supradicti monasterii. In alio pontificio diplomate apud Fortunium [d] ejusdem Alexandri IV. anni 1258. tamquam Camaldulensi eremo unitum legitur aliud *Urbe-vetere monasterium sanctæ Mariæ in Silva*; hoc fortasse diversum non est a secundo, quod Jacobillius memorat. Cl. V. Johannes-andreas Johannellius presbyter Tudertinus, rerumque patriæ suæ diligens investigator, per literas nos admonuit in eamdem se descendere sententiam. Petrus Damianus unius quidem monasterii Urbe-vetani ædificationem enuntiat, sed talia de Romualdo subdit, ut credi queat ipsum non unico monasterio contentum, plura ibidem construxisse

cœno-

a T. II. SS. Umbr. pag. 216. & 279.

b *Arch. Class.*

c *Apud Lamium Deliciæ erudit. ann. 1737. p. 272. & 279.*

d *Par. I. lib. II. pag. 208.*

ANN. CHR. 1007. ROMUALDI 100.

cœnobia & eremos, ac varia reformasse jam tum extantia monasteria, dicit enim: [a] *Tantus namque in sancti viri pectore faciendi fructus ardor incanduerat, ut effectis numquam contentus, dum alia faceret, ad facienda mox alia properaret, adeout putaretur totum mundum in eremum velle convertere, & monachico ordini omnem populi multitudinem sociare.* Atque ne locus daretur existimandi Damianum, dum hæc scriberet, respexisse tantummodo ad labores assiduos sancti viri, & ad monasteria toto vitæ illius tempore per Italiæ varias regiones erecta, non vero ad monasteria peculiaria Urbe-vetanæ regionis ad præsens tempus spectantia, statim adjungit: [b] *Multos denique illic de seculo abstulit, quos per plura sacra loca divisit, nonnulli quoque nobilium filii, contemptis parentibus, ad virum beatissimum fugiebant.* Hinc a vero forte non abludit monasterium quoque sancti Severi presbyteri in eadem Urbe-vetere situm vel originem suam, vel reformationem debere Romualdo. Bonizo abbas grandævus ejusdem monasterii paullo post medietatem hujus seculi amicissimus erat Petri Damiani, quem hic laudat, historiam quamdam ab ejus ore exceptam narrans. Anno 1258. Alexander IV. inter loca Urbe-vetana eremi Camaldulensis disciplinam spectantia enumerat ecclesiam sancti Severi, cum aliis pluribus, nimirum: *In Urbe-vetere monasterium sanctæ Mariæ in Silva cum sancti Felicis, & sanctæ Crucis, sanctique Severi ecclesiis & omnibus pertinentiis suis.*

Inter nobilium filios, qui contemptis parentibus ad Romualdum confugere, principem locum obtinuit filius comitis, qui ab ipsa sua pueritia monasticum schema induit in aliquo ex constructis a Romualdo monasteriis, & Jacobillii sententia in illo sancti Gregorii. *Ex quibus*, ait Damianus [c], *etiam filius Guidonis comitis fuit, qui in ipsa pueritia non longo tempore postquam monachus factus est* &c. Ita habet Vaticanus codex, & quotquot extant mss. codices; sed omnes Camaldulenses scriptores asserunt monachum hunc fuisse Guidonem filium Farolfi comitis. In vita sancti Romualdi a Thaddæo Tertio generali nostro edita præfigitur titulus capituli XXXVIII. *de Guidone filio Pharolphi comitis*. In vita quoque hujus beati Guidonis a Francisco Lollio Ravennate conscripta, quæ una cum aliis beati Reginaldi ordinis Prædicatorum, & beatæ Angelinæ tertii ordinis sancti Francisci de eadem Montis-martis gente, in lucem prodiit Bononiæ anno 1619. totum hoc trigesimum-octavum caput Romualdinæ vitæ profertur, ibique legitur: [d] „ Ex quibus etiam Guido comes filius „ comitis Farolfi fuit. " Ita legit & Jacobillius [e] in vita hujus beati juvenis; ita passim omnes, qui de eo agunt: & in hoc Damiani loco *filii* nomen significare affirmant *nepotem*, itaut beatus Guido filius quidem fuerit comitis Farolfi, sed nepos comitis Guidonis, qui fuit Farolfi pater, ut constat ex charta donationis factæ ab eodem Farolfo monasterio Valle-castrensi, in qua, ut vidimus ad annum 1005. Farolfus se nominat filium Guidonis comitis. Verum quis vetat credere, illustrem hunc monachum fuisse Farolfi comitis, ex Guidone filio, nepotem, ipsiusque nomen verum vel ad nos non venisse, vel ex avi nomine fuisse Farolfi? Ita profecto recte legeretur in Damiano *filius Guidonis comitis*, neque necessarium foret confugere ad interpretationem vocis *filii* pro *nepote*. Accedit & illud, quod, si vera sunt, quæ de Farolfo comite apud Lollium & Jacobillium leguntur, ipsum nimirum anno 970. in Italia ducem fuisse Ottonis; anno 976. comitem Montis-martis & aliorum locorum ab Ottone II. imperatore creatum fuisse, cujus etiam dignitatis diploma circumfertur [f]; ipsum postremo anno 978. cum conjuge monasterium ædificasse

a Vit. S. Rom. cap. XXXVII.

b Ibidem.

c Ubi supra.

d Pag. 78.

e T. II. pag. 215. SS. Umbr.

f Lollius pag. 83.

ficasse sanctæ Romanæ [a], provectior ætate fuisset hoc anno Farolfus; itaut verisimile non appareret filium habuisse pene puerum, qui monasticum habitum induerit, & longe probabilius putandum foret, impuberem monachum fuisse ex filio Guidone Farolfi nepotem. De hoc sancto puero monacho in brevi consummato reliqua ad annum 1010.

ANN. CHR. 1007. ROMUALDI 100.

a Jacobil. p. 216.

II. Constructiones aliorum monasteriorum circa hæc tempora.

REFERENDÆ ad hæc eadem tempora videntur constructiones plurium monasteriorum, quæ communi traditione a sancto Romualdo ædificata creduntur. Dolendum periisse antiqua monumenta, vel saltem nondum in lucem venisse, & hactenus cum blattis & tineis pugnare. Tuderti itaque construxit monasterium sanctæ Illuminatæ, quod processu temporis monasterio sancti Apollinaris in Classe aggregatum fuit, nam in supradicta Gualterii archiepiscopi Ravennatis donatione facta eremo Camaldulensi anno 1138. & in privilegio Conradi imperatoris anni 1037. inter ea, quæ *ad præfatum monasterium jure pertinere videntur*, numeratur *in territorio Tudertino monasterium unum, cui vocabulum est sancta Luminata*. Hoc monachis viris inserviisse tradunt [b] Jacobillius & Grandius; sicut pro monialibus aliud inserviebat divo Antonio sacrum, quod anno 1218. aggregatum fuit [c] eremo Camaldulensi a Rustico episcopo Tudertino.

b *SS. Umbr. T. II. p.* 28.

Perusii vero condidit monasterium sancti Severi, quod in suprammemoratis Gualterii donatione & Conradi privilegio recensetur inter membra monasterii Classensis hisce verbis: *In comitatu Perusino cellas quinque*, hoc est parva monasteria, *quarum una est fundata in eadem civitate Perusina, cujus vocabulum est sancti Severi*. Ibidem etiam erexit cœnobium sanctæ Trinitatis de Monte-acuto, & sanctissimi Salvatoris de eodem monte, de quorum ædificatione perstricte agunt Jacobillius, Lubinus, Grandius & Collina. Sub anno 1008. constructionem monasterii sancti Salvatoris de Monte-acuto sub Monte-castellionis, hodie dicto Monte-corona, in territorio Perusino prope Tiberim, & terram Fractæ refert Jacobillius, [d] quod falso tamen ædificatum asserit pro Cisterciensibus, quorum congregationis initia pertinent tantummodo ad finem hujus seculi. Progrediente tempore hoc monasterium sancti Salvatoris a divo Petro Damiano fuit reformatum, cujus etiam præfecturam gessit, ut in epistola ad Theuzonem testatur dicens: [e] *In Perusino monasterio sancti Salvatoris, cui nuper & ipse præfui*. Adnotat idem Jacobillius Nicolaum II. anno 1059. & Gregorium VII. anno 1075. confirmasse monasterium hocce Sigebaldo abbati una cum monasteriis sanctæ Mariæ de Monte-acuto, sancti Juliani de Monte-corona, sanctæ Mariæ de Monte-castellionis, sanctæ Mariæ Capanulæ una cum monte, sancti Juliani in Mejana, sancti Juliani in insula Polvese in territorio Perusino, & sancti Florentii prope muros Perusii; sancti Salvatoris cum Monte-pisce, sancti Fortunati, & cum plebatu sancti Exsuperantii in territorio Eugubino; in comitatu vero Tudertino confirmasse eidem monasterio ecclesiam sanctissimæ Trinitatis Montis-neronis una cum eremo; demum iu comitatu Feretrano ecclesiam sancti Gaudentii prope Montem-falconem cum omnibus bonis &c., ut Johannes papa XIX. anno 1028. confirmaverat Gerardo abbati ejusdem loci. Hodie abbatiam hanc sancti Salvatoris una cum eremo in vertice Montis-coronæ obtinent eremitæ nostri beati Paulli Justiniani ab eadem eremo Coronensium nomenclaturam adepti. De altera eremo condita a sancto Romualdo in Monte-pregio in mentionem Perusino comitatu mentionem facit Johannes Laudensis in vita sancti Petri Damiani, de quo hæc habet: [f] *Pervenit ad Montem-pregium in territorio Perusino, ibique alia eremitarum fundavit habitacula, ubi videlicet cellulam quamdam invenit, in qua beatum Romualdum quon-*

c *Arch. Camald.*

d *T. III. pag.* 303.

e *Opusc. LI. cap.*

f *Cap.* VII.

ANN. CHR. 1007. ROMUALDI 100.

quondam mansisse ferebant. Jacobillius laudat etiam monasterium sancti Gismundi vel Sigismundi apud Marsianum in Monte-regio, ubi existimat sanctum Romualdum habitationem ad tempus elegisse.

Juxta antiquum Gualdi chronicon Romualdus vixisse memoratur etiam apud Gualdum prope Serram-sanctorum in regione Tadini. Celebris fuerat ille locus incolatu sancti Facundini episcopi Tadini, qui ibidem vitam solitariam duxerat, & circa annum 607. ad Deum transierat. Loci sanctitatem renovavit Romualdus sua præsentia; & a vero non abludit, quod asserit Collina noster [a], ejusdem Romualdi suasione motos comites Offredum filium comitis Monaldi, Viccum dictum Lupum, Landulfum dictum Arnulfum & Radulfum filios pariter comitis Monaldi ex comitibus Nuceriæ, erexisse celebre monasterium sancti Benedicti de Gualdo, cujus constructio ad annum 1006. pertinet, ut perhibet Jacobillius, [b] ædificatum quidem primum sub titulo sancti Viti martyris & sancti Nicolai episcopi prope veterem destructam urbem Taini in vocabulo Cerreto fundo Gualdo, deinde anno 1008. ab eodem comite Offredo dotatum centum fundorum largitione & duorum millium modiorum terræ, domorum quoque vinearum, librorum &c., quæ omnia donavit cum ecclesia sanctorum Viti & Nicolai Placido abbati sancti Benedicti Mugnani in comitatu Perusino, ut prædictum sancti Benedicti cœnobium habitaret una cum monachis suis. Placidum fuisse primum abbatem adnotat Jacobillius, vocatum antea Rambaldum, qui secum duxit ad monasterium incolendum Johannem & Stephanum monachos. Prodiit juxta eumdem Jacobillium ex hoc monasterio Adalbertus filius Roderici Monaldi ex comitibus Nuceriæ, creatus anno 1007. episcopus Nucerinus. Sed eo anno vix jaciebantur monasterii fundamenta. In bulla Clementis papæ III. data anno 1188. Senobaldo abbati monasterii sancti Benedicti de Waldo hæc verba leguntnr. *In primis siquidem statuimus, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & sancti Benedicti regulam & institutionem Camaldulensium fratrum in monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur*. Bulla autographa servatur in archivo Armanno Eugubii, quam exscripsit & nobiscum communicavit noster domnus Maurus Sartius, quamque suo anno producemus.

Ad annum 1025. retrahit Jacobillius [c] ædificationem a Romualdo factam monasterii sancti Silvestri in Monte-subasio duobus milliaribus ultra Hispellum prope castellum Collis-luponis, quod monasterium in Hispello alterum possidebat cœnobium sancto Andreæ apostolo sacrum, & regimen insuper obtinebat asceterii sanctæ Mariæ Vallis-gloriæ monialium milliario distantis ab illo sancti Silvestri, & ab urbe Hispelli. Intra urbem pariter possidebat ecclesias sanctæ Mariæ, sancti Laurentii, sancti Ruffini, sancti Severini, & in territorio Hispellate ecclesias sancti Petri, sancti Claudii, sancti Ruffini in Catrano, sancti Fortunati, sancti Nicolai & sancti Nicolai in Vico. Monasterium sancti Silvestri unitum fuit disciplinæ eremi Camaldulensis ab Eugenio papa III. circa annum 1150.

Fert traditio ecclesiam seu monasterium sanctæ Mariæ in Campis prope Fabrianum, & alterum cœnobium sancti Salvatoris de Aquapagana vel Cupana in diœcesi Camerinensi, seu Spoletana, unitum postea monasterio sancti Salvatoris Vallis-castri, originem suam debere Romualdo.

Has & alias plures monasteriorum vel ædificationes, vel reformationes a Romualdo factas ad hunc potissimum annum referendas duximus, quia eas pro certo putamus procuratas ab anno 1005. quo in Camerinensem provinciam se recepit, ad annum 1009. quo Italia relicta in Pannoniam evan-

a T. II. Vit. S. Rom. pag. 267.

b Pag. 301.

c Pag. 305.

evangelium ferre disposuit. Ceterum nemo nos arguet, si communem traditionem sequentes, hæc & complura alia monasteria a Romualdo suscitata asserimus, postquam superiori Damiani testimonio compertum est, tanto zelo ipsum exarsisse, *ut putaretur velle totum mundum in eremum convertere, & monachico ordini omnem populi multitudinem sociare;* & constat auctoritate scriptoris prologi in consuetudines Cluniacenses Romualdum *effulsisse in ædificatione multorum monasteriorum.* Affirmat Ractius supra centum ipsum condidisse monasteria; idipsum affirmant plures ex nostris, ac ex aliis scriptoribus, ut proinde jure optimo scripserit noster beatus Paullus Justinianus Casinatibus, debere ipsos sollemniter celebrare sancti Romualdi festum, qui tam insigniter de toto Benedictino ordine fuisset meritus. Nam Romualdi laus ea dumtaxat non fuit, quod eremiticam vitam primus in Occidente sub prælatorum obedientia instituerit, verum etiam quod monasteria ordinis sancti Benedicti in Italia potissimum a disciplinæ jugo aberrantia ad rectam vivendi normam deduxerit, conditis insuper prope cœnobia solitariis locis, ubi se reciperent ex monachis ii, qui perfectioris vitæ amore ducerentur.

ANN. CHR. 1007. ROMUALDI 100.

III. De cœnobio sancti Urbani ad Asinantem.

MONASTERIA inter a Romualdo erecta, duo in Camerinensi provincia verisimiliter ortum suum ipsi circa hæc tempora debent. Alterum est sancti Urbani de Asinante; sancti Victoris de Clusis alterum. Vidimus ex Damiano Romualdum in Camerinensi marchia fœcundissimos animarum fructus retulisse, ita ut & atramentum, & linguam deficere ab iis describendis & proferendis asserat; homines vero cœpisse ad pœnitentiam hinc inde confluere, aliis sua pauperibus misericorditer erogantibus, aliis seculum omnino relinquentibus, aliis ad sanctæ conversationis ordinem spiritu fervido festinantibus, quia vir beatissimus Romualdus erat quasi unus de Seraphim, qui alios, quocumque pergeret, sanctæ prædicationis facibus incendebat. Altera vero ex parte nullum reperitur existentiæ horum monasteriorum vestigium ante annos incolatus Camerinensis Romualdi, a quibus annis statim mentio incipit de ipsis fieri in veteribus chartis, quas pene omnes ad ea monasteria spectantes percurrimus. Probabilitate itaque non destituitur ipsa vel a Romualdo erecta, vel eo adhortatore, & regularem disciplinam præbente excitata. Accedit, quod cum utrumque cœnobium parum dissitum foret a Valle-castrensi, videtur Romualdi fervor in illa saltem effudisse leges, vel reformationis semen, facillimam vicinitate locorum occasionem præbente. Et ut aliqua prius de monasterio sancti Urbani dicamus, istud tribus milliaribus distat a Valle de Castro. Appellatur de Asinante, sive de Æsinante a fluvio ejusdem nominis prope monasterium excurrente, qui inde miscet aquas suas, sicut miscet Sentinum, cum flumine Æsino, vocaturque de Æsinante, quasi ante Æsinum. Extat adhuc vetus ecclesia in duas partes tributa; pars superior in tres naves partitur cum unico altari, quod divo Urbano pontifici & martyri est sacrum; subter eam ecclesiæ partem visitur confessio elegans in primis. Ecclesia vero inferior tribus pariter navibus constat, nihilque visu dignum habet, præter veterem ambonem, qui exsurgit prope scalam, quæ ad confessionem descendit. Monachi hujus cœnobii sequiori ævo nigro utebantur colore in vestibus, ut consueverant etiam Valle-castrenses. Abbatia hæc unita fuit seculo quinto-decimo alteri abbatiæ Vallis-castri, & utraque monasterio nostro sancti Blasii de Fabriano. De cœnobio sancti Urbani suis annis aliqua dicemus.

IV. De alio sancti Victoris de Clusis.

MONASTERIUM vero sancti Victoris de Clusis, quod appellabatur etiam sanctæ Mariæ & sancti Benedicti, positum erat in loco, qui dicebatur

Ann. Chr. 1007. Romualdi 100.

batur Victorianum prope castellum Pretosum vel Petrosum, de quo castello sequens prima nobis antiquior memoria occurrit ad annum 999. in tabulario monachorum Montis-oliveti sanctæ Catharinæ de Fabriano, qui modo abbatiæ hujus sunt possessores.

In nomine domini nostri Jeshus Christi. Et factu est in nani domini ab incarnacione Domini nostri Jeshu Christi, quod sunt ani domini nonaigentesimo nonaigesimo nono & rennante domno Octo mannum imperatore providencia imperator augustu anno ejus quartu & temporibus domno Ademari principe dus & marchio ano ejus primum & die quartodecimo mense december per indiccione tertiadecima in Castello. Ideoque ego domninus filius quondam cumponi & domnus connuci &c. *& nos ambi in simu comuniter nostra bona propria voluntate & secundum nostram legem langubardorum vindedimus & a presenti die dedimus vobis atintanum filiu quondam stavele* &c. *aliquid de res proprietatis nostra que est posita infra ducatum spoletanum infra territorium castelum Pretosu in locum, qui dicitur Larcianum, & est in fundo de Larcianum in locum, qui nominatur pratum, & est posita ista res infra loca vel sinaite finis* &c.

III. *Ego Sigualdus scabinus & notarius scripsi & complevi & inclausi.*

Ademarus is facile fuit, quem eodem anno 999. Otto III. imperator Capuæ principem constituit, teste [a] Leone Ostiense, ejecto in exilium Laidulpho Capuano principe, eo quod in eum suspicio orta esset, partem ipsum habuisse in cæde Landenulphi fratris sui.

[a] Lib. II. cap. XV.

Residebat monasterium sancti Victoris ad dexteram ripam fluminis Sentini, quod nomen dedit vel accepit ab antiqua urbe Sentino. Vocabatur etiam passim monasterium sancti Victoris in Clusa vel in Clusis, forsan quia intra montes inclaudebatur, eodem modo, quo ita nuncupabatur aliud percelebre sancti Michaelis monasterium in Taurinensibus montibus. Persistit adhuc ecclesia non magnæ molis, sed pulchritudinis non obviæ, ut admonemur ab amicissimo & antiquitatis studiosissimo monacho nostro domno Gabriele Guastuccio Bononiensi, quem per litteras consuluimus. Quinquaginta-duos palmos Romanos longitudinis habet ecclesia, quadraginta-octo latitudinis. In medio ecclesiæ erectæ conspiciuntur quatuor columnæ perfectum conformantes quadratum, tredecim palmis ab invicem distantes. Quælibet columna fulcit pedem quatuor arcuum, ex quibus duo altero pede innixi sunt super proximas columnas, ceteri duo arcus ad columnas structiles parietum lateralium protenduntur. Super quatuor arcus subnixos columnis extollitur altus fornix, qui in vertice foramine ovato est hiulcus. Columnarum peripheria superat decem & septem palmos, altitudo excedit triginta-duos. Quinque aræ in suis loculamentis disponuntur, quarum maxima respicit templi ingressum. Adhæret ecclesiæ vetus habitatio monachorum jam tota fatiscens, sed ambitus tamen antiqui cœnobii satis ampli conspicitur, cujus non subsistit nisi paries marmoris rudis & impoliti. Ecclesiam sancti Victoris, ut mox dicebamus, possident nunc monachi Montis-oliveti sanctæ Catharinæ Fabriani, quorum cœnobio eadem fuit unita, sed perplures ecclesiæ eidem monasterio sancti Victoris olim subjectæ cum suis bonis & prædiis eodem tempore, initio scilicet seculi XV. assignatæ fuere cœnobio nostro sancti Blasii de Fabriano.

Ex charta anni 1310. indictione VIII. die V. novembris, manu Francisci magistri Allegretti de sancta Victoria Firmanæ diœcesis, in eodem sanctæ Catharinæ tabulario existente, vestis monachorum sancti Victoris erat

IV. alba (*portantem habitum suum album*, sic de Crescentio Clusino sancti Victoris abbate in ea legitur), quo adducimur, ut credamus etiam seculis ante

anteaſtis ipsos vestibus candidis, quibus tunc utebantur, usos fuisse. Altera ratione suademur, ut horum cœnobiorum historiam in Annales nostros derivemus, nimirum quia, ut diximus, vel in integrum, vel in bonam partem ipsa monasteria ad jus nostrum devenere; quare ut in simili casu judicavit [a] Mabillonius, „ in distinguendis monasteriis, quæ re„ gulæ Benedictinæ (dicamus & nos Romualdinæ disciplinæ) ab origi„ ne subjecta fuere, scrupulosiores, aut morosiores minime fuerimus, cer„ ti utrorumque notitiam ad nostram pertinere historiam, tum quia unus „ omnium ordo erat, tum quia etsi diversi tum fuissent ordinis (vel „ diversæ disciplinæ) omnibus illis monasteriis ad ordinem nostrum trans„ latis, ad eosdem pertinet honos, quibus provenit hæreditas; atque adeo „ mutila esset atque imperfecta ordinis nostri historia, si illorum mona„ steriorum, ac monachorum commemorationem prætermitteremus, quod „ quidem non solum magno historiæ nostræ detrimento fieret, sed etiam „ ingrati animi vitio nobis merito verteretur. Nos porro hac in re mo„ rem sequimur Christianæ ecclesiæ, quæ viros sanctos & illustres vete„ ris Testamenti sibi adscribit, propterea quod una sit utriusque Testa„ menti ecclesia. " Hæc Mabillonius, & hæc eadem nos cum ipso & post ipsum. Quidquid demum sit, cum Annalium ordinis sancti Benedicti illustres conditores vel parce loquantur, vel omnino sileant de his & consimilibus monasteriis, universo ordini Benedictino rem gratam facturos nos arbitramur, si de ipsis cœnobiis, & de aliis eadem ratione suis locis aliqua saltem pressius, & per majus compendium, quam de locis exploratissimis, historiæ nostræ inseramus.

Ann. Chr. 1007. Romualdi 100.

a *Præfat. Annal. T. I. num.* 26.

Abbas primus sancti Victoris, ut videtur, fuit Amicus. Id eruitur ex pagina donationis, quam prædicto monasterio fecerunt hoc anno Adelbertus & Geritruda jugales; chartam cum aliis pluribus annorum subsequentium ad dictum monasterium spectantibus ad Appendicem rejicimus, quas ex eodem archivo sanctæ Catharinæ de Fabriano manu nostra descripsimus, & ex bene multis, quæ lucem nondum aspexerunt, selegimus. An Amicus abbas sancti Victoris idem est ac Amicus Ramibonensis sive Arabonensis, de quo Damianus: *Nostra quippe ætate Romualdus Camerinensis, Amicus Ramibonensis, Guido Pomposianus, Firmanus Firmensis, & complures alii sanctæ conversationis studio floruerunt?* Certe in pago Camerinensi ortum Amicum Ramibonensem asserit [b] Mabillonius, de quo & superius se egisse scribit, nimirum pag. 434. ubi eum natum affirmat in oppido Martis diœcesis Camerinensis. Verum duo Amici a Mabillonio his binis locis allati videntur distinguendi, cum de illis unius corpus sepultum autumet in monasterio sancti Petri de Avellana, alterius vero, nempe Ramibonensis, sepultum scribat in Arabona.

b *Annal.* T. IV. *p.* 530.

Ardimannum abbatem præfuisse hoc anno abbatiæ sancti Salvatoris de Fonte-bona sive Berardingorum, discimus ex syllabo abbatum ejusdem loci, quem anno 1715. Grandio nostro transmisit Hubertus Benvoglientius. Syllabum hunc confecit Benvoglientius ex quadam collectione instrumentorum ad dictam abbatiam pertinentium, quæ erat penes canonicum Marium Ugurgerium; olim autem erat codex ejusdem monasterii. In hac ergo collectione folio 1147. legitur Ardimanni abbatis nomen ad annum 1007. Meminit horum instrumentorum etiam domnus Placidus Puccinellius pag. 202. sui chronici abbatiæ Florentinæ: „ Ejusmodi con„ tractus, inquit, plerique descripti extant in membraneo volumine char„ tarum n. 300. quod est abbatiæ Berardengæ in territorio Senensi, vo„ caturque in antiquis instrumentis monasterium sancti Salvatoris situm „ in campo Fonte-bona. " Distinguendi sunt duo Ardimanni abbates, unus

unus ad annum 1007. alter ab anno 1063. ad annum 1081. qui rexerunt Berardingorum monasterium.

Ann. Chr. 1008. Romualdi 101.

V. Passio SS. Johannis & Benedicti in Polonia.

SEPTIMUS iste numeratur annus commorationis in Polonia sanctorum Johannis & Benedicti, olim Romualdi in Pereo discipulorum. Convenerant ii cum Boleslao principe, ut sibi liceret in eremo manere, & Sclavonicam interea linguam addiscere, quo facilius infidelibus populis convertendis operam suam præstare possent. *Septimo vero anno cum jam loquelam terræ plene cognoscerent*, ait Damianus, [a] *unum ad Romanam urbem monachum mittunt, & per eum a summæ sedis antistite prædicandi licentiam petunt*. Recta ergo videntur anno 1001. perrexisse in Poloniam Johannes & Benedictus Perenses eremitæ & Romualdi discipuli, non petita disseminandi verbum Dei facultate, vel si obtinuerant, ut mavult chronici Halberstatensis auctor, petunt nunc etiam pro sociis, qui eis se junxerant in eremo; electio profecto monachi, qui eorum legatione fungeretur apud supremum universalis ecclesiæ antistitem, indicat illos monasticæ & eremiticæ vitæ institutum in Polonia jam propagasse; cui insuper [b] *injungunt, ut aliquot secum de beati Romualdi fratribus duceret, qui eremiticæ conversationis gnari cum eis simul in Sclavorum partibus habitarent*. Romanæ autem ecclesiæ tunc temporis præsidebat Johannes XVIII. electus anno 1003. qui suffectus fuerat Johanni XVII. immediato per quinque tantum menses Silvestri II. successori.

a *Vit. S. Rom. cap.* XXVIII.

b *Ibidem*.

Boleslaus hanc occasionem nactus, insistere cœpit apud sanctos viros, ut ipsi per se ad Romana mœnia pergerent, indeque sibi deferrent regium nomen & coronam a summo pontifice. Renuerunt his se immiscere Johannes & Benedictus; at nefarii aliquot homines asportasse ipsos in eremum thesauros ducis ad Romanum præsulem dono dandos existimantes, eos aggrediuntur in cellis suis, & inhumane contrucidant. Sed præstat totam facti historiam [c] Damiani verbis exponere. *Busclavus autem volens coronam sui regni ex Romana auctoritate suscipere, prædictos venerabiles viros obnixa cœpit supplicatione deposcere, ut ipsi plurima ejus dona papæ deferrent, & coronam sibi a sede apostolica reportarent. Qui regiæ petitioni assensum penitus denegantes dixerunt: Nos in sacro ordine positi sumus, tractare nobis secularia negotia minime licet; & ita relinquentes regem, ad cellam reversi sunt. Quidam vero regis agnoscentes consilium, sed quid sancti viri responderint, ignorantes, copiosum auri pondus, quod mittendum Apostolico fuerat, secum eos detulisse ad cellulam opinati sunt. Deinde intra se conventione pacta condicunt, ut noctu eremum latenter ingressi, monachos interficerent, & pecuniam asportarent. Quos cum beati viri tentantes irrumpere persensissent, adventus eorum causam protinus agnoscentes, confessionem inter se facere, & sanctæ Crucis se cœpere vexillo munire. Erant autem ibi duo pueri eorum obsequio ex aula regia deputati, qui, prout vires dabant, stare pro sanctis, & furibus resistere nisi sunt. Fures vero reperto tandem aditu irruentes, extractis gladiis, omnes pariter occiderunt. Tunc thesaurum anxie perquirentes, sed eversis omnibus nihil invenientes, ut tanti reatus crimen obtegerent, & humana suspicio non armis, sed flammis potius, quod factum fuerat, deputaret, cellam incendere, & ipsa conati sunt martyrum cadavera conflagrare. Sed admoti ignes, amissis naturæ viribus, nil omnino consumere ullis hominum studiis potuere. Ita enim eos ipsa etiam parietum materies repellebat, ac si pro lignis durissimi silices essent. Frustrati itaque fures in fugam se conferre nituntur, sed & hoc illis ex divina providentia denegatur. Tota siquidem*

c *Ibidem*.

nocte

nocte per fructeta nemorum, per latitudinem saltuum, per opaca silvarum viam anxiati sunt quærere, quam tamen nullatenus valuere errabundis vestigiis invenire. Sed neque pugiones in vaginas recondere arefactis brachiis potuerunt. Ubi vero Sanctorum jacebant corpora, copiosum lumen usque in diem splendescere, & lucidissima angelicæ cantilenæ non desiit suavitas resonare. Adveniente autem die, quod factum fuerat, regem latere non potuit. Qui illico ad eremum cum numerosa populi multitudine festinavit, & ne fures evaderent, facta corona hominum, totam silvam undique circumcinxit; qui tandem reperti sunt manifesti criminis rei, & ad gladios suos adhuc Divina ex ultione ligati. Rex autem quid de eis faceret, habita consideratione deliberans, hoc postremo decrevit, ut nequaquam eos, sicut merebantur, occidi præciperet, sed ferreis catenis vinctos ad sepulcra martyrum destinaret, quatenus aut ibi usque ad obitum in vinculis miserabiliter viverent, aut si sanctis martyribus aliter videretur, ipsi eos sua misericordia liberarent. Qui cum ad Sanctorum tumulum fuissent ex præcepto regis attracti, mox ineffabili Divinitatis omnipotentia fractis sunt nexibus absoluti. Deinde facta super corpora Sanctorum basilica, innumerabilia non solum tunc, sed & nunc ibi fiunt ex Divina virtute prodigia.

ANN. CHR. 1008. ROMUALDI 101.

VI. Quomodo eam narrent auctores Bohemi & Poloni?

JOHANNIS & Benedicti obitum ita profecto describit nobis Damianus, Italus quidem, sed eodem seculo vivens, cui vel ex fama, vel ex relatione discipulorum Romualdi comperta fuit historia hujus facti. At scriptores Bohemi, & Poloni diversimode eam narrant. Dubravius, [a] vitæ genere Johannis, & Benedicti ac eorum sociorum exposito, cujus verba ad annum 1001. protulimus, sub Meschone Poloniæ principe, non sub Boleslao, mortem eorum contigisse sequenti modo, & verbis affirmat. „ Quoniam autem rumor jampridem de bona istorum vitæ consue„ tudine ad Meschonem principem Poloniæ pervenerat, invasit eumdem „ Meschonem cupido videndi, & alloquendi viros ex rumore sibi lauda„ tos. Ubi igitur ad latebras eorum pervenit, summotaque affectantium „ turba, ipse cum paucissimis sacellum, in quo sacros psallebant hymnos, „ introiit; offusa subito oculis, & animo suo religione perinde est permo„ tus, atque si introisset penetrale numinum, non hominum. Denique „ illos velut præsentia numina veneratus est, tractavitque liberaliter a „ pecunia, quam abiens illis etiam invitis reliquit, præsidium futurum „ inopiæ, quam summam adesse cernebat. Sed enim illi, qui non adum„ bratam, non coactam, sed solidam atque ultroneam colebant pauper„ tatem, & continentiam, magisque pietatis officiis, quam ullis divitiis „ ditescere quærebant, accersito Barnaba, quem panis & olerum dispen„ sationi præfecerant, tollere eum exitialem pecuniam, & ad Meschonem „ continuo referre jubent. Abeunte Barnaba superveniunt latrunculi qui„ dam, & in tugurium nocte irrumpunt, quæsitaque inibi, & non in„ venta principis pecunia, iram & furorem in cædem insontium virorum „ convertunt. Occisi ad unum omnes, ac solus Barnabas per absentiam „ incolumis est servatus cum magno animi sui dolore, quod præsens eam„ dem cum interfectis martyrii palmam assecutus non fuerit. “ Jam patet hujuscemodi Dubravii narrationem errore laborare, cum Mescho sive Miesico dux Poloniæ obiisset jam ab anno 992. quo sancti hi viri nondum in Poloniam advenerant. Similia, & quidem sub Meschone duce, tradere anonymum auctorem chronici Bohemici, & Cosmam Pragensem, ipsorum verbis in medium adductis, prænarravimus ad annum 1001. Quare rectius Martinus Baronius in vitis horum Sanctorum hæc ad Boleslaum refert dicens: [b] „ Tanta vero erat sanctitatis eorum fama, ut

„ Boles-

[a] *Lib. VI. Historiæ Bohemicæ.*

[b] *Pag. 10.*

ANN. CHR. 1008. ROMUALDI 101.

„ Boleslaus ipſe pius & ſanctus rex ad eos accederet, & ſe ac regnum „ ſuum orationibus ipſorum commendaret, ac ipſis liberaliter & regie of„ ferret ingens auri pondus, & centum marcas argenti, propagandæ cau„ ſa religionis in ditione ſua. “ Deinde pecuniam ſanctos eremitas reſpuiſſe, & ad regem remiſiſſe, latrones autem ignaros, quid factum eſſet, eos peremiſſe deſcribit. Demalevicius in vita ſancti Bogumili archiepiſcopi Gneſnenſis Damianum ſequi in aliquibus videtur, dum hæc ſcribit [a]: „ Expediverat princeps Miecislaus parens Boleslai legatum Lampertum „ epiſcopum Cracovienſem ad ſummum Chriſtiani orbis antiſtitem Bene„ dictum VII. qui expoſita pii principis in extirpanda idololatria, & pro„ movendo vero Dei cultu, ſollicitudine, & novem eccleſiarum cathe„ dralium ædificatione, necnon ſimulacrorum inanium deorum, quos „ gens ſuperſtitioſa coluerat, abolitione, peteret inſignia regis ſibi ritu „ Chriſtianorum principum conferri, quod cum diſtuliſſet in aliud tempus „ pontifex, Boleslaus ratus faciliore via ſe titulum regis obtenturum, au„ rum & argentum ſupramemoratum miſit per nuncium viris ſanctis, „ (*eremitis ſcilicet noſtris*) ut honoratum auro pontificem orarent, qua„ tenus ſe regio diademate dignaretur. At viri ſancti, inito conſilio, mi„ ſerunt Barnabam, qui regi aurum & pecuniam referret, eique reſpon„ deret, ſe in rem propoſitam non poſſe operam conferre, quibus reli„ gioſam vitam profeſſis, negotiis & curis ſecularibus implicari nefas eſ„ ſet. Sperabat nimirum princeps Ottonem III. imperatorem ſancto Ro„ mualdo familiarius addictum, & ſibi olim in aulam ſui parentis Otto„ nis II. commoranti faventem, auctoritatem apud Gregorium V. Otto„ nis cæſaris cognatum interpoſiturum, voto ut potiretur. “ Sed dum ſcribit Demalevicius, id ſub imperatore Ottone III. contigiſſe & ſub Gregorio V. Romano pontifice, non ſolum ex Damiano, verum etiam ex iis, quæ diximus circa tempus miſſionis Johannis & Benedicti in Poloniam, falſi convincitur. Etiam [b] Chartuitius in vita ſancti Stephani petitam a Romano pontifice coronam regiam per legatos ducis Poloniæ aſſerit, ſed id ſub Meſchone factum ſcribit, ubi ſibi non cohæret, dum affirmat Divino monitu coronam paratam duci Poloniæ conceſſam fuiſſe a ſummo pontifice regi Hungarorum Stephano; Stephanus enim rex Hungarorum fidem Chriſtianam ſuſcepit, & corona regia fuit donatus decennio circiter poſt mortem Meſchonis ducis Poloniæ; quare reliquum eſt, ſi vera ſit Chartuitii narratio, id contigiſſe non ſub Meſchone, ſed ſub Boleslao duce, qui pluries ad Romanam curiam legatos miſerit pro obtinenda corona regia, & noviſſime ad hunc annum deſtinaverit ſanctos eremitas Johannem & Benedictum, licet hi renuerint hoc officium ſuſcipere. Evaneſcit proinde etiam commentum ſcriptorum Polonorum putantium Boleslaum obtinuiſſe regium nomen & diadema ab Ottone III. anno 1000. quo Otto in Poloniam ſe contulit, niſi dicere velimus Boleslaum hoc honore jam decoratum ab imperatore, quæſiviſſe confirmationem regii nominis etiam a ſummo pontifice. Hanc tamen conciliationem excludere videtur auctoritas Wipponis in vita Conradi Salici imperatoris ad primum annum regni ejus, nempe 1025. ubi ait: [c] *Eodem anno Bolislaus Sclavigena dux Bolanorum inſignia regalia, & regium nomen in injuriam regis Chuonradi ſibi aptavit, cujus temeritatem cita mors exinanivit. Filius autem ejus Miſico ſimiliter rebellis fratrem ſuum Ottonem, quoniam regi parebat, in Rubhiam provinciam pepulit.* Ex iis omnibus deducitur Boleslaum pluries quidem, & ſub Ottone, & ſub Henrico tentaſſe regium nomen & coronam, ſed regalia inſignia non obtinuiſſe, niſi primo anno

a *Cap. XXX. pag.* 157.

b *Rer. Hung. ſcript. varii pag.* 272.

c *Ap. Piſt. rer. Germ. vet. ſcript. T. III. pag.* 470. *nov. edit.*

anno Conradi regis, atque proinde historiam a Damiano narratam de Boleslai precatione facta ad sanctos eremitas Johannem & Benedictum, ut se Romam conferrent, pro regio titulo & diademate obtinendis, veram esse, magisque convenire cum veterum auctoritate, quam conveniant scriptorum Polonorum hac super re narrationes, qui videntur insuper alias comminisci circumstantias, aliamque rationem afferre, qua interempti fuerint sancti martyres, ne forte videantur serius acceptam a Boleslao duce coronam regiam agnoscere.

VII. Conciliationes nostræ inter Damianum & auctores prædictos.

Excogitari illud tamen potest ad conciliandam in aliqua sui parte narrationem Damiani, & scriptorum tum Bohemorum, tum Polonorum, diversam nimirum fuisse cædem Adalberti contubernalium a cæde eremitarum Polonorum; illam consignandam esse ad annum 1004. ut habet Cosmas Pragensis, & ut circa eadem tempora habent auctores Poloni; hanc retinendam ad annum 1008. ut ex Damiano deducitur, septimo nimirum anno quo hi postremi ingressi fuerant Poloniam; illam contigisse, quia latrones spe illecti fuerant reperiendi apud eremitas centum marcas auri, quibus donati fuerant a Poloniæ principe; hanc evenisse, quia alii latrones sibi induxerant in animum reposita fuisse in eremo dona deferenda Romano pontifici. In utroque tamen facto rejiciendum nomen est Meschonis sive Mesiconis, quod tum Bohemi, tum Poloni & etiam Hungari usurpant, cum jam ab anno 992. obiisset Mescho, succedente Boleslao Chabri, hoc est animoso, sub quo utraque eremitarum conversatio & clades est reponenda. Improbabile non est bis vel in eadem eremo, vel in eremis propinquis latronum incursum factum, & ibi commorantium carnificinam. Quod reliquum est, nomina quinque martyrum pertinent ad discipulos Romualdi eremitas olim Perenses, & ad eorum socios genere Polonos, non autem ad monachos Italos discipulos Adalberti; facile autem fuit interemptorum ex eodem genere mortis confundere nomina, & Adalbertinis eremitis, quorum forsan nomina ignorabantur a Bohemis, affingere nomina eremitarum Romualdinorum cognita & ab Italis, & a Polonis. Conjecturas hasce nostras in medium proferimus, ut aliquo modo scriptores Bohemos, & præcipuem Cosma Pragensem componamus cum auctoribus Italis & Polonis. De cetero, licet Cosmas auctor vetustus sit, in plures offendit errores, cum extra patriam historiam in historica aliorum populorum facta divertit. Hujusmodi sunt, quod [a] Henricus II. imperator filius fuerit Ottonis III. quod Meschoni duci Poloniæ [b] tribuat obsidionem urbis Pragæ anno millesimo; quod [c] Casimirus rex Poloniæ anno 1038. in vivis amplius non esset; quod obscenam & putidam fabellam [d] de divortio magnæ comitissæ Mathildis cum Welfone duce Sueviæ, quem appellat, tamquam veram historiam nobis obtendat, & alia plura, ut mirum proinde non sit, potuisse etiam circa hujuscemodi eremitarum gloriosam passionem vera falsis immiscere. A Cosma autem Pragensi ceteri Bohemi historias suas hauserunt, & præsertim Dubravius clarior ejus regni historicus. Hinc facile fuit Polonos etiam ipsos analogia martyrii deceptos non satis distinxisse primos a secundis eremitis & martyribus, & duplex factum in unum conflasse, ac eorum martyrium retulisse vel ad annum 1004. post Cosmam Pragensem, vel ad annum 1005. ut habet [e] Mathias Miechovias medicus Cracoviensis, quibus annis probabile est primos passos fuisse; nam secundi martyres ex Damiano coronam reportarunt martyrii hoc anno 1008. Stanislaus Scygielski in Aquila Polono-Benedictina anno 1010. cæsos scribit. Ractius & Minius ex nostris sequuntur, quos exscribunt veteres Polonos aucto-

[a] *Apud Menck. Script. rer. Germanic. col.* 2008.
[b] *Col.* 2006.
[c] *Col.* 2017.
[d] *Col.* 2052.
[e] *Lib.* II. *cap.* 9.

Ann. Chr. 1008. Romualdi 101.

auctores. Salomon vero Neugebaverus, relato Russico Boleslai bello post annum 1008. „ Hoc etiam tempore, inquit, atque adeo ante ipsum „ Russicum bellum, sex viri religione & sanctimonia vitæ insignes duram „ & incultam vitam degebant in illa solitudine majoris Poloniæ, ubi nunc „ est Casimiria oppidum. " . In [a] chronico principum Poloniæ inter Silesiacarum rerum scriptores, anonymus, qui scribebat sub finem seculi XIV. cædem hanc retrahit ad tempora Mesickonis II. filii Boleslai. *Hujus*, inquit, *temporibus quinque fratres heremitæ in Polonia martyrio coronantur in Kasimir anno Domini millesimo vigesimo quinto*. In altero vero [b] chronico Poloniæ, quod nomen profert Boguphali II. episcopi Posnaniensis, qui anno 1253. V. idus februarii obiisse dicitur a Friderico-Wilhelmo de Sommersberg equite Silesio earumdem rerum Silesiacarum scriptorum collectore, legitur: *M. II. eremitæ in Polonia martyrizati sunt*; ex qua auctorum diversitate chronologica diversitatis etiam & duplicitatis martyrum eremitarum desumi posse videtur argumentum non improbabile.

a T. I. pag. 53.

b T. II. pag. 94.

Sanctorum martyrum Romualdi discipulorum fit mentio in martyrologio Romano ad diem 12. novembris; apud Camaldulenses vero die 15. coluntur sancti Matthæus, Isaac & Christinus; die autem 16. sancti Johannes & Benedictus.

Audivimus ex Damiano Boleslaum sceleftos interfectores ad sepulcra martyrum destinasse ferreis catenis constrictos, ad hoc ut vel sic usque ad obitum permanerent, vel suffragio Sanctorum liberarentur. Quo pœnitentiæ genere confirmatur, quod observat Mabillonius ad annum 1009. scilicet illam pœnitentiam pariter hoc seculo homicidis impositam, ut reis brachia & corpus loris ferreis constringerentur, sicque mitterentur ad Sanctorum tumulos, si quando ipsorum meritis solverentur; ubi pariter affert exemplum cujusdam Angligenæ mulierculæ liberatæ a vinculis, quæ gestabat ob materni effusionem sanguinis, ad sepulcrum sancti Mansueti Tullensis episcopi. Vide etiam, quæ adducit [c] de nobile Gallo interfectore liberato ad sepulcrum sanctæ Bertæ. Similia exempla legemus anno sequenti ad corpus sancti martyris Bonifacii, sed clariora ad illud sancti Bononii anno 1026.; & anno 1067. & pariter anno 1078. ad tumulum sancti Theobaldi; idque *ex antiqua consuetudine*, ut legitur in libro de miraculis sanctorum Florentii & Floriani apud eumdem [d] Mabillonium, inoleverat, ut quisquis propinquiorem sibi gladio peremisset, & postea pœnitentia ductus ad pontificem crimen admissi facinoris detulisset, ipso decernente pontifice, ex ejus gladio ferrei nexus componebantur, & collum homicidæ, venter atque brachia constringebantur ex ipsis ferreis vinculis, sicque ex propria patria pellebatur, peregrinari coactus Romam, dein per diversa Sanctorum loca, quousque divina pietas eadem vincula resolvisset. Ibique etiam affert exemplum cujusdam clerici nomine Amelii, qui ob necatum avunculum ab Aretario Trajectensi episcopo hoc judicium subjerat, & solutus meritis sancti Florentii fuerat. At Boleslaus homicidis sanctorum Johannis & Benedicti videtur pœnam inflixisse ad mentem magis Caroli magni, qui in capitulari Aquisgranensi decernit, ut *nudi cum ferro, qui dicunt se data sibi pœnitentia ire vagantes, deinceps vagari non sinantur, melius quippe esse, ut si quod capitale crimen commisissent, in uno loco permanerent laborantes, & canonicam pœnitentiam agentes*; statuit nimirum Boleslaus sontes stare ad tumulum sanctorum virorum, quos interfecerant.

c Annal. T. III. p. 296.

d Ibid. T. I. p. 87.

Super Sanctorum corpora basilicam erexit Boleslaus, nam „ sequenti nocte post sepulturam, ut ait [e] Martinus Baronius, apparuerunt

„ eidem

e Pag. 12.

„ eidem regi sancti martyres, ac fulmine & verbis magnificarunt, „ quod per diram necem, & martyribus dignam adepti sunt cœlestia regna, gratiasque egerunt, quod eos vivos & mortuos tanta gloria semper complexus fuerit. Denique summa laude extulerunt, quod homicidis pepercerit; non enim decebat sanguinem martyrum sanguine vindicari, & vitæ cœlestis beneficium morte crudeli compensari; polliciti que sunt ei pro ipsius & regni totius incolumitate divinam majestatem semper deprecaturos, patronosque & protectores temporibus sempiternis ejusdem futuros. “ Quomodo vero a sancto Casimiro Poloniæ rege super singulorum cellas ecclesiæ fuerint ædificatæ, ad annum 1041. referemus.

VIII. De Barnaba monacho superstite SS. martyribus.

INTEREA Henricus rex Boleslao adversabatur, ne coronam regalem susciperet ab apostolica sede, quare nuncios omnes a Boleslao missos intercipiebat, quæ sors contigit etiam monacho a sanctis eremitis Romam directo, qui putabatur, præter officium petendi licentiam prædicandi, in mandatis recepisse a Boleslao onus procurandi tituli regii Poloniæ moderatoribus. Retentionem & simul liberationem monachi describit Damianus [a] hisce verbis. *Imperator autem Henricus Busclavi consilium non ignorans, undique vias custodiri præceperat, ut si Busclavus Romam nuncios mitteret, in ejus illico manibus devenirent. Monachus ergo, qui nuper missus a sanctis martyribus fuerat, demum captus est, & mox carcerali custodiæ mancipatus. Nocte vero illum angelus Domini in carcere visitavit, & consumatos esse eos, quorum legatione fungebatur, admonuit: statimque aperto divinitus carcere, præparatum sibi esse navigium in fluvio, quem transiturus erat, asseruit. Quo festinans monachus angelicæ promissionis fidem veram esse probavit.* A Dubravio monachus superstes lanienæ sanctorum martyrum appellatur Barnabas, quare etiam Ractius, Minius & scriptores Poloni, licet hi postremi rem aliter retulerint, eo nomine ipsum efferunt. „ Occisi ad unum omnes, inquit Dubravius, [b] ac solus „ Barnabas per absentiam incolumis est servatus cum magno animi sui „ dolore, quod præsens eamdem cum interfectis martyrii palmam assecutus non fuerit. Nihilominus sui similis permanens, vitam, quam cœpit colere puram inculpatamque, ad fatalem usque exitum non desiit. „ Post quem in tumba Gnesnæ, in quam ante se interfecti sodales elati „ sunt, conditus est. “ Quem Italum & sancti Adalberti contubernalem in monasterio Breunoviensi, inde eremitam in Polonia Barnabam facit Dubravius, ut dicimus, e contra Johanne patre, & matre Anna Casimiriæ natum in Polonia una cum Matthæo, Isaac & Christino asserunt Baronius [c] & Demalevicius, [d] qui insuper addunt ipsum restaurata eremo & reparatis cellulis in eodem loco, ubi martyres passi fuerant, cum aliquot sociis piis & delectis devotum permansisse, & eremiticam vitam propagasse. Indicavimus superius ex Damiano sanctos martyres Johannem & Benedictum Barnabæ dedisse in mandatis, ut aliquot secum de discipulis beati Romualdi duceret, qui eremiticæ conversationis gnari cum eis simul in Sclavorum partibus habitarent. Porro inter Barnabæ discipulos nominantur Andreas Zoerardus, Justus & Benedictus Zoerardus, cum quibus in maxima vitæ & morum sanctitate vivens, prophetico etiam clarus spiritu, multis præterea illustris miraculis, ac piis & sanctis probatus operibus, die 16. junii anno salutis humanæ 1005. sancte in Domino obdormiverit. At nos incertum dicimus annum ejus mortis, qui tamen certe contigit post sociorum suorum martyrium. De Andrea & Benedicto Suirardis seu Zoerardis plura ad annum 1010. & ad annos sequentes; de Justo vero quandoquidem amplius nobis non

a *Vit. S. Rom. cap.* XXIX.

b *Lib. VI. Hist. Bohem.*

c *Pag.* 11.

d *Pag:* 165.

Ann. Chr. 1008. Romualdi 101.

sese offeret occasio loquendi, breviter hic aliqua subjiciemus.

IX. De Justo monacho, ejusque miraculis.

Casimiro patre, matre Salomea ortum asserunt scriptores Poloni Lobsowi apud fluvium Dunajec, octo a Cracovia milliaribus, Barnabæ magisterio inde se addixisse, & beatæ virgini Mariæ singularem exhibuisse venerationem, a qua etiam divinarum Scripturarum arcanis fuerit eruditus ad sui consolationem, & ad multorum utilitatem, demum virtutibus plenum, præsentibus Andrea & Benedicto fratribus, extremum spiritum efflasse die 9. julii anni 1007. Chronologiam non admittimus, cum tenebris omnino sit obsita his temporibus historia sacra Polonica, atque proinde ejus obitus post hunc annum est protrahendus. Duo sequentia miracula ad Justi sanctitatem comprobandam enarrat [a] Martinus Baronius. „ Anno 1572. die 15. junii, dominus & nobilis Stanislaus Pawlowski „ civis Opatoviciensis, una cum uxore, & filia sua nomine Salomea de„ votione persoluta, dum curru redirent de Nova Sandecz monasterii „ ordinis sanctæ Claræ, ubi quiescit venerabile corpus sanctæ Cunegun„ dis olim reginæ Poloniæ, religiosæ ejusdem ordinis sancti Francisci, „ quæ distat ab Opatovicio duobus milliaribus Polonicis, a Cracovia ve„ ro octo, tandem in via nocte tenebrosa circumdati, cum hora secun„ da venerunt ad villam nomine Lobsovo, ubi quiescit corpus sancti Ju„ sti confessoris eremitæ Camaldulensis, prætereuntes ecclesiam omnes si„ mul de curru descendentes, cum devotione in cæmeterio genibus fle„ xis incœperunt orare Deum, ut meritis sancti Justi feliciter in domum „ sine noxa a latronibus sibi illata, vel ab animalibus silvestribus perve„ nirent. Statim cum in currum ascenderunt, apparuit illis vir venerabi„ lis, albis vestibus indutus, in magna claritate cum duobus baculis ex „ salice confectis, quorum unum dedit aurigæ, alterum filiæ Salomeæ, „ dicens illis: Ite in pace; Dominus Deus sit vobiscum, & ego, qui sum „ Justus, ero vestri comes, & dux in via in hac obscura nocte; tandem „ disparuit; sed illi baculi divino miraculo in faces ardentes lucidissimas „ conversi, clarissime illis lucebant, donec domum pervenerant, gratias „ Deo agentes, qui iterum illis apparuit dicens: Manete in pace, & tu „ filia mea, fac ut sis sponsa Dei monacha in Sandecz; faces extinguit, „ & in baculos, ut prius erant, vertit, & ab oculis eorum evanuit. Il„ li autem præ gaudio læti in terram prostrati, gratias Deo, & sancto „ Justo reddiderunt, Salomea monacha evecta, & post tertium annum „ sancte Deo serviens, in eodem monasterio mortua est. Item anno Do„ mini 1506. die 9. julii in ejus festo simile aliud miraculum accidit. „ Dum nobilis magnificus dominus Casimirus Dlugorayski civis Opatovi„ ciensis simul cum filio suo Hiacyntho devotionis suæ causa eundo visi„ taret ecclesiam, ubi quiescit corpus sancti Justi eremitæ Camaldulensis, „ equitando votum devotionis suæ absolvit, domum in nocte obscura te„ nebrosa rediit, tandem equitando per silvam, duos parvos baculos de „ arbore, quæ dicitur Betula, cedit, per corripere equos, unum sibi, „ alterum filio dedit equitando, commendans se Deo, & sanctis suis pa„ tronis Justo, Andreæ Zoerardo, & martyri Benedicto Zuirardo eremi„ tis Camaldulensibus, ut iter suum in pace feliciter perficeret; statim „ isti baculi non sine miraculo Dei clarissimam lucem emicuerunt, & „ lucebant illis per totum iter viæ, usque ad domum cum jubilo „ pervenerunt sine ullo damno, sicut duæ faces lucebant illis, tan„ dem attingentes domum, relinquentes equos in terram provolu„ ti Deo gratias reddiderunt in Sanctis ejus, baculi autem amiserunt „ lucem. “ *Ex antiquis munimentis ejusdem ecclesiæ excerpta historia*.

[a] *Pag.* 32.

„ Sed

„ Sed in quo loco ecclesiæ hujus sancti Justi corpus quiescit ob anti- „ quitatem nulla est adhuc vestigii memoria. " Hucusque Baronius. Eadem omnia compendiose de Justo narrantur in libro, cui titulus: *Fortalitium Sanctorum regni Poloniæ*.

Ann. Chr. 1008. Romualdi 101.

Inter alia singularia, quæ contigere tempore, quo prædicti omnes sancti eremitæ solitudinem Polonicam incolebant, unum refert idem Baronius. [a] „ Quædam matrona nobilis devotionis causa, cum desideraret in- „ visere locum illum, in quo solitarii isti manebant, jam ob sanctitatem „ & merita celebres, non in illa provincia tantum, sed toto regno, eis „ eleemosinam, scilicet piscem vivum, qui vulgo Salmon appellatur, ob- „ tulit, quem cum offerret, cecidit in terram piscis ille; eoque in loco „ statim fons emanavit, qui usque ad hoc tempus durat. Piscis vero cum „ ad vescendum præpararetur fratribus pro prandio, alius similis genere „ & magnitudine, divino miraculo apparuit in eadem aqua, ubi fons „ mirabiliter eruperat; qui cum comestus esset, divina clementia & mi- „ raculo alius loco illius extitit, qui per longum tempus victui eis fuit „ quotidiano. Et quamdiu fratres illi vixerunt, piscis quoque duravit; „ postquam vero martyrii coronam adepti sunt, piscis evanuit: sed fons „ ille ad hoc usque tempus durat, cujus aqua magna eo loco Deus signa „ & miracula facit. Cæci enim visum recipiunt, leprosi mundantur, clau- „ di & surdi, variisque morbis sanantur. "

a *Ibid. pag.* 13.

Nec prætermittit [b] duo recentiora miracula, quæ contigerunt seculo XVI. „ Anno Domini 1560. die 16. julii. Ego Martinus Wroblovius, „ sive Passer, Casimiriensis, archidiaconus Sandomiriensis, & decanus Cu- „ noviensis fidem indubitatam facio, & præterea coram Deo omnipoten- „ te & sanctis angelis ejus confiteor, anno ætatis adolescentiæ meæ deci- „ mo-sexto, cum quodam die devotionis meæ causa erga hos sanctos glo- „ riosos patronos nostros Casimiritanos Camaldulenses martyres vigesima- „ quarta hora sero solus intravissem in ecclesiam Casimiriensem sancti „ Matthæi parochialem, ubi quiescit venerabile corpus ejusdem sancti „ Matthæi eremitæ Camaldulensis martyris, & dum parum interim ge- „ nibus flexis orarem, statim vidi cereos illuminatos in octo altaribus se- „ paratis, in honorem octo fratribus eremitis depictis & dicatis, videli- „ cet Johannis, Benedicti, Isaaci, Christini, Barnabæ, Athanasii, Lau- „ rentii, & in medio ecclesiæ sancti Matthæi, ubi quiescit corpus sancti „ Matthæi, sed aliorum sancta corpora quiescunt in suis ecclesiis sibi di- „ catis, in candelabris aureis accensis appositos: postea apparuit mihi ma- „ gna & pulcherrima processio, utriusque sexus sanctarum personarum, „ regnique Poloniæ patronorum coronis aureis capitibus ipsorum tectis, „ vestibusque diversis pretiosis decoratos, in manibus portantium alii „ quasdam palmas, alii flores odoriferos, posteriores vero ordine vidi octo „ viros venerabiles, senes, canos, religiosos, albis vestibus indutos cum „ palmis præterire cantantes canticum: Hæc est dies, quam fecit Domi- „ nus, exultemus & lætemur in ea. *Ps.* 116. Postea, Levavit: ego ta- „ men lætus ex ipsa sancta processione remansi solus in ecclesia.

b *Ibid. pag.* 14

„ Aliud miraculum octo fratrum eremitarum Camaldulensium. Anno „ Domini 1569. Dum Rev. pater Stanislaus Nucius ordinis sancti Fran- „ cisci de Observantia Casimiriæ in suo conventu habitaret, ubi corpus „ sancti Johannis unius martyris eremitæ Camaldulensis quiescit, vellet- „ que componere pro sua devotione cantum prosæ de laudibus sanctorum „ martyrum eremitarum Camaldulensium, quod ita incipit: *Tota mente* „ *jubilemus* &c. Completi inchoatum carmen perficere nequivit; substitit

c *Pag.* 15.

Ann. Chr. 1008. Romualdi 101.

„ hic grandævus senex; annum enim circiter octuagesimum agebat. Musicus enim perfectissimus erat; secumque cogitare cœpit, quomodo tandem perficeret: itaque provolutus in terra ad sepulcrum sancti Johannis Camaldulensis, orare Deum vehementer cœpit, ut ille viam perficiendi operis indicaret meritis sancti Johannis. Nec mora, videt sanctum Johannem una cum aliis sanctis fratribus Camaldulensibus in magno lucis splendore, sibique ita loquentem audit: Stanislae fili mi, surge, & carmen inchoatum perfice, disparent, ille sic gratiis actis, quod incipit, feliciter finivit: quod in eadem ecclesia singulis diebus decantatur, quod ad vesperas decantatur. *Tota mente exultemus.* "

X. Johannes & Benedictus martyres Poloni, vere discipuli Romualdi.

Atque hæc ad sanctorum Romualdi discipulorum in Polonia gloriam dixisse non pœnitet, quatenus ex eorum laude, quam magnus vir gloriosus magister eorum Romualdus fuerit, demonstremus, ut simile encomium ad sancti Bonifacii vitam pro coronide usurpavit sanctus alter Petrus Damianus; neque patris Zacconi Augustiniani assertiones adtendendas esse arbitramur, qui in compendio vitarum omnium Sanctorum, ordini suo adscribit prædictos martyres, & distinguendos esse putat Johannem & Benectum passos in Polonia a Johanne & Benedicto discipulis sancti Romualdi & Perei prius incolis, quos ipse in Chroatia martyres facit. Id quod est contra apertam Polonorum omnium fidem, contra auctoritatem chronographi Halberstatensis & sancti Petri Damiani, & contra Camaldulensium omnium traditionem, qui Johannem & Benedictum non in Chroatiam, sed in Poloniam a Romualdo missos asseverant & probant.

XI. Donationes factæ ab Helemperto ep. Aretino abbatiæ Pratalienfi.

Abbatia sanctæ Mariæ & sancti Benedicti de Pratalia, cujus ædificationem retulimus ad annum 999. de qua etiam ad annum 1002. occasione diplomatis Ottonis III. mentionem fecimus, hoc anno *mense septembri indictione septima* ab Helemperto sive Helmperto episcopo Aretino donatione insigni fuit locupletata. Obtulit ergo episcopus pro remedio animæ suæ, suorumque antecessorum ecclesiæ per ipsum a fundamentis extructæ, & consecratæ sub invocatione sanctæ Mariæ & sancti Benedicti in loco Pratalia juxta rivum Bidentem ad radicem montis Acuti, qui Thusciam & Romaniam dividit, ac Sigizoni, quem abbatem ipsius monasterii ordinavit, *decem mansos de curte Orgia in Casentino, que fuit hereditas predecessoris sui beate memorie Heverardi episcopi*; Item *beneficium, quod fuit Lamberti fratris Gebizonis in villa, que dicitur Peza, vocatum Gajo de Peza*; Item *agrum qui vocabatur Gajo de Offiniano, mansum in castro Marciano appellatum de Linaro, mansum de monte Fatuculo, & vineam, quam ipse plantare* fecerat, *& adjacentem terram usque ad rivum, omnes runcos & terras cultas & incultas tam nemoris, quam foresti juxta Pratalia.* Pariter *terram quinque modiorum apud Cesam, quam sancto Donato dedit vicedominus Berardus*, & aliam totidem modiorum *apud Cortonam nomine pratum pastorarium; mansos* etiam *in Ventrina, in Fregina, in Contra, campum dictum Bononis juxta viam publicam, & Cainaldum, idest sepem altissimam;* Item *in pleberio Biblena & Villa Offiniana unum mansum olim Ugonis fratris Roizonis, antequam fieret monachus in dicta ecclesia.* Demum præter alia *nonam partem vini & frugum castri Marciani, Biblene, Orgie, Socone, montis Fatuculi, Clotiniani & Vinarii omnia in omnibus, sicut Leo abbas & Teuzo grammaticus tenuerunt*, eo pacto apposito, ut monasterium prædictum de Pratalia cum omnibus suis pertinentiis sub regimine sit episcopi sancti Donati. Hujus paginæ tantum vidimus transumptum anni 1197. in tabulario Fontis-boni, quod in Appendice integrum damus. Construxisse se dicit a fundamentis

mentis Prataliæ ecclesiam Helempertus; quod tamen non vetat, quo minus ab aliis etiam ædificata fuerit, ut videbimus anno 1010. Heverardus, quem beatæ memoriæ vocat, fuit ejus prædecessor in sede Arretina, cujus etiam meminit in alia donatione, quam referemus anno sequenti. In utraque charta videtur Helempertus indicare se immediate successisse Heverardo, nam usurpat eadem verba, quibus utitur Willelmus episcopus itidem Arretinus loquens ad annum 1013. de Helemperto bonæ memoriæ episcopo immediato suo prædecessore; quare expungendus erit a catalogo episcoporum Arretinorum [a] apud Ughellium Alpertus sive Edembertus, qui non alius videtur ab Helemperto, cui tribuenda ea omnia, quæ Ughellius tribuit suo fictitio Alperto. Helempertus alio nomine vocabatur etiam Helmpraxus: ita nominatur [b] in charta anni 996. qua Otto III. canonicis ecclesiæ Arretinæ confirmat quamdam terram *consultu & interventu Helmpraxi venerabilis episcopi*. Appellatur etiam *Helmepertus episcopus missus domni Ugonis dux marchio* in placito Valvensi [c] pro monasterio sancti Vincentii ad Vulturnum habito anno 995.

ANN. CHR. 1008. ROMUALDI 101.

[a] T.I. col.414.

[b] Murat. Antiq. T. V. col. 201.

[c] Script. rer. Ital. T. I. P.II. pag. 484.

Sigizo fuit, si Teuzonem monachum excipiamus, primus abbas Prataliæ. Ab hoc autem anno usque ad annum 1043. reperitur ejus nomen in publicis instrumentis asservatis in tabulario Fontis-boni. *Sigifridus* vocatur in quadam emptione anni 1010. & in alia ejusdem anni *Suzo* & *Sizo*. Cujus loci abbas fuerit *Leo* nominatus in Helemperti charta, ignoramus. *Grammatici* autem titulus, qui tribuitur alteri Teuzoni, significabat unum ex primoribus officiis, quæ canonicis imponebantur. In diplomate [d] Ottonis I. anni 963. quo confirmantur privilegia canonicis ecclesiæ Arretinæ, post Grasulfum archidiaconum, & Suavericum archipresbyterum & primicerium, sed ante omnes presbyteros & diaconos nominatur *Sapiens Grammaticus*. In alio diplomate [e] Hugonis & Lotharii regum anni 933. concesso eisdem canonicis *Sapiens Grammaticus* ponitur quinto loco post archidiaconum, archipresbyterum, vicedominum & sacristam, verum ante alios presbyteros & diaconos sine titulo. Etiam in ecclesia Fesulana *Grammatici* titulus vigebat, quo ornatur *Theuzus Fesulanæ ecclesiæ primicerius* in privilegio Regembaldi Fesularum episcopi ad annum 1018. [f] spectante. Animadvertendum, quod usurpatur in charta Helemperti *indictio septima*, quæ incœperat mense septembri; ceteroquin indictio communis hujus anni erat sexta. Eidem monasterio Prataliæ hoc anno mense octobri *Berizo filius Petroni* judicavit tres portiones terræ positas infra pleberium sancti Antonini de Socona in casali Nebbiano.

[d] Antiq. med. ævi T. III. col. 183.

[e] Ibid. T. V. col. 238.

[f] Puccinell. Chron. abbat. Florent. p.281.

XII. De asceterio sancti Salvatoris in fundo Vallis diœcesis Camerinensis.

HABEMUS ex [g] Damiano Romualdum *in eisdem partibus*, hoc est in marchia Camerina, *monasterium* condidisse *puellarum*, & ad annum 1006. retulimus sententiam eorum, qui putant hoc fuisse asceterium illud, quod postea Fabrianum translatum appellatur nunc sancti Romualdi, atque etiam opinionem Grandii nostri existimantis monasterium erectum a Romualdo requirendum forte esse in provincia Firmana, vocatumque sancti Petri de Monteriano. Hic conjecturas pariter nostras adjicimus, eas deducentes ex veteri quadam donationis charta hujus anni existente in chartulario sanctæ Catharinæ de Fabriano, ex qua apparet puellare monasterium hoc tempore extructum fuisse in honorem sancti Salvatoris in fundo Vallis positæ in castello Pretoso. *Gepo filius Actonis Inge filie Gezonis abbatisse* ejusdem loci donat res de proprietate sui juris, & *portionem ecclesie sue sancti Salvatoris cum reliquiis, altariis, muris, tectis & cellis*, ea tamen conditione, ut monasterium neque episcopo, neque alteri monasterio subjiciatur, sed tantum subsit sibi donatori & hæredibus

[g] Vit. S. Rom. cap. XXXV.

suis,

Ann. Chr. 1008. Romualdi 101.

suis, ibique nullus judicium faciat, nisi quod sancta regula cohortatur, & quando abbatissa de supradicto monasterio mortua fuerit, altera subrogetur, quam pars melior ordinaverit juxta determinationem hæredum suorum, & secundum normam beati Benedicti, & regulam sanctorum patrum. Non incongrue itaque putabitur huic monasterio fundato per ea tempora in iisdem profecto partibus provinciæ Camerinensis, aptari posse verba Petri Damiani. Immo cum processu temporis parthenon extiterit prope castellum Pretosum, appellatum *sanctæ Mariæ inter saxa*, quod incolebatur a monialibus, quæ subjectæ erant cœnobio & disciplinæ abbatis sancti Victoris de Clusis, non erit vero absimile supra enarrata fuisse primordia ejusdem monasterii. Chartam autographam ad Appendicem remittimus, in qua cum conjungatur annus 1008. cum indictione V. facile hoc factum fuerit errore notarii, dum reapse idem annus indictione VI. signari debuisset.

Refert ad hunc annum Jacobillius [a] originem monasterii sancti Donati de Polpiano, vel de Petrorio in diœcesi Eugubina, cujus ulteriores non indicat notitias. Monasterium hoc disciplinam postea subiit congregationis Fontis-avellanæ, & sub ea diutius perseveravit.

a *Sanct. Umbr.* T. III. p. 312.

Ann. Chr. 1009. Romualdi 102.

XIII. Martyrium sancti Bonifacii discipuli S. Romualdi.

POST Sigebertum [b], chronographum Saxonem aliosque auctores ad hunc annum referentes martyrium sancti Brunonis-Bonifacii, licet in Sigebertina a Miræo procurata editione collocetur sub anno 1010. placet etiam nobis præsenti anno exitum apostolatus, & martyrii palmam enarrare, quam idem sanctissimus vir obtinuit. Asserit Ditmarus hoc evenisse *duodecimo* Bonifacii *conversionis anno*; anonymus vero auctor chronici Quidlinburgensis *undecimo*; uterque conciliari hoc modo potest, ut inter undecimum & duodecimum suæ conversionis annum martyr occubuerit. Qui ad annum 1008. & quidem plures sunt, Bonifacii obitum statuunt, eum decimo a conversione anno passum admittant, necesse est, contra fidem vetustiorum scriptorum duodecim vel saltem undecim conversionis annos Bonifacio tribuentium; quandoquidem jam demonstravimus, non posse ipsius conversionem sub sancto Romualdo assignari ante annum 998. & post cædem dumtaxat Crescentii tyranni Romani.

b *Apud Pistorium* T. I. p. 827.

XIV. Ut narratur a Petro Damiano.

EXHIBEBIMUS prius ea, quæ de martyrio Bonifacii scribit Damianus, tum ea subjiciemus, quæ ceteri auctores, Germani præsertim, habent de Brunonis-Bonifacii gloriosa passione. [c] *Ad Gentiles autem postremo perveniens*, ait Damianus, *cum tanta cœpit fervidi pectoris constantia prædicare, ut jam nullus ambigeret, quia vir sanctus martyrium flagitaret. Illi vero timentes, ne sicut, post martyrium beati Adalberti, coruscantibus miraculorum signis, Sclavonicæ gentis plerique conversi sunt, ipsis quoque similiter eveniret, longo tempore a beato viro manus artificiosa malitia reprimunt, & cupidissimo mori, nolentes eum occidere, crudeliter parcunt. Cumque ad regem Russorum*, (*Busianum*, nescimus quo fundamento, appellant regem hunc Maurolycus & Ractius noster) *vir venerabilis pervenisset, & constanti animo prædicationi vehementer insisteret, videns eum rex squallidis vestimentis indutum, nudis pedibus incedentem, opinatus est, quia vir sanctus talia non religionis causa proferret, sed iccirco potius, ut pecunias congregaret. Promisit ergo sibi, quia si ab hujusmodi vanitate recederet, ipse paupertatem ejus largissima divitiarum liberalitate ditaret. Bonifacius itaque mox ad hospitium sine mora revertitur, pretiosissimis pontificalibus ornamentis decenter induitur, & sic ad regis palatium denuo præsentatur. Rex autem videns eum tam decoris vestibus adornatum, ait:*

c *Vit. S. Rom. cap.* XXVII.

Nunc

Nunc scimus, quia te ad vanam doctrinam non paupertatis inopia, sed veritatis impulit ignorantia. Verumtamen si vis vera credi, quæ asseris, erigantur duæ excelsæ lignorum catastæ, brevissimo a se interstitio separatæ, & igne supposito, cum vaporatæ fuerint, itaut utriusque struis unus ignis esse videatur, tu transi per medium. Quod si læsus ex aliqua parte fueris, ipsis te penitus consumendum ignibus trademus: sin autem (quod credi non potest) sanus evaseris, omnes nos Deo tuo absque ulla difficultate credemus. Cumque hoc fœdus non solum Bonifacio, sed & cunctis, quæ aderant, gentibus, placuisset, Bonifacius ita vestitus, velut missarum sollemnia celebraturus, prius cum sanctificata aqua, & incenso thure undique perlustrans ignem, deinde stridentes flammarum globos ingressus, ita exivit illæsus, ut nec minimus capitis ejus capillus videretur exustus. Tunc rex & ceteri, qui huic spectaculo interfuerant, catervatim se ad pedes beati viri projiciunt, indulgentiam lacrymabiliter petunt, & baptizari se instantissima supplicatione deposcunt. Cœpit itaque tanta Gentium multitudo ad baptisma confluere, ut vir sanctus ad spatiosum quemdam lacum pergeret, & in ipsa aquarum abundantia populum baptizaret. Decrevit autem rex, ut regnum relinquens filio, ipse quamdiu viveret, se a Bonifacio nullatenus separaret. Frater autem regis cum ipso pariter habitans, dum nollet credere, absente Bonifacio, ab ipso rege peremptus est. Alius vero frater, qui jam a regis erat cohabitatione divisus, mox ad eum vir venerabilis venit, audire ejus verba noluit, sed de conversione fratris nimia adversus eum ira succensus, continuo comprehendit, deinde timens, ne, si vivum teneret, rex eum de manibus ejus eriperet, in sua præsentia, circumstante non parva hominum multitudine, decollari præcepit. Statim vero & ipse cæcatus est, & tantus eum cum omnibus, qui astabant, stupor oppressit, ut nec sentire, nec aliquod humanitatis officium agere aliquatenus possent: sed cuncti velut lapides rigidi & immobiles permanerent. Rex autem hoc audiens, nimio dolore percussus, omnino deliberat non solum fratrem occidere, sed & cunctos, qui sibi tanti reatus fautores extiterant, gladiis trucidare. Sed cum illuc protinus advenisset, & corpore martyris adhuc in medio posito, fratrem simul cum reliquis hominibus sine sensu & motu stupefactum astare conspiceret, hoc sibi cum suis omnibus placuit, ut prius pro eis oratio fieret, si forsitan illis divina misericordia sensum, quem amiserant, reformaret; deinde si acquiescerent credere, indulto crimine viverent, sin autem, omnes ultoribus gladiis interirent. Cum igitur & ab ipso rege, & a ceteris Christianis diutius fuisset oratum, non solum prior sensus stupefactis hominibus redditur, sed insuper consilium quoque flagitandæ veræ salutis augetur. Nam continuo pœnitentiam sui criminis flebiliter expetunt, baptismi sacramenta cum magna alacritate suscipiunt, super corpus quoque beatissimi martyris ecclesiam construunt. Verumtamen ego si de hoc mirabili viro cuncta, quæ dici veraciter possunt, virtutum dona referre tentarem, deficeret forsitan lingua, non deficiente materia. Dum igitur Bonifacii virtus proprio indigeat stylo, iccirco tamen illum cum aliis Romualdi discipulis summotenus hic memorare curamus, ut ex eorum laude, quam magnus vir gloriosus magister eorum fuerit, demonstremus; quatenus dum celsitudo clientium auribus fidelium insonat, quam excelsus doctor eorum fuerit, ex schola, quam tenuit, innotescat. Hæc Damianus.

ANN. CHR. 1009. ROMUALDI 102.

XV. Ditmari & auctorum Germanorum narrationes ejusdem martyrii.

BREVIOR est narratio Ditmari hæc scribentis: [a] *Duodecimo anno suæ inclytæ conversionis ad Prussiam pergens, steriles ejus agros semine divino fœcundare studebat, sed spinis pullulantibus horrida non poterat facile emollire. Cum itaque in prædictæ regionis confinio, & Russiæ prædicaret*

a Chron. Lib. VI.

Ann. Chr. 1009. Romualdi 102.

ret, primo ab incolis prohibetur, & plus evangelizans capitur, & amore Christi, qui ecclesiæ caput est, XVI. *kalendas martii, mitis ut agnus decollatur cum decem & octo suis sociis, quorum corpora insepulta jacuerunt, quoadusque Bolislavus id comperiens mercatus est, & domui suæ futurum solatium acquisivit. Facta sunt autem hæc tempore serenissimi regis Heinrici, quem omnipotens Deus triumpho tanti præsulis honorificavit, & ut spero, multum salvavit. Pater autem prædicti antistitis longe post infirmatus, &, ut ipse mihi narravit, præcepto filii, monachicum habitum suscepit, & quartodecimo kalendas novembris in pace quievit.*

Chronicon Magdeburgense [a] de Adalberto martyre loquens, hæc de Bonifacio-Brunone conjungit: *Emicuit regiæ stirpis Wogieteth, sed ab ipso archiepiscopo, æquivoco nomine, dictus Adalbertus, qui postea Pragensis episcopus glorioso martyrio coronari meruit, cujus consodalis sanctus Bruno, qui & Bonifacius, nobilitate & meritis illi per omnia simillimus, dum passionem & actus illius scribendo miratus est, ipse nihilo minus archiepiscopus gentium, pari agonis triumpho subsequenter in confinio Russiæ & Lithuæ regionum martyrizatus est, sicut indicat liber gestorum ejus.* Iterum in eodem Magdeburgensi chronico legitur [b]: *Post hæc signis clarus pro Deo ab ipsis gentibus est martyrizatus, sicut indicat liber gestorum ejus veraci relatione conscriptus;* sub nomine *libri gestorum ejus* chronicon intelligitur Ditmari. Chronici Wirziburgensis auctor a Baluzio [c] editus ex veteri manuscripto codice hæc scribit: *Brun episcopus & monachus a Prucis multis suppliciis affectus, & manibus pedibusque abscissis, postremo capite plexus cœlos evolavit.* Chronicon Quidlinburgense, [d] *Sanctus Bruno*, ait, *qui cognominatur Bonifacius, undecimo suæ conversionis anno in confinio Russiæ & Lithuæ a paganis capite plexus cum suis octodecim* VII. *idus martii petiit cœlos.* Chronographus Saxo [e] Ditmarum fere describit, & variato dumtaxat die martyrii dicit ad annum 1009. *Dehinc duodecimo conversionis & conversationis suæ anno in Pruciam pergens, steriles agros semine divino studuit fœcundare, sed spinis pullulantibus horrida non potuit facile emollire. Tunc in confinio prædictæ regionis Rusciæ, & Lithuæ cum prædicaret, primo ab incolis prohibetur, sed plus evangelizans capitur, deinde a paganis primo manibus ac pedibus præcisis, tandem capite plexus, cum suis sociis numero octodecim* VII. *idus martii martyr inclytus cœlos petiit.* Chronicon Halberstatense [f] *Ipse*, inquit, *cum octodecim sociis profectus est in Pruziam, sive Borussiam, & pro fide Christi, quam prædicabat, a gentibus Pruziæ belluinæ feritatis multis suppliciis afflictus, manibus pedibusque abscissis, postremo capite plexus, stipante illum collegio octodecim sociorum, illic cum ipso pariter decollatorum, palmam martyrii est adeptus anno videlicet Domini* M. VIII. XVI. *kalendas martii.* Marianus Scotus [g] ad annum 1008. *Brunus episcopus a Prucis multis suppliciis affectus, & pedibus, manibusque abscissis, postremo capite plexus cœlos petiit.* Abbas Urspergensis ad eumdem annum: *Brunus episcopus ex monacho a Prucis multis suppliciis afflictus, & manibus pedibusque abscissis, postremo capite plexus cœlos petiit.* Paulus Langius [h] addit *lingua* insuper *præcisa, & erutis sancto viro oculis.* In ms. kalendario ordinis sancti Benedicti penes Antverpienses agiographos sub die XIV. februarii legitur: *Sancti Brunonis Ruthenorum archiepiscopi martyrizati a Ruthenis, prius monachi in Italia.* Chronicon Vetero-cellense minus, a Tentzelio in partem vulgatum, & deinde a Menckenio [i] integre editum, habet: *Brun episcopus ex monacho a Pruzis manibus & pedibus abscissis capite amputato obit.* In chronico Poloniæ [k] Boguphali II. episcopi Posnaniensis reperitur: M. IX. *Bruno episcopus*

a *Scriptor. rer. Germanic. Meibomii p.* 275.

b *Ibid. p.* 284.

c *Miscellan. T. I. pag.* 507.

d *Scriptor. rer. Brunsvic. Leibnitii T. III. p.* 287.

e *Access. Histor. Leibnitii.*

f *Scriptor. rer. Brunsvic. Leibnit. T. II. p.* 119.

g *In Chronico apud Pistorium T. I. p.* 648.

h *In Chron. Citizensi apud Pistorium T. I. pag.* 1127.

i *T. II. col.* 436.

k *Rer. Silesiac. T. II. p.* 94.

scopus martyrizatus est. Quorum omnium auctorum testimonia consulto ideo protulimus, ut innotescat, aliquos etiam ex Germanis scriptoribus abundasse, vel defecisse in describendis quibusdam circumstantiis martyrii Brunonis-Bonifacii, quæ aut afferuntur, vel non, ab aliis; ut proinde fides non sit deneganda Damiano superius narrata scribenti de suo Bonifacio. Potuit enim fieri, ut Damiani tempore Passionale aliquod manibus omnium tereretur, in quo copiose, & ubertim tota Bonifacii martyris passio descripta foret, vel acta aliqua extarent, ex quibus, quæ scripsit, deprompserit Damianus.

ANN. CHR. 1009. ROMUALDI 102.

XVI. De die natalitio ipsius passionis.

CETERUM natalitia passionis Brunonis-Bonifacii dies Ditmaro & auctori chronici Halberstatensis est decima-quarta februarii; chronographo antem Saxoni & auctori chronici Quidlinburgensis nona martii. Pariter passio sancti Brunonis Ruthenorum episcopi & martyris capite truncati in Prussia inscripta est in martyrologio Romano ad diem quintam-decimam octobris, qua eum obiisse putat Arnoldus Wion; sed melius Baronius in Annalibus ad ann. 1008. & Mabillonius in Actis Sanctorum O. S. B. eo die factam fuisse censent illius corporis translationem. Bonifacii vero memoria in eodem Romano martyrologio consignatur ad diem 19. junii hoc elogio: *Sancti Bonifacii martyris, qui a Romano pontifice ad prædicandum evangelium in Russiam missus, cum per ignem transiisset illæsus, regemque ac populum baptizasset, a furente regis fratre necatus, optatam martyrii palmam accepit*. Præcesserant additiones mss. Carthusiæ Bruxellensis, sive augmenta ad editiones Grevenianas Usuardi annorum 1515. & 1521. ad eam diem hisce verbis: „ Bonifacii martyris discipuli sancti „ Romualdi, qui obtenta licentia Russiam sive Sclavoniam miro fervore „ & martyrii desiderio Christi evangelium annuntiaturus adiit, cumque „ plurimos convertisset, capite truncatus martyrii gloriam adeptus est. “ Nescimus, cur Petrus de Natalibus, eumque secuti Maurolycus & Wilfordus, occasione sancti Bonifacii archiepiscopi Moguntini & martyris, hunc quoque, de quo agimus, ad quintam junii diem subjunxerint, nisi forsan, quia martyrii diem ignotam habentes, copulare voluerint nostrum martyrem cum anteriori ejusdem nominis celeberrimo archiepiscopo & martyre.

„ Hujus sancti martyris (Brunonis-Bonifacii scilicet) cultus diu in „ ipso Camaldulensium ordine neglectus, ait Verhovius [a], immo vero „ oblivioni datus fuit, itaut ne ipsis quidem ordinis kalendariis inscriptum „ sancti Bonifacii nomen legeretur; at vero Petrus Delphinus XLV. Camaldulensium præses generalis, pro sua erga Sanctos sui instituti martyres religione, neglectum cultum restituit, ejusque nomen Sanctorum „ aliorum fastis inscribi jussit; ita narrat Augustinus Fortunius [b]: “ Anno XXII. generalatus Petri, Christi M.D.II. utpote qui anno M.CD.LXXX. „ ordini præfectus fuit; contigit illum Vallem-umbrosam migrare quadam „ die, qua celebritas cujusdam Sancti ejus religionis sollemni ritu agebatur. „ Unde redarguens Petrus negligentiam Camaldulensium, qui imprudentiores tot annos fuissent, ordinavit, ut ex ipso tempore memoria discipulorum sancti patris nostri Romualdi a neglectu & oblivione vindicaretur; quapropter demandavit abbati sancti Michaelis, ut sanctos „ Bonifacium, & Benedictum ac Johannem martyres catalogo aliorum „ Sanctorum in kalendario ordinis apponendos curaret, ex quo sollemnis „ eorum natalis agitur. “ Hæc ex Fortunio Verhovius. Non injucundum erit hic adnectere epistolam ejusdem Delphini ad Bonaventuram Veronensem abbatem monasterii nostri sancti Michaelis prope Murianum,

a *Act. SS. Boland. T. III. Junii p. 907.*

b *Histor. Cam. lib. II. c. 7.*

ANN. CHR. 1009. ROMUALDI 102.

quæ non reperitur inter prælo impressas, sed extat [a] in volumine III. ipsius epistolarum ineditarum, quæ asservantur in bibliotheca ejusdem monasterii.

[a] Lib. V. epist. 97.

Abbati sancti Michaelis.

Invitatus hoc anno, cum essem rediturus Florentia in Fontem-bonum, accessi ad cœnobium Vallis-umbrosæ, biduumque apud generalem patrem ordinis peregi. Animadverti inter cetera, non solum celebrari apud illos memoriam sancti Joannis Gualberti, verum etiam nonnullorum Sanctorum ejusdem ordinis. Constitui tunc apud me piam fore æmulationem, si nos quoque eos, qui de ordine Camaldulensi relati sunt in Sanctos, a neglectu & oblivione vindicaremus. Quare cum imprimantur pro religione missalia, optimum factu duco, ut annotentur in iis missæ trium illorum martyrum, de quibus fit mentio in vita beatissimi Romualdi, videlicet Bonifacii episcopi, Benedicti & Joannis, ponanturque illorum nomina in kalendario, ubi melius & commodius vobis visum fuerit. Et quoniam Bonifacii vita ab aliis duobus disjuncta est, & ipse præterea antistes fuit, satis congrue non eodem cum aliis duobus die ipsius agetur memoria. Mihi videtur, quoniam martyrii eorum ignorantur dies, ut Bonifacii sollemnitas pridie nonas septembris celebraretur; Benedicti & Joannis pariter XVI. *kal. decembris. Si egerimus Sanctorum memoriam, illos quoque nostri non capiet oblivio; sed futuri sunt pro nobis pii apud Deum intercessores. Missas eis assignabitis pro arbitrio, reddetisque illis epistolas & evangelia personis convenientia, ut in omnibus honorificetur Deus, qui est mirabilis in Sanctis suis, quorum splendore sancta illustratur & fulget ecclesia. Vale. Florentiæ die* XV. *aprilis.* M.D.II.

Ab eo anno apud Camaldulenses memoria sancti Bonifacii archiepiscopi & martyris pridie nonas septembris recoli incœpit, & fere toto illo seculo ea dies assignata reperitur festo sancti martyris in kalendariis, quæ præfixa fuere breviariis, psalteriis, aliisque officiis pro Camaldulensibus editis. Ita in breviario in lucem emisso per Bernardinum Benalium anno 1514. in alio apud hæredes Lucæ-antonii Junctæ anno 1543. in officio diurnali monasterii sancti Michaelis Murianensis ex typographia Petri Liechtestein anno 1551. in officio beatæ Mariæ Virginis Florentiæ edito apud Junctas anno 1579. in psalterio & etiam in breviario Venetiis exarato apud Johannem Variscum anno 1580. in breviario eremitarum sancti Romualdi, seu Montis-coronæ apud Dominicum Nicolinum anno 1583. & in officio B. Mariæ Virginis anno 1586. apud Sigismundum Bordogna. At eo tempore, quo Cæsar Baronius martyrologium Romanum, jussu quidem Gregorii XIII. pont. max. emendandum suscepit, sed tantum sub Sixto V. completum edidit, ac illustravit adnotationibus, & ad diem XIX. junii elogium & festum retulit sancti Bonifacii, etiam Camaldulenses, die relicta quarta septembris, XIX. junii sancti Bonifacii martyris festum exinde celebrare incœpere; verum cum ea dies sollemnissimo sancti Romualdi officio impediretur, ad sequentem vigesimam junii diem officium & memoriam sancti Bonifacii traxere. Quare existimamus Baronium, qua die contigisset passio sancti martyris ignorantem, ut certe plurium aliorum tam martyrum, quam confessorum, defectu monumentorum, diem natalitium ignoravit, & aliunde scientem pro libitu assignatam sancto Bonifacio fuisse a Camaldulensibus diem IV. septembris, vel demum innixum auctoritati Grevenianæ editionis Usuardi, congruum putasse sancti Bonifacii festum illigare diem diei festo sancti Romualdi, cujus fuit præstantissimus discipulus. Nunc vero cum lucide jam probatum fuerit Bonifacium Damiani eumdem esse cum Brunone-Bonifacio Ditmari, & con-

& conceptis verbis afferant Ditmarus, & auctor chronici Halberstatensis Brunonem-Bonifacium passum fuisse die quarta-decima februarii, dies quarta-decima ejusdem mensis habenda erit vera dies obitus sancti martyris, ad quam pertinebit elogium martyrologii Romani tum ad diem decimam-nonam junii de sancto Bonifacio, tum ad alteram diem decimam-quintam octobris de sancto Brunone. Cur autem chronographus Saxo, & auctor chronici Quidlinburgensis ad nonam diem martii referant Bonifacii passionem contra apertum Ditmari, quod legerunt, & fere exscripserunt, testimonium, incompertum nobis est, nisi mendum in illorum textum irrepsisse dicamus.

XVII. Scriptorum errata circa martyrium S. Bonifacii.

Fallitur de cetero Verhovius [a], qui Bonifacium putat a Gregorio V. papa ad barbaros Russicæ gentis apostolum missum, ubi manifestissime confundit Bonifacii missionem cum illa sancti Adalberti; & ex jam dictis constat, temporibus primis Gregorii V. Bonifacium nedum eremitam, postremis vero temporibus eremitam fuisse in Pereo, ubi diutius juxta Damianum vixit. Constat etiam ex auctore chronici Halberstatensis Bonifacium missionem accepisse a Silvestro II. papa. Erraverunt Antonius Demochares [b], qui Brunonem martyrem, & Russiæ apostolum Ruthenensibus in Gallia episcopis perperam accenset, & ipsi fidens Andreas Saussajus, qui in supplemento martyrologii Gallicani ad diem XIV. februarii ita scribit: „ Apud Ruthenos passio sancti Brunonis episcopi & martyris, „ qui gregem suum viscerali amore complectens, fidemque & justitiam „ servare contra omnem impietatem & injustitiam contendens, ab ini- „ quis, quos insectabatur boni pastoris voce, ceu a lupis ovis, immo „ ovilis generosus aries ferociter interemptus, agonis supremi coronam „ emeruit sempiternam. “ Fatemur, inquit Bollandus [c] ad diem XIV. „ februarii, esse quidem Rutenos Galliæ populos, quorum civitas, vulgo „ Rutena appellatur, gallice *Rodez en Rovvergne*, sed alii sunt finitimi „ Polonis Rutheni, qui rectius forte Russi aut Rossi appellantur. “ Redarguit Democharem etiam Mabillonius [d]. Sed turpiore anachronismo errorem omnium superavit editor notarum ad Leonem Ostiensem, qui Bonifacium nostrum hospitem ad Montem-casinum & Romualdi discipulum eumdem facit cum insigniore Bonifacio Moguntino antistite. Hæc adnotatio habetur ad Leonem Ostiensem editum a Muratorio, minime autem in editione ab Angelo de Nuce procurata anno 1668. [e].

a T. III. Junii.

b Lib. II. de Missæ sacrificio. cap. 25.

c T. II. Februar. pag. 797.

d Act. SS. O. S. B. Secul. VI. p. 72.

e Not. b ad cap. XVIII. lib. II.

XVIII. Quibus gentibus evangelium prædicaverit Bonifacius?

Quamobrem operæ pretium facturos existimamus, si inquiramus, quibus gentibus reapse evangelium prædicaverit Bonifacius. Verhovius apostolum Samogitiæ & Livoniæ Bonifacium facit. Ante ipsum Bollandus ad Scytharum alteram gentem missum existimat. Baronius ad annum 1008. putat, cum in Prussiam intulisse fidem Bruno dicitur, Prussiam pro Russia positam. Verum, qui tunc vivebat Ditmarus, multaque de Russis scripsit, diserte scribit Bonifacium in Prussiam perrexisse, ac deinde in confinio prædictæ regionis, & Russiæ occisum. Fuerat quidem haud multo ante Wlodimirus Russorum rex, cum duodecim filiis ac gente fere universa, christiana religione initiatus, sed quia Græcanicos ritus etsi orthodoxus sequebatur, merito ambigi potest, an Latinum antistitem vel expetierit, vel omnino foret admissurus; tempore pariter, quo adversus Jaroslaum Wlodimiri filium bellum gessit Boleslaus, proprius residebat Kioviæ Russorum tunc metropolis archiepiscopus, ut liquet ex eodem Ditmaro. Plurimos tamen Russos adhuc ethnicos suspicari possumus, cum longe latissimeque Russiæ regnum pateret. E contra Prussia *nedum lumen fidei agnoverat*; id testatur Helmoldus presbyter [f], qui scribebat Friderico I. impe

f Chron. Slav. lib. I. pag. 1. edit. Reinec.

Ann. Chr. 1009. Romualdi 102.

imperante circa annum 1170. qui mox *multa*, inquit, *poterant dici de hoc populo laudabilia in moribus, si haberent solam fidem Christi, cujus prædicatores immaniter persequuntur; apud illos martyrio coronatus est illustris Bohemiæ episcopus Adalbertus. Usque hodie profecto inter illos cum cetera omnia communia sint nostris, solus prohibebatur accessus lucorum & fontium, quos autumant pollui Christianorum accessu*. Quapropter cum veteres omnes Brunonem-Bonifacium occisum fuisse a Prussis affirment, credibilius est ad eos præcipue populos prædicationis evangelii officium assumpsisse, & sicut sanctus Adalbertus apud hos populos evangelii semina jecerat, ita & Bonifacium ejus consodalem ad præcursoris sui vestigia terenda, prædicationis munus continuasse in earum gentium vicinia verisimillimum judicamus. Accedit, quod populi illi, teste Petro Damiano, initio ejus prædicationis timebant Bonifacium occidere, ne & ipsis eveniret, quod evenerat Sclavonicæ genti, cujus plerique conversi sunt ob coruscantia miraculorum signa, quæ inclaruerant post martyrium sancti Adalberti. Quæ sane verba demonstrant ad ipsorum notitiam pervenisse Adalberti martyrium & miracula; quod ita facile intelligi nequiret, si gens illa, pro qua apostolatum gessit Bonifacius, valde remota fuisset ab alia gente, apud quam martyrio decoratus fuerat sanctus Adalbertus. Cum hoc tamen componi potest, quod prius per Russiam & Lithuaniam evangelium disseminaverit curriculo sui apostolici officii Bonifacius, ut ad annum 1003. ex eodem Ditmaro indicavimus. Franciscus & Silvester Maurolyci aliique arbitrantur Bonifacium fuisse Bosnensem archiepiscopum; verum, ut notavit Bollandus ad vitam sancti Romualdi, non videtur Bonifacius certæ fuisse sedi addictus, sed ordinatus antistes ad gentes, quæcumque ipsæ forent, & apostolicus episcopus. Censent aliqui Brunonem-Bonifacium etiam apud Hungaros verbum Dei diffudisse; id quod maxime confirmari posset ex Damiano adnotante, quod Romualdus audito Bonifacii martyrio, statim ejusdem laureæ desiderio incensus, Pannoniam subire animo concepit. Verum credere malumus Bonifacium pertransiisse per Hungariam, quam diutius in ea commoratum fuisse. Nomine Hungarorum, Slavorum, Sclavonicorum, eo tempore diversarum & maxime extensarum gentium multitudo veniebat, & earum ferme omnium barbararum regionum, quibus evangelii lumen nondum eluxerat. Propterea erasse videtur Mabillonius,[a] qui putat Brunonem nostrum eumdem esse, de quo hæc scribit Otto III. imperator Piligrino venerabili Pataviensi episcopo: *Brunonem episcopum vestræ mittimus & committimus dilectioni, ut quibuscumque apud vos indiguerit utensilibus, abundantissime adjuvetur, & tam vestris hominibus, quam & caballis, aliisque in itinere rebus necessariis, quanto propius possit, Ungrorum confinio honorifice, & cautissime perducatur. Nobis enim illuc erit delegandus, quo rex eorumdem nostro quam propere arbitrio sit colligandus. Vobis ergo magnopere sit studium hanc citissime fieri legationem, nam si, ut apud nos sedet, prosperabitur, vobis in hoc vestrisque omnibus admodum consuletur*. Ex qua epistola reperta in codice Tegernsensi intelligitur, ait supradictus Mabillonius, „ Brunonis etiam operam in revocandis ad fidem Hungaris adhibitam „ fuisse. “ Verum ejus opinio non subsistit, cum apertissime Ditmarus affirmet Brunonem-Bonifacium post mortem gloriosissimi imperatoris (Ottonis) regnante tunc secundo Domini gratia Heinrico, ad Merseburg venientem benedictionem cum licentia domini papæ episcopalem ab eo petiisse, atque ejus jussione consecrationem, & quod ipse detulit pallium, ibidem suscepisse. Porro Bruno, de quo loquitur Otto III. in epistola

a Act. SS. O. S. B. Secul. VI. p. 73.

stola ad Piligrinum, vel est Bruno archiepiscopus Coloniensis, vel melius Bruno Augustanus episcopus, frater Henrici postea imperatoris, & Gisalæ conjugis Stephani regis Hungarorum, quem, ratione nobilissimi generis, valde idoneum ad supradictam legationem Otto judicavit.

XIX. Alia ad Bonifacium pertinentia.

LICET Damianus in superiori narratione passionis Bonifacii, silentio prætermiserit ipsum socios octodecim habuisse martyrii, valde tamen verisimile est, solum non fuisse in apostolatu, sed secum duxisse aliquos monachos ex Italia, qui forsan in eo monasterio, quod in Saxonia extruxerat & ditaverat, aliquantulum prius commorati fuerint, vel alios, quos in eodem monasterio ipse instituerat, juxta disciplinam profecto in Italia & in eremo susceptam, quique proinde denegandi non sunt sancto martyri; præsertim si admittatur, quod toties tantisque modis probatum fuit, ipsum Bonifacium Damiani esse Brunonem-Bonifacium nominatum a Ditmaro, ceterisque auctoribus Germanicis, qui & socios ei tribuunt in prædicatione a papa Silvestro II. cum eo missos, & decem & octo comites coronæ participes assignant sancto Christi confessori. Quid mirum porro, quod Damianus in Italia constitutus, & vitæ Bonifacii obiter occasione vitæ Romualdi scriptor, vel hoc ignoraverit, vel prætermiserit? Summus insuper pontifex Benedictus XIV. feliciter regnans [a] in illustri suo opere de Canonizatione Sanctorum, Bonifacium nostrum affert in exemplum eorum sanctorum martyrum, qui barbaros provocavere evangelium prædicando, licet a prædicatione temperare a barbaris cogerentur. In florenti ætate martyrium subiisse dicendus est, atque vel trigesimo-tertio juxta Janningium, vel trigesimo-septimo ætatis suæ anno juxta Collinam, & quinto suæ ordinationis, qua decoratus fuit vigesimo-octavo, vel trigesimo-secundo suæ vitæ anno juxta varias hypotheses. Protomartyrem ordinis Camaldulensis ipsum facit Verhovius, nos vero Johannem & Benedictum socios eremitas illum præcessisse satis superque anno antecedenti ostendimus; nisi dicere velimus primum fuisse Bonifacium, qui pro Christi confessione sanguinem dederit, cum eremitarum Polonorum sanguis fusus fuerit a latronibus supervenientibus, & interficientibus eos avaritiæ & quæstus gratia. Ejus & sociorum martyrum corpora aliquandiu insepulta jacuerunt, quoadusque Boleslaus Polonorum dux id comperiens pretio redemit, eo modo, quo redemerat corpus sancti Adalberti, & sollemni pompa in suam urbem transferri & tumulari jussit. Aliquanto vero post pater sancti antistitis infirmatus, præcepto filii, qui ei apparuit, monasticum habitum assumpsit, ut ipse Ditmaro hæc scribenti narravit, & die 16. kalendas novembris in pace quievit.

[a] *Lib. III. cap. 17. n. 8.*

XX. Romualdus martyrii cupidus.

ROMUALDUS autem, vulgata fama martyrii Bonifacii discipuli sui hoc eodem anno; nam ipsius initio, scilicet XVI. kalendas martii, sanctus episcopus passus fuerat; maximo statim incensus fuit ipse etiam desiderio martyrium obtinendi; quare animo suo proposuit Hungariam subire; & sine mora itineri se commisit Romam versus, prædicandi facultatem obtenturus. Prænoverat quidem, divina revelatione habita ante tres annos in eremo Vallis de Castro, se ab eo anno post vicennium dumtaxat obiturum, & in eodem loco tumulum habiturum; verum vel tunc martyrii desiderium ejus mentem ita disponebat, ut oblivisceretur prædictionis divinæ, vel forsan ita explicandus est Damianus, ut sanguinem quidem & membra pro Christo, non tamen vitam daturus, præpararet se ad iter illud Hungaricum. Hæc enim Damianus habet: [b] *Interea Romualdus audiens, quia beatissimus vir Bonifacius martyrium suscepisset, nimio desiderii igne succensus, ut pro Christo sanguinem funderet, Hungariam mox ire disposuit.*

[b] *Vit. S. Rom. cap. XXXIX.*

ANTE-

ANN. CHR. 1009. ROMUALDI 102.

XXI. Ante profectionem suam in Hungariam condit monasterium Vallecastrense.

ANTEQUAM tamen ad iter se accingeret, tria extruxit monasteria, alterum in valle de Castro, secundum ad flumen Æsinum, tertium prope Asculum. In valle de Castro eremum quidem fundaverat Romualdus, & forte etiam monasterium, sed rude & impolitum. Ad hunc ergo annum referenda est regularis & stabilior constructio ejusdem monasterii impensis comitis Farolfi, de quo supra mentionem fecimus. In veteribus picturis claustri monasterii Vallis-castri visitur Romualdus cingulo vel manu cornua duorum taurorum ducens, & [a] Fortunius narrat, quod in ædificatione ecclesiæ, cum essent ex civitate Anconæ, ubi à Ravennæ urbe pervenerant, duæ columnæ trahendæ, exoravit Romualdus Farolfum, ut sibi boves ad eas deducendas usque ad locum ædificii concederet, qui Romualdo respondit, ut ad silvam properaret, ibique boves reciperet. Abiit Romualdus, & occurrentibus sibi duobus ferocissimis tauris, cingulum suum ad eorum cornua projecit, & tamquam mansuetissimos agnos coram Farolfo duxit, quos deinde comes sancto viro dono dedit. Idem Fortunius asserit tempore suo extitisse partem columnarum ecclesiæ Vallis-castri, quæ ab eo loco ad ornandam cisternam monasterii sancti Blasii de Fabriano translatæ fuerunt. Monasterii Valle-castrensis ectypon, sicut post septem secula conspicitur, in lectorum gratiam hic exhibemus.

a *P. II. lib. I. cap. 17.*

Romualdo, & monasterio Valle-castrensi ejusque abbati Gregorio donatam ecclesiam sancti Michaelis Templani tradit idem Fortunius. Id factum indictione VII. [b] scribit; hoc proinde anno, vel anno 1024. cum donatio facta fuerit sancto Romualdo, & ipsi abbati Gregorio. Deperdita est charta, quæ forte extabat Fortunii ætate; ipsum igitur audiamus: „ Per eos dies Tibertus ecclesiæ sancti Michaelis Templani præfectus, „ astipulante Humile episcopo Firmi, ipsam ecclesiam, quæ Senogalliensis hodie diœcesis est, sancto Romualdo, ipsique Gregorio abbati ultro „ dilargitus est, ut ab suis discipulis administraretur, una cum duabus „ partibus curiæ ipsius loci, quæ ad parentes suos pertinuerant, pro „ dote ecclesiæ, mense februario indictione septima, manu Gozii tabellionis, & Offo, Mainardus, Ubaldus, Farolfus & Rodulphus comites „ testes adhibiti. “ Humilem episcopum non recenset [c] Ughellius. Ubertum episcopum Firmanum agnoscit per ea tempora, anno nimirum 1010. quo obtulit *beato Benedicto de causa juris sui in fundo Oppiano terras & vineas, silvas, prata & oliveta, possessionem non paucam & in fundo Paterno similiter*. Hæc [d] chronicon Casinense. Adnotat Coletus [e] eum sedisse inter patres concilii Romani celebrati a Gregorio papa V. anno 998. Idem pariter anno 1016. ecclesiam sancti Michaelis archangeli prope mare Firmo abbati sancti Sabini liberaliter concessit. Anne episcopus Firmi, qui adstipulatus est donationi Tiberti, humilem se episcopum nominavit, quod adjunctum Fortunius in nomen proprium transtulit? Vel Ubertum aut Hubertum per simplices V. seu H. scriptum, Umilem vel Humilem interpretatus est?

b *P. II. lib. I. cap. 19.*

c T. II. col. 687.

d *Lib. II. cap.* XXVI.

e *Ibid. col. 687. in notis.*

XXII. Aliud prope flumen Æsinum.

SECUNDUM monasterium hoc anno extructum a sancto Romualdo prope fluvium Æsinum, dicatum fuit sanctæ Helenæ, cujus loci modo non superest nisi ecclesia, tres naves habens, & quadrato lapide ac solidissimo opere constructa. Aliquo tempore post ipsius constructionem extitit celeberrimum hocce monasterium, quod anno 1180. unitum fuit eremo Camaldulensi. Extat bulla data Laterani anno 1199. XIII. kalendas aprilis ab Innocentio papa III. ad Nicolaum abbatem hujus monasterii ejusque successores, per quam, præter plurima nominata bona, jus ipsis confirmatur in quadraginta & amplius ecclesias & in quinque castra. Modo

diruto



ABBATIA. VALLIS. CASTRI.



diruto monasterio ecclesia commendatariis inservit. Si [a] Jacobillio sit adhibenda fides, Romualdus in eo cœnobio primum sanctimoniales instituit, quibus loco cedentibus vel decedentibus, monachi sunt subingressi. Æsinus sive Æsis fluvius est Camerinensis agri, non valde distans ab urbe Æsio, olim limes inter Umbriam & Picenum, vulgaris vocabuli confusione ab accolis dictus *il Fiumesino*. De hoc monasterio plura dicemus suis locis.

ANN. CHR. 1009. ROMUALDI 102.

a *SS. Umbriæ T. II. pag.* 27.

XXIII. Tertium prope Asculum.

TERTIUM monasterium ædificatum fuit a Romualdo prope Asculum, olim Esculum dictum, vulgo *Ascoli*, quæ urbs est episcopalis in Picena provincia. In Historia Asculana latine conscripta ab Sebastiano Andreantonellio, & Patavii impressa anno 1663. [b] hic auctor existimat, cœnobium constructum a divo Romualdo illud fuisse, quod postea nomen obtinuit sancti Salvatoris a Valle tercentis passibus distans ab urbe Asculo, situm in amœnissimo montis acclivi, cujus suo tempore non supererat nisi ecclesia extra pontem majorem redacta ad simplex beneficium, spectans olim ad abbatiam Farfensem.

b *Pag.* 220.

XXIV. In Hungariam proficiscitur, sed vi morbi repellitur.

c *Vit. S. Rom. cap.* 39.

HAEC porro sunt *tria monasteria*, quæ, ut ait Damianus, [c] Romualdus, *dum in ipsa intentione persisteret* se transferendi in Hungariam, *brevi tempore constituit, unum videlicet in valle de Castro, ubi nunc sanctissimum corpus ejus est conditum, aliud prope Isinum fluvium, tertium juxta oppidum condidit Esculanum*. His confectis, *licentia ab apostolica sede suscepta, & duobus suis discipulis in archiepiscopos consecratis, cum viginti-quatuor fratribus iter arripuit. Tantus enim ardor moriendi pro Christo in omnibus æstuabat, quod vir sanctus ad tale negotium cum paucis ire difficile poterat*. Vivebat tunc in apostolico throno Sergius papa IV. qui 11. octobris hujus anni 1009. successerat Johannni XVIII. ut habet Papebrochius [d]. Ab eo ergo, potius quam a Johanne ratione temporis, quo Romam petere potuit Romualdus, obtenta licentia, & consecratis duobus suis discipulis, qui forsitan fuere Gregorius & Ingelbertus, quos aliis in locis Damianus archiepiscopos Gentium appellat, cum bis duodenario discipulorum numero ad iter impavidus se accinxit. Et jam plurimum viæ confecerat, parumque ab Hungaria distabat, cum ecce Romualdo fit compertum, Dei voluntatem ipsius non suscipere sacrificium; nam si iter prosequi vellet, infirmabatur, si redire disponeret, ab ægritudine liberabatur. *Euntes ergo*, prosequitur Damianus [e], *cum jam ipsis Pannoniarum finibus interessent, repente Romualdus languore correptus, ulterius ire non potuit. Cumque diutius pateretur, si quando redire disponeret, protinus ex ægritudine convalescebat. Sin autem ire ultra tentaret, tota ejus facies protinus intumescebat, cibos quoque jam retinere, stomacho languescente, non poterat. Advocatis itaque fratribus ait: Perpendo, inquit, nequaquam divinæ voluntatis esse indicium, ut ultra progrediar. Verumtamen, quia intentionis vestræ desiderium non ignoro, neminem vestrum redire compello. Multi nempe etiam ante nos totis nisibus studuerunt ad martyrii culmen pertingere, sed quia divina providentia aliter sensit, in suo gradu coacti sunt remanere. Licet ergo vobis omnibus martyrium defuturum esse non ambigo, qui tamen ire, qui mecum redire voluerint, uniuscujusque relinquatur arbitrio. Quindecim igitur Hungariam prodeuntibus, duobus alibi jam dimissis, vix septem cum magistro discipuli remanserunt. Euntium autem quidam flagellantur, venduntur, plures domino subeunt, ad martyrium tamen, sicut vir sanctus prædixerat, non pertingunt*.

d *Propyl. mens. Maji pag.* 286.

e *Ibid. cap.* XXXIX.

XXV. De sociis ejus itineris.

MIRABILITER profecto se declaravit in hoc facto providentia & voluntas divina, quæ Romualdum ad Italiæ utilitatem, non ad Hungariæ conversionem vel profectum volebat. Quindecim, qui abierunt, juxta

ANN. CHR. 1009. ROMUALDI 102.

xta sancti viri prophetiam, vel captivi facti fuere, vel flagellis dure cæsi, non tamen martyres effecti. De his hoc elogium habemus apud Brietium ad annum 1008. „ Sanguine suo, atque libertate Dei gloriam & „ proximorum salutem promeruerunt. " De Romualdo tamen & ceteris, qui martyrii desiderio æstuabant, illud dici potest, quod de divo Felice Nolano cecinit sanctus Paulinus Natal. III.

Cœlestem nactus sine sanguine martyr honorem,
Nam confessor obit pœnas non sponte lucratus,
Acceptante Deo fidam pro sanguine mentem,
Qui cordis taciti scrutator ferre paratos
Æquiparat passis, sat habens interna probasse,
Supplicium carnis justa pietate remittit.
Martyrium sine cæde placet; passura voluntas
Sufficit; & summi est meriti testatio voti.

Quare merito de Romualdo canimus:

Martyrum palmas rapit absque ferro.

eodem modo, quo de sancto Martino profert ecclesia: *O sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit*; nam, ut ait [a] Sulpitius Severus ad Aurelium diaconum loquens de sancti pontificis obitu: *Gloria martyris non carebit, quia voto atque virtutibus & potuit esse martyr, & voluit.*

a Epist. II.

Duo, quos alibi dimisit Romualdus, nostra sententia ii sunt, qui designati fuerant in archiepiscopos. Cur enim ii redirent, quandoquidem licentiam habebant prædicandi evangelium Gentibus? Ii ergo vel in Hungariam, vel fortasse in Slavorum gentes, & ubi obierant Adalbertus & Bonifacius, transierunt. Quid porro de iis actum sit, in tanta rerum caligine, penetrare non licuit. Legimus tamen apud Hundium [b] in metropoli Salisburgensi eo loci, ubi loquitur de monasterio Niderburg, ibidem in templo jacere *Gregorium episcopum, qui ex Oriente in Batavorum urbem venit*. Ex Hungaria scilicet, quæ respectu Bajoariæ ad Orientem posita est, ubi eremiticam vitam duxisse creditur, venit in urbem Patavensem, vulgo *Passaw*, Gregorius. Suspicatur & ipse Mabillonius [c] hunc esse Gregorium Romualdi discipulum, *qui archiepiscopus in gentibus factus est*, atque Patavium venisse cum Gisala regina Hungariæ, quæ post mortem divi Stephani regis in Niderburgense Bajoariæ parthenone monasticum habitum induisse dicitur, ibique abbatissæ munus gessisse post Heilkam suam, & sancti imperatoris Heinrici amitam. Sed de eremitica Romualdi institutione in Hungaria fusior se præbebit differendi occasio anno sequenti.

b T. II. p. 403.

c Annal. T. IV. p. 422.

XXVI. An Ludulphus fuerit ep. Eugubinus?

LUDULFHUM Avellanensis eremi fundatorem electum hoc anno fuisse episcopum Eugubinum scripsit [d] Ughellius, addiditque Lucentius, quod cum non consensisset electioni de se factæ a clero populoque Eugubino anno 1009. præcipiente deinde Sergio IV. humeros supposuerit, præfueritque tali suavitate, ut contermini populi ejus sanctitate illecti ad incolendum Eugubium turmatim accurrentes, civitatis plura ædificaverint suburbia; sed anno tertio sui regiminis, indulgente Benedicto papa VIII. redierit ad eremum sanctæ Crucis de Avellana, successoremque habuerit Julianum discipulum suum in eodem cœnobio institutum. Exscripsisse videtur Lucentius Jacobillium, qui similia refert. Ante omnes Fortunius: Ludulphus, [e] inquit, degens quasi incognitus a pastoribus proditus est, & ad

d T. I. col. 635.

ad episcopalem cathedram Eugubinæ ecclesiæ, in cujus diœcesi locus est, attractus deinde omnino invitus. Idipsum asserunt Florius & Collina nostri, & quotquot res Camaldulenses attigere. Illud tamen semper erit contra Lodulphi episcopatus susceptionem, & dimissionem firmissimum argumentum, quod petitur ex silentio Damiani, qui in duobus opusculis ad Nicolaum II. & ad Alexandrum II. Romanos pontifices inscriptis enumerans episcopos, qui eam sarcinam a suis humeris deposuerunt, ne verbum quidem facit de Lodulpho, cujus domesticum exemplum nec ipsum Damianum poterat latere, nec inutiliter allatum fuisset in medium. Latere non poterat, quia de viro agebatur, quocum ad multos annos simul vixerit, admissa Lodulphi morte ad annum 1047. inutiliter vero allatum non fuisset, quia de pari studio, quod ad eamdem solitudinem, eamdemque eremum uterque gerebat, tractabatur. Neque dicendum errore calami, ut sæpe contingit, Damianum posuisse Calliensem pro Eugubina ecclesia, atque proinde Liutulphum Calliensem episcopum, de quo hæc scribit in primo ex dictis opusculis: *Nostra nihilominus ætate Liutulphus Callensis episcopus episcopali se dignitate dejecit, successori, qui nunc superest, ecclesiam tradidit, sic sibi, si tamen non defuit animus, liberam facultatem ad agendam pœnitentiam procuravit*, ipsissimum esse Eugubinum episcopum Lodulphum; quod scilicet ullo modo dici nequit, quia Lodulpho sanctissimo eremitæ animus non defuit ad agendam pœnitentiam, neque ejus in sede Eugubina successor circa annum 1060. quo ea scribebat Damianus, supererat, sed jam objerat, vel Julianus is fuerit, vel alius; sed neque in vivis ulterius erat Theudaldus, qui ecclesiam illam rexit post allegata Lodulphi episcopatus tempora: & qui iis annis 1060. & 1061. vivebat in cathedra Eugubina episcopus Rodulfus, vix sedem illam conscenderat, decem & amplius annis post Lodulphi mortem. Hinc etiam Griffolinus Valerianus, qui recenset Lodulphi discipulos episcopos subinde factos, de Lodulphi episcopatu omnino silet, quem neque Bernius memorat in [a] chronico Eugubino apud Muratorium, neque Johannes-baptista Pamphilius, qui circa annum 1461. scripsit, neque veteres Eugubinorum episcoporum catalogi. Affertur quidem ad Lodulphi episcopatum adstruendum auctoritas antiqui chronici Gualdensis, cujus scriptor testimonio Constantini Cajetani post initium seculi XIV. vixisse creditur, & in quo hæc leguntur: *Beatus Lodulphus Augubio in sacro monasterio Fontis-avellanæ congregationem Columbæ fundavit. Fuit is episcopus, & anno Domini* M.XXXXVII. *in eodem monasterio mortuus est, & mira sanctitate refulsit*. Sed jam Sartius noster in suo valde elaborato opere [b] *de Episcopis Eugubinis* nullam esse fidem adhibendam chronico Gualdensi, quod recenti manu interpolatum sit, adjecta nimirum ea periocha, nuperrime declaravit, sicut etiam docuit recentissimas & fortasse non ultra medietatem seculi superioris confectas esse tabulas pictas, quæ beatum Lodulphum episcopalibus infulis ornatum exhibent, ex quibus alteram se vidisse testatur in monasterio Avellanensi, alteram Romæ in hortis Pamphiliis ad divi Pancratii. Ea propter quoadusque melioribus argumentis episcopatus Eugubinus Lodulphi, & ipsius abdicatio ab eo munere non probetur, fictitia nobis erit hujuscemodi ex eremo ad episcopale patriæ fastigium illius evocatio.

ANN. CHR. 1009. ROMUALDI 102.

a *T. XXI. rer. Italic.*

b *Pag.* 23.

XXVII. Guido abbas S. Severi fit abbas Pomposianus.

CERTIUS est hoc anno desinente, vel certe initio sequentis obiisse Johannem-angelum abbatem Pomposianum, cui a Martino venerabili eremita suffectus fuit Guido, abbas tunc temporis sancti Severi in Classe Ravennæ. Pauca de Johanne-angelo proloquitur vitæ sancti Guidonis scriptor; ait tantum *virum fuisse per omnia probatum, & angelica merito nun-*

ANN. CHR. 1009. ROMUALDI 102.

cupatione condignum. Quis datus fuerit Guidoni successor in cœnobio sancti Severi, nescimus; nam Vitalis in charta anni 1013. & de quo eo anno agemus, nominatur *electus* abbas monasterii sancti Severi. Pater Guidonis Pomposiani abbatis filium, & Gerardus frater fratrem æmulati, *relicto seculo ad Christum conversi sub eo in Pomposiensi cœnobio religiose conversati sunt*. Quænam egerit Guido pro restauratione sui monasterii tam in ædificiis, quam in pietatis operibus enarrare pergit vitæ ipsius auctor apud [a] Mabillonium.

a *Secul. VI. Par. I. Act. SS.*

XXVIII. Præceptum Henrici imp. pro abbatia Classensi.

HARDEFADO in regimine Classensis sancti Apollinaris abbatiæ successerat Bonus jam ab anno 1006. indictione IV. quarto nonas aprilis, quo die residebat cum Henrico rege, ac cum pluribus episcopis & abbatibus Neoburgi in placito, ubi agitata fuit lis, quæ cedebat [b] *Winizonem* inter *abbatem sancti Salvatoris de Monte Amiato & Bosonem abbatem sancti Anthymi*, ac inter *Arialdum Clusinum episcopum causa consecrationis ecclesiarum suarum in parœcia episcopatus Clusini manentium*. Hoc autem anno ab ipso rege privilegium obtinuit idem Bonus pro sua abbatia Classensi, & confirmationem ejus bonorum. Diploma autographum ex archivo monasterii Classensis damus in Appendice, una cum altera ex tabulario Fontis-boni donatione, quam hoc eodem anno mense novembri *Helempertus episcopus excellentissimus sancte Arretine ecclesie pro anima bone memorie Heverardi, qui fuit anterior episcopo*, fecit a se constructo monasterio sanctæ Mariæ in Pratalia. Charta postrema signatur indictione VIII. quæ nimirum initium sumpserat a mense septembri.

b *Ughell. T. III. col. 622.*

XXIX. Johannes abbas Palatiolensis.

IN monasterio Palatiolensi prope Ravennam Bonizoni, de quo egimus ad annum 1001. suffectus fuerat in abbatem Johannes. Huic enim *die octava mensis januarii* hujus anni *indictione septima pontificatus domini Johannis summi pontificis sexto, imperante nemine, Honestus consul filius quondam Honesti ducis fossam in integrum foris portam Artemeduli, qua cum ingressu & egressu suo per ipsam fossam de Badareno usque ad ipsam Juncitam, & de ipsa Juncita ingressu & egressu ad monasterium vestrum sancte Marie, quod vocatur a Faro* habendam, tenendam & possidendam concedit. Integram donationis chartam edidit Margarinius in [c] bullario Casinensi. *Johannes* appellatus *venerabilis presbiter & abbas regule* ipsius monasterii diu fuit superstes, nam & ad annum 1039. ejus memoria nobis occurret. Animadversione est digna formula illa *imperante nemine*; licet enim regnaret Henricus, non erat tamen imperiali corona redimitus, quam anno tantum 1014. suscepit de pontificis Benedicti VIII. manu.

c *T. II. pag. 68.*

ANN. CHR. 1010. ROMUALDI 103.

XXX. Conversiones nobilium virorum factæ a Romualdo in suo Pannonico itinere.

CARUIT fructu martyrii Romualdus, sed non caruit fructu conversionum occasione sui Hungarici itineris. Adhelberonis ducis consanguineum nobilissimum, aliosque Teutonicos ad monasticum statum capessendum allexit, & ipse post hanc prædam ad monasterium Urbe-vetanum rediit. *Romualdus autem*, ait Damianus, [d] *converso quodam nobilissimo viro, Adhelberonis videlicet ducis consanguineo* (per errorem Mabillonius vocat *filium*) *qui postea monachus factus, in sancta usque ad mortem conversatione permansit, aliisque Teutonicis, ad monasterium, quod in Urbisveteris regione construxerat, redit*. Post quæ verba subdit Damianus: *Notandum itaque est, quia sanctus vir nequaquam velut levitate usus, falli inaniter potuit, qui secundum intentionem quidem suam martyrium subiit, juxta divinum vero consilium pro salute eorum missus est, quos convertit*. Quis sit hic Adhelbero dux, inquirere placet. Hermannus Contractus in chronico [e] sæpe Adalberonis ducis mentionem facit. Anno 1012. ait:

d *Vit. S. Rom. cap. XXXIX.*

e *Lection. Hen. Canisii T. III. pagg. 563. & seqq.*

Conra-

Conradus dux Carentani filius Ottonis ducis, fraterque Brunonis dudum papæ, obiit, & privato filio ejus puero Conrado, Adalbero ducatum accepit. Ad annum 1019. *Conradus adolescens filius Conradi quondam ducis Carentani, auxiliante patruele suo Conrado, postea imperatore, Adalberonem tunc ducem Carentani apud Ulmam pugna victum fugavit.* Anno 1035. *Adalbero dux Carentani & Histriæ, amissa imperatoris gratia, ducatu quoque privatus est*; & ad annum sequentem: *Conradus patruelis imperatoris patris sui ducatum & in Histria, quem Adalbero habuerat, ab imperatore suscepit.* Ac demum ad annum 1039. *Conradus & dux Carentani, & Adalbero æmulus ejus, qui ante eum ducatum eundem tenuerant, ipso anno obierunt.* Ex iis intelligitur Adalberonem anno tantum 1012. ducatum obtinuisse Carinthiæ. De eo tamen loquitur Damianus, qui per anticipationem nominavit Adhelberonem ducem, hoc est, qui fuit postea dux. Verum quidem est sanctum scriptorem loquentem eodem capite & sequenti de Rainerio, distinxisse tempora, quibus Rainerius nondum erat marchio, & quibus erat marchio Thusciæ, ut proinde idipsum videretur præstare debuisse, dum verba fecit etiam de Adhelberone, notando ipsum deinde fuisse ducem; sed inter utrumque illud cedit discrimen, quod de Adhelberone obiter mentionem fecerit causa sui consanguinei; at de Rainerio aliqua narrare volebat, quæ præcesserant regimen Thusciæ, & aliqua, quæ ad tempus illud pertinebant, quo jam erat marchio constitutus. Præterquamquod non videtur adeo differendum Romualdi desiderium audita morte Bonifacii, ut triennio vel quadriennio tantum post ejus obitum Hungariam ad obtinendum martyrii fructum perrexerit, si eo tantum tempore iter illud assumpsisset, quo Adhelbero creatus jam fuisset dux Carinthiæ. Quare non putamus, ut olim in mentem nobis venerat, ratione temporis ducatus Adhelberonis, dimovendam esse a præcedenti anno Romualdi profectionem in Pannoniam, & assignandam ad annum 1012. vel 1013. quibus positis ejusdem sancti patris gesta majoribus involucris perturbarentur. Vario modo effertur nomen hujus ducis; Adhelberonem vocat Damianus, Adalberonem Hermannus Contractus, & in chartis a Muratorio editis appellatur etiam [a] Adalperio & Adelpeyro. Ceterum de supralaudato Hermanni Adalberone intelligendum esse Damianum, non vero de alio, ex eo insuper deducimus, quod Carentanum, ubi probabiliter convertit hos Teutonicos Romualdus, & ubi Adalbero tunc facile commorabatur, ipsa est Carinthiæ provincia, per quam necessario redux ab Hungariæ finibus transire debuit sanctus vir. Veri speciem habet Romualdum constituisse consanguineum Adhelberonis una cum aliis conversis Teutonicis monachos in sua Parentina solitudine a Carinthia haud multum dissita; certe ex Damiani textu non evincitur ipsum eos secum duxisse ad monasterium Urbe-vetanum. Porro hic nobilissimus vir [b] *postea monachus factus, in sancta usque ad mortem conversatione permansit*, neque semel arreptum vitæ perfectioris institutum deseruit, ut fecit olim Olibanus Ceritaniæ & Bisulduni comes.

Ann. Chr. 1010. Romualdi 103.

a *Antich. Esten. P. I. p.* 85.

b *Vit. S. Rom. cap.* XXXIX.

XXXI. Obitus monachi filii Guidonis comitis.

REDUX Romualdus ex Hungaria in Urbe-vetanum denuo se recepit monasterium, a quo verisimile est se proripuisse, cum regnum illud martyrium cupiens petiit. Contigit autem tempore suæ reversionis mors Guidonis, vel monachi illius, qui erat filius aut nepos Farolfi comitis, quem ante triennium monasticam cucullam in eo cœnobio induisse perhibuimus. [c] Verbis ipsius Damiani pretiosam hujus pueri mortem referimus. *Filius Guidonis comitis fuit, qui in ipsa pueritia non longo tempore postquam monachus factus est, ad mortem veniens, vidit duos iniquos spiritus,*

c *Vit. S. Rom. cap.* XXXVIII.

Ann. Chr. 1010. Romualdi 103.

tus, quasi nigerrimos vultures, terribiles in se oculos infigentes. Cumque hoc assistenti sibi beato Romualdo puer ediceret, protinus addidit: Ecce, magister, tanti nunc Æthiopes intrant, ut jam totum ædificium repleant. Exhortatur autem, ut confiteretur, quid deliquisset: hoc solummodo crimen felix ille peccator cum magno terrore confessus est, quia jussus fuerat a priore, nescio quot scopas accipere, quas necdum acceperat. Romualdo igitur sibi tanti facinoris veniam indulgente, in pace defunctus est. Postera vero die cœcus quidam, præbendarius videlicet patris ejus, ad sepulcrum illius venit, & altiori voce clamavit. Hem, domine, inquit, meus, si cum Deo es, sicut credo, preces pro me ad eum funde, & oculorum mihi lumen restitue. Et hoc dicto, statim illuminatus est. Nonnulli quoque ægroti ad ejus tumulum venientes redditi sunt sanitati. Nam & ipsum ejus sepulcrum velut multis plenum aromatibus redolebat. Et ita a Deo meruit honorari post mortem, qui pro ejus amore, dum viveret, carnalium parentum sprevit hæreditatem. Juxta regulam sancti Benedicti jam pueri septennes & octennes recipiebantur in monasteriis; id constat etiam ex vita ejusdem sancti patris nostri Benedicti, cui Placidus & Maurus pueri a suis parentibus oblati fuerant. Quid, quod tempore suo Damianus recepit in monasterium, & habitu monachi induit puerulum quinquennem? [a] *Puerulus quidam ætate quinquennis, Hubaldi scilicet nobilissimi viri, qui mecum degit in eremo, filius, in meo monasterio factus fuerat monachus.* Quare non mirabimur, si etiam Romualdus puerum recepit in suum Urbe-vetanum monasterium. Quam autem ætatem haberet anno, quo obiit, divinare nolumus, dixisse contenti ipsum non solum monachum effectum, sed etiam obiisse in sua pueritia. A risu autem vix temperavimus, cum apud Tertium, Lollium, Ractium & Castagnizzam legimus, culpam hujus pueri in eo sitam fuisse, quod scopas aliquas ad verrendam domum ex imperio prioris neglexerit colligere, cum luce clarius ibi sermo sit de quodam pœnitentiæ genere, quam ei injunxerat prior, & puer distulerat subire, ut recte adnotavit Andreas Vallemanius noster in ejus vita [b]. Erant autem scopæ fasces ex virgis, quibus cædebantur paucis aut multis ictibus monachi in capitulo pro qualitate negligentiarum, vel quibus voluntarie se cædebant. Quare in vita sancti Dominici Loricati apud Damianum legitur: [c] *Virgarum scopas in corrigiarum scuticas vertit.* Quo autem monumento innitantur Lollius & Jacobillius [d] asserentes Guidonem puerum, licet in monasterio sancti Gregorii apud Urbem-veterem factum monachum, obiisse tamen in Valle-castrensi cœnobio, ibique tumulatum in subterranea ecclesia, minime produnt. Cæcum illuminatum, ægrotos sanatos, sepulcrum ejus aromatibus redolens refert tantum Damianus. Plura addunt de ejus ferventissimo amore in passionem Christi, in sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, in Deiparam virginem scriptores ejus vitæ, cupidum quoque fuisse martyrii, pluraque signa patrasse, quæ nos, ex quo fonte hauserint, ignorantes, libenter præterimus. Cæcus, cui lumen oculorum amissum restituit, erat *præbendarius* patris, famulus nempe emeritus, qui licet servitium præstare nequiret, grati animi causa nutriebatur in domo & impensis domini.

a Opusc. xxxvi. cap. xvii. T. II. pag. 321.

b Synop. Vit. nonnul. SS. Camald. pag. 24.

c Cap. xi.

d In Vitis ejusdem Sancti.

XXXII. Romualdus Urbem-veterem linquit, & transit ad ditionem Rainerii.

Paullulum temporis post pueri obitum substitit Romualdus in Urbe-vetano monasterio, multa passus ab abbate & monachis. [e] *In prædicto igitur monasterio, ait Damianus, multa persecutionis scandala passus est. Volebat enim abbatem, ut revera monachum, extremitatem diligere, secularia ex desiderio non tractare, res monasterii pro vana gloria non expendere, fratrum usibus necessaria ministrare. Quæ omnia, dum ille surda aure contemnit,*

e Vit. S. Rom. cap. xxxix.

temnit, Romualdus locum cum suis discipulis deserens, non longe a Castro prædii in virtute Rainerii, qui postmodum Thusciæ marchio factus est, habitavit. Considerabat sanctus pater abbates licet in dignitate constitutos, semper tamen monachos esse, atque proinde regulam, quam subditis suis observandam proponunt, teneri ipsos inter primos adimplere. Extremitatem volebat ab abbatibus diligi, secularia vel fugere, vel invitos tractare, non dilapidare ad arbitrium bona & substantias monasterii, atque fratribus dividere, quæcumque ipsis forent necessaria. Cecinit surdo Romualdus, mox locum deseruit, & cum discipulis suis habitaturus secessit non longe a Castro. Castrum, quo se recepit Romualdus, forte fuit urbs illa episcopalis, caput ducatus ejusdem nominis, quæ sita erat inter territorium Senense, quod respicit ad occidentem, & territorium Urbe-vetanum, quod extenditur ad septentrionem, ut geographi describunt. Innocentio papa X. præcipiente urbs hæc solo diruta est anno *1646*. Vocabulum, quo utitur Damianus *in virtute Rainerii*, idem significat ac in possessione Rainerii. Simili voce usus fuerat ad caput XXXV. vitæ sancti Romualdi: *Cuncta suæ virtutis offerunt prædia*. Aliquando *virtutes* significabant jura & privilegia, aliquando reliquias Sanctorum, ut videre est apud Cangium, & monachos doctissimos San-maurinos in Glossario mediæ & infimæ Latinitatis, in allato vero Damiani textu significat possessionem & dominium.

ANN CHR. 1010. ROMUALDI 103.

XXXIII. De Rainerio postea marchione Thusciæ.

RAINERIUS tunc nondum marchiam Thusciæ obtinuerat. Post Hugonem enim magnum defunctum anno 1001. Thusciam rexit *Bonifacius filius Alberti lege vivens Ribuaria*, ut ex Ratberto in vita sancti Bononii, & ex chartis ejus ævi discimus. Quando autem Rainerio collatum fuerit Thusciæ regimen, definite asserere non præsumimus. *Anno 1016. imperii Henrici* III. *mense Hoctuber indictione* XV. *Reginerius marchio & dux Tuscanus placitum* celebravit *in urbe Aretina cum Hugone comite ipsius comitatus*. Autographum hujus placiti extat in archivo Doniano Florentiæ, & ex apographo authentico monachorum sanctarum Floræ & Lucillæ Arretinæ urbis edidit [a] Muratorius. Proxime ad eadem tempora, & ut putat idem Muratorius [b], ad annum circiter 1014. aliud placitum tenuit idem *Rainerius marchio & dux in turri de Corgnito*, forte *Corneto*, relatum in chronico Farfensi. Anno 1012. in diplomate Henrici regis pro abbatia Florentina apud Margarinium [c] Bonifacius filius Alberti appellatur *quondam marchio*, & in fragmentis vetustæ historiæ monasterii sancti Michaelis de castro Marturi apud Pucinellium, Raginerius marchio nominatur *Bonifacii successor*, ut vidimus ad annum 1003. ergo anno 1012. facile Rainerius Bonifacio in marchia & ducatu Thusciæ fuit suffectus. Anno vero, quo Romualdus in *castro* ejus *prædii habitavit*, Rainerius nondum erat marchio, neque dux Thusciæ.

Hic autem, ait Damianus [d], *Rainerius conjugem suam occasione propinquitatis abjecerat, & consanguinei sui uxorem, quem ipse se insequentem quodammodo invitus occiderat, in conjugium copularat. Ob hoc itaque Romualdus, ne criminis ejus particeps fieret, gratis manere in ejus possessione noluit, sed unum sibi aureum pro aqua, alterum vero pro lignis appendit. Quos cum ille omnino respueret, mallens videlicet sua dare, quam a sancto viro quidquam recipere, postremo tamen victus assensit, potius quam Romualdus abiret. Dicebat autem idem Rainerius, cum jam monarchiam obtineret, quia non imperator, non aliquis omnino mortalium tantum mihi metum valet incutere, quantum me Romualdi terret aspectus. Ante ejus quippe vultum, neque quid dicam scio, neque quibus me defendere valeam,*

a *Antiq. med. ævi. T. I. col. 299.*

b *Script. rer. Italic. T. II. P. II. col. 525.*

c *T. II. const. 76.*

d *Vit. S. Rom. cap.* XL.

leam,

Ann. Chr. 1010. Romualdi 103.

leam, ullas excusationes invenio. Habebat revera vir sanctus hanc ex divino munere gratiam, ut quicumque peccatores, præsertim potentes seculi, in ejus præsentiam devenissent, mox velut ante majestatem Dei tremefactis visceribus formidarent. Sanctus nimirum Spiritus, qui pectoris ejus habitator inerat, hunc terrorem injustis divinitus intendebat.

Conjicit Bollandus Rainerium hunc eumdem esse cum Rainerio, cui Petrus Damianus scripsit epistolam decimam-septimam libri septimi. Verum fallitur vir doctissimus. Rainerius, cui Damianus scribit, erat filius Uguccionis marchionis, soceri Guillæ comitissæ uxoris prædicti Rainerii, cui recenter nuptæ cum eodem Rainerio scripsit jam senex Damianus, ut in epistola ad eamdem Guillam habet; quod demonstrat Rainerium, cui Damianus epistolam dedit, tunc non senem, sed in florida adhuc ætate fuisse; quapropter Rainerius, de quo loquitur Damianus in vita Romualdi, distinguendus a Rainerio, cui inscripta est ejusdem Damiani epistola, quæ videtur circa annum 1060. aut paullo post data: aliter septuagenarius tunc fuisset Rainerius primus, nisi mavis dicere etiam, fuisset octuagenarius; nam anno, quo in sua possessione recepit Romualdum, conjugem abjecerat, ut aliam sibi copularet, & saltem viginti-quinque annos ætatis numerabat; porro ab anno 1010. ad 1060. quinquaginta intercurrunt, quibus si addantur viginti-quinque, septuaginta-quinque conficiuntur, qua in ætate quis dicat de novo nupsisse Rainerium Guillæ, vel pœnitentiæ causa adstrictum fuisse ab eodem Petro Damiano ad subeundam peregrinationem versus loca sancta Jerosolymorum pro peccatis suis eluendis?

Ceterum rem non injucundam lectoribus facturos nos arbitramur, si ope veterum chartarum, Rainerii I. marchionis & ducis Thusciæ, ejusque descendentium seriem & tempora per totius seculi undecimi cursum illustremus. Rainerius ergo I. Guidonis comitis filius & Walderadæ vir, ut habetur [a] apud Cosmum *de la Rena*, a Damiano in medium productus [b] in vita sancti Romualdi verbis illis, *qui postmodum Thusciæ marchio factus est*, circa annos 1012. 1014. & 1016. reperitur, ut mox innuimus, marchio & dux Thusciæ. Ab Hermanno Contracto [c] nominatur & ad annum 1027. quo *Conradus rex acto Yporegiæ natali Domini in ulteriora progressus, Lucam cum Raginhero marchione in deditionem accepit*. Eadem habet & Wippo in vita Conradi Salici imperatoris. Ea occasione facile dejectus fuit e regimine Thusciæ. Reperitur tamen & laudatur ejus nomen ad annum 1047. apud Muratorium [d] ex membrana archivi capituli canonicorum Arretii scripta anno Dominicæ incarnationis M. XLVIII. in qua hæc leguntur verba: *Dum in Dei nomine in comitatu Aretino infra palatium domus sancti Donati resideret Herimannus missus domini Henrici piissimi regis*, simulque cum eo *Ugo filius Raginerii quondam marchionis*. Ugo, sive Uguccio, Uguzzo vel Uguicio, sunt unum idemque nomen filii Rainerii I. Titulo marchionis insignitur Uguicio, ut etiam ejus pater Rainerius in charta [e] *definitionis inter canonicos sancti Donati & ministeriales Uguicionis filius Raginerii marchionis* anno 1044. in qua hæc inter cetera habentur: *Deinde ex consensu ambarum partium, & jussione supradicti Uguicionis marchionis fecerunt venire in eodem loco Fossato bonos homines de Polliciano* &c. Idem Ugo marchio, ut adhuc vivens, memoratur in charta anni 1051. tabularii Fontis-boni, [f] ubi dicitur, *Ugonem marchionem terras habere confines* cum terris monasterii Pratallæ. Frater uterinus Uguccionis marchionis erat Ubertus comes, de quo Damianus mentionem facit in epistola [g] ad Guillam comitissam occasione uxoris ejusdem Uberti. Soror pariter Uguccionis erat *Sophia duorum marchionum*, *Uguc-*

a Serie de' Duchi pag. 155.
b Capp. XXXIX. & XL.
c In chronico.
d Antiq. medii ævi T. I. col. 301.
e Ibid. col. 302.
f §. Invalidæ 12. A. 1. 2.
g Epist. XVIII. lib. VII.

Uguccionis soror, *Rainerii filia*, cujus obitum refert idem Damianus in opusculo L. ad Blancam ex comitissa sanctimonialem. Ante annum 1059. vel forte eo anno obiit Ugo seu Uguccio marchio; nam *Raineri filio bone memorie Ughicioni*, *qui fuit marchio*, *anno ab incarnatione Domini mille sexagesimo* (stylo Pisano) *decimo kalendas augusti indictione duodecima*, hoc est anno 1059. stylo Romano, vendit portionem cujusdam sui montis, ex charta archivi Pisani [a] apud Muratorium. Reperitur tamen eodem anno idem Rainerius nominatus filius *Ugicionis ducis & marchionis*, sine addito *bonæ memoriæ* nomini ejus patris, in placito habito coram Gothifredo duce & marchione Thusciæ [b] pro canonicis Arretinis apud eumdem Muratorium. Anno 1066. mense octobri *Rainerius filius quondam Ugonis marchionis* donat eremo Camaldulensi, & Rustico ejus priori duos mansos in plebe sanctæ Mariæ de Chio, vocabulo *al Pino*. Eodem anno dictus Rainerius existens in Colle, ubi ecclesia sancti Savini martyris sita erat, infra plebem sanctæ Mariæ de Chio, bannum publicare fecit, ne quis injurias vel molestias afferret eremitis & monachis Camaldulensibus. Ipso anno *Einricus filius quondam Ugonis*, *qui fuit marchio*, obtulit eidem eremo portionem suam ecclesiæ sancti Savini, quæ dicitur de Colle, plebatus sanctæ Mariæ de Chio. Hæc [c] ex chartis tabularii Fontis-boni, ex quibus in notitiam venimus Rainerium, qui saltem ab anno 1059. successit in marchia Uguccioni patri, fratrem habuisse Heinricum filium similiter Uguccionis ducis & marchionis. Rainerio II. marchioni [d] epistolam scripsit Damianus, & alteram Guillæ comitissæ ejus uxori; ex qua etiam postrema colligitur Rainerium II. qui uxorem habuit Guillam, non fratrem fuisse Uguccionis, ut est in serie Cosmi *de la Rena*, sed filium, cum aperte dicat Damianus Ubertum fuisse fratrem uterinum Uguccionis marchionis soceri Guillæ conjugis Rainerii II. Anno 1068. Guinizus monachus Camaldulensis emit eremi Camaldulensis nomine terram ab Imiza filia Azi *per consensum Rainerii quondam Ugonis*, *qui fuit marchio*, *ipsius venditricis domini*, ex chartario [e] ejusdem eremi. In diplomate Henrici IV. cum eodem imperatore Sutrii adstitisse leguntur marchio Albertus, & *Rainerius item marchio*. Ipsum publici juris fecit Ughellius [f] tom. III. Italiæ sacræ in episcopis Pisanis sub anno 1094. Sed, ut observant Troncius & Muratorius [g], diploma illud spectat ad annum 1084. cum signetur *indictione septima anno domini Henrici regis quarti Romanorum imperatoris tertii regni* XXVIII. *imperii* I. quæ chronicæ notæ indicant annum 1084. Ergo ad eum saltem annum vitam produxit Rainerius II. marchio filius Uguccionis ducis & marchionis. Obierat tamen anno 1090. nam ex charta tabularii monasterii sanctarum Floræ & Lucillæ Arretii [h] apud eumdem Muratorium sub eo anno legitur: *Manifesta sum ego Caterina comitissa*, *que Trotta vocor*, *filia cujusdam comitis*, *& sum conjux Raineri filii quondam Raineri marchionis*. *Similiter suprascriptus Rainerius filius quondam Raineri marchionis confiteor* &c. Tertius igitur hujus nominis Rainerius ad annum circiter 1090. est revocandus. Et hæc ad illustrationem horum ducum & marchionum satis superque sint.

Sed ex diverticulo ad rem nostram redeamus. Grandius [i] asserit campum Rainerii fuisse in Monte-pregio in territorio Perusino, & vult Romualdum ædificasse ibidem eremum sub titulo sancti Vincentii, ut idem ante ipsum scripserant [k] Cosmus *de la Rena*, & [l] Jacobillius. Hæc eremus postea habitata fuit, immo aucta a Damiano, ut narrat [m] Johannes in ejus vita: *Pervenit igitur ad montem Pregium in territorio Perusino*, *ibique*

ANN. CHR. 1010.
ROMUALDI 103.

a *Antiq. med. ævi* T. III. *col.* 1087.
b *Ibid.* T. I. *col.* 301.
c §. *Donatio.* 131. *A.* 1. 33. §. *Bannum.* 1. *A.* 1. 35. §. *Donatio* 132. *A.* 1. 34.
d *Lib.VII.epist. XVII.& XVIII.*
e § *Emptio* 84. *A.* 1. 41.
f *Col.* 367.
g *Antiq. med. ævi* T. I. *col.* 303.
h *Ibidem.*
i *Dissert. Camal. IV. cap.* VI. *n.* 12.
k *Serie de' Duchi Par. I. p.* 183.
l *Santi dell' Umbria T. II. p.* 29.
m *Cap.* VII.

Ann. Chr. 1010. Romualdi 103.

que alia eremitarum fundavit habitacula, ubi videlicet cellulam quamdam invenit, in qua divum Romualdum quondam mansisse ferebant.

XXXIV. Ædificat monasterium in castro Massiliano.

Eodem tempore a Romualdo ædificatum fuit, teste eodem Damiano, aliud monasterium in castro Massiliani, quod Petrus de Natalibus *Maximianum* vocat, & Fortunius *Marilianum*. Grandius arbitratur idem esse, quod vulgariter appellatur *la Martiliana* prope Collem parum distantem a valle Elsensi in diœcesi Senensi.

XXXV. Purgat monasterium Classense quod invaserat abbas simoniacus.

Massilianensis monasterii ædificatione enuntiata, subjungit statim Damianus historiam cujusdam abbatis Classensis, qui simoniaco pacto in regimen hujus monasterii se intruserat. Licet non diffiteamur Damianum res Romualdi gestas enarrasse, non attento certo ordine temporis, attamen cum nil repugnet factorum veritati, ceterisque sancti viri actionibus consignare præsenti anno actionem hanc, qua mirus ejus enituit zelus, ideo eam etiam nos narrationem huic anno illigamus. Postquam Romualdus in manu Ottonis III. abbatiam Classensem resignavit anno 998. electus fuit ejus monasterii abbas Petrus, post Petrum Hardefadus sive Harderadus, Romualdi, ut sentit Fortunius, ex monacho forsan Classensi, discipulus. Legimus ejus nomen etiam in placito anni 1001. quo appellatur Arderardus & Arderatus abbas sancti Apollinaris in Classe, qui eodem anno aliud præceptum obtinuit v. kal. martii ab Ottone imperatore, quo confirmantur bona & jura abbatiæ Classensis. Hardefado successisse videtur Bonus discipulus & ipse, eodem Fortunio teste, ejusdem sancti Romualdi. An statim post Romualdum brevi intervallo temporis abbatiæ sancti Apollinaris in Classe regimen susceperit, vel post Hardefadum, vel post Bonum Johannes ille, qui dignitatem & administrationem dimisit, ut se disciplinæ subderet Willelmi abbatis Divionensis, quod narrat [a] chronographus sancti Benigni, nobis est incompertum, ut alibi diximus. Interim cum ab anno 1009. non amplius appareat in chartis vel in monumentis nomen Boni abbatis Classensis, probabiliter Bonus eodem vel præsenti anno diem clausit extremum. Post quem reponendus est abbas simoniacus, pro quo detrudendo non impigram operam suam præstitit Romualdus. Historiam hujus abbatis Classensis sic enarrat Damianus [b]. *Audiens autem aliquando, quia Venetus quidam Classensem abbatiam per coemptionem Simoniacæ hæreseos invaserat, insuper quoque in corpus suum inique peccabat, illuc protinus ire miles Christi impiger studuit, diversisque modis ex eo monasterium purgare tentavit. Vir autem reprobus, dum abbatiam metuit perdere, non timet homicidium perpetrare. Intempesta siquidem nocte, dum Romualdus in lecto secure quiesceret, ille eum latenter aggressus, impiis cœpit digitis guttur ejus astringere, nitens eum crudeliter suffocare. Sed dum vir sanctus necdum prorsus intercepto spiramine, anhelitu vix eluctante, rauciret, Ingelbertus illico magistri singultibus excitatus, torrem mox ex sopito igne corripuit, & ministrum diaboli ab incœpto nefandissimi criminis exturbavit.* Patet hinc Romualdum, licet Classensis abbatiæ administrationem olim dimisisset, ejus tamen monasterii curam non posthabuisse, sed quibuslibet modis tentasse, ut abominationem stantem in loco sancto pro viribus propulsaret. Qua in re tum paterna ipsius in Classenses filios sollicitudo enituit, tum efficax illius sententiæ suæ propositum, quo juxta Damianum [c], *erat illi tam odiosa ista, quam cernimus, abbatum conversatio, ut non minus gauderet, si de manu cujusque abbatiam potuisset evellere, quam si daretur sibi potentissimum quemlibet secularium ad sanctæ conversationis ordinem convocare.* Distinguendus est Ingelbertus monachus, qui in extremo discrimine vitam sancti patris servavit,

a *Num.* xviii. *apud Mabill. Sec. VI. P. I. pag.* 302.

b *Vit. S. Rom. cap.* xli.

c *Vit. S. Rom. cap.* xlv.

vavit, ab alio Ingelberto, qui archiepiscopus factus fuerat in Gentibus alibique dimissus, & a tertio, qui a Romualdo defecit, & altare contra altare erigens schisma conflavit, de quo postremo annis sequentibus.

ANN. CHR. 1010. ROMUALDI 103.

XXXVI. Redit Parentium, & denuo revertitur in Italiam.

ROMUALDI zelus contra Simoniacum abbatem Classensem irritus fuisse videtur; quare ipse indignatione commotus *post hæc denuo Parentium navigavit*, ait Damianus [a]. Videns nimirum improbum abbatem potentum verisimiliter brachiis innixum, sacram Classensem domum profanare, tædio urbium, & iniquitatum percitus, ad dilectam solitudinem, quam ante sexennium Parentii deseruerat, iterato se recepit, revisurus insuper filios, quos ibi reliquerat: sed parvo tempore ibi eum substitisse, & in Italiam a Romano pontifice revocatum fuisse, docet nos idem ipsius vitæ scriptor. [b] *Apostolicæ sedis antistes, & Romani cives ad eum redeundi legationem dirigunt. Quod si reverteretur, facturos se omnia ejus præcepta promittunt; sin autem, excommunicationis sententiam comminantur. Hoc itaque modo suum Romualdum alumna Italia recuperare promeruit.* Præter Damianum talia asserentem, nihil ulterius expiscari valuimus de hac legatione, neque novimus, quæ præcepta se facturos Romanus pontifex, & Romani cives despondérint. Fortunius suspicatur promissam ei detrusionem Simoniaci abbatis, de quo sumptum fuisse credit judicium. Juxta nos sedebat eo tempore in Romana cathedra Sergius IV. cui revocationem hanc malumus tribuere, potiusquam Benedicto VIII. anno 1014. cui eam tribuere maluit Baronius, [c] ea ratione ductus, quod Benedictus Odilonem quoque abbatem Cluniacensem Romam accersiverit. Potuit Benedictus Odilonem, & potuit antea Sergius Romualdum Romam vocare diversis rationibus & finibus adacti.

a *Vit. S. Rom. cap.* XLII.

b *Ibidem.*

c *Ad eum annum.*

XXXVII. Persecutio excitata in Ægypto contra christianos, & contra Bononium monachum.

SOLITUDINI suæ Babilonicæ non ita addictus erat Bononius, ut aliquando eam ad tempus non desereret, quo proximorum saluti prospiceret. Quid circa hoc tempus ei contigerit, refert Ratbertus. [d] *Sic ergo post tot labores in fundatione complurium monasteriorum, & in assidua prædicatione verbi Dei exantlatos, paucis mensibus optatam Mariæ quietem in illo asperrimæ vitæ tenore sibi indulgebat; sed mox ardentissima ipsius erga proximum charitas rursus ad Marthæ officia ejus operam identidem revocabat, sive ut alibi constitutos alumnos, & per varias cellas divisos, visitaret, salutaria documenta ad dæmonum tentationes reprimendas, & religiosæ perfectionis apicem assequendum illis relinquens; sive ut pauperum inopiæ congrua subsidia a divitibus exquireret; sive etiam ....* Textus hic mutilus est, sed duabus, ut videtur, lineis dumtaxat erosis, ait Grandius; qui Ratbertum primus e tenebris eduxit.

d *Cap.* XIII.

Tum prosequitur Ratbertus [e]: *Enimvero communis hostis humani generis fraudibus, pacem, quam cum Christianis Babylonius rex observabat, turbantibus, factum est, ut falsi cujusdam peregrini astutia barbarum illum principem seduceret, Judæorum Aurelianensium litteras ipsi deferens, quibus eum non diutius regnaturum monebant, nisi ecclesiam Dominici sepulcri apud Hierosolymam subverteret, cujus illicio catholici principes, icto fœdere, totam illam regionem occupare in proximo cogitarent. Itaque furore percitus rex, armatos Saracenos statim immisit, qui venerandum illud templum aliasque circum ecclesias penitus everterent: sudibus etiam aggressi sunt temerare ac perrumpere sepulcrum ipsum Salvatoris. Verum divina virtus eorum conatibus obstitit, prohibens manifesto prodigio, ne quicquam inde possent exsculpere. Sed & quot peregrinos illic obvios habuerunt, velut conjurationis Christianorum conscios, & præcurrentes exploratores, in vincula conjectos Babylonem adduxerunt, duris verberibus illos excruciantes, ac misere torquentes.*

e *Cap.* XIV.

Ann. Chr. 1010. Romualdi 103.

Hos inter venerabilis etiam Petrus, hujus sanctæ Vercellensis ecclesiæ nuper episcopus repertus est, ad quem visitandum, ceterosque concaptivos solandos, festinus perrexit Bononius; quorum ærumnas miseratus, ut eorum liberationem pro gratia, qua apud aulam pollebat, procuraret, reginam principis matrem Christianam, Mariam nomine, spiritualem quippe filiam suam, fidenter adiit, miserum captivorum statum exposuit, atque ex illis non paucos rerum desperatione victos, Christo renunciasse; non meruisse innocentes tam immani persecutione agitari, nec inultam diutius fore tantam barbariem, inani prætextu exercitam, neque absque divina animadversione prætereundam venerandi sepulcri temerationem, ac tot ecclesiarum eversionem, sed asperæ famis flagellum regionibus illis imminere, atque Arabum gladios exacui in tot malorum auctores; Divinam igitur iram placare inciperet, captivis Christianis libertatem a principe interim impetrans, alias sibi etiam iratum Deum timeret. Annuit libentissime regina, & exhortationibus viri sancti commota, Petrum episcopum, & omnes concaptivos in libertatem asseri, ac Bononio donari voluit, animo principis ad pœnitentiam tot scelerum aliquatenus inclinato: tum ex lapidibus quadratis templum sepulcri Dominici reædificari jussit, ac pristino honori restitui.

Eversionem sacri templi Jerosolymitani præsenti anno contigisse Ademarus [a], qui ad hæc tempora vivebat, confirmat in chronico: *Ipso anno*, inquit, *sepulcrum Domini Hierosolymis confractum est a Judæis & Saracenis tertio kalendas octobris* M. X. *ab incarnatione ejus*. Idipsum asserit auctor chronici Lemovicensis [b] dicens: *Ipso denique anno confractum est sepulcrum Domini a paganis* III. *calendas octobris*. Eadem habent Curopalata & [c] Cedrenus; Glaber autem [d] Rodulfus, & breve chronicon [e] Andegavense ad annum antecedentem referunt; Willielmus Tyrius [f] ad annum M. XI. In eo tamen errant Ademarus & Glaber, quos sequitur Baronius; ac errat etiam Ratbertus noster, quod id jussu Babylonici regis, ab Ademaro Nabuchodonosoris Babyloniæ, quem etiam vocant Admiratum, appellati, factum fuisse affirment, cum Syriæ & Ægypto non Calipha Babyloniensis, sed Calipha Ægypti, qui hoc tempore erat Hakemus, præsideret. Errarunt forsan, quia non animadverterunt Ægyptios seculo elapso Babylonico regno subditos, proprium sibi eodem seculo præfecisse regem; licet etiam illud dici possit hos scriptores loquutos fuisse non de Babylone in Chaldæa, sed de urbe Babylone in Ægypto, de qua videndus Martinierius [g]. Curopalata recte quidem Ægypti principi hanc cladem attribuit, sed male principem hunc nominat Azizium, qui pater fuit Hakemi, & jam ab anno *996*. fato cesserat. Rectius omnium scripsit Elmacinus [h], qui postquam anno Christi 1010. cædem Hakemi Briamvillæ Caliphæ Ægypti narravit, hæc habet: *Afflixit quoque Christianos & Judæos, & templa eorum diruit, eosque vexavit, unde multi ex iis Islamismum sunt amplexi. At mutata deinde sententia dedit eis, qui ad Islamismum defecerant, eidem renunciare, & permisit eis restaurare templa sua.* In aliis hujus narrationis circumstantiis consentiunt cum Ratberto Ademarus & Glaber. Christianissimæ mulieris Hakemi matris præter Glabrum meminit etiam idem Elmacinus [i], ubi ait: *Azizus Billa, hic fuit pater Hakemi, dominus Ægypti, uxorem duxerat Christianam Melchiticam, ex qua & filiam susceperat. Erant autem ei mulieri duo fratres, quorum alterum nomine Jeremiam constituit patriarcham Hierosolymitanum, alterum autem Arsenium nomine patriarcham Melchitarum Alchairæ & Mistræ*, idest Alexandrinum.

Ultionem divinam in principem templi sancti temeratorem, quam commina-

a *Apud Labbeum T. II. Biblioth. & apud Pagium.*

b *Mart. Thesaur. T. III. col.* 1402.

c *Histor. Byzant. edit. Ven. T. IX. pag.* 552.

d *Lib. III. cap.* VII.

e *Marten. Thes. T. III. col.* 1380.

f *Lib. I. capp.* 2. 3. 4. 5.

h [sic, g] *le grand Dictionaire Geographique.*

h *Histor. Saracen. Lib. III. cap. 6.*

i *Ibidem cap.* 5.

minatus fuerat Bononius, enarrat Ademarus sequentibus verbis: *Moxque e vestigio super omnem terram Saracenorum fames incanduit per tres annos, & innumerabilis eorum multitudo fame necata est, ita ut plateæ & deserta cadaveribus omnino replerentur, & fierent homines cibus, & sepultura feris & avibus. Secuta est eos gladii vastitas, nam gentes Arabiæ super terram eorum diffusæ sunt, & qui remanserant, fame & gladiis interierunt. Captus est ab eis rex Babyloniæ, qui se contra Dominum erexerat in superbiam, & vivus ventre dissecto, visceribusque extractis, impiam animam ad barathrum projecit. Venter ejus lapidibus oppletus consutus est, & cadaver ligato plumbo ad collum in mare demersum est. Eo anno Radulphus Petragoricæ episcopus Hierosolymis rediens retulit, quæ viderat ibi infanda, & obiit Petragoricæ.* Hæc magna ex parte ab auctoribus allatis a [a] Baronio & a Pagio decerpsimus in dictorum Ratberti confirmationem.

a *Ad annum* 1009.

XXXVIII. Captivitas Petri Vercellensis episcopi.

INTER ceteros captivos fuisse & Petrum venerabilem Vercellensis ecclesiæ episcopum adstruit etiam monachus Lucediensis anonymus, scriptor vitæ ejusdem sancti Bononii. Non abs re erit adferre hic totum ipsius anonymi textum, quo fides adjungitur licet per compendium aliquibus eorum, quæ fusius a nobis allata hucusque sunt. *Per id tempus*, [b] inquit, *per universam Ægyptum erat ingens luctus* (addit Vercellensis codex *inter Babyloniorum enim & Romanorum reges gravissimæ seditionis creverat tumultus*,) *& facto conflictu, inter eos plurimi Ægyptiorum occubuerunt, Romani vero multi perierunt, & triumpho Christianis non feliciter succedente, multo plures in captivitatem ducti sunt. Inter eos Petrus divinæ memoriæ venerandus antistes Vercellensis, vinctus & carcere retrusus aderat, qui nimia necessitate coactus cautissime inquirebat, si quem forte Christianum in eadem regione invenire posset, cujus consilio fretus liberari sperabat, & incessanter ex hoc ad Dominum miserabiliter suspirabat. Sed quia certum, immo certissimum est, quod Deus in se sperantes non deserit, sanctum Bononium ibidem esse Domino revelante cognovit. Quem ad se devotissime accersivit, & causam captivitatis ac miseriæ suæ & ceterorum per ordinem innotuit. Postremo ut sibi & reliquis per misericordiam condescenderet, rogavit; videlicet ut paganorum nexibus absoluti de tam durissima captivitate exirent, & in patriam terram, Deo duce & sancto Bononio, redirent. Tunc pater sanctissimus magistris carceris pretium dedit, & ocium ad captivos consolandos introeundi accepit.* [c] *Cum quadam die rex Babylonis per pomerium arboribus, quibus balsamum funditur, consitum, nimia jucunditate deambularet, gratiosiores domestici ejus, inspirante Deo, quadam concordiæ regula ad invicem consentientes, supplices rogabant eumdem regem, ut votis sancti Bononii adquiesceret, captivos videlicet Christianos vinculis carceris absolutos eidem traderet, & in patriam redeundi licentiam eis cum eodem beatissimo Dei cultore clementer concederet. Tunc rex uxoris*, (melius *matris*) *& domesticorum precibus motus, votis sancti Bononii adquievit*. Subdit codex Vercellensis: *Captivos sibi, quos tenebat, reddidit; insuper navigium, quo singuli ad sua remearent, & omnia navigantibus necessaria contulit.*

b *Num.* 7.

c *Num.* 8.

Consentit cum monacho Lucediensi auctor pariter vitæ sancti Petri episcopi, quod nimirum compedibus in carcere constrictus profusis lacrymis continenter Deum orans, divino admonitu in ea regione virum sanctum, Bononium nomine, esse cognovit.

Verum qua ratione Petrus ab utroque vitæ Bononii scriptore Lucediensi monacho & Ratberto, episcopus Vercellensis appelletur, cum constet in eadem ecclesia ab anno 999. ad annum 1026. usque ad festa Paschalia,

ſchalia, quibus obiit, ſediſſe Leonem olim monachum, inde epiſcopum Vercellenſem, conciliabimus ad annum 1026.

Ann. Chr. 1010. Romualdi 103.

XXXIX. Qui non eſt confundendus cum alio Petro itidem Vercellenſi.

Confundendus autem non eſt Petrus noſter cum alio Petro itidem Vercellenſi epiſcopo, qui in bello, quod ſuſcepit gerendum Otto II. cum Saracenis anno 982. ut notant Ditmarus, Hermannus Contractus, Hepidannus & annaliſta Saxo, captivus cum aliis factus fuit, de quo Hepidannus hæc peculiariter ſcripſit: [a] *Quorum unus*, nempe captivorum, *erat Vercellenſis epiſcopus carcere diu maceratus apud Alexandriam Ægypti*. Præterquamquod enim tempus ſecundi Petri non convenit cum anno 982. & dicendum foret ipſum triginta circiter annis in captivitate degiſſe, Petrus primus idem dubio procul fuit, quem interfecit Arduinus filius Dadonis, & quem ignibus concremari juſſit ante annum 999. quo Otto III. in diplomate [b] dato eccleſiæ Vercellenſi eo anno nonis maji memorat hanc feram ab Arduino cædem patratam contra Petrum epiſcopum Vercellenſem. En verba quibus clariſſime liquet Petrum primum ante annum 999. mortem oppetiiſſe: *Item prædia Arduini filii Dadonis dedimus, adjudicavimus, quia hoſtis publicus adjudicatus epiſcopum Petrum Vercellenſem interfecit, & interfectum incendere non expavit &c.* Is eſt Arduinus, rex deinde Italiæ poſt mortem Ottonis III. *epiſcopicida* appellatus a Ditmaro. Duplex ergo Petrus Vercellenſis epiſcopus diſtinguendus, duplexque captivitas: primus a Saracenis bello captus, ſecundus autem captivus factus, dum ſacra veriſimiliter viſitaret & veneraretur loca. Hic ergo Petrus II. familiaritatem iniit cum Bononio noſtro. Cetera anno ſequenti.

a *Ap. Goldaſt. T. I. P. I. Alaman. rer. ſcript.*

b *Apud Ughell. T. IV. col. 772.*

XL. Andreas Zoerardus ex Polonia in Pannoniam venit.

Circa hæc tempora advenit in Hungariam eremita Andreas nominatus Zoerardus, ſive Suirardus; quippe qui, teſte Mauro Quinqueccleſienſi epiſcopo, ejus vitæ coævo ſcriptore [c], venit *tempore illo, quo ſub chriſtianiſſimi Stephani regis nutu, nomen & religio Deitatis in Pannonia rudis adhuc pullulabat*, quo etiam tempore ſubdit; *audita fama boni rectoris, multi ex terris aliis canonici, & monachi ad ipſum quaſi ad patrem confluebant, non quidem alicujus cauſa neceſſitatis coacti, ſed ut novum ſanctæ converſationis gaudium ex eorum conventu adimpleretur; inter quos quidam ſancti Spiritus inſtinctu tactus ex ruſticitate, quaſi roſa ex ſpinis ortus, nomine Zoerardus*. Porro Stephanus poſt mortem Geizæ ducis patris ſui, quæ ſub finem anni 997. ſecuta eſt, ducatum Hungaricum accepit, & in regem coronatus fuit anno dumtaxat 1001. quo religio Deitatis, rudis tamen, pullulare cœpit in eo regno. Quare falluntur Arnoldus Wion & Bucellinus, qui anno 990. Menardus, qui anno 999. Surius, qui ad 1000. Andreæ Zoerardi, & Benedicti ejus diſcipuli meminere, & Johannes Dugloſſus, qui [d] de iiſdem Sanctis ad annum 998. Cromerus vero [e] ad annum ſequentem verba faciunt. Falluntur nimirum, ſi iis annis deſignare velint tempus, quo Hungariam Andreas & Benedictus ſubierunt, multoque magis falluntur, ſi annum intelligant eorum obitus. Melchior pariter Inchofer [f] non ſibi conſtat, dum ad annum Chriſti 1009. *conſequens eſſe* ait, *Andream tempore Geizæ patris divi Stephani in Hungariam veniſſe*, immemor eorum, quæ ad annum 1000. dixerat: *Hoc eodem anno milleſimo venere ex Polonia in Hungariam fratres eremitæ Andreas & Benedictus doctrina & exemplo novæ plantæ profuturi, & a rege ſalutis eorum cupientiſſimo liberaliter ſunt excepti.*

c *Ap. Mabill. Sec. VI. P. I. pag. 69.*

d *Hiſtor. Polon. lib. II. p. 124.*

e *De rebus Polonicis lib. III. p. 51.*

f *Pag. 205.*

Andream ex Polonia adveniſſe conceptis verbis aſſerit idem Maurus dicens: *Hanc in patriam de terra Polonorum advenit*; quare ſubobſcurius eſt, quid ſibi velit Bonfinius, dum aſſerit, [g] *ex ea Dalmatiæ parte, quam Polianam dicunt, veniſſe eremitas duos, quorum alter Andreas, Benedictus alter*

g *Rer. Hungaric. Lib. I. Decad. 12. pag. 274.*

alter dictus est . Polonorum omnium constans est traditio Sanctos hos populares suos fuisse, inter quos [a] Stephanus Demalevicius canonicus regularis & Calissiensis præpositus exscribens Martinum Baronium clericum Iraslovienſem in vita horum Sanctorum edita Cracoviæ anno *1609*. [b] designat etiam locum, ac nomen patris & matris Andreæ Zoerardi his verbis: „ Andreas Zoerardus in partibus minoris Poloniæ in oppido Opato- „ vick prope Vistulam fluvium christianis & piis parentibus natus patre „ Marco, matre Agnete, qui sancta educatione parentum in præceptis „ & lege Domini recte institutus, monasticam vitam duxit in cœnobio „ Zobor dicto &c. “

Ann. Chr. 1010. Romualdi 103.

a *Vita S. Bogumili c.* XXXII. *p. 168.*

b *Pag.* 24.

XLI. Cur ejus adventum huic circiter anno illigetur.

Verum, cur ad hunc circiter annum potiusquam ad antecedentes vel sequentes statuatur a nobis Andreæ adventus in Hungariam, articulatius proferamus. Narrat idem Maurus scriptor ejus vitæ, se *virum bonum Andream vidisse, cum puer scholasticus esset, sed quæ esset ejus conversatio, non visu, sed auditu* percepisse. Cum enim *monachus Benedictus* Andreæ discipulus *sæpe veniret ad monasterium*, ubi Maurus vitam ducebat, quodque *in honorem beati pontificis Martini* erat *consecratum*, sibi eorum, *quæ sequuntur, de Andreæ vita venerabili* notitiam ingesserat. Vivebat ergo Andreas, cum Maurus puer scholasticus erat, seculari adhuc habitu, vel etiam monastico indutus, & liberalibus artium studiis vacans in eodem monasterio sancti Martini, & eo magis vivebat Benedictus, qui triennio Andreæ supervixit. Ad examen autem revocare placet, quo circiter anno Maurus, qui postea evasit Quinquecclesiensis episcopus, potuerit esse puer scholasticus. Statuamus itaque Benedictum obiisse anno 1018. Andream vero, qui eum triennio præcessit, diem clausisse extremum anno 1015. & perpendamus, an veritati, aut congruentiæ opponatur eo anno 1015. potuisse Maurum se appellare puerum scholasticum, & de facie cognoscere sanctum virum Andream. Admittamus iterum Maurum primo post millenarium anno natum, & quatuordecim præter propter ætatis annos attigisse mensibus præcedentibus Andreæ obitum; eam ætatem profecto non dedecet attributum pueri scholastici. Porro Maurus vitæ Andreæ scriptor is idem numero monachus est, cui sanctus puer Emericus, filius Stephani regis, ceteros dispariter monachos exosculatus pro cujusque meritis, septem oscula impartitus est. Hæc osculorum libatio judicio nostro contigit circa annum 1024. contigit enim, quando Stephanus ejus pater Emericum filium suum itineris comitem sibi adhibuit in visitatione monasterii sancti Martini, non ignorans, quanta Dei gratia puer ille polleret, ut habetur in Bonfinio, & in vetustiore Emerici vita per Surium edita ex quodam ms. codice. Puerum fuisse Emericum eo anno 1024. suadet ejus sanctus obitus, qui contigit anno 1030. licet alii minus probabiliter & ad annos 1032. & 1034. referant. Obiit autem Emericus vicennis, ut videtur; non enim diu supervixit conjugio, quod iniisse decimo-septimo, vel decimo-octavo ætatis anno verisimile est; ergo natus fuerit ex Stephano & Ghisala ejus conjuge circa annum 1010. & anno 1024. ad summum quartum-decimum ingressus fuerit vitæ annum, quo recte puer dici potuerit ab ejus vitæ scriptore. Juxta præmissa Maurus anno 1024. viginti-tres ætatis annos numerabat. Potuit ergo Stephanus rex, Mauri innocentiæ & virginitatis odore allectus, ipsum *non diu post* ad cathedram Quinquecclesiensem elevare; ubi notandum est non „ paucis post mensi- „ bus “, ut explicat Bonfinius, sed hanc particulam *non diu post*, quæ reperitur in veteri Emerici vita, posse excipere interpretationem aliquorum licet paucorum annorum, puta sexennium, intra cujus curriculum

Mau-

Ann. Chr. 1010. Romualdi 103.

Maurus, antequam ad sedem episcopalem promoveretur, fuerit etiam abbas San-martinianus; quandoquidem ipse Maurus fatetur se ejusdem monasterii regimen tenuisse ante episcopatum, dum subdit: *Jam quæ sequuntur, Philippus abbas mihi abbati constituto narrare consuevit.* In hac hypothesi, post non diuturnam cœnobii administrationem, vigesimo-nono vel trigesimo suæ ætatis anno, & Christi anno 1030. episcopus Quinquecclesiensis electus fuisset Maurus; neque ante hoc tempus pontificalibus infulis decorari probabiliter potuisse videtur; nam cum in catalogo episcoporum Quinquecclesiensium, qui tripartito operi Decretorum & Constitutionum regni Hungariæ [a] inseritur, successorem habeat Antonium ad annum 1070. septuagesimo ætatis, & quadragesimo episcopalis honoris anno, obitus ipsius contigisset; multoque minus, si in vivis erat tempore Geizæ ducis christianissimi, qui sub annum 1077. per triennium regnavit, cujus desiderio scribit negare se nequivisse partem catenæ, qua obstrictus fuerat beatus Andreas, quamque a Philippo abbate jamdudum ipse Maurus impetraverat; quo admisso, ad minus septuaginta & septem vitæ annos æquasset; licet illud cum Mabillonio [b] dici queat forte, ante regnum adeptum, Maurum catenam, de qua loquitur, Geizæ tradidisse, quod probabillimum est, cum non regem, sed ducem Geizam nominet. In re satis obscura hæc, quæ sua probabilitate non carent, innuisse post Cuperum [c], qui ad acta sanctorum Andreæ & Benedicti aliquam nobis facem prætulit, non pœnitet, ut causam assignaremus, cur ad hæc circiter tempora Hungaricum incolatum Andreæ Zoerardi determinaverimus.

a *T. II. p.* 615.

b *In Notis c. pag.* 70. *Sec. VI. P. I.*

c *Act. SS. T. V. Julii p.* 232. *&c.*

XLII. Qua ratione in Pannoniam advenerit Andreas?

Inquirendum illud quoque nobis est, qua ratione consiliove Andreas noster in Hungariam venerit; quod quidem duplici modo contigisse, ni fallimur, verisimiliter existimandum. Vidimus ad annum 1008. post martyrium sanctorum Johannis & Benedicti, eremitarum olim Perei, inde Poloniæ, tuguriola illa solitariæ vitæ consecrata minime derelicta, sed juxta Polonorum historias, Barnabam sanctis martyribus superstitem ea incoluisse, novis alumnis ditasse, & eremiticæ vitæ propagasse institutum. Ex eorum numero fuit, assentientibus iisdem Polonis, Andreas Suirardus, qui exacto tirocinii anno vel prædicationis & martyrii cupidus, vel de terra & de cognatione sua ad humilitatem, sui dejectionem, vitamque occultandam exire volens, vel demum ad dilatandam eremiticam conversationem missus in Hungariam, secesserit tempore, *quo*, ut diximus, *multi ex terris aliis canonici, & monachi ad Stephanum, quasi ad patrem, confluebant.* Ex iis argumentum etiam desumitur, cur Andreæ adventus in Hungariam determinari nequeat ante præsentem annum, vel saltem ante hæc circiter tempora. Invitatus forsan fuit Andreas fama, quæ percrebuerat adventus magni Romualdi in Hungariam, licet hic majori sancti Spiritus motione, invisa Hungaria, in Italiam redierit, vel certe discipulorum ejus, quam famam per Poloniam vulgare potuere novi Perenses eremitæ a sanctis martyribus Johanne & Benedicto expetiti in sui consortium, ut ait Damianus [d], & forte a Barnaba in Poloniam adducti. Ad eam transmigrationem pariter allectus fuerit suasu comitum itineris sancti Adalberti, qui postea se receperant in solitudinem Polonicam; vel demum audita prædicatione & martyrio sancti Bonifacii, qui & ipse per Hungaros pertransierat (in duabus postremis sententiis potuisset eremiticum institutum capessere in Polonia Andreas ante aliquot annos, & viventibus Johanne & Benedicto, non autem dumtaxat sub Barnaba.) Quæcumque demum sententia statuatur, Andream ex Polonia in Hungariam transiisse, post Maurum ejus vitæ scriptorem, asserit Martinus Baronius

d *Vit. S. Rom. cap.* XXVIII.

scri-

ſcribens: [a] „ Primum in Polonia, poſtea in Hungaria efflorescente vitam „ monaſticam duxit in cœnobio Zobor dicto, in honorem ſancti Hippolyti martyris apud Nitriam civitatem, in ea videlicet Sclavorum & „ Hungarorum ditione, quæ Moraviæ, Danubioque confinis, Sarmatia „ Pannoniæ olim dicta fuit, excitato, in quo habitu accepto a Philippo „ abbate, quem ante a ſancto Barnaba in Polonia ſuſceperat, ſollemni „ voto regulæ ſancti Romualdi ſeſe obligavit, & Andreas nominatus eremiticam vitam agere ſtatuit. " Idipſum aſſeruere ante Baronium ceteri Poloni ſcriptores, & Martinus Cromerus epiſcopus Varmienſis [b] refert „ fuiſſe in ſolitudine apud Donajecium fluvium, qui e finibus Hungaris „ profluens Viſtulæ apud Opatovecium oppidum miſcetur, duos monachos ſanctimonia vitæ celebres, quorum Benedictus ab Hungaris, quod „ Chriſtum profiteretur, cæſus, Svirardus poſt vitam duriſſime exactam „ in monaſterio Montis-ferrei in Hungaria, quo ambo commigrarunt, „ ſua morte aſſumptus eſt; " eadem exſcribit [c] Salomon Neugebaverus de Codano Boruſſus in ſua hiſtoria rerum Polonicarum. Et Polonorum hiſtoricorum antiquior Johannes Dugloſſus [d] " duos viros ea tempeſtate inſignes vita & exemplo ac converſatione floruiſſe ſcribit, Suirardum, „ qui ad fluvium Dunajec prope oppidum Czechow in Cracovienſi diœceſi eremita ſub rupe, quæ in hanc diem cernitur, habitabat, & in „ qua per annos plures militaverat, & Benedictum anachoriticam vitam „ ambo ducentes, e Polonia egreſſos intraſſe Pannonias, & in cœnobio „ ſancti Benedicti ad radicem Montis-ferrei ſub abbate Auſterico militaſſe; Suirardum, qui & Zoerardus, Confeſſoris decus aſperitate vitæ promeruiſſe, Benedictum ſanguine fuſo laureola martyrii coronatum. " Dugloſſus tamen, ut poſt Cuperum obſervamus, fallitur, niſi circa nomen abbatis, ſub quo potuit intelligere Aſtricum, ſaltem circa monaſterium, ut circa hoc fallitur etiam ſupralaudatus Cromerus. Chartuitius epiſcopus auctor vitæ ſancti Stephani regis, ejus ſententiæ fuiſſe videtur, Andream & Benedictum vitam eremiticam auſpicatos fuiſſe in Hungaria, dum ait: [e] *Venerunt etiam duo e Polonia eremiticæ vitæ contemplationis cauſa ſtudioſi, ex iis alter Andreas dictus, confeſſionis merito choris angelicis eſt adjunctus, haud obſcure id declarantibus miraculorum ſignis, quæ per eum Dominus effecit; alter Benedictus nomine pro Chriſto ſanguine fuſo inſigniter eſt laureatus.*

Quid præterea, ſi ſecundo loco dixerimus Andream unum fuiſſe ex Romualdi diſcipulis, quos hic in Hungariam profecturus ſecum adduxit? Certum eſt ex Damiano, Romualdum ex viginti-quatuor diſcipulis, quos Pannonici itineris comites habuit, in Italiam regreſſum fuiſſe cum ſeptem dumtaxat ex iis, quindecim reliquis Hungariam ſubeuntibus. Eorum nomen ſilentio premit Damianus, ſed non tacet ipſorum alios flagellatos, alios venditos, neminem tamen ad martyrii coronam aſſumptum. Veriſimile etiam redditur aliquos ex ipſis eremiticam vitam propagaſſe in ea regione, & monaſterium Zobor, ac eremum Beel vel excitaſſe una cum Gunthero eremita, cui tribuitur eremi Beel ædificatio Stephani regis munificentia, vel novo anachoreſeos inſtituto ditaſſe, cum hæc ad unum Romualdum gloria pertineat, ipſum fuiſſe ſolitariæ vitæ ſub prælati obedientia ſectatorum parentem, ut certe ſub Philippi abbatis regimine vitæ ab hominum conſortio remotæ ſectator fuit Andreas. Inducat ergo quis in animum ſuum Andream & Benedictum Polonos quidem origine, ſed a tempore ſeceſſus Parentini Romualdi, qui contigit anno 1002. ut obſervavimus, eremiticam vitam profeſſos fuiſſe, ſaltem Andream, in Parentina

ANN. CHR. 1010. ROMUALDI 103.

[a] Vit. SS. IV. Fratrum Polon. pag. 24.

[b] Lib. III. rer. Polon. p. 51.

[c] Lib. III. p. 52.

[d] Lib. II. Hiſt. Polon. col. 124.

[e] Num. VI. inter Script. rer. Hung. pag. 271.

Ann. Chr. 1010. Romualdi 103.

tina solitudine, vel sequentibus annis, & transeunti Romualdo per Histriam, ut Hungariam peteret, socios ei se exhibuisse; quo posito antevertendus esset uno anno Andreæ adventus in Hungariam. Bonfinius supralaudatus asserit Andream & Benedictum ex ea Dalmatiæ parte, quæ Poliana dicitur, venisse; forsan intellexit ex ea Dalmatiæ seu Histriæ regione, qua territorium Polense conterminum est Parentino territorio, in quorum utroque certum est ex Damiano Romualdum vixisse, & eremos ac monasteria in eis vel in eorum viciniis fundasse. Pollianam provinciam in Sclavorum regione, ubi nemo adhuc Christum audierat, nominat quidem in suo chronico [a] Ademarus monachus Engolismensis; sed Polliana Ademari provincia alia erat a Poliana in Dalmatia Bonfinii, in qua postrema Christi religio a pluribus seculis vigebat. Venerit proinde Andreas in Hungariam cum ceteris Romualdi discipulis, quorum aliqui prædicationis munus suscipientes flagellati fuere a barbaris, alii divenditi, alii, Philippo ipso quoque Romualdi discipulo abbate sibi constituto, contemplativæ vitæ sedulo incumbentes vel in monasteriis, vel in proximis eremis, hoc instituti genus propagarunt, ex quorum postremorum classe fuerit Andreas, & qui Andreæ magistri sui vestigia pressit, Benedictus. Nec illud objiciat Cuperus hypothesim hanc opponi textui Damiani, qui scribit neminem ex comitibus Romualdi in itinere Hungarico ad martyrii palmam pervenisse, quod falsum, inquit, foret, cum constet Benedictum martyrii laurea donatum fuisse: Reponi enim potest, Andream tantum cum Romualdo in Hungariam ingressum, cui postea in solitudine commoranti socium se adjunxerit Benedictus, vel dici potest Damianum, aut potius Romualdum prædixisse neminem ex suis discipulis in Hungaria martyrii corona decorandum in fidei confessionem, in qua vere & stricte sumptum consistit martyrium, cum e contra Benedictus non prædicationis gratia, neque ut fidei testis, sed pecuniæ apud ipsum reperiundæ spei occasione occisus fuerit a latronibus. Silentium pariter Damiani de Andrea & Benedicto, quod ut argumentum quidem negativum, sed vi sua aliquando non carens, affert supradictus Societatis Jesu Bollandianus continuator doctissimus, his, quæ diximus, officere non judicabit, qui legerit apud eumdem sanctum doctorem ipsum non vitam Romualdi, sed commonitorium scripsisse, & de quindecim Romualdi discipulis Hungariam penetrantibus parcissime disseruisse, ac ad longioris styli prolixitatem vitandam quamplurima prætermisisse. Hæcque dicta levibus quidem, ut & nos fatemur, sed probabilibus innixa sunt fundamentis, & cum testimonio scriptorum Camaldulensium, & Polonorum historicorum fide & auctoritate, inter sanctos Camaldulenses, sive minus contentioso vocabulo inter alumnos sancti Romualdi una cum ceteris eremitis Polonis recenseantur Andreas & Benedictus, non abs re putavimus conjecturas nostras proponere, quibus aliquo modo vigens traditio comprobari queat; & utinam vetustiores Camaldulensis & Polonicæ historiæ scriptores nobis suppeterent, vel scriptis mandata fuissent obscuriorum temporum facta, aliqua forsitan lux major inter tot tenebras affulgeret. Illud postremo superaddimus longe verisimiliora esse argumenta, quæ pro se afferunt Camaldulenses, quam ea, quæ comminiscuntur eremitæ sancti Paulli, ut suos faciant Andream & Benedictum. Hi postremi putant sub sancto Gerardo Sagredo religiosum sancti Paulli institutum in Hungariam invectum, atque ad ipsum sanctum virum accessisse ex Polonia Andream Zoerardum & Benedictum, ab eoque tempore cœnobitas Zoboritas factos eremitas Paullinos in Nitriensi territorio. Ex iis, quæ diximus, & præsertim ex

[a] *Ap. Mabill. Sæc. V. pag. 845.*

Mauro

Mauro Quinquecclesiensi, liquet Andream & Benedictum in Hungaria vixisse, & obiisse multo tempore, antequam Gerardus apostolatus officium susciperet in hoc regno; præterquamquod serius repetenda est Paullini instituti origo, nimirum seculo XIII. ut Deo dante videbimus.

ANN. CHR. 1010. ROMUALDI 103.

XLIII. Ejus vita, & corporis maceratio.

VERUM jam Andreæ vitam ex Mauro Quinquecclesiensi describamus. [a] *Zoerardus hanc in patriam de terra Polonorum advenit, & a Philippo abbate, cujus monasterium, Zobor nominatum, in Nitriensi * territorio ad honorem sancti Hyppoliti martyris situm erat, habitu accepto, & Andreas nominatus, eremiticam vitam agere statuit; ibi vero quanta contritione cordis & corporis maceratione afflixerit sese, ex relatione discipuli ejus beati Benedicti cum ipso conversantis, quæ audivi, paucis literis mandare decrevi. Ego Maurus, Deo miserante nunc episcopus, tunc autem puer scholasticus, virum bonum vidi: sed quæ esset ejus conversatio, non visu, sed auditu percepi. Ad nostrum ergo monasterium in honorem beati pontificis Martini consecratum, cum jam dictus monachus Benedictus sæpe venisset, mihi hæc, quæ sequuntur, de ejus vita venerabili narravit.*

a Pag. 69.

* Nitracht.

Postquam idem venerabilis vir Andreas eremi solitudinem petiit, magna quidem corporis defatigatione, spiritualis autem vitæ corroboratione jejunium semper observavit. Tribus diebus ab omni re, quæ mandi potest, abstinuit, pro dilectione gratiæ ipsius, qui propter homines homo factus quadraginta diebus jejunavit. Cum autem quadragesimale tempus adveniret, exemplo vitæ regularis, sub qua Zozimas abbas degebat, ubi quadraginta quinque dactylis quisque quadragesimam deduxit, ipse a patre Philippo, a quo habitum religionis perceperat; quadraginta nuces accepit, & eo existens victu contentus, diem sanctæ resurrectionis cum gaudio expectavit. Iisdem vero & aliis diebus, licet ejus ad corpus refocillandum non solum non sufficeret, verum etiam spiritum ipsum ad defectum perduceret; ipse tamen excepto tempore orationis, numquam a labore cessavit, sed accepta securi, quemdam laboraturus silvæ locum solitarium intravit, ubi cum præ nimio labore & jejunii districtione corpore & spiritu deficiente, quadam die præmortuus jaceret, quidam juvenis pulcherrimus adspectu, & visionis angelicæ advenit, & impositum vehiculo ad cellam ejus adduxit. At exstasi, in qua erat, decedente, postquam ad se reversus, quid erga ipsum misericordia Dei egisset, agnovit, supradicto discipulo suo Benedicto, qui mihi hæc narravit, id confessus est, constringens cum juramento, ne ante diem obitus sui notum cuiquam faceret.

Post laborem autem diurnum corporis quietem nocturnam talem adhibuit, quæ magis tormenti & afflictionis, quam requiei nomen mereatur. Plantatum equidem truncum quercinum sepe circumdedit, & per ipsam sepem arundines acutas ex omni parte infixit. Ipse vero in trunco sedens, tali sessorio usus est artuum reiteratione, ut si forte corpus sopore gravatum qualemcumque in partem se flecteret, arundinum acie sauciatum graviter evigilaret. Insuper & ex ligno coronam factam capiti suo circumponebat, ad quam in partibus quatuor totidem lapides suspendebat, ut si caput sopitum quocumque inclinaret, lapide percuteretur. O beati viri Andreæ merces, quam beata & æterna vita, corona centies ornata, quæ in cœlo recompensat, quod in terra graviter emptum fuerat! O inauditum genus confessionis, quod pretiosius facit regnum promissionis! Non cibus, non requies auferre potuit dulcedine vana vitam æternitatis, & nequam spiritus aditum invenire nequivit deceptionis. Hæc, quæ jam dicta sunt, discipulo ejus Benedicto referente cognovi. Cetera de Andrea ejusque obitu ad annum 1015.

Ann. Chr. 1010. Romualdi 103.

XLIV. Donationes factę monasteriis S. Victoris de Clusis, & S. Mariæ de Pratalia.

Monasterio sancti Victoris de Clusis prope castellum Pretosum præerat hoc anno Atto abbas, qui *&* *custos* ipsius cœnobii appellatur in charta donationis factæ a Berto filio Baroccii. Ipsam ex tabulario sancti Blasii de Fabriano una cum altera donationis pagina scripta pro monasterio Prataliæ a Rodulfo filio Righizæ ædificatore ex fundamentis ipsius loci, ex archivo Camaldulensi in Appendice reponimus. Videtur in hac postrema charta Rodulfus una cum Helemperto episcopo Arretino expensas subministrasse pro ædificatione ecclesiæ Pratalienfis, cui insuper donavit duas portiones terræ positas in pleberio sanctæ Mariæ in Bujano *in casali Flerina*, quarum una vocabatur *Ficalo*, cui terra *sancte Trinitatis*, altera vero sub vocabulo *Campomergoni*, cui terra filiorum Mariæ & *sancte Trinitatis* pariter adhærebant. Obiter hic adnotamus terram sanctæ Trinitatis fuisse pertinentem ad monasterium constructum sub nomine sanctæ Trinitatis, de quo mentio habetur in alia charta ad Prataliam spectante hujus anni, qua [a] Suzo (idem est ac Sigizo) abbas Pratalienfis emit a Bonizone, & Widone & Gherardo duas partes terræ in territorio Bujano *casali Flerina* & in vocabulo *Prato*, quas determinat terra *sancte Trinitatis*. Memoratur cœnobium hoc etiam ab Ughellio [b] sub Amadeo episcopo Arretino, qui anno 1196. decrevit, ut *abbas sanctissime Trinitatis ecclesiam in Rondine oppido possideret*. Plures confluebant, bonisque suis ditabant novam Pratalienfem ecclesiam; in his Teuzo quondam Ursoni [c] terras cum domo in *casali Fernita*, & alter [d] Teuzo presbyter & *plevitaneus*, hoc est plebanus, decimationes ex terris, animalibus & *omni annona*, *que Deus sibi annualiter dederit* in casali *Castello*, largiuntur hoc anno.

a *Arch. Cam.* §. *Emptio. A.* I. 10.

b T. I. *col.* 419.

c §. *Donatio. A.* I. 4.

d *Ibidem A.* I. 5.

Ann. Chr. 1011. Romualdi 104.

XLV. Romualdus habitat prope Callium.

Romualdus Parentio secunda vice rediens, an Romam, ex qua urbe legationem acceperat, petierit, non liquet. Juxta seriem narrationis Damiani reversus in Italiam habitavit in montibus Umbriæ prope Callium & Forum-sempronii, ubi etiam, quæ ædificaverit loca, & quæ miracula peregerit, enarrat; ea nos ad annum præsentem referimus. [e] *Eo itaque tempore in faucibus Callensium montium aliquandiu mansit, deinde in Petranum montem, non longe videlicet a monasterio sancti Vincentii, quod juxta Candilianum constitutum est fluvium, demigravit*. Callium urbs est Umbriæ in ducatu Urbinate posita, antea in montium asperitate sita, postea Nicolai papæ IIII. jussu in plano reædificata, & appellata *Civitas sancti Angeli papalis*, nunc tamen ad pristinum vocabulum restituta; & est condita prope Candilianum, sive Candianum, seu Cantianum, vel Cantium fluvium, & alium Boasum sive Boarium amnem, non procul inde in Metaurum confluentes. Petranus autem mons idem est ac Petra-Pertusa seu Pertussa, apud aliquos Petrolata. Idem Petrus Damianus indicans ipsius monasterii sancti Vincentii situm hæc de ipso alibi dicit [f]: *In monasterio beati Vincentii, quod non procul a monte, qui Petra-pertusa dicitur*. Et Johannes Laudensis in vita Damiani [g]: *Cœnobium sancti Vincentii, cui vicina rups Petra-pertusa vocabulum indidit*. De Petra-Pertusa pluries mentio occurrit [h] apud Procopium Cæsariensem in libris de bello Gothico. Impræsentiarum Petranus mons a regionis hujus accolis appellatur *il monte de' cavalli*, iis utique in locis, ubi sitæ sunt ecclesiæ sancti Nicolai super Boasum fluvium, quæ unita est prioratui Secchiani, & altera sancti Bartoli supra Buranum flumen, præposituræ Calliensis ecclesiæ adnexa. Otio & solitudini non indulsit Romualdus ea in regione constitutus, sed [i] *quocumque vir sanctus ibat, semper fructificans, semper*

e *Vit. S. Rom. cap.* XLIII.

f *Lib. VI. epist.* XXXII.

g *Cap.* V.

h *Lib. II. cap.* XI. *Lib. IV. cap.* 28. *&* *cap.* 34.

i *Vit. S. Rom. capp.* XLIII. XLIV.

semper animarum lucrum magis ac magis accumulans, & homines de seculo abstrahens, velut totus in ignem conversus, ad cœleste desiderium animos hominum accendebat. Volens autem tunc locum ad eremum faciendam idoneum invenire, præcepit cuidam presbytero, ut ad domum propriam rediens, sibi & his, qui eum comitabantur, alimenta deferret. Deinde montem indagine studiosa perlustrans, postremo quemdam monachum juxta parvam basilicam habitantem reperit, a quo mox, ut secum pergeret, & locum ostenderet, ubi aqua inveniretur, exegit. Qui nimirum denegavit se domum sine custode posse relinquere, quia latronum insidiantium impetum formidaret. Ad hæc Romualdus se recompensaturum, si tale quid accidisset, cuncta spopondit. Sicque jam alienæ injuriæ debitor factus, monachum secum duxit. Illis itaque locum quærentibus, ecce presbyter, ut jussus fuerat, prandium deferens, furem jam domum infringentem reperit, repertum cœpit, captum usque ad Romualdi reditum custodivit. Quem Romualdus inveniens, prius illum pia studuit verborum austeritate corripere, deinde dulciter admonens incolumem permisit ad propria remeare. Sic nimirum, sic divina providentia servavit illæsum, quod in absentis Romualdi fuerat custodia derelictum [a]. *Rursus dum in eisdem partibus cellas construeret, (erat autem sarcina procul ab eis sub quodam saxo reposita) tunc vir venerabilis quemdam fratrem illuc quasi cum quodam impetu propulit, præcipiens sibi, ut nimis anxie festinaret. Qui mox fures superveniens, illos quidem jam rapere tentantes reperit, sed nihil adhuc ex his, quæ reposita fuerant, deesse cognovit. Qua ex re recte colligitur, beatum virum non sine divinæ revelationis instinctu fratrem cum tanta sollicitudine destinasse, ipso videlicet puncto, quo fures ad rem non custoditam contigit pervenisse.*

Ann. Chr. 1011. Romualdi 104.

a *Vit. S. Rom. cap.* xliv.

QUANDOQUIDEM tam clare a Damiano eremorum & cellarum constructio in faucibus Calliensium montium, in Monte-petrano & prope Candilianum flumen describatur, quis non videt monasteria & loca solitaria, quæ hoc eodem seculo in his locis maxima sanctitate claruere, originem suam habuisse a Romualdo? Eremus valde nota ibi exsurgebat, Luceoli appellata, quæ vel ab urbe, vel a loco ejusdem nominis nomenclaturam acceperat, in qua Johannes Mon-feretranus, & Dominicus Loricatus vitæ rigore & pietate celebres floruere proxime post hos annos. Hanc eremum vicinam, jurisque monasterii sancti Nicolai, in quo Dominicus monasticam vestem assumpsit, asserit Turchius in vita ejusdem sancti esse positam in colle Metrano (anne Petrano?) a se visitatam, ubi & plateæ parvæ existunt, quæ indicant inibi fuisse solitariorum cellulas, juxta etiam indigenarum traditionem, qui in colle pone ecclesiam supradictam sancti Nicolai affirmabant veteribus temporibus decem & octo monachos in totidem cellis vixisse. Hoc sancti Nicolai cœnobium, cujus ecclesia modo visitur prope portam terræ Cantiani in via, quæ Callium ducit, progressu temporis eremo Avellanensi legitur in veteribus chartis unitum, atque subjectum, una cum alio cœnobio sancti Angeli Chiasernæ, quod nunc obtentum a monachis Montis-oliveti Eugubii degentibus, tunc antiquo sancti Nicolai monasterio erat aggregatum.

XLVI. Eremos in hac regione condit, & monasteria reformat.

Prope monasterium sancti Vincentii eremum alteram pariter condidit Romualdus, immo ipsius monasterii regimen hoc tempore tenuit, ut inferius ostendemus. Præter has eremos alia *procul* extans memoratur a Damiano [b]. Facile quoque sanctus parens reviserit hoc anno suos, quos in Catria habitantes, & ad Fontem-avellanæ ante vicennium, ut morem gereret sancto Apollinari, reliquerat; verisimile demum est, quotquot eremos & solitaria loca in his partibus legimus, disciplinæ Romualdi paruisse,

b *Vit. S. Rom. cap.* lvi.

Ann. Chr. 1011. Romualdi 104.

ruisse, qui præsentem annum integrum videtur impendisse in eremitica vita propaganda in ipsa Umbriæ provincia. Quid vero tunc sancti viri meritis acciderit, cum eremum conderet in monte Petrano, ex eodem Damiano referamus. Attulerat is prodigium divinæ virtutis, quæ Romualdum in præsenti vitæ discrimine constitutum liberaverat; *sed quid*, [a] subdit, *nos de divina circa venerabilem virum custodia dicimus, cum & alios sæpe per ejus præsentiam ex magnis ereptos fuisse periculis non ignoramus? Ex quibus videlicet unum hic memorare sufficiat, ut plures fuisse prudens lector agnoscat. Aliquando namque ipse cum operariis manens nimiæ magnitudinis ilicem in monte Petrano faciebat incidi; quæ videlicet arbor in prærupto montis declivio pendens in ima vergebat. Rusticus autem quidam paullo inferius stabat. Cum igitur præcisa arbor graviter corruens per devexum montis volveretur in præceps, mox repertum rusticum repentino impetu cœpit ad inferiora rotare. Cuncti protinus dolentes exclamant, & jam non solum esse hominem mortuum, sed totum quoque dilaceratum ejus corpus existimant. Sed mira divina virtus, ita mox sanus & incolumis repertus est, ac si super eum non arbor, sed arboris folium cecidisset. Hinc jure perpenditur sancti viri meritum, quantum apud Deum pondus habuerit, in cujus conspectu gravissima arboris moles pondus habere nescivit.*

a *Ibid. cap.* xlviii.

XLVII. Ingelbertus discip. Romualdi schisma conflat.

Tanta licet esset Romualdi sanctitas, tamque impensus ejus zelus pro convertendis populis, & pro monachis ad arctiorem perfectionem evocandis, *nonnulli tamen*, prosequitur Damianus [b], *carnales videlicet homines eum malitiose reprehendere, & ejusdem dicta vel facta non timebant levitatis vitio deputare. Quidam namque ejus discipulus in alia procul eremo morabatur, qui propinquorum necessitati aliquando condescendens, pro eorum utilitate tandem velut invitus Romam ire quadragesimali tempore acquievit. Quod mox vir sanctus per spiritum recognoscens, velut indignans scripsit astanti cuidam fratri, quod videlicet ille bonus vir pro hujusmodi negotio Romam ire præsumpsit. Ille autem admirans, unde hoc magister agnosceret, cum quo videlicet nemo aliunde veniens colloquium habuisset, rem sollicite perquisivit, & ita esse, sicut vir venerabilis dixerat, comprobavit. Pergit ille ad alium suum condiscipulum, videlicet Ingelbertum, qui inclusus manebat, & magistrum hæc dixisse, & sine dubio prophetiæ spiritum habere prorsus affirmat. Ille autem detestans, & penitus denegans, fratrem corripuit, & quia hoc falsum esset, imprecationis se vinculis obligavit, dicens: si ille hoc per prophetiæ spiritum, & non magis per diabolum dixit, non me omnipotens Deus in hoc reclusorio perseverare permittat. Dictum, factumque est. Nam vix paucis diebus transactis, Ingelbertus, fracto reclusorio, sine magistri licentia abiit, & eum in hac vita, sicut dicitur, nunquam ulterius vidit.*

b *Vit. S. Rom. cap.* lvi.

XLVIII. Romualdus inobedientem discipulum communione fratrum privat.

Subdit deinde sanctus doctor aliam alterius Romualdi discipuli inobedientiam, cujus tamen meritas pœnas luit. [c] *Alius frater*, inquit, *Gaudentius nomine, abbatis videlicet hujus monasterii sancti Vincentii pater, cum magno fervore conversus, ardentiori postmodum spiritu in Dei est servitio conversatus. Hic aliquando a beato Romualdo licentiam petiit, qua vellet cuncta jam pulmenta dimittere, & pane cum aqua contentus, pomis quoque, sive crudis oleribus victitare. Hoc igitur impetrato, cum in eodem proposito infatigabiliter permaneret, Tedaldus quidam alius frater infirmitati illius indiscrete compatiens, adire magistrum studuit, & quia frater ille tam grave pondus portare non posset, hanc ejus obstinationem frangi omnino debere suggessit. Romualdus autem, ut puta vir simplicis animi, Tedaldi verbis assensum dedit, & Gaudentio talis vitæ licentiam abstulit. Ille vero* gra-

c *Vit. S. Rom. cap.* lvii.

graviter ferens, nequaquam amplius cum Tedaldo in eremo, in qua eos Romualdus posuerat, passus est habitare, sed Ingelberto, qui a Romualdo disjunctus fuerat, se subdidit, & ab eo consensum prædictæ conversationis accepit. Hic itaque Gaudentius non multo post tempore defunctus est, & in cœmeterio beati Vincentii juxta corpus Berardi venerabilis viri, qui æque Romualdi discipulus fuerat, est sepultus. Romualdus autem, quia ille in prævaricatione inobedientiæ vitam finierat, orationem pro eo fieri penitus interdixit. Aliquanto autem post tempore monachus quidam prædicti cœnobii, dum matutinam synaxim cum reliquis fratribus celebraret, repente tam acrem dolorem sentire in dentibus cœpit, ut jam in choro ad psallendum stare omnino non posset. Qui protinus exiens, super sepulcrum se Berardi atque Gaudentii lamentando jactavit, & medelam sibi per eos provenire sperans, medium se inter utrumque constituit; dumque ibi aliquandiu jacens oraret, mox eum somnus oppressit. Illico sane videt Berardum sacerdotalibus ornamentis splendidissime decoratum, tenentem in manibus librum aureis literis scriptum, ante altare scilicet stantem, & Missarum sollemnia celebrantem. At cernit Gaudentium mœrentem, tristem, demisso vultu, post tergum Berardi procul assistere, & velut excommunicatum sacris appropinquare mysteriis non audere. Qui mox locutus est ei dicens: Vides, inquit, frater, illum Berardi librum mirabiliter deauratum? Ego quoque talem per omnia nunc haberem, nisi illum mihi, heu, heu! Tedaldus monachus abstulisset. Statimque frater evigilans, sanus & incolumis, fugato omni dolore, surrexit. Deinde lætus visionem suam fratribus per ordinem retulit. Quod Romualdus audiens illico præcepit fratribus, ut jam Gaudentio fraternam caritatem impenderent, atque pro eo enixius orarent. Unde non sine ratione colligitur, quod ille, qui privatus societate Romualdi, librum, quem meruerat, perdidit, jam ejus gratiæ restitutus, & orationibus sublevatus, eumdem librum recuperare meruit; & quem Tedaldus nonnisi per Romualdum abstulerat, jam Romualdus orando pro illo cum omnibus simul fratribus reddat.

ANN. CHR. 1011. ROMUALDI 102.

XLIX. Monasterium S. Vincentii ad Petram-pertusam reformat.

LIQUIDO ex his narrationibus colligitur Romualdum reformasse & rexisse monasterium sancti Vincentii; nam monachus quidam ejusdem cœnobii confratribus suis retulit visionem, quam habuerat defunctorum fratrum Berardi & Gaudentii; Romualdus hoc audiens iisdem præcepit, ut suffragium defuncto Gaudentio præstarent, sicut antea penitus interdixerat iisdem, ne preces pro eo effunderent, quia Gaudentius *in prævaricatione inobedientiæ* vitam finierat. Hæc indicia sunt prælationis. Rursus eruitur ex ipsa narratione eremum pro perfectioribus monachis erectam fuisse a Romualdo prope monasterium sancti Vincentii. Gaudentius in eo cœnobio *conversus*, sed ardentiori spiritu ductus petiit a Romualdo districtiorem, qualem solebant eremitæ, vitam ducere; obtinuit, & infatigabiliter in eodem proposito permansit, sed *indiscretione Tedaldi* prohibitus fuit a *magistro* diutius eidem vitæ incumbere. Ea re offensus, eremum, in qua eum posuerat Romualdus, deseruit, & *Ingelberto* in alia eremo habitanti adhæsit. Ad mortem veniens sepultus est in cœmeterio sancti Vincentii, quia solitarii, in eremo licet degentes, inter monachos tamen ejusdem monasterii computabantur, quibuscum commune erat cœmeterium. *Berardus*, *Tedaldus*, *Ingelbertus* monachi profecto San-vicentiani in varias cellas fuerant a Romualdo eorum magistro, cujus appellantur discipuli, distributi. Discipulus autem ille eremita, qui Romam petiit, & frater, cui Romualdus spiritu prophetiæ aperuit illius exitum ex eremo, Romualdo parebant, reclusionis leges observabant, & communicatio-

Ann. Chr. 1011. Romualdi 104.

cationem habebant cum sancti Vincentii monachis; ut proinde ex his Damiani narrationibus compertum reddatur, Romualdum in hac Umbriæ parte tum reformatorem monasticæ, tum solitariæ vitæ longe lateque institutorem ab omnibus fuisse agnitum. Mabillonius [a] hæc, quæ contigere in monasterio & in eremo sancti Vincentii, retulit tamquam acciderint in Sitriensi, nam postquam narravit Ingelberti defectionem a Romualdo, subdit: „ non una hæc tentatio apud Sitriam Romualdo acci„ dit. " Videtur quoque confudisse Ingelbertum cum Romano, illumque existimasse factum episcopum Nucerinum, at simoniæ vitio, cujus causa rejici meruit; id quod convenit Romano, de quo postea Mabillonius narrationem subnectit. Ceterum prodit se Damianus, ubinam scripserit vitam sancti Romualdi? in monasterio scilicet sancti Vincentii, in quo, cum scriberet, commorabatur, adeo ut propterea dicere potuerit: *Gaudentius abbatis hujus monasterii sancti Vincentii pater*. Verum ea de re ad annum 1042. quo sanctus doctor vitam Romualdi exaravit.

a *Annal. T. V. pag.* 275.

L. Historia ejusdem monasterii.

Aliqua more nostro hic loci ad illustrationem hujus cœnobii addimus. Antiquior, quam reperimus, mentio monasterii sancti Vincentii ad Petram-pertusam, occurrit in auctore anonymo comite itineris Diederici Mettensis episcopi, qui anno 970. testimonio ejusdem scriptoris, Italiam petiit. Diedericum etiam anno 967. Italiam lustrasse ostendimus ad eum annum ex charta nostra Classensi, cum unus fuerit ex iis patribus concilii Ravennatis collectis in basilica sancti Severi ad tractanda ecclesiæ negotia. Ea igitur occasione vel anno 967. vel 970. Diedericus sive Deodoricus plurimorum Sanctorum corpora sustulit e variis ecclesiis & monasteriis Italiæ, atque ad propriam ecclesiam adsportavit, inter quæ corpus sancti Vincentii episcopi, qui nomen dabat monasterio & basilicæ ejusdem nominis ad Petram-pertusam. *Alterum sanctum*, inquit hic auctor, postquam longa narratione recensuit sacra corpora, quæ sustulit ex Italia Diedericus, *Vincentium episcopum ex monasterio quodam in comitatu Urbini a Ravenna milliario fere quinquagesimo, juxta Petram-pertusam, ab abbate rebus necessariis nimis attrito, quia aliud, quod daret pro relevatione loci, non habuerat, partem primo offerente, sed Bertrao illuc misso, multaque arte strenue agente, percepit*. Extat historia inventionis horum Sanctorum, ut eam inscribit supradictus auctor, apud Dacherium in [b] Spicilegio; ex qua narratione intelligimus, ignavia abbatis corpus sancti episcopi Vincentii ex ea ecclesia, in qua jacebat, in urbem Mettensem fuisse translatum. Intelligimus pariter sanctum Vincentium, ex cujus vocabulo monasterium denominabatur, non fuisse celebrem hujus nominis martyrem Hispaniæ, sed episcopum, & forte Mevaniensem episcopum illum Vincentium, de cujus passione plura habet ad diem sextam junii, & ad annum 303. [c] Godefridus Henschenius, cujus corporis magnam partem Mettis in Lotharingia translatam post desolationem civitatis Mevaniæ, ac post expoliationem pretiosissimorum sacrorum pignorum idem asserit. Re enim vera Sigebertus monachus Gemblacensis, qui Mettis positus in ecclesia sancti Vincentii pueros instruxit, hæc habet ad annum DCCCC.LXX. in suo chronico. *Deodericus Metensium episcopus imperatori sanguine, dilectione ac familiaritate ceteris devinctior, dum in Italica expeditione per triennium sub eo militaret, multa corpora & pignora Sanctorum de diversis Italiæ locis, quocumque modo potuit, collegit. Primum a Marsia sanctum Elpidium confessorem, cujus socium Eutychium episcopum ipse imperator jam sustulerat; ab Amiternis Eutychetem martyrem cum reliquiis Maronis & Victorini sociorum ejus; a Fulginis Felicianum episcopum & martyrem; a Spole-*

b *T. II. pag.* 133.

c *Act. SS. T. I. pag.* 624.

Spoleto Serenam martyrem cum Gregorio Spolitano martyre; a Corduno pignora Vincentii martyris & levitæ, ab Hispania olim a duobus monachis Capuam, a Capua vero illuc deportata; a Mevania alterum Vincentium episcopum & martyrem; a Vincentia Leontium episcopum & martyrem; a Florentia Mineatem martyrem; ab urbe Tudertina Fortunatum episcopum & confessorem; a Corfinio Luciam Syracusanam virginem & martyrem, a Faroaldo duce Spoletanorum olim a Syracusis illuc translatam; a Sabinis partes corporum Proti & Hyacinthi martyrum. Hæc omnia cum parte catenæ sancti Petri apostoli, cum capillis ejusdem, & sanguine sancti Stephani protomartyris, & parte craticulæ sancti Laurentii martyris a papa Johanne sibi donata, cum aliis multis Sanctorum pignoribus, præsul Deodericus in Galliam hoc anno transtulit, & in ecclesia sancti Vincentii martyris a se in insula urbis constructa locavit. Patet Sigebertum exscripsisse auctorem anonymum suprarelatum, qui eadem narrat. Verum, cur Vincentium episcopum sublatum asserit a Mevania urbe prope Fulginium Sigebertus, dum auctor anonymus, sed suppar, ablatum scribit ex monasterio Petræpertusæ? Subit dicere, corpus sancti Vincentii temporibus Langobardorum, a quibus urbs Mevania miserum in modum fuit eversa, translatum fuisse primitus in monasterium ad Petram-pertusam, temporibus vero Ottonis I. ex Petra-pertusa secunda vice translatum fuisse Mettas. Ejusdem sancti Vincentii episcopi Mevaniensis corporis partem Lucæ asservari tradit [a] Jacobillius; partem vero reconditam esse Beneventi in *cathedrali sub altari majori, ut ibi inscriptio docet*, scribit Marius de Vipera. Sed de monasterio sancti Vincentii ad Petram-pertusam plura dicenda occurrent ad Petri Damiani tempora.

ANN. CHR. 1011. ROMUALDI 104.

[a] SS. Umbr. T. I.

LI. Romualdus ad Valle-castrense cœnobium redit.

DESINENTE hoc anno, vel ineunte sequenti excurrit Romualdus ad Valle-castrense cœnobium, quod annis superioribus condiderat, cellas, ut videtur, novas novis & semper supervenientibus eremitis constructurus. *Post hæc*, ait [b] Damianus, *Romualdus ad monasterium Vallis de castro revertitur, moxque abbatem sic alios regere, ut semetipsum tamen nequaquam negligeret, exhortatur. Volebat insuper, ut cellam, qua usus fuerat, occasione regiminis, non omnino desereret, sed in ea sibimet spiritualiter vivens, præcipuis tantum festivitatibus fratres admonitionis gratia visitaret. Erat enim beato viro tam odiosa ista, quam cernimus, abbatum conversatio, ut non minus gauderet, si de manu cujusque abbatiam potuisset evellere, quam si daretur sibi potentissimum quemlibet secularium ad sanctæ conversationis ordinem convocare. Sed sicut per Salomonem dicitur: Velut acetum in nitro, ita qui cantat carmina cordi perverso; ille prædicatione venerabilis viri de malo deterior factus, comitissas loci dominas protinus adiit, & ut ligna, quibus Romualdi cellæ debebant construi, minutatim incidi præciperent, sacrilega machinatione suggessit. Eo itaque modo alta paradisi cedrus de terrenorum hominum silvis ejecta est.* Sicut comitissas loci adiit abbas Valle-castrensis, ita probabile est etiam Romualdum ea occasione ipsas adiisse, ut se a machinationibus abbatis tueretur. Tum fortasse accidit, quod narrat idem sanctus scriptor de monacho illo, quem graviter objurgavit Romualdus, eo quod oculos fixerit in vultum Sybillæ comitissæ [c]. *Beatus aliquando Romualdus rediens a Sybillæ comitissæ colloquio, comitanti fertur callide dixisse discipulo: Quam elegantis, ait, & venusti vultus femina; nisi, proh dolor! unius oculi dispendio laboraret. Cui discipulus: Absit magister, inquit, sicut decora certe facies, ita quoque oculi, prout sagaciter deprehendi, nihilominus incolumes vigent. Quem magister acerrima protinus animadversione corripiens: Et quis te, inquit, in faciem femi-*

[b] *Vit. S. Rom. cap.* xlv.

[c] *Opusc. XLIX. cap.* III. *oper. T. III. p.* 381.

ANN. CHR. 1011. ROMUALDI 104.

feminarum respicere docuit? Tunc ille circumventum se esse respiciens, pœnitentia ductus erubuit, & de cetero cautiorem se fore obstinatissima pollicitatione devovit. Sed ad historiam primam redeamus. Prævaluit, ut videtur, abbatis malevolentia, & Romualdus Camerini & Umbriæ provincias deserens se in Thusciam contulit; verum de ejus adventu in eam provinciam anno sequenti.

LII. Petrus Vercellensis adhæret Bononio.

PETRUS Vercellensis episcopus ope Bononii e vinculis solutus ipsi adhæret, & in solitudinem cum illo se recipit. Hæc habet Ratbertus [a]. *Omnibus ergo captivis cum alacritate ad propria dimissis, Petrus vix a Bononii latere divelli poterat, quocum in solitudinem secedens aliquandiu sanctissime conversatus est. Cum vero Synai montem invisere utrumque cupido incessisset, ubi lex a Deo Moysi famulo concredita est, illuc Bononius cum Petro episcopo peregrinationem direxit, multas alias solitudines in via perlustrans, quo cum pervenissent, a copioso illo sanctorum fratrum cœtu (nam quingentos monachos ibi se vidisse vir sanctus narrabat) perhonorifice suscepti sunt ..... Ibi ergo cum assiduo Pandectes studio exercitati essent, ac divinæ legis meditationibus per aliquot dies uterque vacasset, in Palæstinam redierunt, & sacraria illa devotissime visitarunt. Sed cum inde Byzantium se contulissent, ab imperatoris apparitoribus, velut exploratores, in vincula conjecti sunt.* Auctor primæ vitæ scribit prius Jerosolymam eos venisse, inde in montem Synaim, postremo Byzantium, [b] ait enim: *Igitur sanctus Bononius navem ingressus Jerosolymam venit, & inde pertransiens in montem Synai locum suæ habitationis elegit: ut sicut Moyses ibi olim susceperat legem Dei, in eodem loco Christi confessor adipisceretur gratiam Spiritus-sancti. Deinde venit Constantinopolim. Tunc custodes navium videntes tantam multitudinem captivorum, pavescentes speraverunt paratas esse adversus eos insidias inimicorum, & exceptoribus ad palatium missis ex imperiali edicto omnes sunt capti, & carcerali custodiæ mancipati.* Sed Ratberto major est fides adhibenda, cum scribit prius eos montem Synai ascendisse, deinde Jerosolymam fuisse profectos. Vere etenim Babyloni propior est mons Synai quam Jerosolyma, & huic quam illi propior Constantinopolis, ad quam urbem deinde commigrarunt, ut proinde magis naturalis & directa sit via a Ratberto indicata, quam altera a Lucediensi descripta. Captivitas tamen Constantinopolitana ad sequentes annos est differenda; & ad annum 1014. de ea & de liberatione captivorum verba faciemus.

a *Cap.* XVI.

b *Num.* 9.

LIII. Obitus Guarini abbatis Cuxanensis.

DECESSERAT jam ante hunc annum Guarinus abbas ille famosissimus, monasterii Cuxanensis, aliorumque monasteriorum veluti rector generalis, ait [c] Mabillonius; literæ [d] enim habentur Sergii papæ IV. hoc anno datæ ad Olibam ejus successorem, quibus mense decembri confirmat omnia bona & privilegia monasteriis illis concessa. Libenter mentionem facimus obitus Guarini, qui cum Romualdo nostro conversionem promoverat Petri Urseoli, & Romualdi disciplinis apprime instructus fuisse videtur. Ipsius honorificam memoriam facit Garsias monachus Cuxanensis [e] in epistola ad eumdem Olibam, ex abbate episcopum Ausonensem, scripta circa annum 1040. in qua, dum initia inquirit ejusdem monasterii, atque post descriptas sacras reliquias in eo custoditas, excurrit etiam in laudes supradicti abbatis Guarini. Oliba autem ejus successor, inde episcopus Ausonensis, filius fuit Olibani Cabretæ comitis, quem Romualdus & Petrus Urseolus ad morum conversionem & ad monasticam vitam subeundam pertraxerunt. Mabillonius confundit filium cum patre, dum de Oliba filio hæc habet [f]: „ Romualdus vero Petri ducis exemplo ad monasti-

c *Annal.* T. IV. *p.* 221.

d *Marc. Hispan. p.* 978.

e *Ibid. p.* 1072.

f *Act. SS. O. S. B. Sec. V. p.* 851.

„ nasticen amplectendam eum exhortatus adduxit in Italiam, unde cum „ Johanne Gradonico redux non apud Rivipullenses, sed in Cuxanensi „ cœnobio, ubi primum religionis amorem hauserat, monachus vixit." Hæc tamen emendavit in Annalibus. Rexit Oliba triginta-octo cœnobia; circa annum 1019. ad episcopatum fuit promotus, & post annos XXVIII. regiminis obiit anno 1047. sepultus in monasterio Cuxanensi, juxta auctorem vitæ sancti Petri Urseoli, & juxta Rivipullense chronicon a monacho ejusdem loci anno 1258. conscriptum.

ANN. CHR. 1011. ROMUALDI 104.

LIV. Chartæ spectantes ad abbatiam Prataliæ & ad alteram S. Gregorii de Urbe.

WILLELMUS episcopus Arretinus [a], qui sub finem anni elapsi successerat Helemperto, hoc anno mense januario Sigizoni abbati Prataliæ confirmat mansum de *Ventrina*, quem Venerandus vicedominus Arretinus permutationis causa ad se pertinere asserebat, concessa e contra terra, quæ dicebatur *de Cesa* in suburbio Arretii, quæque juris erat Prataliæ, eidem Venerando, ad lites amovendas. Integram transactionis paginam damus in Appendice. Legitur etiam sub hoc anno donatio [b] Lamberti quondam Petroni facta monasterio Prataliæ de terris, domibus, vineis & de uno servo nomine Martino.

a *Arch. Cam.* §. *Transactio.* *A.* I. 13.

b *Ibidem* §. *Donatio.* *A.* I. II.

Anno Deo propitio pontificatus domni Sergii summi pontificis & universalis quartus papa in sacratissima beati Petri apostoli sede secundo indictione nona mense junio die vicesima Johannes abbas sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe, consentiente sibi cuncta congregatione monachorum presbyterorum dicti monasterii, conducit domum positam Romæ in regione tertia, in loco, qui vocatur *sancto Pastore*, sive *arcum pietatis*. In colle Viminali ecclesia exsurgebat sub titulo sancti Pastoris; prope ipsam proinde requirendus est arcus pietatis a nullo antiquariorum urbis Romæ, quos viderimus, nominatus. Integra charta exhibetur in Appendice ex codice Gregoriano.





ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER NONUS.

Ab anno CHRISTI M. XII. *ad annum* M. XVII.

ANN. CHR. 1012. ROMUALDI 105.

I. Cur ad hunc annum ædificationem eremi Camaldulensis statuamus?



REMITARUM monachorumque nostrorum animis alte insedit hactenus ea opinio sacram eremum Camaldulensem in Apennini jugis a divo parente Romualdo excitatam fuisse præsenti anno 1012. Ii, qui vitæ sancti patris editæ Florentiæ anno 1513. sub auspiciis Leonis papæ X. impressioni destinati fuere, hæc ex antiquis, ut asserunt, eremi monumentis addidere: *Anno Domini* M. XII. *idem beatus Romualdus cupiens locum idoneum eremiticæ conversationis invenire, pervenit ad istum locum Camalduli*. Tantaque horum monumentorum fuit vis, ut eamdem sententiam extensis ulnis amplexati fuerint beatus Paullus Justinianus, Lucas Barcinonensis eremita, Ventura Minardus, Fortunius, omnesque fere scriptores nostri, ex quorum postea fontibus historici esteri omnes hausere. Dum apud nosmetipsos mente revolvimus, quænam sint pro ea sententia eremi Camaldulensis antiqua monumenta, pluraque Camaldulensis tabularii instrumenta utraque manu versamus anno 1752. quo ad multos dies summam humanitatem experti sumus sanctorum loci illius ascetarum, occurrunt nobis quædam veteres chartæ testificationum & probationum, inter quas altera annum 1215. & diem 25. novembris præferens, quæque verborum partem quamdam testium continet pro eremo Camaldulensi contra episcopum Arretinum in causa libertatis & exemptionis a juribus dioecesanis vertente inter Martinum episcopum tunc Arretinum, & Guidonem priorem Camaldulensem. Habetur in ea Rainerium priorem sancti Michaelis Arretii testem interrogatum anno 1215. a dominis Bonensigna archidiacono Florentino, & Bonajunta canonico Castellano, delegatis a summo pontifice Innocentio III. inter alia memoratu digna asseruisse; „ quod orta olim contentione inter duos monachos Fontis-boni Camaldu„ lensis sub priore Placido (floruit is circa annum 1182.) an filii U„ bertini essent Camalduli patroni, prior prædictus jusserit sibi afferri in„ strumentum concessionis Malduli, in quo ipse prior Placidus tunc, & „ postmodum idem testis Rainerius legerint, Maldulum donasse locum, ubi

„ ubi extat eremus, Romualdo; & incipere idem instrumentum per hæc „ verba: *In nomine Dei eterni anno* M. XII. *indictione septima*, *vel octava*, „ de qua tamen indictione, sicut etiam de nominibus papæ & imperatoris, „ non bene recordatur. Et post quemdam prologum de contemptu mun„ di & animæ salute exarari in ipso sequentia: *Ego Maldulus do pro re„ medio anime mee locum &c.* quem ita designat; *ab una parte* alterum *lo„ cum* habet *dictum Fagiolum*, *ab alia montem Finuscato*, *a tertio castel„ lum Donellum*, *quod est in summitate ascensus*, *quo itur a Fonte-bono „ ad eremum*, ubi tunc temporis, quo testis prædictus vivebat, *crux cer„ nebatur lapidea*, testesque in præfato instrumento Malduli rogatos dixit „ fuisse *Donellum fratrem Malduli*, *qui dicebatur esse a quadam villa in„ ter Raginopolim & Mojonam*, *cujus nominis non meminerat*. “ Ex quo Rainerii testimonio colligitur ipsum errasse quidem circa indictionem, cum non esset illa eo anno septima vel octava, sed decima; verumtamen nequit colligi errasse pariter quoad annum donationis, sive oblitum veri anni alium pro vero juxta errorem suæ memoriæ substituisse; nam si non probe tenuisset annum, sicut confessus fuit se non recordari indictionis, papæ & imperatoris, ita quoque non dubitasset asserere se non reminisci anni; non enim tunc erat controversia circa annum donationis, sed circa patronos Camaldulensis eremi, ejusque libertatem. Ergo jam ab anno 1215. immo ab anno circiter 1182. quo etiam sub Placido priore supradicta charta lecta fuit, vigebat, & quidem innixa autographo & primigenio testimonio, sententia, Camalduli ædificationem, quæ est connectenda cum Malduli donatione, factam fuisse anno 1012.

ANN. CHR. 1012. ROMUALDI 105.

Quæ cum ita sint, & vetustissimæ traditioni respondeat hæc opinio aliis argumentis non facile probanda ob fœdissimum ignem, quo basilica, & fere totum monasterium Camaldulense conflagravit ineunte seculo XIII. retinendam quisquis videt eam, quæ viget, sententiam, eremum Camaldulensem constructam fuisse hoc anno 1012. Quare primo loco explodimus epochas Ractii nostri, qui in notis ad vitam sancti Romualdi [a] ædificationem hanc retrahit ad annum 1008. Fidelis Soldanii, [b] qui ante annum 1008. ex Andrea Januensi Camalduli eremum surrexisse pro certo habet, & forsitan ante annum millesimum, atque Hieronymi Pragensis, qui tempore Silvestri papæ II. adventum Romualdi Camaldulum adstruit, licet ejus verba explicari forte possint de revocatione Romualdi a Parentio in Italiam facta a Silvestro II. quæ revocatio nihilo secius & ipsa cum veritate, quoad tempus, minime concordat. Secundo loco nulla adesse videtur necessitas differendi hujusmodi ædificationem ad annos 1018. vel 1022. ut in Annalibus existimavit Mabillonius [c]; multoque minus ad annos 1023. vel 1027. ut in Dissertationibus Camaldulensibus & in aliis suis operibus suspicatus est Grandius noster. Sed de hisce opinionibus inferius agemus; nunc de ipsa Camaldulensis eremi constructione loquamur, rejecta tamen prius eorum sententia, qui Aquam-bellam cum Camaldulo confundentes, ea omnia, quæ ad Aquæ-bellæ locum pertinent, quæque præcesserunt ædificationem Camaldulensis eremi, ad hanc eremum revocant, ad eamque spectare opinantur.

a *Cap.* 47.
b *Quæstioni Vallumbros. n.* 9.
d T. *IV.p.*263

II. An Aquabella locus diversus a Camaldulo?

VALLE-CASTRENSE itaque monasterium reliquerat Romualdus sub finem præcedentis anni, vel initio præsentis, & in Thusciam se receperat. Lustrata hac provincia, vel saltem locis inhospitis, & ab hominum frequentia magis remotis, in locum consedit, qui appellabatur *Aqua-bella*, quem solitudini aptum comperiens, ipsum pro mansione sua & aliquot discipulorum suorum elegit. *Inde vero progrediens*, [d] ait Damianus, *non longe*

d *Vit. S. Rom. cap.* XLVI.

ANN. CHR. 1012. ROMUALDI 105.

longe ab Apennino monte in loco, qui dicitur Aqua-bella, *manere constituit.* Aqua-bella eadem nobis est ac Vallis-umbrosa posita in dioecesi Fesulana, ubi percelebre hoc eodem seculo exsurrexit monasterium constructum a divo Johanne-Gualberto post suum discessum a Camaldulo, qui locus etiam illustri congregationi Vallis-umbrosæ ordinis sancti Benedicti nomen dedit. Re enim vera Icta divi Hilari abbatissa in sua donationis charta data *anno trigesimonono post mille Conradi imperatoris augusti tertiodecimo* V. *nonas julii indictione* VII. *de quorum collegio*, inquit, *quosdam viros de sancti Miniatis monasterio, quos vobis bene notos esse credimus, in eremo, que Vallis-umbrosa vocatur, sicut vos scitis, suscepimus in loco, qui dicitur* AQUA-BELLA, *proprietatem scilicet nostri monasterii quidem in honore sancti Hilari sito Alphiano, qui &c.* Sic pariter vocatur Aqua-bella Vallis-umbrosæ locus in alia contractus charta anni 1049. ita in bullis Innocentii papæ II. anno 1139. & Eugenii papæ III. anno 1146. apud Grandium in Responsionibus ad V. Cl. Soldanium [a], & hoc nomen inditum loco ex fontibus scaturientibus asserit Xanthes Perusinus. Verum contra Grandium contendit idem Soldanius Aquam-bellam quidem, in qua substitit Johannes Gualbertus, fuisse Vallem-umbrosam, Aquam-bellam vero Damiani locum fuisse ab altero omnino diversum; immo testimonio Silvestri Maurolyci Aquam-bellam putat fuisse situm eumdem, ubi ædificata postea fuit a Romualdo Camaldulensis eremus. Qua in re etiam Bollandus Maurolycum sequitur, sequitur & Mabillonius, qui postremus „ Maurolycus, inquit, Camaldulum interpretatur, sic dictum ob Fontem-bonum, qui in valle Apenninis jugis subjecta visitur, nec recedit ab ea „ sententia [c] Florentinus Camaldulensis monachus, qui miracula tria, „ Aquæ-bellæ ædificiis procurandis a Petro Damiano assignata, Camalduli, „ dum cellæ ædificarentur, contigisse scribit. " Pace tamen Mabillonii & Soldanii (nam Bollandus simpliciter exscribit Maurolycum) Camaldulum fuit semper & in veteribus contractibus, & in privilegiis pontificiis ac cæsareis appellatum quidem *Campus Malduli*, *Campus amabilis*, *eremus Camaldulensis*, & habita ratione coenobii, *Fons-bonus*, *de Fonte-bono*, sed nusquam & nunquam *Aquæ-bellæ* nomen obtinuit. Maurolyci auctoritas tanta non est, ut nomina diversorum locorum sint confundenda, licet si attentius legatur, neque ipse confundat; & Augustinus noster Florentinus prima quidem parte miraculum fagi in eremo Camaldulensi contigisse narrans, nil habet de liberatione presbyteri a dolore dentium, quam in Aqua-bella accidisse [d] secunda parte refert. Fortius tamen urget Soldanius, & ideo Aquam-bellam Damiani non esse Vallem-umbrosam affirmat, quia hæc non est sita *haud longe ab Apennino monte*, ut pronuntiat Damianus, situm est autem Camaldulum: quare cum Damianus asserat Romualdum a Valle de castro progredientem constituisse manere non longe ab Apennino monte in loco, qui dicitur Aqua-bella, intelligendus est de Camaldulo, non autem de Valle-umbrosa, quæ distat juxta eumdem Soldanium pluribus ab Apennino milliaribus, nec appellari potest Apennini pars. Verum Soldanio respondemus Vallem-umbrosam *intra excelsos Apennini colles*, *Apennini partem*, *juxta Apenninum*, *in Apennini jugo*, *in alpibus Apennini*, *in Apennino celeberrimo monte* passim sitam promiscue vocari ab auctoribus & a geographis, quos laudat in sua [e] epistola octava Grandius, atque formulam Damiani *non longe ab Apennino* non esse detorquendam, neque explicandam diversimode ac explicetur a ceteris omnibus scriptoribus, qui insuper proximiorem Apennino faciunt Vallem-umbrosam, quam faciat ipse Damianus.

a *Pag.* 123.

b *Annal. O. S. B. T. IV. p.* 261.

c *Par. I. lib. I. cap.* XXXII. *& seq.*

d *Lib. I. cap.* XIX.

e *Pag.* 82.

MIS-

Missis tamen factis concertationibus, quid egerit Romualdus apud Aquam-bellam, ex Damiano [a] audiamus. *Illic sane, dum seculares quidam cum discipulis ejus habitationum tecta construerent, Romualdus autem, quia jam præ senectute laborare non poterat, & solus hospitium custodiret, presbyter quidam intolerabilem dolorem in dentibus sentiens opus ædificii invitus reliquit, & postulata fratribus licentia redire domum miserabiliter ejulans cœpit. Cumque per Romualdum transitum reversionis haberet, interrogatus cur abscederet, mox casus suæ passionis innotuit. Huic Romualdus bianti locum, ubi patiebatur, digito tetigit dicens: Ignitam, inquit, subulam, ne labrum lædat, in calamum mitte, & hic pone; sic dolor aufugiet. Vix presbyter unius jugeris spatio ultra progressus est, & confestim omni dolore deposito, ad opus, quod reliquerat, sanus & incolumis repedavit. Claris nimirum vocibus exclamans & dicens: Gratias tibi agimus, omnipotens Deus, qui regionem nostram splendore tanti sideris illustrare dignatus es; vere angelus Dei, vere propheta sanctus, & lux magna occulta mundo in finibus nostris apparuit. Hæc & alia multa in Dei laudem vociferans, vix a beati viri discipulis tacere compulsus est; nam si talia verba ad Romualdi aures qualibet occasione pertingerent, gravissima cor ejus indignatione ferirent.* Videmus hic nominatos discipulos Romualdi ad Aquam-bellam. Ipsi a Romualdo eo loci relicti, cum Camaldulensis eremi constructionem suscepit, inventi fuere anno 1039. a Johanne Gualberto, quando discedens hic a monasterio sancti Miniatis, pluribusque locis perlustratis, & ipsa etiam Camaldulensi eremo, cujus ad tempus accola fuit, in ea tandem Valle substitit. Duorum præcipue a Gualberto inventorum Romualdi asseclarum nomina servavit nobis Gregorius Passinianensis scriptor circa annum 1180. vitæ Gualberti, Paulli scilicet & Gunthelmi, quos, nescimus qua ratione, Andreas Januensis Guarini Septimiani abbatis discipulos, ab eoque victum ministrante in solitudine alitos faciat. Sed de his videndus Grandius tam in Responsionibus, quam in Epistolis ad Soldanium. Nos ad alia procedamus.

Ann. Chr. 1012. Romualdi 105.

III. Quid egerit Romualdus Aquæ-bellæ?

[a] Cap. XXXXVI.

Romualdus, cujus ea consuetudo, teste Damiano, erat, *ut cum unius loci spatium plenum habitatoribus cerneret, illic priore constituto, ad replendum mox aliud festinaret*, relicta Aqua-bella, editiora loca quærens ibi sedem fixit, ubi deinceps condidit eremum Camaldulensem. De hujus eremi ædificatione breve est, licet apud nonnullos dubium, Petri Damiani & velut aliud agentis, testimonium. Hæc tantum leguntur cap. XLVII. vitæ, quam conscripsit, sancti Romualdi. *Alio quoque tempore, dum in quadam eremo valde speciosa & egregia, cui nomen est Camaldulensis, quam ipse ædificaverat, in cella resideret, magnam aliquam fagum, quæ prope cellam ejus adstabat, incidi præcepit.* In editione anni 1513. vitæ sancti Romualdi, & in altera Fontis-boni anni 1520. habetur *valde speciosissima*. Illud tamen minime dissimulamus in Vaticano codice & in editione Suriana, qua usus est etiam Mabillonius in seculis Benedictinis, tot verba non reperiri, sed absolute legi: *Alio quoque tempore magnam aliquam fagum, quæ prope cellam ejus adstabat, incidi præcepit*; ut proinde dubitare quis posset aliena manu in textum Damiani irrepsisse additionem illam, ad explicandum nimirum locum, ubi evenit prodigiosum hocce factum. Quo posito, neque obiter expressum fuisset nomen Camalduli a Damiano, & propterea non brevissime & obscure ædificatio eremi Camaldulensis indicata fuisset ab ipso, sed affatim neglecta & prætermissa; neque de ea, & de loco illo mentionem ipse fecisset, nisi in suis opusculis & in epistolis, ubi pluries nominat *Martinum Camaldulensem eremitam*. Extant

IV. Idem Camaldulensem eremum ædificat.

tant

ANN. CHR. 1012. ROMUALDI 105.

tant tamen omnia ea verba in nostro codice seculi XIII. qui fuit olim abbatiæ Berardingorum, ut dici saltem queat antiquissimam fuisse eam additionem.

V. Testimonium Rodulphi de hac ædificatione.

a Cap. IX. X.

VERUM vel tacente, vel parce loquente Petro Damiano, testimonium habemus omni exceptione majus viri gravissimæ auctoritatis & sanctioris vitæ, Rodulphi nimirum quarti prioris Camaldulensis, qui hoc eodem seculo vixit, & potuit primos Camaldulensis eremi incolas de facie cognoscere, cuique propterea omnis fides est adhibenda. Hic ergo auctor in constitutionibus mss. ejusdem eremi [a], quas dictavit anno 1080. scribit beatum Romualdum cupientem reperire locum aptum ad eremiticam vitam in territorio Arretino, obviam habuisse hominem quemdam, Maldulum nomine, qui sancto viro narravit visionem a se habitam, dum in quodam suo campo dormiret. *Cum pervenisset* (Romualdus), inquit Rodulphus, *ad partes Arretini territorii, locum idoneum huic proposito cupiens invenire, occurrit ei quidam vir nomine Maldulus, dicens se campum habere amœnum in alpibus positum, ubi cum aliquando dormiret, instar Jacob patriarchæ scalam vidit excelsam, cœlum quasi suo vertice tangentem, per quam splendentium atque albescentium videbatur ascendere multitudo. Quo audito, vir Dei, tamquam divino illustratus oraculo, mox campum petiit, locum vidit, cellas ibidem construxit, & allocutus præsulem Arretinum, suffragium hujus operis quæsitum impetravit.*

Ex hoc Rodulphi textu colligimus sanctum Romualdum statim post allocutionem cum Maldulo cellas construxisse, eremi habitationem disposuisse, & a præsule Arretino suffragium impetrasse hujus ædificationis. Quamvis sileat Rodulphus nomen Arretini episcopi, hic non alius tamen fuisse videtur, quam Willelmus, qui post Helempertum sedit in cathedra Arretina; ideo enim Fortunius omnium primus, nulla præeunte auctoritate, fidenter scripsit præsulem Arretinum fuisse Helempertum, quia credidit ipse, & alii crediderunt post ipsum, hoc anno 1012. adhuc in vivis Helempertum egisse, cum tamen jam ab initio anni 1011. episcopus Arretinus esset idem Willelmus. Eo enim anno mense januario, ut vidimus, Sigizo abbas Prataliæ ob litem intentatam suo monasterio a Venerando vicedomino, qua sibi permutationis causa mansum *de Ventrina* pertinere dicebat loco alterius *de Peza*, transegit cum Willelmo episcopo, & idem episcopus [b] *confirmavit monasterio Pratalie predictum mansum de Ventrina, & Venerando concessit terram in suburbio Arretii cum terra, que dicitur de Cesa, que juris Pratalie erant. Actum Aretii manu Johannis notarii*; erat pariter [c] mense junio anni 1013. quo pro remedio animæ suæ, & *Helemperti episcopi per se suosque successores in perpetuum donavit & concessit predicto monasterio sancte Marie de Pratalia domum, terram & vineam illam cum suis pertinentibus, que posita est in territorio Partine casali Contra, vocabulo Prato, sive Camaliano & Marciano, vel ubicumque ex ejus pertinentiis inveniri poterit. Actum Aretii manu Azonis notarii*. Willelmus hic, Ughellio incognitus, ille est, qui in Ottonis III. privilegio dato anno 984. canonicæ Arretinæ vocatur *Willelmus archidiaconus* [d] apud eumdem Ughellium, sicut & in altero ejusdem Ottonis anno 996. penes [e] Muratorium; quinimmo eodem titulo gaudet etiam in diplomate [f], cui subscripsit anno 1008. quo Helempertus dotavit ecclesiam a se ædificatam sanctæ Mariæ de Pratalia. Putant alii Theodaldum fuisse Arretinum episcopum illum, de quo loquitur Rodulphus. At hic in ea cathedra non sedit ante annum 1023. sed ut coepiscopum *suffragium operi* præstitisse contendunt Theodaldum. Coepiscopum sub Helemperto fuisse Theodaldum affirmat Ughellius ibidem dicens: „ Adhuc

„ super-

b *Arch. Cam.* §. *Transaction. A.* 7. 13.

c *Ibid.* §. *Donatio. A.* 1. 17.

d T. I. *col.* 414.

e *Antiq. medii ævi T. V. col.* 201.

f §. *Donatio. A.* 1. 120.

„ superstes (*Helempertus*) subsequentem Theodaldum coadjutorem & „ coepiscopum habuit cum futura successione, ut inde videre lector possit, jam tum istum morem apud ecclesiasticos inolevisse, atque usque „ ad hæc nostra tempora perdurasse. Decessit (*Helempertus*) anno 1013. “ Sed, quo fundamento hoc scribat, silet. Mox sequitur. „ Theodaldus „ seu Thedaldus Thedaldi & Guillæ filius, frater Bonifacii marchionis „ Etruriæ, comitissæ Mathildæ patruus, Helimperti fuit coadjutor, ut „ reperitur anno 1006. eidemque defuncto successit. “ Et ad marginem adnotatur: *post Albertum*. Lucentius autem ad calcem paginæ hæc habet. „ A Buralio Albertus quidam inter episcopos Arretinos enumeratur „ excurrente anno 1013. quem proxime successisse, Theodaldo consen„ tiente, censendum est, cum ceteroqui Theodaldo Helimperti locus ce„ dere debuisset. “

ANN. CHR. 1012. ROMUALDI 105.

In spissa Arretinæ historiæ per ea tempora, Arretinorumque episcoporum seriei, quam dant Burallius & Ughellius, caligine, sic prædicta erunt componenda; Helempertum scilicet vixisse in sede Arretina, juxta testimonium etiam Gerardi canonici Arretini, qui anno 1040. floruit, post Everardum ab anno 986. ad annum 1010. Anno enim 1009. pridie idus februarii [a] privilegium ipsius Helemperti concessum canonicis Arretinis, datum dicitur *anno* XXIII. *Helemperti episcopi*. Anno autem 1010. adhuc ipse vivebat, prout constat ex altera [b] eorumdem canonicorum charta; & mense martio *octavo kalendas aprilis* ejusdem anni adstitit placito, in quo Rodulphus abbas monasterii sanctarum Floræ & Lucillæ Arretii cum Farulfo advocato suo decisionem per pugnam petiit contra Petrum filium Andreæ, [c] apud Muratorium; Helemperto eodem anno 1010. vel initio sequentis successisse Willelmum ex archidiacono ejusdem ecclesiæ, ut superiori pagina Prataliense demonstravimus; Willelmo vero episcopo, qui ab anno 1011. usque ad initium anni 1014. quo obiit, rexit eam ecclesiam, suffectum fuisse Albertum sive Adalbertum; nam in Alberti privilegio *dato anno* 1015. *mense martio* canonicis sancti Donati Arretii legitur, ipsum datum fuisse *initio anni secundi presulatus Alberti episcopi*. Vivebat Albertus etiam anno 1021. quo alterum privilegium concessit cœnobio sanctæ Floræ existens [d] in archivo ejusdem monasterii. Hæc nos per literas docuit humanissimus & eruditissimus patritius Arretinus Hyacinthus Fossombronius. Nos putamus insuper Albertum hunc esse eumdem, de quo loquuntur Ditmarus, & annalista Saxo, qui nimirum cum illegitime & malis artibus cathedram archiepiscopalem Ravennatem occupasset ab anno 1004. post mortem archiepiscopi cardinalis Friderici, anno 1014. ab Henrico imperatore ab ea ecclesia expulsus fuit, quem etiam gradu movisset, nisi piorum virorum precibus flexus alteri duxisset præficiendum ecclesiæ. Ditmarus initio libri VII. hæc habet: *Arnulphum fratrem suum, quem Ravennati antea præfecit ecclesiæ cæsar, denuo intronizatum ab apostolico ibidem consecrari præcepit. Supplantatorem autem Ethebertum ejus injuste ibi diu sedentem, primo voluit degradare, sed assidua piorum devictus intercessione, alteri præficitur ecclesiæ nomine Aritia. In Ravenna duos, & Romæ totidem synodali judicio papa deposuit ab archiepiscopo Leone jam muto consecratos*. Et [e] annalista Saxo. *Arecinæ*, inquit, *præfecit ecclesiæ*. Recte Arretinam explicat [f] Mabillonius; sed [g] Muratorius suspicatur mentionem forsan hic haberi Ricciæ, vulgo *la Riccia*, quæ eo temporis honore frueretur episcopatus. Id proposuit Muratorius, quia „ apud Ughel„ lium, ait, nihil de Alberto in episcopis Arretinis; “ quod tamen falsum pace Muratorii est, cum Ughellius [h] ex Burallio proxime post Helem-

a *Arch. canon. Arret. n.* 48.
b *Num.* 50.
c *Antiq. medii ævi T.* III *col.* 643.
d *Capſ. H. n.* 8.
e *Apud Eccard. T. I. col.* 430.
f *Annal. T.IV. p.* 234.
g *Annal. T. VI. p.* 44.
h *T. I. col.* 416.

Ann. Chr. 1012. Romualdi 105.

lempertum, & ante Theodaldum, Albertum admittat in sua serie Arretinorum antistitum. Alibi videbimus, quam inconcussum sit Albertum sedi Arretinæ præfuisse, & quidem immediate ante Theodaldum. Ex his profecto vix credibile redditur Theodaldum coepiscopi munere functum fuisse ab anno 1006. usque ad annum 1023. sub tribus episcopis Helemperto, Willelmo & Alberto. Legimus quidem in ecclesia ipsa Arretina fuisse coepiscopum Gregorii episcopi Maurum [a] ad annum 1106. & anno 1058. [b] habemus Azonem episcopum tempore Arnaldi episcopi Arretini consecrasse die secunda novembris ecclesiam *castri de Soci in honorem sancti Prosperi, sancte Marie, & sanctorum Clementis & Nicolai atque aliorum Sanctorum*; cum tamen Arnaldus eodem anno VIII. idus novembris, [c] testante Buralio, Arretinis canonicis medietatem ecclesiæ sancti Miniatis privilegio suo dono dederit. Illud præterea addimus non semper coepiscopos episcopis successisse; neque enim Maurus coepiscopus Gregorio, neque Azo Arnaldo successere.

a §. *Privileg. A.* 2. 32.

b §. *Recordation*. I. *c.V.* 7.

c *Ughell. T. I.* 416.

Quidquid demum sit, fuerit vel Willelmus episcopus, vel Theodaldus ut coepiscopus, qui Romualdo suffragium tulerint pro ædificatione eremi Camaldulensis, illud tamen compertum est, beatum Rodulphum hic agere de *suffragio operis*, quod Romualdus quæsivit ab antistite Arretino, non de consecratione templi, neque de donatione aliqua facta ab episcopis Arretinis, quæ ad sequentes annos referri indubie debent; & respexisse dumtaxat ad donationem factam a Maldulo, distinguendam a concessionibus Arretinorum episcoporum. Consentit, licet quadringentis annis posterior, Hieronymus Pragensis, [d] qui in suo sermone de sancto Romualdo „ veniens, ait, pater sanctus in Romandiolam, ascendit altissimum Apennini montem, lustrans alpes per circuitum, cupiens inveni„ re pro eremitis idoneum locum; cui occurrit quidam vir nomine Mal„ dulus dicens se habere amœnum locum in alpibus consueto nomine vo„ catum Campum-bellum. Hunc beato Romualdo offerebat, petens in„ stantius, ut nomine ipsius Camaldulum vocaretur. “ Et [e] Sabellicus: „ Motus ea imagine non minus, quam divino quodam oraculo Romual„ dus locum ab hospite & petiit, & impetravit. “ Ceterum plura de Maldulo habet Fortunius, quæ nos fabulis accensemus, ut puta quod originem duxerit ab Hebræis castelli Magdali, qui Mariam Magdalenam comitati sunt, quæ narrat ad fidem documentorum sibi exhibitorum a nobili quodam viro, qui gloriabatur suam a Maldulo originem ducere; ad quæ [f] Bollandus ait: „ Quibus nos auctoritatem abrogare haud visis „ nefas putamus, nec tamen, ut credamus, facile inducimur. “ Fortunium exscribunt Maurolycus & alii.

d *Cap.* x.

e *Ennead. IX. lib. II.*

f T. *II. Februar. Vit. S. Rom.*

VI. Mabillonii objectis fit satis.

Tenendum itaque pro certiori illud est, distinguendam esse donationem hanc Malduli ab illis Theodaldi episcopi annorum 1027. & 1033. Verum vix assequimur, cur [g] Mabillonius habeat: „ Recentiores tradunt, „ locum a Maldulo traditum fuisse Romualdo; “ quod & repetit [h] in annalibus. Recentior attamen non est beatus Rodulphus. Sed in eo magis erravit idem Mabillonius, cum subjunxit: „ At vereor, ut id certum sit, „ nam locus tunc pendebat ab ecclesia Arretina, eumque tunc occupabat „ Bernardinus Sidoniæ filius, comprobante Gregorio episcopo, qui vene„ rabili patri Martino confirmat bona eremi Camaldulensis, quæ Bernar„ dinus filius Sidoniæ, aut pater ejus ab ecclesia sancti Donati tenuerunt. „ Datum in eremo Camalduliense III. idus octobris anno Dominicæ in„ carnationis 1106. indictione XV. pontificatus ejusdem Gregorii anno se„ cundo. Quibus literis sigillum affixum erat. “ In eo scilicet magis erravit

g *Secul. VI. P. I. Observ. ad Vit. S. Rom. p.* 247.

h *T. IV. p.* 263.

ravit Mabillonius, quod non distinxit bona subinde collata Camaldulensi eremo a loco, in quo primitus condita fuit eremus ipsa Camaldulensis. Verum quidem est, Bernardinum filium Sidoniæ, & patrem ejus Bernardum quondam Rainerii de Galbina obtulisse bona plurima huic eremo, sed non obtulerunt locum, ubi constructa erat longe ante eorum tempora eadem eremus Camaldulensis. Vivebat enim Bernardus Bernardini genitor seculo XI. & post annum 1100. vivebant Bernardinus filius ejus & Imeldina ipsius uxor, qui initio seculi XII. plura donaverant & donabant eremo Camaldulensi, condito etiam anno 1104. testamento ab eodem Bernardino, quo hæredem omnium bonorum suorum facit ipsam eremum, ut ad eum annum dicemus. Quare ad ipsos nequit referri oblatio loci, neque usus loci, in quo a fundamentis exsurrexerat eremus Camaldulensis, a seculo fere excitata. Immo ex hac Gregorii episcopi concessione colligimus, quod, sicut Gregorius denuo concessit & donavit Martino priori Camaldulensi, quæ jam donata fuerant eidem a Bernardino Sidoniæ anno 1104. vel ab ejus patre, quia nempe Bernardinus ejusque pater ea tenebant ab ecclesia sancti Donati; ita & Theodaldus annis 1027. & 1033. rursus concessit eremo Camaldulensi locum, ubi ædificata fuerat ipsa eremus, licet prius eumdem locum cessisset Maldulus; & ideo iterum Theodaldus donavit, quia Maldulus locum ipsum tenebat ab ecclesia & ab episcopio Arretino sancti Donati, cujus juris erat. Inficiatus hujusmodi donationem Malduli intulit [a] idem Mabillonius, Romualdum locum Camalduli adiisse tantum sub pontificatu Theodaldi episcopi Arretini, in cujus diœcesi sita erat Camaldulensis eremus. „ Theodaldus, subdit, sedere cœpit anno Christi 1023. ut ex subjectis instrumentis manifestum „ est. Primo instrumento idem Theodaldus Campum Malduli (ita enim „ scribit) tribuit Petro priori sacræ eremi anno 1027. & quidem mor„ tuo Romualdo, ut nos docet authenticum ejus instrumentum, quo nul„ lum antiquius invenimus in archivo Fontis-boni, ubi chartæ & diplo„ mata Camalduli asservantur. " Tum instrumentum fere totum in medium profert: *Datum anno incarnationis Dominice* M. XXVII. *anno vero pontificatus Theodaldi episcopi V. mense augusto indictione* X. *actum in claustris canonicorum*. Et subinde affert alterum instrumentum: *Datum* XIII. *kalendas junii anno ab incarnatione Domini* M. XXXIII. *anno vero pontificatus domni Theodaldi episcopi X. indictione* I. Et post aliqua hæc habet: „ Ex quibus intelligitur Theodaldum fuisse primum, qui eremi Camal„ dulensis donationem fecit Romualdo, qui proinde isthuc non ante 1023. „ admissus fuit. " Nos vero ex dictis satisfacimus Mabillonio, distinguendo primam a Maldulo factam donationem campi a confirmatione Theodaldi & a donatione ecclesiæ, quam hic anno 1027. fecit Petro venerabili eremitæ; eam ecclesiam Theodaldus vel consecrare potuerat *rogatu Romualdi*, cum esset coepiscopus, vel etiam, dum erat episcopus, *rogatu*, non interventu, *Romualdi*. Quod autem subdit Mabillonius, *Immonem*, *qui & Herenfredus*, ejus successorem anno 1037. & Henricum II. imperatorem anno 1047. & *Guidonem monachum & peccatorem Arretinæ sedis episcopum* anno 1116. & *Bujanum* itidem *episcopum Arretinum* anno 1132. confirmasse, *quæ venerabilis Theodaldus in loco Campi amabilis dicto commanentibus* tradiderat, vel *quæ Theodaldus*, *Immo*, *Constantinus atque Gregorius* concesserant, vel quæ contulerant *Theodaldus*, *Constantinus*, *Gualterius & Guido episcopi*, optime cohærent; non enim inficiamur Theodaldum primum fuisse, qui absolutam concessionem ecclesiæ, & loci dederit eremitis, sed auctoritate Rodulphi prioris dumtaxat asserimus primum

Ann. Chr. 1012. Romualdi 105.

a *Sec. VI. ut supra*.

ANN. CHR. 1012. ROMUALDI 105.

usum loci illius, qui vocabatur Campus-Malduli, in quo ædificata fuit eremus Camaldulensis, oblatum fuisse Romualdo a Maldulo.

Ita etiam respondendum erit patri Helyot auctori Historiæ Religionum [a], qui asserit „ falsum esse Maldulum donasse sancto Romualdo lo„ cum, ex quo postea denominatus fuit ordo Camaldulensis, licet innu„ meri historici eumdem errorem tueantur, cum certum sit primam do„ nationem factam fuisse a Theodaldo episcopo Arretino anno 1027. Corrigendus e contra Natalis Alexander, qui [b] scribit Maldulum Romualdo donasse fundum. „ Fundum sancto Romualdo donavit Maldulus „ nobilis Arretinus, " cum non fundum; hic enim erat episcopatus Arretini, sed fundi usum, seu, ut ajunt, utile fundi dominium tantum donaverit Maldulus.

a *Histoire de les Relig.* T. V.

b *Histor. Eccle-siast.* T. VI. Sec. XI. *cap.* VII. *n.* 2. *pag.* 585.

VII. Quinque cellulas ibidem condit Romualdus.

POST donationem Malduli sanctus pater videns hunc locum aptissimum contemplativis viris & eremitis, *quinque cellulas cum suis tabernaculis ibidem distinxit*, ut ait in privilegio anni M. XXVII. Theodaldus, *atque ab invicem separavit, sed & in singulis cellulis singulos deputavit eremitas, qui secularibus curis, & sollicitudine remota, soli divinæ contemplationi insistant. Quibus etiam Petrum venerabilem eremitam tamquam fidelem ministrum & præceptorem dedit*. Petrus hic ab aliquibus existimatur Petrus de Bifurco nominatus a Damiano [c]. Communiter tamen alius est, & appellatur *Dagninus* testimonio Rodulphi, qui tale agnomen primus addidit, forsan quia in Agnæ castro, Camaldulo proximo, ortum suum traxerat. Appellatur etiam *Petronus* in [d] quodam emptionis instrumento anni 1038. Aliorum eremitarum nomina designantur ab eodem Rodulpho in constitutionibus aliis anni 1085. sequentibus verbis: *Ædificatis ergo ibi quinque cellulis religiosos fratres ordinavit in eis, idest Petrus, & Petrus, Benedictus & Gissus, & Theuzo, ex his unum, idest domnum Petrum, qui dicebatur Dagninum* (ad distinctionem alterius ejusdem nominis Petri) *prudentem & religiosum virum præposuit aliis quatuor fratribus, & regulam jejunandi atque silendi, & in cellis permanendi eis tribuit*. Hæc porro regula fuit ore tradita, ut in ceteris eremis facere consueverat sanctus parens, nam primus, qui regulam seu constitutiones Camaldulenses in scriptis redegit, fuit ipse beatus Rodulphus.

c *Vit. S. Rom. cap.* XXXIV.

d *Arch. Fontisboni tit. empt. A.* I. 57.

VIII. An mysticam scalam tunc viderit?

INQUIRITUR hic loci, an Romualdus, priusquam Camaldulensem eremum ædificaret, mysticam scalam conspexerit candidatorum monachorum per eam ascendentium. Ab hujusmodi quæstione libenter temperaremus, cum a controversiis refugiat tum mens, tum institutum nostrum; verum cum animadverterimus præcipuum, quem gerimus, habitus mutationis fundamentum inniti visioni hujus scalæ, ne rerum nostrarum ignari videamur, placuit nobis per compendium ea in medium adducere, quæ fusiore calamo protulit Grandius noster in sua peculiari dissertatione III. Camaldulensi, quam etiam numeris omnibus absolutam calculo suo adprobavit celeberrimus domnus Bernardus de Montfaucon, literis ad ipsum datis ex Bononiæ urbe nonis aprilis anni 1701. Quidquid sit de visione scalæ aut in Galliis, aut in Sitria habita a sancto patre, contendunt historici nostri alteram scalam conspexisse Romualdum miræ pulchritudinis, cœlum quasi suo vertice tangentem, dum considens in agro Arretino, prope campum Malduli, longo itinere fatigatus quiesceret, ad instar illius, quam Jacob patriarcha videre meruit, per quam albescentium monachorum cernebatur ascendere multitudo, quo cœlesti mysterio vir Dei collustratus de mutando eatenus nigro in candidum monastico & eremitico schemate deliberaverit, atque albis deinceps vestibus Camaldulenses suos

ab

ab se tunc institutos incedere jusserit. Ita historiam hanc nobis describunt Fortunius, Ractius, Minius & post ipsos ceteri plurimi. Verum altum ea super re silentium Damiani, qui profecto narrare non omisisset inter cetera Romualdi gesta celeberrimum hocce factum, potissimum argumentum est, quo visio hujusmodi commentitia sit putanda; sed nihil de ea praeterea Theodaldus in suo privilegio, qui licet minutissima quaeque referat, ut puta constructionem basilicae, aedificationem cellarum, praesidatum Petri Dagnini, de visione ne hilum quidem habet. Sed Rodulphum audiamus, quem scalae patrocinatores ad suam sententiam torto collo trahere vellent; is scilicet haec scribit: [a] *Beatus Romualdus postposita mundanae nobilitatis excellentia, cum se ad monasterialem transtulisset disciplinam, & pastorale magisterium suscepisset, tandem ad solitariam transivit militiam, & eremiticae conversationis plura loca construxit, inter quae Camaldulensem quoque eremum mirabiliter aedificavit. Nam cum pervenisset ad partes Arretini territorii, locum idoneum huic proposito cupiens invenire, occurrit ei quidam vir, nomine Maldulus, dicens se campum habere amoenum in alpibus positum, ubi cum aliquando dormiret, instar Jacob patriarchae scalam vidit excelsam, coelum quasi suo vertice tangentem, per quam splendentium atque albescentium videbatur ascendere multitudo.* QUO AUDITO, *vir Dei, tamquam divino illustratus oraculo, mox campum petiit, locum vidit, cellas ibidem construxit, & allocutus praesulem Arretinum, suffragium hujus operis quaesitum impetravit. In eodem loco etiam prodigia quaedam ostensa sunt, quae longum esset evolvere, praesertim cum propositum nobis sit, non enumerare prodigia, sed solitariae vitae institutionem recensere.*

Ann. Chr. 1012. Romualdi 105.

a Capp. 9. 10.

IX. Veteres auctores eam tribuunt Maldulo loci donatori.

HACTENUS Rodulphus uni Maldulo visionem referens, non Romualdo, qui hujusce scalae non proprio visu, sed auditu notitiam habuisse dicitur, ut clarissime patet ex illis verbis subjunctis Malduli narrationi: *Quo audito*. Nec dissimilia affert idem Rodulphus in constitutionibus anni 1085. ubi aedificationem quidem eremi Camaldulensis recenset, nullam vero facit mentionem prodigiosae visionis. Similiter beatus Martinus III. generalis prior, qui anno 1253. ordinis Camaldulensis consuetudines tribus libris complexus est, nullibi, ne capitibus quidem, ubi agit de vestimentis monachorum, tractat de hac visione, quam certe non praetermisisset, utpote praecipuum fundamentum mutationis coloris vestium ex nigro in album. Alias constitutiones edidit die XIII. octobris anni 1278. Gherardus II. ex monacho Classensi generalis prior; & Malduli quidem visionem [b] ipsissimis Rodulphi verbis supra relatis describit; Romualdum vero adeo coelestis hujus mysterii participem non docet, ut [c] sub rubrica *de officio mortuorum* agens de cadaveribus eremitarum apud Fontem-bonum decedentium, ad eremum tamen sepulturae gratia transferendis, & ibidem super scalam reclinandis, id ex allusione ad scalam Maldulo, non Romualdo ostensam fieri manifestet hisce verbis: *Et cum fuerit juxta portam eremi delatum, ponatur in scala, quod fit exemplo Malduli viri sanctissimi, qui in visione, ubi nunc est ecclesia eremi, vidit excelsam scalam coelos tangentem, per quam splendentium & albescentium videbatur ascendere multitudo.* Si visio Malduli communis fuisset Romualdo, nullus non agnoscit, quod Gherardus potius dixisset exemplo sancti patris Romualdi; ut reapse beatus Paullus Justinianus, cujus tempore visio haec tribuebatur Romualdo, effatus est in *regula vitae eremiticae*, [d] anno 1520. edita dicens: „ Defunctorum corpora supra consuetam scalam reponenda esse ob memoriam ejus, quae beato Romualdo apparuit. " Sic anno insequenti

b Cap. XXVI. XXVII.

c Ibid. Lib. II. cap. V.

d Cap. XXXII.

ANN. CHR. 1012. ROMUALDI 105.

1279. in constitutionibus monachorum Camaldulensium apud castrum Soci editis [a], capitibus *de vestimentis monachorum*, & *de habitus honestate*, & in aliis constitutionibus anni 1290. nullo vel levis conjecturæ indicio mutationem habitus inductam fuisse occasione visionis Romualdi perhibetur. Quod de his constitutionibus dicimus, affirmamus etiam de constitutionibus a Bonaventura de Fano priore generali superadditis anno 1323. & de aliis decretis in tot capitulis generalibus concernentibus vestimentorum usum. Nil de ea visione insuper in actis causæ subjectionis, quam præstare debebat monasterium Pratalіæ priori Camaldulensi; neque in scriptis pro libertate eremi contra episcopum Arretinum annis 1183. & 1216. licet de vestibus albis sermo habeatur; nil in monachorum Valle-castrensium & Agnanensium turbis contra præsides generales Camaldulenses causa coloris habitus excitatis; neque in apostolicis decretis huc spectantibus; neque alibi omnino quidpiam occurrit, quod novam vestimenti introductionem Romualdi auctoritati & mysterio scalæ ipsi per visum objectæ innixam demonstret, ut propterea toti antiquitati ignotam tam visionem, quam mutationem habitus fateri omnino cogamur. Non ergo visa a Romualdo mystica illa scala, quæ supponitur; non ergo inducta fuit ab ipso mutatio habitus ex nigro in album occasione ipsius visionis, quando ædificata fuit eremus Camaldulensis.

[a] Capp. VIII, XXI.

X. Examinantur auctores sequioris ævi.

ITAQUE post dimidium tantum quarti-decimi seculi est orta prima opinio de tribuenda sancto Romualdo visione scalæ, neque tamen adhuc tunc cognita secunda opinio, quæ fert introductionem eadem occasione vestium mutationis. Re enim vera in capitulo monasterii nostri sanctæ Mariæ Angelorum Florentiæ ad sacellum sancti Romualdi ab Johanne Ghibertio anno 1365. constructum, in parvulis rectangulis ab inferiori parte iconem coronantibus, nonnulla Romualdi gesta coloribus exprimuntur; visio nimirum Romualdo exhibita sancti Apollinaris thure altaria adolentis; Marinus virga Romualdum percutiens; dæmonum in Romualdum incursio; ac demum scala ad cœlum exporrecta cum monachis eam ascendere conantibus, & cum Romualdo jacente seorsim, quasi illi dormitanti ea species objecta fuerit. In hac tamen pictura Romualdus albo indutus conspicitur non solum in actu ipsius visionis, sed etiam in gestis præcedentibus visionem, & non tantum ipse, sed & Marinus, immo ipse divus pater Benedictus; pariter in parœcia sancti Andreæ Ozzani, unita asceterio monialium sanctæ Christinæ urbis Bononiæ, servatur vetus tabula altaris coloribus expressa seculo XIV. in cujus angulo conspicitur sanctus Romualdus alba cuculla indutus dormiens prope scalam, summitate sua cœlo innixam, quam scandunt monachi aliquot alba veste contecti. Forte pertinuit ipsa tabula ad veterem ecclesiam sanctæ Christinæ non longe a castro Septem-fontium, quæ duobus milliaribus distabat ab ecclesia parœciali sancti Andreæ, & ubi olim degebant nostræ moniales sanctæ Christinæ Bononiam translatæ. Immo iisdem vestibus albis indutus conspicitur Romualdus in omnibus prorsus picturis tum illius, tum superioris aut inferioris ætatis usque ad Augustini Fortunii tempora; nam dumtaxat post editionem historiarum Fortunii usus invaluit, neque tamen apud omnes, ut Romualdum in actionibus visionem præcedentibus, & potissimum in ipso actu visionis nigra cuculla indutum pictores referrent, perinde ac candidi habitus origo inde primum emanaverit. Ex tabulis in capitulo monasterii sanctæ Mariæ Angelorum Florentiæ existentibus factum etiam fuerit, ut Pierius Colucius Salutatus in opere, cui titulus,

tulus, *de seculo & religione*, quod inscripsit Hieronymo ab Uzzano Florentino, tempore, quo ipse Hieronymus a regimine patriæ Reipublicæ transiit ad solitariam vitam in idem Angelorum Florentiæ monasterium, in quo professionem emisit die 25. februarii anni 1374. sequentia scripserit. [a] *Cogita tecum has puras vestes magno te adstringere vinculo puritatis. Quas mecum sæpe considerans minus admiror sanctissimum illum patrem Virginis Mariæ devotum sanctum Bernardum, necnon sanctum Romualdum tuum divina revelatione vidisse albis indutos vestibus scalas ascendere paradisi. Aptissimus quidem meo judicio religionis color*. Animadvertimus obiter sanctum Bernardum, de quo Colucius loquitur, fuisse beatum Bernardum Ptolomeum, qui eo seculo ex patritio Senensi congregationem Montis-oliveti instituit sub albis vestibus, cuique concessa fuit visio scalæ cum monachis candidatis, ut scribunt historici ejus congregationis, qui impense & ipse coluit beatam Virginem Mariam non minus, quam sanctus Bernardus Claræ-vallensis, cui tamen nullus scriptor scalæ visionem affingit.

ANN. CHR. 1012. ROMUALDI 105.

a Ad calcem.

Seculo sequenti nempe quinto-decimo, recentioribus picturis minio eleganter expressis in libris choralibus, tota Europa celeberrimis, ejusdem sanctæ Mariæ Angelorum monasterii, Romualdus similiter, albis tamen semper indutus, ante scalam, per quam candidati monachi ascendunt, dormiens exprimitur. Paris, vel aliquanto majoris vetustatis pictura in magna icone post aram principem ecclesiæ sancti Michaelis in Burgo Pisarum repræsentat hanc scalæ visionem; quamquam si attentius consideretur, Maldulo potius, quam Romualdo objecta exhibeatur, cum sint duo ibi dormientes depicti, alter in scalæ conspectu sedens capite in cubitum reclinato, sed absque cuculla, solo conversorum habitu amictus, auriculari pileolo obtectus, nullum sanctitatis neque in capite, neque aliunde insigne præferens, qui certe est Maldulus; alter post ipsam scalam, cui terga obvertit humi distentus, obdormiens, monastica cuculla indutus, & aureo circa tempora circulo laureatus, qui profecto est Romualdus. Hieronymus Pragensis, [b] licet ambiguum primo aspectu lectorem relinquat, an Maldulo vel Romualdo scala apparuerit, si tamen pensiculatius legatur, pro Maldulo potius, quam pro Romualdo pronuntiat. „ Veniens itaque, „ ait, pater sanctus in Romandiolam, ascendit altissimum Apennini mon- „ tem, lustrans alpes per circuitum, cupiens invenire pro eremitis ido- „ neum locum, cui occurrit quidam vir nomine Maldulus dicens, se ha- „ bere amœnum locum in alpibus, consueto nomine vocatum Campum- „ bellum. Hunc beato Romualdo offerebat, petens instantius, ut nomi- „ ne ipsius Camaldulum vocaretur, ubi dum lassus quiesceret, vidit in- „ star Jacob scalam excelsam cœlum quasi suo vertice tangentem, per „ quam albescentium monachorum videbatur ascendere multitudo in cœ- „ lum. Mox sanctus pater tamquam divino illustratus oraculo, ecclesiam „ miræ pulchritudinis in eodem loco ædificavit, quam Theodaldus Arre- „ tinus episcopus in honore Salvatoris consecravit, in circuitu autem ejus- „ dem ecclesiæ quinque cellas construxit, & totidem eremitas ibidem col- „ locavit. In quo textu licet tantillum æquivocus relinquatur sensus, quis lassus quiesceret? tamen rectius refertur ad eum, qui dixit: „ locum se „ habere amœnum “, nempe ad Maldulum, cum ad Romualdum tunc dumtaxat sensus revertatur, quando dicitur: „ mox sanctus pater tam- „ quam divino illustratus oraculo “; quæ verba similibus respondent, quæ habet Rodulphus: *Quo audito vir Dei*. Si autem verba etiam priora Pragensis referre quis velit Romualdo, ipsius auctoritas tanta non est, ut auctori-

b Vit. S. Rom. cap. x. n. 61.

ANN. CHR. 1012. ROMUALDI 105.

ctoritatem Rodulphi, Gherardi & ceterorum superare debeat. Quid plura? ipso labente quinto-decimo seculo apud nostrates communiter recepta non erat opinio visionis scalæ habitæ a sancto Romualdo, atque mutationis habitus ea de causa introductæ. Petrus enim Delphinus præses generalis congregationis, pietate doctrinaque clarissimus, anno 1487. rogatus a Guidone priore Angelorum Florentiæ, ut ipso permittente liceret sibi, & sui monasterii monachis habitus formam tantisper immutare, reposuit sententiam ejus minime sibi probari, atque in eo habitu vivere se malle, quem omnes retro patres nostri gestavere, [a] subdens: „ Quam enim „ nos in præsentia cucullam vocamus, licet majoris, ut scribis, sumptus „ sit, ut duplicem quisque habeat, & fastidiosum judicio tuo videatur „ totiens diu noctuque illa indui exuique oportere, ab omnibus tamen „ ubique summopere laudari audivi, & Venetiis in primis, ubi præ ceteris noster habitus Camaldulensis & gravissimus, & honestissimus semper existimatus est. " Ubi si cœlitus probatum colorem hujusmodi, & vestium formam arbitratus esset, non prætermisisset in medium adducere visionem scalæ Romualdo per somnum objectæ, quæ vestimenti hujusce genus quodammodo consecrasset. Immo idem [b] scribens ad Johannem majorem eremi mysticam scalam Jacob patriarchæ, non vero scalam Romualdi proponit. Bernardinus Gadolus, vir suo seculo doctissimus, in libro *de origine & successu Camaldulensis ordinis* nuncupato anno 1496. Jacobo-philippo Bergomati, licet inquirens causas albi coloris, quo utimur, inter alias hanc proponat de scalæ monachorum albescentium visione, ipsam tamen ad Maldulum dumtaxat, non ad Romualdum refert. En eius verba. „ Ordo Camaldulensis circa annum Domini 950. initium „ sumpsit a beato Romualdo, qui ædificatam eremum in campo cujusdam „ Malduli Camaldulensem appellavit, imo omnes ejus monachi Camaldu„ lenses sunt postea appellati. Et cum antea indiscreti coloris vestibus „ quilibet monachus uteretur, recensens illud sacræ Scripturæ dictum: „ *Omni tempore vestimenta tua sint candida*, & alibi quod *sancti amicti* „ *stolis albis sequuntur agnum quocumque jerit*, & propter *visionem* „ *Maldulo ostensam*, qua sibi apparuit scala protendens a terra in cœlum, „ per quam alborum multitudo ascendebat, voluit, ut qui eum seque„ rentur monachi, deinceps nonnisi albis induerentur vestibus, non mu„ tata tamen cucullæ, ceterique monastici habitus forma. " Inter Paulli Orlandinii carmina asservata in codicibus bibliothecæ Angelorum legitur quidem titulus epigrammatis anno 1500. conscripti *ad sanctum Romualdum dormientem in visione sua*, at in ipso epigrammate nil deinde est, quod exprimat sive visionem scalæ, sive habitus mutationem, adeo ut perinde ad alias Romualdi revelationes, atque ad hanc, de qua loquimur, referri queat. En integrum epigramma.

Inclyta magnanimum soboles Romualdi virorum
Surgito, & interitum ne patiare tuum.
Cœlica nonne vides furtim præcepta relabi,
Claræ cum pereant religionis opes?
Aspira nobis, quibus tua numina curæ
Jam quoque congestum perfice mentis opus.
Nam te per certum vulgamus carmine nomen,
Teque per alternos pergere narro modos.
Gymnasium quodcumque vides celebrari per orbem
Gestimus: placeant munera nostra tibi.

a Epist. lib. I. n. 71. inter editas.

b Epist. 21. lib. II.

Exteri

Exteri quoque Franciscus Petrarcha, Jacobus-philippus Bergomas, Marcus-antonius Sabellicus verba non faciunt de hac visione, atque Christophorus Marcellus archiepiscopus Corcyrensis autumno anni 1521. Camaldulensem eremum invisens, & Florentiam redux in epistola ad amicum data, ubi & vivendi morem, & cellarum dispositionem, & vestium formam & totam loci speciem designat, de scala & de mutatione habitus sermonem non instituit; neque [a] Paullus Morigia anno 1569. licet constructionem eremi Camaldulensis & donationem Malduli afferat; neque [b] Petrus Calzolarius anno 1571., neque demum eodem anno [c] Ventura Minardus Athestinus monachus noster habitus mutationem, & scalæ visionem commemorant.

Ann. Chr. 1012. Romualdi 105.

a Histor. delle Religioni cap. XXV.

b Histor. monast. Gior. I.

c Bagni di Caldiero.

Hujusce tamen scalæ visio refertur in eremi monumentis subjunctis vitæ sancti Romualdi, quæ prodiit anno 1513. In iis hæc leguntur: „ Anno ab „ incarnatione Domini D.CCCC. VI. beatus Romualdus Ravennæ civitatis „ ex illustri Ducum stirpe cum esset annorum XVII. relicta seculi pompa, „ divitiarumque ac delitiarum copia abjecta in monasterio Classensi sub „ regula sancti Benedicti habitum sanctæ conversationis sumpsit. Anno „ vero Domini M. XII. idem beatus Romualdus cupiens locum idoneum „ eremiticæ conversationis invenire, pervenit ad istum locum Camaldu„ li, ubi dum lassus paullulum quiesceret, raptus in spiritu vidit ad in„ star Jacob scalam excelsam suo vertice cœlum tangentem, per quam „ splendescentium atque albescentium videbatur ascendere multitudo, qui „ mox divino admonitus oraculo, ecclesiam in eodem loco ædificavit in „ honorem sancti Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, & in circuitu „ ejus quinque cellas construxit, in quarum una seipsum aliquanto tem„ pore reclusit, & magnis ibidem coruscavit miraculis; requievit autem „ in Domino ipse beatissimus pater Romualdus anno Domini M. XXVII. „ cujus corpus jacet in monasterio Vallis de Castro in marchia Anconi„ tana. “ Tum auctor monachus compilator horum monumentorum refert testimonium Rodulphi, sed aliquatenus interpolatum, & statim subdit: “ Hæc autem omnia sine ulla varietate a Gherardo priore eremi, „ qui anno Domini M. CC. LXXVIII. eremiticas scripsit constitutiones earum„ dem capitulis XXVI. & XXVII. enarrantur. “ Demum conciliatoris partes agens, cur Rodulphus Maldulo, ipse vero ex monumentis eremi Romualdo visionem tribuerint, eam tum Romualdo, tum Maldulo exhibitam fuisse aperte contendit his verbis: „ Neminem autem perturbet, quod „ alibi a beato Romualdo, alibi vero a Maldulo visa scala referatur, „ quoniam ab utroque visa fuisse existimatur. Unde sanctus Romualdus „ Maldulo scalæ visionem narranti, non prius ad plenum credidit, atque „ animum ad ecclesiam cellulasque ibi construendas induxit, nisi postquam „ ipse locum adiens eadem vidit, quod (ut in multis accidit) per me„ morias hominum traditum, usque hodie tamquam novissime factum „ fuisset, conservatur; & antiquissimæ in eremo picturæ idem testantur. “

At quam fidem mereri potest hæc eremi monumentorum collectio nullius auctoris nomen præferens? Saltem aliquod extaret in archivo Camaldulensi visionis hujus vestigium, quod nullum extare & perspeximus nos, & perspexit eruditissimus domnus Eduardus-maria Baroncinius eremita Camaldulensis, qui epistola data ad Grandium pridie idus maji anni 1698. rescripsit dicens: „ De habitus quidem mutatione nihil certi uspiam „ se reperisse, patere vero scalam minime visam fuisse a sanctissimo pa„ tre nostro Romualdo, cum Maldulo tantum tribuatur; se ergo cogita„ re auctorem horum monumentorum Romualdi nomen pro Malduli po-

„ suisse,

Ann. Chr. 1012. Romualdi 105.

" fuisse, & in hoc errasse. " Compilatorem exscribit Nicolaus del Biada monachus noster olim prior sancti Benedicti extra Florentiam in suo opere ms. asservato apud moniales de Prato-veteri, cujus meminit Ractius in descriptione sacræ eremi. Cautius tamen rem composuit supradictus monachus monumentorum scholiastes, dum Romualdum post Malduli visionem locum adiisse, & ejusdem visionis compotem factum scribit, quam composuerint Paullus Justinianus, Andreas Mugnotius & Augustinus Fortunius cum suis asseclis, & ab ipsis historici plerique, qui primum Romualdum scalam conspexisse, tum Maldulum obviam illi factum palam fecisse asserunt se olim consimili visione donatum. Hi postremi nihilosecius inter se variant, neque eadem sentiunt. Justinianus Romualdum primo, deinde Maldulum scalam vidisse asseverat, nil tamen subjungit de mutato colore vestium. Mugnotius Hispanus Conchensis, qui eremi Camaldulensis descriptionem adornavit anno 1569. editam Romæ anno sequenti, & dicatam sanctissimo pontifici Pio V. præter visionem Romualdo prius, postea Maldulo exhibitam, admittit eo mysterio inductam habitus mutationem; hæc tamen circumstantia desideratur in ms. exemplari adservato in monasterio sanctæ Mariæ Angelorum, & hanc eamdem non agnoscit Lucas Hispanus, qui tamen scalæ visionem tribuit Romualdo. Ferrarius & Bucellinus visionem quidem scalæ concedunt Romualdo, sed non Camalduli, verum Sitriæ. Tandem anno 1575. prodiit in lucem pars prima historiarum Camaldulensium Augustini Fortunii Florentini, monachi cœnobii sanctæ Mariæ Angelorum Florentiæ, in qua prolixa paraphrasi utramque tam visionem, quam vestium mutationem affingit Romualdo, & mordicus tuetur; ex eo tempore irrepsit etiam in lectiones Breviariorum, licet vetustissima mss. & impressa eatenus breviaria, quibus ante Fortunium utebantur Camaldulenses, & Vallumbrosani, nullum præferent scalæ visionis vestigium. Suppressa longiori narratione hæc habentur in constitutionibus monachorum Camaldulensium sub Pio V. a Ractio compilatis. [a] *Nos antiquam quingentorum & quinquaginta annorum, ob revelationem divo Romualdo factam, sequentes consuetudinem, nonnisi candido utimur colore*. Quæ hactenus congessimus, bene multa ex Grandii dissertatione excerpsimus; ex quibus liquere credimus visionem scalæ propriam fuisse Malduli; eam proinde, quæ tribuitur Romualdo, non fuisse occasionem, cur sanctus pater nigras in albas commutaverit vestes. Sed de habitu, quem monachi ordinis sancti Benedicti ante Romualdum, & ante ædificationem eremi Camaldulensis gestavere, ac de albo a Camaldulensibus assumpto, alius erit differendi locus.

a *Cap.* lv.

XI. An ab ædificatione Camalduli initium sit sumendum instituti Camaldulensis?

Interim alteram quæstionem perstrictius examinare libet, utrum ab ædificatione Camaldulensis eremi initium sit sumendum congregationis Camaldulensis, ita ut ab eo dumtaxat tempore auspicanda sit epocha instituti sancti Romualdi? Qua in re, ne in verborum ambiguitatibus immoremur, tripliciter considerari possunt sancti Romualdi discipuli; alii fuere monachi ii & eremitæ, qui ejusdem vestigia vel in monastica, vel in solitaria vita presserunt ante annum 1012. alii monachi & eremitæ, qui ab eo anno Camalduli Apenninum montem incoluerunt; & demum alii monachi & eremitæ illi, qui rapti sanctitate & perfectione vitæ eremitarum Camaldulensium, eorum disciplinæ ac directioni prioris generalis ibi commorantis se subjecere, congregationem inde statuentes, sub finem undecimi seculi, & copiosius primis annis & sequentibus seculi duodecimi. Primorum discipulorum origo ab eo tempore est auspicanda, quo vel reparandis monasteriis, vel eremiticæ vitæ propagandæ operam primo impen-

impendit Romualdus; quod quidem tempus varium est, juxta variorum auctorum opiniones. " Totum hoc tertium eremiticæ vitæ genus, ait „ Paullus Justinianus[a], a sanctissimo viro eremita, eremitarumque omnium „ patre & institutore Romualdo divina sancti Spiritus illustratione affla- „ to, post salutiferam divini Verbi incarnationem anno 940. adjuventum „ fuit. " Ad annum 950. refert Bernardinus Gadolus in sua ms. opella *de origine & successu ordinis Camaldulensis*. Eamdem sententiam nuperrime sequitur Collina. Ventura Minardus[b], Lucas Hispanus[c], Archangelus Hastivillius[d], Cæsar Baronius[e], Stephanus Demalevicius[f], Thomas Minius[g], Ludovicus Thomasinus[h] aliique passim ad annum 974. referunt Romualdini eremitici instituti exordium. Quocumque demum anno singularis hujus vitæ a Romualdo vel propagatæ, vel institutæ exordium statuatur, necesse est, ut & discipuli, quos in tali palæstra erudivit Romualdus, vel quorum monasteria reparavit, ad ipsum jure pertineant, & a nobis ut majores nostri habeantur & colantur. Hujusmodi sunt Petrus Urseolus, Johannes Gradonicus, Johannes Maurocenus, Marinus olim Romualdi magister, Guarinus abbas Cuxanensis, Olibanus comes & ceteri, qui in Aquitania Romualdum audierunt. In Italia autem & quidem in Pereo Willelmus, Bononius, Johannes Ravennas, Bonifacius, Johannes & Benedictus martyres Poloni, Johannes exscriptor consuetudinum Cluniacensium; in Catriensi solitudine vel etiam postea in Avellanensi Lodulphus ejusque socii & discipuli; in Vangaticiensi monasterio Martinus abbas; in Veneta eremo Georgius præpositus; in Tiburtina Venerius; in Bifurcensi Petrus; in Valle-castrensi cœnobio Gregorius; in San-vincentiano Berardus & Gaudentius; in Urbe-vetano Guido puer, & quotquot ad nostram notitiam venere, vel ab ea fugere, monachi & eremitæ in Venetiarum finibus, in Æmilia, in Histria, in Alpibus, in Camerini, Umbriæ & Thusciæ provinciis, ubi vel monasteria reformavit & erexit, vel eremos condidit Romualdus; & in Polonia ac in Hungaria, ubi per discipulos idem eremiticum institutum invexit: ii quidem omnes, qui ante Camalduli constructionem vel obiere, vel locum hunc non frequentarunt, sicut a Romualdi schola & institutis uno omnium ore prodiere, ita si non valeant dici *Camaldulenses* a Romualdo Camaldulensis eremi conditore, saltem *Romualdini*, vel *Romualdi discipuli* & *ipsius doctrinæ sectatores* jure suo appellari postulant.

Ortus eremitarum & monachorum eorum, qui in Camalduli, sive Campi-malduli, aut Campi-amabilis eremo, vel in vicino Fontis-boni monasterio vitam eremiticam seu monasticam traxere, cum anno illo est conjungendus, quo Romualdus locum hunc solitariæ vitæ idoneum invenit in agro Arretino, qui annus nostra quidem sententia, ut probavimus, est millesimus duodecimus. Ii strictius loquendo fuere monachi & eremitæ Camaldulenses, quorum agmen ducit Petrus Dagninus a Romualdo prior ibidem constitutus & ceteri ejus socii; Johannes Gualbertus ad tempus illius eremi incola, Martinus Camaldulensis, quem nominat pluries Damianus, Albizus, Rusticus, Rodulphus & Martinus subsequenter eremi illius priores; sub quibus prioribus vel alia condita fuere loca, quæ recepere leges & statuta Camaldulensia, ut parthenon sancti Petri in castro Luci, vel alia donata, ut regerentur juxta Camalduli consuetudines, ut Fontianum, Cerretanum, Pullicianum, Insulanum &c. quæque loca proinde nomen Camaldulense obtinuere, tamquam extensio Camaldulensis eremi, ad cujus jus pertinebant. Eodem modo quo Sitriensium monachorum ac solitariorum institutio, Amiatinorum eremitarum fundatio, &

ANN. CHR. 1012.
ROMUALDI 105.

a *Reg. vit. erem. cap.* I.

b *Dial. I. de balneis Calderii.*

c *Histor. Romuald. lib. I. cap.* 5.

d *Hist. Rom. lib. I. cap.* V.

e *Annal. ad ann.* 974.

f *Vit. S. Bogumili.*

g *Catal. SS. & Hist. Cam. ms.*

h *De Disciplin. lib. I. c.* 13. *lib. II.* 4. *lib. III.* 25. *n.* 7.

ANN. CHR. 1012. ROMUALDI 105.

Valle-bonensium monialium epocha ab annis sequentibus Camaldulensis eremi ædificationem sunt auspicanda. Quare ii omnes scriptores, & sunt non pauci, qui Camaldulensis instituti primordia ab anno 1012. repetunt, intelligi debent de ædificatione hujus nobilioris eremi, quæ postea & sanctitate vitæ, & rerum affluentia, & variorum locorum accessione supra omnes enituit, & caput progressu temporis evasit congregationis ejusdem nominis; non enim hi scriptores ab hoc anno initia gestorum Romualdi, conversionum, institutionum vel reparationum ordinis monastici vel eremitici ab ipso factarum exordiuntur, neque rejiciunt ab ejus magisterio discipulos, quos supra memoravimus, qui omnes præcedunt hanc eremi Camaldulensis constructionem.

Postremo monachi & eremitæ, qui libenter colla subjecere directioni & legibus eremitarum Camaldulensium, sicut instituta, mores & vestes imitanda sumpsere, ita & nomen, veteri tamen etiam retento. Hinc Classenses, Vangaticienses, Puteolenses, Berardingi, Agnanienses, Pratalienses, Valle-castrenses, sancti Sabini, sancti Zenonis, sancti Michaelis Pisarum, Parentini, Anglarienses, Rotenses, Silvæ-mundani, Uranenses & ceteri omnes, quorum cœnobia temporibus progredientibus Camaldulensi eremo aggregata afferemus, Camaldulenses etiam appellari cœpere, quia *juxta statuta & consuetudines Camaldulenses, Domino deserviebant*, ut ajunt Romani pontifices, & imperatores in suis bullis & diplomatibus & præsertim Paschalis II. Romanus pontifex in bulla anni 1114. *Camaldulensis eremi seu cœnobii religio adeo aucta est, adeo abundavit, ut congregationes diversæ in unam congregationem Dei gratia convenirent, & loca plurima disciplinam unam, ordinem unum & unum regimen, tamquam corde uno & una anima continerent.*

Ope hujus explicationis putamus de cetero præcidendas lites omnes, quæ hactenus viguere circa nomen Camaldulense; sicut autem gloria patris in gloriam etiam redundat filiorum, nemo nobis negotium facesset, si Sanctos illos, qui obitu suo præcessere eremi Camaldulensis extructionem, majoribus nostris accenseamus eo sensu, quem indicavimus, præsertim cum vitæ solitariæ leges, quæ deinde observatæ fuere in eremo Camaldulensi, eædem fuerint cum iis, quæ jam servabantur in eremis Venetis, Gallicis, Ravennatibus, Parentinis, Camerinensibus & ceteris ante Camaldulensem excitatis; & sancti patris Romualdi mens in construenda Camaldulensi eremo non fuerit suscitandi novum ordinem, novamque religionem, sed prosequendi solitariæ vitæ eo etiam in loco institutum.

XII. Miraculum, quod contigit in ædificatione Camalduli.

VERUM tempus tandem est, ut dimissis contentiosis disputationibus historiæ seriem resumamus. Silentio præterimus perlongam illam meditationem, quam in corde Romualdi inducit Fortunius [a] circa proprietatem abietis, quo arborum genere consitus erat locus, ubi eremus erat condenda. Ipsa enim meditatio rethoricus est Fortunii excursus ex simili Christophori Marcelli Corcyrensis archiepiscopi desumpta. Omittimus etiam, quæ peculiaribus capitibus paraphrastice enarrat [b] de antiquitate familiæ Malduli; [c] de cœlesti scalæ visione [d] de sermocinatione Romualdi circa diaboli potestatem; [e] de congressu cum Theodaldo, qui postea electus est Arretinus episcopus. Hæc enim omnia videntur a Fortunio ipso excogitata, ut hanc, ceteroquin nobilissimam solitudinis Camaldulensis erectionem exornando magis redderet illustrem. Ad meliora ergo progredientes, miraculum, quod signo crucis, dum in Camaldulensi eremo solitudini vacabat, patravit Romualdus, Damiani verbis referamus [f]. *Alio quoque tempore, dum in quadam*

a *Par. I. lib. I. cap.* 24.

b *Ibid. cap.* 27.

c *Ibid. cap.* 25.

d *Ibid. cap.* 32.

e *Ibidem.*

f *Cap.* XLVII.

dam eremo valde speciosa & egregia, cui nomen est Camaldulensis, quam ipse ædificaverat, in cellam resideret, magnam aliquam fagum, quæ prope cellam ejus astabat, incidi præcepit. Erat autem fagus ita cellæ acclivis & imminens, ut juxta humanam opinionem, si cecidisset, totum mox ædificium indubitanter obrueret. Cumque operarii vellent jussa perficere, sed ruinam arboris formidarent, ille, ut nequaquam timeretur, instabat. Itaque cum impactis circumquaque securibus, in ipsa jam arboris viscera veniretur, arbor autem super beatum virum non jam dubio impetum minaretur, cœpere omnes rogare, & vocibus clamosis vehementer insistere, ut si cellam postponeret, semetipsum exiens conservaret. Ille autem nequaquam eorum clamoribus acquiescens, ut cœptum cito perficerent, definite præcepit, facto signo crucis contra eam. Postremo fagus gravissimo sonitu corruens, ita aliorsum est ex divina virtute projecta, ut cunctis mirantibus cella omnino remaneret illæsa. Omnes igitur tanto obstupefacti miraculo, lætas ad cœlum voces tollunt, & immensas Deo gratias referunt.

ANN CHR. 1012. ROMUALDI 105.

XIII. Constructio hospitii Fontis-boni.

POST eremi Camaldulensis ædificationem, narrat Fortunius [a] constructionem hospitii Fontis-boni, quod deinceps in ingens excrevit monachorum Camaldulensium domicilium. Sed præstat Fortunium ipsum in medium adducere. „ Absoluta, inquit, eremi ædificatione, animadvertens „ vir Dei Romualdus multi referre, ipsam eremi solitudinem a secu- „ lari strepitu secretius esse remotam, optimum factu ratus est, si ad- „ ventantium hospitum atque peregrinorum gratia aliam pariter domum „ construeret, ubi & hospitio recipi, & sanctæ caritatis, hospitalitatisque „ commodis foveri possent. Itaque ad notam sibi paullo inferius amœ- „ nam vallem non magna adjecta planitie descendit, ubi undique nemo- „ rosi colles, prata viridantia, fluminis decursus, & fons semper vivus „ gratissimam cœli & regionis salubritatem reddunt. Hoc comperto ido- „ neo loco, vir Dei memorabile hospitium, quod ab ipsis perpetuis aquis „ Hospitium Fontis-boni nuncupavit, in loco, ubi domus Malduli instar „ arcis munitæ sita erat, summa diligentia erexit. Illic autem mona- „ chum unum presbyterum cum tribus laicis fratribus, quos conversos „ vocitamus, constituit. Qui porro tam recipiendo hospites & peregri- „ nos, quam administrandis eremo necessariis, religiosissima caritate peni- „ tus essent intenti. “ Consonant hæc cum iis, quæ anno 1085. in suis constitutionibus scripta reliquit beatus Rodulphus. *His itaque peractis*, ait, *quemdam inferiorem locum, qui dicitur Fons-bonus, reperit, ibique unam domum construxit, unum monachum cum tribus conversis ibi ordinavit pro adventantium hospitum receptione, & dulcisona responsione, atque caritativa refectione, & ut eremus semper secretior atque a seculari strepitu fuisset remota, velut miles loricatus in bello positus, qui contra jacula clypeum præparat* &c.

a *Par.* I. *lib.* I. *cap.* XXIX.


Narrat deinde Fortunius sub ipsa hospitii Fontis-boni ædificatione diabolum voluisse e saxo præcipitem agere Romualdum, qui Dei invocatione mirabiliter ereptus fuerit. „ In descensu, inquit [b], eremi secundum so- „ norum fluvium, qui non semel venientibus Camaldulum necessario tran- „ siri debet, strictus longe erat callis super vastissimi saxi dorso præ an- „ gustia loci, qui magno aquarum gurgiti maximopere præceps promi- „ nebat. Ad hunc locum cum sanctus Romualdus quadam die festinus „ venisset, & discipuli, qui secum erant, nonnihil ab eo remoti invicem „ de potestate diaboli in homines tentando post patrem venientes ser- „ mocinarentur, spiritus nequam opportunam nactus occasionem, sanctum „ Romualdum ex ipso præcipiti saxo in flumen deturbare, in vastumque

b *Ibid. cap.* 32.

Ann. Chr. 1012. Romualdi 105.

„ gurgitem præcipitem dare pertentavit. Verum vir sanctus in vitæ di-„ scrimine positus manus extendens ad saxum, ad solitam invocationem „ dulcissimi nominis Jesu dæmonis vim, impetumque adeo illæsus contu-„ dit, ut ipsa saxi durissima materies extensarum manuum accessum, pe-„ rinde ac mollis cera, illico exceperit. Interea discipuli propius facti, & „ tempestive ex insolita patris voce factum compertum habentes, cele-„ riter accurrere; viso miraculo, quod hujusmodi periculo vir sanctus de-„ functus fuisset, Deo gratias agere, & veniam ante omnia, quod ab „ eo remotius degissent, petere. " Monstratur etiam hodie locus, ubi divina virtute ereptus est a præcipiti casu Romualdus. De hoc miraculo silet Damianus.

Ichnographiam eremi & hospitii Camaldulensis placet subjicere, qualis conspiciebatur Mugnotii & Fortunii tempore, vel forte qualis vetustior exstiterat ante ipsorum tempora, cum aliquam sui mutationem suscepisset in ædificiis locus eorum ævo, quæ conferri poterit cum altera, qua a nobis ære incisa, & in fronte voluminis hujus locata exhibetur status præsens eremi & monasterii Camaldulensis.



VETVS. ICHNOGRAPHIA. EREMI. CAMALDVLENSIS.

Non abs re etiam esset heic loci situm, templum atque cellas sacræ eremi, necnon cœnobium, templum & officinas Fontis-boni describere, verum commodius hæc rejicienda ducimus ad Appendicem hujus voluminis [a], in qua Christophori Marcelli Corcyrensis archiepiscopi epistolam de Camaldulensis eremi situ scriptam anno 1521. sed editam Florentiæ anno 1557. & An-

a Col. 302.314.

& Andreæ Mugnotii Conchensis Hispani descriptionem ejusdem eremi Camaldulensis, Romæ primum anno 1570. prælo consignatam, tum ab Andrea Schotto in sua Italia illustrata relatam, novissime autem tomo VIII. parte III. Antiquitatum Italicarum amplissimo Thesauro insertam a Petro Burmanno, quippe raritate sua præstantia opuscula dabimus, ut completam eremi & monasterii Camaldulensis notitiam habere lectores queant.

XIV. Donationes factæ monasterio S. Victoris de Clusis.

In monasterio sancti Victoris de Clusis Attoni abbati successerat Giso in regimine; id eruitur ex duabus chartis, quarum utraque præsentem annum præsefert; sed prima ex his errat in eo, quod indictionem duodecimam exhibeat, cum hoc anno esset decima; altera vero indictionem undecimam a mense septembri auspicatur. Eas ex tabulario sancti Blasii Fabriani in Appendice producimus; quibus tertiam adjicimus a nobis transcriptam ex chartulario sanctæ Catharinæ de Fabriano, qua Accius filius Domnelli eidem Gisoni abbati portionem suam tradit ecclesiarum *de beata sancta Maria, que edificata est fundo Larciano, & de beatu sanctu Petru*. Ecclesiam sancti Petri adhuc existere in castello Pretoso seu de Perosaria docet nos domnus Gabriel Guastuccius, quam a Camaldulensibus commutatam olim cum alia monachorum Silvestrinorum ecclesia asserit.

XV. Historia & origines monasterii Sextensis.

In summariis antiquis [a] Simonis & Rainerii monachorum Fontis-boni in eodem monasterio asservatis per compendium enuntiatur bulla Sergii papæ IV. data hoc anno die 2. decembris, anno secundo ejus pontificatus, qua præcipit omnibus episcopis, ut *monasterii Sextensis aut ecclesiarum ejusdem jura non requirant, sed patris judicio, potestati & dispositioni judicanda monasterium ejusque membra & ecclesias relinquant*.

[a] Pag. 208.

Sermo hic est de celebri sancti Salvatoris Sextensi monasterio, decimo ab urbe Luca lapide posito, & ad lacum vulgo de *Bientina*, qui aliquando etiam de Sexto nomen obtinuit; cujus monasterii originem & historiam, quandoquidem seculo sequenti reformandum fuit traditum a Paschale papa II. eremo Camaldulensi & Guidoni ejus priori, hic breviter in medium producimus. Si qua fides monumentis, quæ scripsit & collegit anno 1578. domnus Benignus de Luca monachus congregationis Montisoliveti, extructum dicitur a Salimanio secundogenito Constantis II. imperatoris Orientis, cum anno 668. Romam fuit missus a patre. Primus abbas juxta ea monumenta appellatur Benedictus, qui anno 714. obiisse traditur, succedente Servio a monachis electo. Incerta sunt, fatetur ipse domnus Benignus, quæcumque de hoc monasterio enarrantur usque ad IX. seculum, sed & incertiora redduntur deficientibus modo etiam veteribus chartis, quæ tamen signantur & indicantur tamquam eo anno 1578. existentes. In bulla nihilominus Julii papæ II. data Viterbii anno 1509. XIII. kalendas octobris anno VI. qua confert idem monasterium in commendam Bartholomæo Arnolphinio, hæc leguntur: *Decet Romanum pontificem* &c. *Cum itaque nos hodie monasterium sancti Salvatoris, sancti Salmani de Cantuario Camaldulensis ordinis Lucanæ diœcesis ad præsens certo modo vacans dilecto filio magistro Bartholomæo Arnolphini clerico Lucano, & notario & familiari nostro continuo commensali per eum quoad vixerit tenendum & gubernandum, de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate commendare intendamus; & sicut accepimus in statutis & consuetudinibus dicti ordinis ac privilegiis apostolicis illi concessis inter alia caveatur expresse, quod monasteria dicti ordinis nulli commendari possint, nos ne commenda hujusmodi propterea valeat quomodolibet impediri, providere volentes, motu proprio* &c *prædictis privilegiis* &c. *harum serie specialiter*

& ex-

Ann. Chr. 1012. Romualdi 105.

& expresse derogamus &c. Ubi vides Sextense cœnobium non solum Salmani alio titulo præter illud sancti Salvatoris gaudere, sed sanctum novum Salmanum in scenam prodire, & quod admirationem majorem extorqueat, Anglum ex urbe Cantuaria denominari. Eadem habentur in aliis bullis ad præstandum juramentum sedi apostolicæ, & ad capiendam possessionem beneficii eidem Arnolphinio concessis. In laudatis domni Benigni monumentis habetur abbatem Vivaldum seculo IX. ædificasse ecclesiam sancti Andreæ ad Buscionem positam inter Butium & Rotam, eremum sancti Johannis de Colle, ecclesias sancti Johannis ad Furconem, & sanctæ Mariæ de Ripa in communi Computi, & prope abbatiam Sexti illas sancti Dionysii, & sancti Angeli, in plano Palajolæ sancti Johannis ad Vineas, & in burgo divi Augustini oratorium sancti Augustini, & ecclesiam sancti Blasii, sed non apponuntur anni ædificationis earum ecclesiarum. Sexta die decembris anni 826. Lotharius imperator sub mundiburdio suo recepisse dicitur abbatiam Sextensem. Diploma effertur datum Massiliæ anno II. sui imperii. Verum cum Lotharius Romæ regni & imperii coronam a Paschale papa I. acceperit in paschali sollemnitate anni 823. annus 826. non II. sed IV. esset computandus. Anno 841. Sextenses monachi construxisse dicuntur ecclesiam divi Marci in finibus Butii & Lucæ in loco dicto Podioli cum pluribus domibus ad piscatorum usum; & post ipsum annum refertur Sergium papam II. eisdem monachis dono dedisse ecclesias sancti Victorii in Trejaja, sancti Benedicti Montis-calboli, & sancti Frigdiani ad Tredicium in territorio Vici-pisani una cum abbatia sancti Michaelis ad Cintorium, cui prædictæ ecclesiæ erant unitæ. Pariter dicitur eosdem monachos ædificasse oratorium divi Benedicti in insula fluminis Sercli veteris. Anno 848. constructa narratur a Sextensibus cœnobitis ecclesia Tollensis in finibus Orrentani & Cerbariæ, eodemque anno homines Orrentani obtulisse abbatiæ Sextensi ecclesiam Orrentani cum juribus suis omnibus, & cum castro ejusdem nominis, atque Leonem papam IV. prædictam donationem confirmasse anno 849. IV. die februarii anno pontificatus sui II. Insuper legitur Adrianum papam II. anno tertio die XXII. decembris, privilegio dato Bononiæ apud sanctum Petronium anno 869. confirmasse abbati Stephano omnia bona abbatiæ Sextensis, & idipsum præstitisse eodem anno imperatorem præcepto Ravennæ dato die III. aprilis. Anno 913. prima septembris anno IV. sui imperii Conradum imperatorem privilegia suorum antecessorum regio diplomate communiisse, ac Sextensi abbatiæ dono dedisse lacum Sexti, qui vocabatur Tensum Sexti, ipsique concessisse vectigalia super dictum lacum, confirmasseque castra Castelli-veteris & Orrentani. Verum Conradus anno dumtaxat 912. fuit declaratus rex Germaniæ, quare pro anno IV. videtur potius substituendus annus II. neque aliunde constat Conradum præterquam in Germania jus dixisse. Anno VI. sui imperii die XII. julii anni 924. cum esset Bononiæ (& hic itidem hujusmodi monumenta emendanda) Henricum I. Saxonem, Aucupem dictum, novo privilegio abbatiam Sextensem auxisse, finesque constituisse Sextensis lacus. Anno 1003. monachos Sextenses, post mortem Johannis XVII. Romani pontificis, & Ottonis III. imperatoris, lites concertationesque habuisse cum Pisanis circa bona Cintorii, sanctæ Mariæ in Monte, & sancti Benedicti Montis-calbuli. Et hæc quidem omnia reperiuntur in libro monumentorum, quem scripsit prælaudatus domnus Benignus, quique servatur in archivo monasterii sancti Pontiani Lucæ monachorum Montis-oliveti, quod in jura successit Sextensis abbatiæ.

Cer-

Certiora sunt, quæ de monasterio Sextensi hinc inde ex variis archivis colligere nobis licuit. *Regnante domino nostro Hludovicus serenissimus augustus a Deo coronatus magnus & pacificus imperator anno imperii ejus decimo, & domini nostri Hlotarii gloriosissimi augusti filii & in Italia anno primo tertium nonas mensis octobris indictione secunda*, hoc est anno 823. inchoata indictione secunda mense septembri, Richilda filia Bonifacii comitis confitetur se ordinatam & confirmatam fuisse in abbatissam monasterii sancti Benedicti & sanctæ Scholasticæ infra Lucensem urbem a Petro gratia Dei sanctæ Lucensis ecclesiæ episcopo, *& ab Holdoperto venerabili abbate monasterii Domini Salvatoris de Sexto*, sub cujus potestate erat prædictum sancti Benedicti parthenon. Charta reperitur apud [a] Cosmum de Arena ex exemplari ad ipsum transmisso a Mario Florentinio. Alteram ex insigni tabulario Lucensis archiepiscopii in lucem edidit [b] Muratorius; nimirum anno 857. *coram Johanne & Heribrando vassis imperialibus* Ludovici imperatoris *Andreas scavinus advocatus monasterii Domini Salvatoris situm Sextum, & Gisulfus advocatus episcopii civitatis ipsius Lucensis altercationem habebant de ecclesia sancti Quirici in loco Arme*, quæ adjudicata fuisse videtur a missis imperatoris episcopio Lucensi. Anno 918. Walfredus presbyter & monachus, juxta aliam chartam ab eodem [c] Muratorio productam, electus a monachis abbas Sextensis, confirmatus fuit a Petro Lucanæ ecclesiæ episcopo, qui tradidit eidem *abbati ministerium per ferulam & regulam sancti Benedicti*. Anno 938. Adelaidi filiæ Rodulphi II. Burgundiæ quondam regis, & sponsæ Lotharii filii Hugonis regis Italiæ assignatæ fuere in dotem nonnullæ abbatiæ in Thuscia, inter quas *abbatia de Sexto in comitatu Lucensi sita cum mansis duo millia*, ut legitur in charta dotalitia apud [d] Margarinium. Quare, quod scribit Leo Ostiensis in [e] chronico Casinense, Hugonem marchionem Thusciæ una cum Willa matre construxisse in Thuscia plura monasteria, inter quæ *sancti Salvatoris de Sexto prope Lucam*, id potius intelligendum est de reparatione ejusdem monasterii, non de prima erectione. Sub ipso Hugone marchione commutatio intercessit bonorum ipsum inter & venerabilem Majum abbatem monasterii Sextensis; refert enim Puccinellius in [f] chronico abbatiæ Florentinæ synopsim chartæ signatam num. 152. ex archivo episcopatus Lucensis, & ex mss. Francisci Florentinii, qua continentur *pacta inter episcopatum Lucensem & abbatem Majum Sexti, & medietatem ecclesie sancti Petri & sancte Marie cum universis pertinentiis suis, quas venerabilis Majus abbas mutavit cum Hugone marchione sibi invicem ad proprietatem*. Pariter sub anno 996. reperiuntur in tabulario archiepiscopatus Lucensis chartæ, quibus [g] Gerardus episcopus Lucensis libellum emphyteusis scribit Majoni abbati sancti Salvatoris de Sexto *de ecclesia & monasterio sancti Michaelis archangeli ad Verrucam*, quod erat sub potestate sui episcopatus, cum onere *divinorum officiorum, missarum, illuminationis, & octo solidorum denariorum bonorum Lucensium ecclesie sancti Martini* solvendorum. *Actum Luce per manus Rodilandi notarii*. Ita quoque *anno primo Ottonis imperatoris nepotis Ottonis item imperatoris* XIIII. *januarii indictione* X. anno nimirum 997. Petrus presbyter filius Teusii a Majone abbate ecclesiæ & monasterii sancti Salvatoris de Sexto bona ad emphyteusim recipit, sita in loco dicto *a Palaja*, notario *Rainerio in ecclesia sancti Donnini*.

Pignus daremus monasterium sancti Salvatoris de Sexto illud idem fuisse, quod Walfredus conditor monasterii Palatiolensis in Monte-viride appellat *monasterium sancti Salvatoris in campo Pisanica Hlunierno* a se ædificatum, cui præerat Guidisberteus abbas, de quo cœnobio occasione

Pala-

ANN. CHR. 1012. ROMUALDI 105.

a *Serie de' Duchi pag.* 66.

b *Antiq. med. ævi T. I. col.* 557.

c *Ibid. T. V. col.* 1005.

d *Bull. Casin. T. II. pag.* 41.

e *Lib. II. cap.* XII.

f *Pag.* 205.

g *G. n.* 87.

ANN. CHR. 1012. ROMUALDI 105.

a T. III. col. 355.

b *Ibid.*

c *Antiq. med. avi, T. III. coll.* 1069. & 1073.

Palatiolensis & alterius sancti Savini aliqua innuimus ad annum 969. Certe scimus testimonio Uberti archiepiscopi Pisani, qui ad eam sedem evectus fuit anno 1132. & obiit anno 1138. in quodam monumento *recordationis*, quam Ubertus fecit *de jure plebium Pisanarum* desumpto ex codice Vaticano, & producto in lucem ab Ughellio [a] in archiepiscopis Pisanis, Walfredum fuisse conditorem monasterii Sextensis. Loquens enim Ubertus de Guidone episcopo antecessore suo, qui eam sedem obtinuit anno 1015. & defunctus est anno 1019. juxta eumdem [b] Ughellium, sed [c] juxta Muratorium ex chartis archivi Pisani Wido episcopus Pisanus reperitur ab anno 1005. ad annum 1012. hæc habet, quæ ad illustrationem originis & historiæ per hæc potissimum tempora monasterii Sextensis libenter afferimus. *Nobilitas*, inquit, *supradicti episcopi Guidonis fere post quinque annos plebes de episcopatu suo visitans, easque circa Pisanum montem, sunt quoque apud plebem, quæ Computum nuncupatur, existentem, postea per insultum ab æmulatoribus suis vulnere percussus est, & sic fugam petiit. Voluit recuperare apud monasterium, quod Sextus dicitur, sanctitas venerabili Gualfredi quondam Eracausi cum uxore ejus Eltruda, & filiis suis nobilissimis Pisanis civibus ædificavit cum septem aliis cœnobiis, sed minime recuperare, abiit apud castrum, quod Cintoria vocatur, ibi ex vulnere mortuus est, & sepulcrum ejus ibi adhuc manet, & post obitum ejus Conradus Lucensis episcopus tempestive per vim abstulit*. Probabiliter his Conradi episcopi Lucensis invasionibus molestiisque, quas inferebat monasterio Sextensi, frænum imponere voluit Sergius papa, dum hoc anno 1012. bulla sua, quam innuimus, vetat omnibus episcopis, ne jura perturbent monasterii Sextensis; vel forte episcopi Lucenses, præter abbatis confirmationem, quam faciebant, ut mox vidimus, alia sibi judicia in Sextense monasterium, ecclesiasque subjectas usurpabant. Sed de hoc cœnobio post seculum redibit sermo in hisce nostris Annalibus.

ANN. CHR. 1013. ROMUALDI 106.

XVI. Romualdus Sitriæ montem conscendit.

d *Vit. S. Rom. cap.* XLIX.

ÆDIFICATA Camaldulensi eremo, atque illi præposito discipulo suo Petro Dagnino, Romualdus, qui *effectis numquam contentus, dum alia faceret, ad alia properabat*, ex Apennino Thusciæ descendens, alterum Sitriæ montem hoc anno conscendit. Animadvertit Damianus non esse tribuendas inconstantiæ sancti viri tot de loco in locum transmigrationes, verum potius deducendum hinc esse ingens ipsius desiderium convertendi plures gentes & regiones, quapropter sic Romualdum tuetur. [d] *Postmodum vero Romualdus cum Apenninum desereret, montem Sitriæ habitaturus ascendit. Cavendum autem summopere est, ne quis cum audierit, quia vir sanctus tot loca mutaverit, pii operis pondus vitio levitatis adscribat. Hæc namque mutationum ejus causa proculdubio fuerat, quia ad venerabilem virum, ubicumque degeret, turba hominum pene innumerabilis concurrebat. Ratio ergo poscebat, ut cum unius loci spatium plenum habitatoribus cerneret, illic priore constituto, ad replendum mox aliud festinaret*. Porro Sitriæ mons, quo se recepit Romualdus, non longe est ab Avellanensi, aliquanto plus abest a Saxoferratensi cœnobiis; sed male Ughellius monasterium Sitriæ Saxoferratense appellat, cum Saxoferratum nihil habeat cum Sitria commune, & aliquot milliaribus uterque locus ab invicem distent. Celebre olim erat hoc sanctæ Mariæ Sitriæ monasterium, de quo nos in sequentibus aliqua dicemus, sed hodie abbati commendatario inserviens pauca admodum suæ antiquitatis servat vestigia. In describenda vitæ austeritate, quæ in hoc loco vigebat, & in enarrandis contumeliis, quas a Sitriensibus monachis passus fuit Romualdus, abundat Damianus. Cum vero

vero septennium ibi constitisse sanctum virum doceat, & anno sequenti ab ea solitudine ipsum avulsum fuisse ad tempus constet, hinc non sub eodem praesenti anno omnia referenda esse ducimus, sed in sequentibus distribuenda, contenti hoc anno statuisse transitum Romualdi ab eremo Camaldulensi ad montem Sitriae, ubi etiam tot discipulos brevi tempore congregavit, ut anno sequenti unanimiter eidem illi dixerint: [a] *Magister, vides, quia nos, qui te sequimur, tanti jam sumus, quod hic congruenter habitare non possumus.*

ANN. CHR. 1013. ROMUALDI 106.

a *Ibidem.*

OBIIT hoc anno Johannes Gradonicus, Romualdi olim in eremo Cuxanensi discipulus, mox ab eo ad Montem-casinum destinatus una cum Olibano comite. Post inobedientiae reatum, quo contra magistri praeceptum peregrinationis gratia Olibanum relinquere animo proposuerat, & jam deseruerat, facti poenitens [b], *unde venire coeperat rediens, cellam sibi aedificari prope monasterium petiit, ibique per triginta fere annos, quamdiu vixit, in sancta conversatione permansit. Post ejus obitum*, sequitur Damianus, *nonnulla per eum miracula divinitus facta sunt*. Contendunt aliqui, inter quos Grandius noster [c] in notis ad duas Tabulas chronologicas, Johannem hunc, per triennium Montis-casini incolam, Romualdi quidem discipulum, sed Johannem Gradonicum non fuisse; duosque distinguendos esse Johannes in Romualdi schola edoctos, alterum Gradonicum, qui Olibanum e Monte-casino in Gallias revertentem comitatus fuerit, & post Olibani obitum ex Galliis Venetias patriam suam se receperit; & alterum Johannem simplicem Romualdi discipulum in cella prope Casinum montem per sex lustra moram trahentem, ibique defunctum. Distinctionis hujus fundamentum eruit Grandius prius ex Mabillonio, qui auctor est Gradonicum secutum fuisse Olibanum reducem e Monte-casino in Catalauniam; deinde hoc ipsum arguit ex tabulario monasterii sancti Georgii majoris Venetiarum, ex cujus monumentis colligitur Gradonicum, ut secundum abbatem ei coenobio praefuisse, post Johannem Maurocenum monasterii primum conditorem & abbatem ex discipulo, vel socio sancti Romualdi. Traditur etiam Gradonicum abbatem Gerardo Sagredo, quem ejus antecessor monastica veste in eodem coenobio donaverat, potestatem fecisse Jerosolymorum sacra loca visitandi; haec fusius leguntur penes Arnoldum Wionem in martyrologio monastico ad diem XXIV. septembris. Accedit, quem maximum fautorem hujus distinctionis Grandius appellat, auctoritas gravissima Petri Diaconi, qui duos memorat Johannes, Romualdi discipulos & Casini incolas, de quorum altero, nempe de Gradonico, agit num. LIII. & num. LIV. agit de secundo Johanne, qui cellam prope Casinum per triginta annos habitavit, cuique etiam tribuit eximiam abstinentiam, humilitatem, caritatem & detractionis odium, quas virtutes Damianus praedicat de Gradonico. Dies quoque obitus utriusque diversus inscribitur, & Gradonicus quidem diebus V. decembris & XX. februarii colitur; Johannes autem apud Casinum eremita die IV. martii; hic venerabilis tantum, ille Sancti titulo gaudet; distinguunt utrumque jure proinde & Wion, & Buccellinus. Haec Grandius. Verum hallucinatus est doctissimus praesul noster, & Mabillonii, quem sibi faventem laudavit, retractationem sibi adversantis non perpendit. Dixerat is in adnotationibus praeviis [d] ad vitam beati Petri Urseoli, Olibanum comitem cum Oliba filio, episcopo postea Ausonensi, confundens: Is ipse Oliba est Olibani comitis Bisuldunensis filius, quem Petri ducis encomiastes patriae patrem appellat. Romualdus vero Petri ducis exemplo ad monasticen amplectendam eum exhortatus adduxit in Italiam, unde cum Johanne „ Gra-

XVII. Obitus Johannis Gradonici. An duo Johannes discipuli Romualdi?

b *Vit. S. Rom. cap.* XV.

c *Differt. II. n.* III. *p.* 140.

d *Secul. V. p.* 851.

Ann. Chr. 1013. Romualdi 106.

„ Gradonico redux, non apud Rivipullenses, sed in Cuxanensi cœnobio, „ ubi primum religionis amorem hauserat, monachus vixit. " Verum ad examen melius revocato Damiani testimonio, sententiam suam mutavit idem Mabillonius [a] in Annalibus, Johannem Gradonicum confessus Casini obiisse; & in pluribus locis de Oliba monacho, postea abbate, deinde episcopo Ausonensi agens, nusquam ait fuisse ipsum a sancto Romualdo ad meliorem frugem conversum, sed eam conversionem tribuit Olibano comiti ejus parenti. De Gradonico autem hæc habet, Damianum exscribens, laudatus Mabillonius. „ Sanatus demum cellam sibi prope mona„ sterium ædificari petiit, ubi per triginta fere annos in magna vitæ au„ steritate perdurans, in sancta conversatione feliciter obiit. " Arnoldus Wion, qui Venetias Gradonici reversionis auctor perhibetur, „ non mus„ sitat de hac re juxta Erasmum Gattolam [b] historiæ Casinensis seculo v. „ ut diligentissima, ait, ejus loci inspectione comperimus. " Amadeus „ vero Luzzius ordinis minorum de Observantia eruditus & pius asceta in gestis beati Johannis Gradonici, quæ typis Venetis illustravit anno 1731. erra sse e contra Wionem vel ex falsa intelligentia, vel ex falsa relatione asserit [c], cum liquido constet quemdam Johannem Gradonicum non Mauroceno, sed Gerardo Sagredo, qui tertius fuit ejusdem cœnobii abbas, successisse eo anno, quo Gerardus regimini cessit, ut sacra loca Jerosolymorum perlustraret, quod docent antiqua ipsius monasterii monumenta. Non ideo tamen Johannes hic Gradonicus monasterii sancti Georgii abbas fuit celebris ille Romualdi discipulus, qui eo tempore mortem jam oppetierat, sed alius ex numerosa, illustrissima & piissima Gradonicorum gente, qui vestem monasticam induerat in eodem sancti Georgii cœnobio. Demum Petrus Diaconus, qui librum conscripsit *de Ortu & Vita Justorum sacri monasterii Casinensis*, unius dumtaxat meminit Johannis discipuli sancti Romualdi, non capite LIV. sed LVI. his verbis: *Johannes sancti Romualdi discipulus, atque ab eo cum Olibano ad quemdam locum inhabitandum directus per aliquot annos ibi remoratus est. Inde igitur recedens Jerosolymam petiit, cumque de Casinensi monte descendens ad campestria pervenisset, subito equus socii ejus furioso rotatus impetu Johannis tibiam calce ferrato percutiens fregit. Qui ad terram nimio dolore prostratus reduci se ad Casinum fecit, atque prope monasterium cellam ædificans in ea per triginta annos in sancta conversatione permansit.* Numero vero XLI. non LIII. de alio Johanne Venetico monacho Casinate mentionem facit idem Petrus Diaconus, sed ne hilum quidem memorat ipsum fuisse Romualdi discipulum, de quo ea exscribit, quæ Desiderius abbas Casinensis, inde Victor III. olim dixerat in suis [d] Dialogis. En verba Desiderii: *Alter quidam in jam dicto nostro monasterio Johannes Veneticus dictus est miræ patientiæ, obedientiæ ac humilitatis monachus, qui quanti meriti apud Jesum Christum Dominum fuerit, suum post obitum manifestissime claruit. Cum quidam frater, cujus nomen a memoria excidit, casu in inguine crepuisset, ita ut interiora ejus membrano disrupto inter carnem & corium dilaberentur, sepulcrum ipsius adiit, ac se super illud prosternens, lacrymis gemitibusque, ut pro se Dominum precaretur, ex intimo cordis postulabat affectu, proculdubio credens ejus meritis se posse sanitatem recipere, qui in hac vita positus omnipotenti Domino totis viribus studuit deservire. Cum igitur aliquantulum super sepulcrum ejus orans incubuisset, ita restitutus est sanitati, ut languoris pristini nec ullum in eo quidem indicium remansisse videretur.* Quam Desiderii narrationem integram attulimus, ut admoneremus, id quod & Luzzius animadvertit, non recte tribui hocce mira-

a T. IV. p. 12.

b P. I. p. 101.

c Pag. 52.

d Lib. II.

miraculum Johanni Gradonico a Fortunato Ulmo Veneto monacho Casinate in sua ms. historia monasterii sancti Georgii majoris.

Ann. Chr. 1013. Romualdi 106.

Deperdita est modo memoria sepulcri Johannis Gradonici sancti Romualdi discipuli, quem tamen constat Casini obiisse, ibique fuisse tumulatum. Damiani tempore, triginta nimirum vix annis a Johannis decessu, sepulcrum ipsius erat gloriosum, cum nonnulla ad sacras ejus exuvias divinitus facta fuerint miracula. Hinc *vir sanctus* ab eo appellatur; pari titulo insignitur in menologio Benedictino a Buccellino ad diem XX. februarii, sub qua hæc habentur: „ In sacro monte Casinate sancti Johannis Gradonici Venetorum illustrissimi &c. " Idem tamen Buccellinus ad diem V. decembris elogium ejusdem Sancti perperam repetit his verbis. „ Camalduli beati Johannis Gradonici perillustri & ducali familia apud Venetos nati, discipuli sancti Romualdi abbatis primi Camaldulensis familiæ nostræ institutoris. " Et rursus ad diem IV. martii: „ Casini venerabilis viri Johannis monachi & eremitæ, qui ex primis sancti Romualdi nostri Classensis abbatis &c. discipulus, postea Casinum demigrans &c. " cui virtutes illas tribuit, quas Damianus proprias fuisse Gradonici narrat. Demum in quodam ms. Casinensi codice inscripto: *Vitæ & miracula quorumdam Sanctorum sacri cœnobii Casinensis* legitur, teste Luzzio, inscriptio cum elogio: *De sancto Johanne Gradonico monacho*. Incipit vita (ejusdem nimirum Gradonici) *Cum sanctissimorum Romualdi, Marini & Guarini abbatum sententia* &c.[a]

a Pag. 38.

XVIII. Privilegium Benedicti papæ VIII. pro abbatia Burgensi.

Burgensem abbatiam, cujus primordia ad annum circiter 987. retulimus, regebat hoc anno *Rodericus*, qui & *Bonizzo* appellabatur. Duplex nomen, quod gerebat abbas, (id hoc seculo valde usitatum) ansam forte dederit Gherardio in epistola ms. ad Frigdianum Locatellium monachum nostrum duos distinguendi Burgenses abbates, *Bonilium* nempe, ejusque successorem *Rodericum*, quem alii corrupto vocabulo *Bombam* etiam vocant. Immo & collector [b] jurium abbatiæ Burgensis qui floruit circa annum 1454. Bonilum abbatem Burgensem facit ad annum 1011. corrigens nomen Roderici primo appositum. De hac collectione aliqua dicemus ad annum 1023. Videtur Rodericus circa monasterii perfectionem & ecclesiæ constructionem valde laborasse, vel saltem utriusque humilia ædificia dilatasse; non tamen admittimus, quod scribit idem Gherardius, ipsum operam dedisse, ut ecclesia consecraretur ab episcopis Arretino, Cortonensi & Tiphernate; scimus enim initio tantum seculi XIV. erectam fuisse in cathedralem ecclesiam Cortonensem. Certius est impetrasse Rodericum a Benedicto papa VIII. privilegium, quod manu nostra descripsimus ex tabulario Fontis-boni, sigillo plumbeo adhuc munitum, & *datum per manus Azzonis episcopi sancte Ostiensis ecclesie, & bibliothecarii sancte apostolice sedis anno Deo propitio pontificatus domni Benedicti summi pontificis & universalis octavi pape in sacratissima sede beati Petri secundo in mense decembrio indictione duodecima. Benedictus episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio Roderico, qui Bonizzo vocari videtur, abbati monasterii sancti Sepulcri, ac sancti quatuor evangelistarum, qui situm est in castro Felicitatis in loco, qui Noceati, tuisque successoribus in perpetuum* &c. Indictio hic sumitur a mense septembri, ceteroquin undecima decurrebat hoc anno, vel bulla facile data fuit post diem nativitatis Domini hujus anni mense decembri. Azzonis non meminere in episcopis Ostiensibus Ughellius, nec ejus emendatores, licet *Azonis Ostiensis sancte ecclesie episcopi* nomen legatur in subscriptionibus diplomatis Gregorii papæ V. anno 996. in favorem Winizonis abbatis Amiatini apud eum-

b Pag. 3.

eumdem Ughellium [a] in epiſcopis Cluſinis, qui videtur idem fuiſſe cum Azone bibliothecario & epiſcopo Oſtienſi hujus anni.

XIX. Ubi foret? & plura de Caſtro-felicitatis.

Castrum-Felicitatis, in quo jacebant bona monaſterio ſancti Sepulcri a Benedicto papa *de jure ſancte Romane eccleſie* donata, poſitum erat inter Arretium & Cortonam, ut ipſum ſtatuit Gaſpar Beretta doctiſſimus monachus Caſinenſis [b] in tabula chorographica Italiæ medii ævi, ubi etiam erudite diſputat circa locum hujus caſtri. Antiquior caſtri-Felicitatis mentio habetur in ſententia judicati Luitprandi regis, circa jurisdictionem Arretini epiſcopi in quaſdam eccleſias territorii Senenſis, quam ex tranſumpto archivi monaſterii monialium noſtrarum ſancti Benedicti Arretii protulit Grandius [c] in appendice ad epiſtolam ſuam de Pandectis; in ea ſententia lata anno 715. nominatur *Theodorus epiſcopus* CASTRI NOSTRI FELICITATIS, ubi adnotat idem Grandius [d] intelligi forte Theodorum Oſtienſem epiſcopum, utpote in cujus diœceſi ſit caſtrum ſanctæ Felicitatis, patria, ut idem ait, Cœleſtini papæ II. ſed ſuam conjecturam alibi correxit, ut dicemus inferius. Sententiam hanc denuo prodire in lucem juſſit [e] Muratorius ab eodem Grandio ſecum communicatam. In bulla Stephani papæ II. anni 752. apud eumdem [f] Muratorium, qua decernitur contra epiſcopum Senenſem quaſdam parœcias ſpectare ad eccleſiam Arretinam, reperitur *Tacipertus epiſcopus* CASTRI FELICITATIS. Refert Anaſtaſius bibliothecarius in vita Adriani papæ I. quod devicto Deſiderio Langobardorum poſtremo rege *omnes habitatores tam ducatus Firmani, Auximani & Anconitani, ſimulque & de* CASTELLO-FELICITATIS .... *ad præfatum ſummum pontificem concurrentes ejus ſe beatitudini tradiderunt*. Eidem urbi vel caſtello præerat *Reginaldus caſtaldius Langobardus*, de quo idem Adrianus ſcribit in epiſtola LX. ad Carolum-magnum: *Dirigimus*, inquit, *de perfido illo .... æmulo Reginaldo, dudum in* CASTELLO-FELICITATIS *caſtaldio, qui nunc in Cluſina civitate dux eſſe videtur ...., per ſemetipſum cum exercitu in eamdem* CIVITATEM NOSTRAM CASTELLI-FELICITATIS *properans, eoſdem caſtellanos abſtulit*. Subſcripſit [g] anno 826. *Stabilis epiſcopus* CASTELLI-FELICITATIS ſynodo Romanæ celebratæ ab Eugenio papæ II. Subſcripſit [h] alteri Romanæ anno 861. ſub Nicolao papa I. alius CASTELLI-FELICITATIS *epiſcopus Rodericus*. In [i] privilegio Lotharii imperatoris anni 843. capitulo canonicorum Arretinorum conceditur quædam villa, *que vocatur Caminina, & conſiſtit in* CASTRO-FELICITATIS, *cum eccleſia, que conſtructa eſt in honore beati Andree apoſtoli*. In charta donationis ſive quarti privilegii de rebus Thuſciæ & aliarum provinciarum conceſſi a Ludovico II. imperatore anno 874. monaſterio Caſaurienſi, exprimuntur *omnes res, quas nunc habemus in* CASTRO FELICITATIS, ut legitur in chronico ejuſdem cœnobii apud [k] Muratorium. Similiter in privilegio [l] eccleſiæ Arretinæ dato a Berengario imperatore anno 916. confirmantur *omnia & in omnibus in ſingulis comitatibus poſita, ideſt in Arritino, Senenſe, Florentino, atque in Cluſiano &* CASTRO-FELICITATIS. In mundiburdio [m] ab Hugone Italiæ rege conceſſo quibuſdam hominibus territorii Balnenſis circiter annum 928. poſt ceteros comitatus nominatur & CASTELLUM-FELICITATIS. Otto I. imperator anno 963. *cortem etiam, que nominatur Camenina, & eſt in* CASTRO-FELICITATIS, *cum eccleſia in honore ſancti Andree edificata* confirmat [n] canonicis Arretinæ eccleſiæ. Idem imperator [o] in præcepto pro monaſterio Caſaurienſi curtem recenſet *in* CASTRO-FELICITATIS. In judicio nonnullorum epiſcoporum circa suprarelatam controver-

a *T. III. col.* 619.
b *T. X. rer. Ital. Script. Murator.*
c *Pag.* 105. *edit.* II.
d *Pag.* 108.
e *Antiq. medii ævi T. VI. col.* 367.
f *Ibid. col.* 387.
g *T. IX. Concil. Labbei col.* 1118.
h *T. X. col.* 194.
i *T. V. antiq. medii ævi col.* 195.
k *T. II. Par. II. Script. rer. Italicar. col.* 810.
l *Antiq. med. ævi T. I. col.* 938.
m *Ib. col.* 271.
n *Ibid. T. III. col.* 185.
o *Rer. Italic. Script. T. II. P. II. col.* 828.

troversiam ecclesiarum Arretinæ & Senensis lato anno 1029. & ex tabulario sancti Benedicti Arretii a Grandio edito, quod iterum produxit Muratorius [a], memoratur *Petrus* CASTRI-FELICITATIS *episcopus*, ad quem locum idem Grandius [b] conjecturam suam pristinam corrigit, & episcopum *Castri-Felicitatis* eumdem habendum esse asserit cum Castellano, sed clarius in animadversionibus [c] ad calcem operis concludit episcopos hos *Castri-Felicitatis* Castellanos esse, sed non ejus ecclesiæ, quæ est unita cum Falaritana, sed Tiphernates. Demum anonymus Ravennas a Placido Porcherono [d] editus, *Tiphernum*, inquit, *quæ & FELICISSIMUM dicitur*. Cur autem Tiphernum FELICITATIS CASTRUM appellatum fuerit, nullus hactenus rationem attulit, quæ plausu excipi mereatur. Destructo a Totila veteri Tipherno, novus locus superædificatus nomen assumpsisse videtur Castri vel Castelli Felicitatis, & demum rejecta additione, nomen retinuisse Castri, Castelli, vel Civitatis-castelli sive Castellanæ.

ANN. CHR. 1013. ROMUALDI 106.

[a] T. VI. col. 347. antiq. medii ævi.

[b] P. 127.

[c] P. 269.

[d] Pag. 223. Geographiæ.

Locus *Noceati*, in quo ædificatum fuerat monasterium sancti Sepulcri, confirmat opinionem Paulli Justiniani, Gherardii & Jacobillii, situm cœnobii fuisse in silva *nucibus* referta, quæ nomen daret huic loco. Præterea videmus in memorata Benedicti VIII. bulla, quam in Appendice proferimus, ecclesiam Burgensem dicatam fuisse sancto Sepulcro Domini nostri Jesu-christi, & sanctis quatuor evangelistis. Assignato postmodum titulo sancti Sepulcri toti Burgo, & deinde urbi, abbatia nomen dumtaxat sancti Johannis evangelistæ retinuit, ut retinet etiam ad diem præsentem, licet modo in cathedralem ecclesiam fuerit erecta.

XX. Placitum in causa monasterii Vangaticiensis.

MONASTERIO Vangaticiensi præsidebat Martinus. Ægre adducimur, ut credamus, eumdem esse Martinum abbatem, de quo ad annos 961. & 993. memorato in eorum annorum donationibus verba fecimus; quinquaginta enim duobus annis regimen obtinuisset ejusdem cœnobii. Quod scimus, habitum fuit hoc anno placitum in Monte-silice (oppidum est territorii Patavini) coram marchionibus Alberto, Azzone & Ugone fratribus, (progenitores ii sunt domus Estensis) in quo pronunciatum fuit pro monialibus sancti Zachariæ Venetiarum contra monasterium sanctæ Mariæ de Vangaticia, ejusque abbatem Martinum, occasione medietatis curtis, quæ appellabatur *Pedriolo*, quam asserebant moniales non pertinere ad ecclesiam beati Petri apostoli constructam in Monte-silice, & subjectam eidem monasterio Vangaticiensi. Placitum produxit Muratorius in [e] Antiquitatibus Estensibus, sed iterum in Appendice edimus ad historiam ejusdem abbatiæ illustrandam. Observatione dignum est in hoc placito, quod adhuc cœnobium Vangaticiæ dicebatur *de Petra supra ripam Adicem*. De ecclesia sancti Petri Montis-silicis progredientibus annis aliqua sumus dicturi.

[e] Par. I. pag. 88.

XXI. Willelmus ep. Arretinus munificus in monaster. Prataliense.

EXEMPLO Helemperti etiam Willelmus episcopus Arretinus beneficum se exhibuit erga monasterium sanctæ Mariæ de Pratalia, donans domum, terram & vineam positas in casali *Contra* cum pacto, quod prædictum monasterium semper sit sub regimine episcopii sancti Donati. Reperimus in chartophylacio Camaldulensi ejus donationis paginam, quam exhibemus in eadem Appendice.

XXII. Placita duo Ravennatense & Romanum.

HOC ipso anno Vitalis constitutus fuit abbas sancti Severi in Classe. Id constat ex placito, in quo nominatur *Vitalis electus abbas monasterii sancti Severi pontificis, anno Deo propitio pontificatus domni nostri Benedicti summi pontificis in apostolica beati Petri sede secundo, sitque regnante domno Heinrico rege invictissimo in Italia anno* X. *die vicesimo septimo*

mensis

ANN. CHR. 1013. ROMUALDI 106.

mensis augusti indictione XI. quæ notæ respondent huic anno. In eo placito judicatum fuit a Johanne dativo ad Vitalis abbatis favorem contra Romualdum filium Johannis de Constantino, quoad duos fundos positos in Vangaditia. Occurrunt in charta, ut in aliis ejus temporis, multi Ravennates duces; *Petrus filius quondam Adelberti ducis*, *Albertus filius quondam Sergii ducis*, *Natalis Dei pietate dux*; habitum vero fuit *in curte sancti Pullionis martyris*, cui Sancto dicatum erat Ravennæ monasterium sive ecclesia, de qua dicemus, cum recensebimus anno 1029. ecclesias & monasteria unita cœnobio sancti Severi. Interim placitum in Appendice reperietur, in qua & aliud subjungimus habitum in loco, *qui appellatur Babentivus* (forte *Aventinus*) in causa *vertente inter Johannem*, vel potius Silvestrum, *abbatem venerabilis monasterii sanctorum Andree & Gregorii de Urbe*, *& inter Adelelmum abbatem venerabilis monasterii sancti Christi martyris Bonifacii*. Concesserat olim Johannes abbas sancti Gregorii Aliprando sive Ildebrando, & Stephano germanis, qui dicebantur de Imizza, locum in mandria sive massa Camellaria ad castellum construendum, & locum populandum, ut vidimus sub anno 994. qui tamen germani tres mansiunculas cum parva muri quantitate vix ædificaverant, & insuper spoponderant reversionem loci in jus monasterii Gregoriani, si ædificationem peragere nequirent. Conquerente Johanne, qui illuc se contulerat, causa visitationis, ipsosque pactis constructionis castelli non stetisse declarante, prædicti fratres præfatum locum eidem refutarunt, sed simul contra legem vetantem, ne ullus res ecclesiæ alteri ecclesiæ omnino traderet, chartulam emphyteusis confecerunt in gratiam monasterii sancti Bonifacii, & Adelelmi ipsius abbatis. Lis inde orta inter utrumque monasterium, inter Silvestrum nimirum abbatem sancti Gregorii, qui Johanni successerat, & inter Adelelmum abbatem sancti Bonifacii, sed tandem judicata ad favorem cœnobii sanctorum Andreæ & Gregorii. Adfuere in eo placito præter ceteros judices & nobiliores homines, *Gregorius de Ripa primicerius*, *Petrus*, *& alius Petrus de Pulcro dativi judices*, *Aimo abbas monasterii sancte Marie*, *que ponitur in Aventino*, *& Dominicus abbas sancte Prisce*. Hoc monumentum adjungi poterit historiæ monasterii sanctorum Alexii & Bonifacii, quam V. Cl. abbas Felix Nerinius egregie concinnavit.

ANN. CHR. 1014. ROMUALDI 107.

XXIII. Henricus imp. flagitat colloquium Romualdi.

SUB finem autumni præcedentis anni, Henricus cæsar, Germanicis rebus compositis, ut pacem redderet etiam Italiæ oppressæ ab armis Arduini regis, atque ut pontificium solium Benedicto papæ VIII. qui ad ipsum confugerat, firmaret, simul etiam ut coronam imperialem ab ejus manibus susciperet, in Italiam secundo descendit, Papiæ natale Domini celebravit, inhorrescente hyeme Ravennam transiit, inde Romam, ubi die XIIII. februarii hujus anni, ut probat Pagius [a], die Dominica, sollemniter ab eodem pontifice una cum conjuge Cunegunde coronatus est. Tempore sui adventus in Italiam scribit Damianus, Henricum legationem misisse Romualdo, ut ad ipsius præsentiam venire dignaretur, quo ejus colloquio frui posset, simulque dono dedisse sancto viro monasterium Montis-amiati. [b] *Interea imperator Heinricus de ultramontanis partibus*, (perperam Petrus de Natalibus legit *de ultramarinis partibus*) *in Italiam veniens misit beato viro deprecatoriam legationem*, *ut ad eum venire dignaretur*, *promittens se facturum quæcumque præciperet*, *si suum ei colloquium non negaret*.

a *In Critica*.

b *Vit. S. Rom. cap.* lxv.

Controversia olim exoriebatur circa annum hujus legationis; nam cum tribus

tribus vicibus, hoc est annis 1004. 1014. & 1022. in Italiam venerit sanctus imperator, Grandio nostro [a] placuit eam referre ad annum 1004. & ad indictionem II. ad eumque annum subsecutam monasterii donationem Montis-amiati retulit, quare etiam subdit: „ Unde patet Baronium & Mabillonium referentes Henrici & Romualdi colloquium ad annum M.XXII. quibus olim & ipse subscripseram in Tabulis chronologicis, [b] lapsos esse, & ad primum Henrici adventum in Italiam contra Harduinum regem anno 1004. factum illud pertinuisse. " Fortunius stetit pro secundo adventu, dum affirmat [c]: „ Per eos dies Henricus Cæsar in Italiam veniens anno imperii, idest regni IX. (*auspicatur scilicet annos, non a regno* Germaniæ, *sed a regno* Italiæ) augustalia insignia a Benedicto papa Romæ accipere voluit, qui cum esset Senis, audiens sanctum patrem Romualdum in Sitria agere, miro captus est desiderio illum alloquendi &c. " Baronius postremo & Mabillonius, ut mox ex Grandio innuimus, ad annum M. XXII. colloquium & donationem retrahunt, ad tertium nimirum Henrici imperatoris adventum in Italiam. Nos probabilius utrumque huic anno 1014. consignamus, postquam idipsum præstitit etiam supralaudatus Grandius [d] in Responsionibus ad Quæstiones Vallumbrosanas Soldanii, corrigens, quod alibi asseruerat. Anno enim 1022. non amplius in Sitria, sed potius Bifurci morabatur Romualdus, ut alia Henrici imperatoris donatio Romualdo facta eo anno indicat, & tamen ex Damiani textu legationem ab Henrico Romualdo directam ad tempus, quo in Sitria vivebat, esse referendam, ad credendum nos inducunt verba illa discipulorum [e]: *Magister, vides, quia nos, qui te sequimur, tanti jam sumus, quod hic congruenter habitare non possumus; vade ergo si placet, & imperatori magnum aliquod monasterium quære &c.* quæ eadem sunt cum verbis usurpatis a Sitriensibus ex Damiano: [f] *Cum vero ibi fratres jam tanti essent, ut omnes illic habitare vix possent*; præter circumstantias silentii & solitudinis, quæ violare nolebat Romualdus, quæque profecto ad secessum Sitriensem sunt accommodanda.

ANN CHR. 1014. ROMUALDI 107.

a *Epist. de Pandectis pag.* 228. *edit.* II.

b *Dissert. Cam.* II.

c *Par.* I. *Lib.* I. *cap.* 20.

d *Cap.* IX. *n.* 11.

e *Vit. S. Rom. cap.* lxv.

f *Ibid. cap.* lxiv.

XXIV. Romualdus ad ipsum pergit, & Montis-amiati monasterium recipit.

ACCEPTA legatione Romualdus suæ Sitriensi solitudini addictus, renuit accedere ad imperatorem, sed a discipulis exoratus prophetico spiritu donationem subsecuturam prævidit, scribens eis, quid futurum erat. Rigidum enim sancti viri silentium non patiebatur, ut mutuis sermonibus hæc cum discipulis voce conferret, quinimmo loquelæ vice epistolam adhibet; sed Damiani textum prosequamur. [g] *Cumque venerabilis vir prorsus abnueret silentium frangere, cœperunt omnes discipuli unanimiter illum obsecrare dicentes: Magister vides, quia nos, qui te sequimur, tanti jam sumus, quod hic congruenter habitare non possumus; vade ergo, si placet, & imperatori magnum aliquod monasterium quære, & multitudinem te sequentium ibi constitue. Quibus vir sanctus nescio si accepta jam revelatione, aut subita Dei inspiratione fidenter scripsit: Scitote, quia Montis-amiati monasterium ex dono regis habebitis; considerate tantummodo, quem illic abbatem constituere debeatis.* His scriptis, silentium neque in discessu, neque in itinere frangens, imperatorem adiit. [h] *Igitur inviolato silentio perrexit ad regem, cui rex protinus assurgens ex magno cordis affectu in hanc vocem erupit dicens: O utinam anima mea esset in corpore tuo! Quem mox ut loqueretur, suppliciter obsecrans, ipso die hoc impetrare non potuit. Postera autem die Romualdo ad palatium veniente, ecce Teutonicorum multitudo certatim hinc inde concurrunt, capita salutantes humiliter flectunt, villos quoque pelliceæ vestis, qua erat indutus, anxie decerpentes pro sacris reliquiis in patriam portaturi studiose recondunt. Quæ videlicet res venerabilem*

g *Vit. S. Rom. cap.* lxv.

h *Ibidem.*

ANN. CHR. 1014. ROMUALDI 107.

lem virum tanto mœrore dejecit, ut nisi discipulis obstantibus acquiesceret, ad cellam protinus repedaret. Ingressus igitur ad regem, non pauca sibi locutus de restituendo jure ecclesiarum, de violentia potentum, de oppressione pauperum, & post multa unum sibi pro suis discipulis monasterium petiit. Cui postmodum rex Montis-amiati monasterium tradidit, & abbatem, quia multis erat malis obnoxius, foras ejecit.

XXV. Cujus Amiatini monasterii curam susceperit?

PUTARUNT aliqui, inter quos Augustinus Fortunius & Franciscus de Lauro, Fleurius quoque, Henricum imperatorem dono dedisse sancto Romualdo insigne sanctissimi Salvatoris cœnobium, quod seculo VIII. a Rachisio Langobardorum rege extructum in montibus Amiatinis possederunt monachi viventes juxta regulam sancti patris Benedicti, & progressu temporis obtinuerunt Cistercienses, quodque tunc regebat interturbato regimine ab anno 1006. immo ab anno 996. Guinizo abbas, insignis ob acerrimas lites, quas, ad servanda jura sui monasterii, habuit cum episcopis Clusinis; immo ipse Mabillonius [a] idipsum credidisse videtur, licet dubius hæreat, quid sentiendum sit de hac donatione, dum subdit: „ Ast id non convenit cum illius monasterii documentis, in quibus Winizo abbas non interrupta serie temporis prædictum locum rexisse traditur ab anno 1006. „ usque ad ann. 1036. uti acta probant ab Ughellio [b] relata, “ quibus Mabillonii dubiis plaudit Helyotius auctor historiæ Religionum. Verum responderi potest Mabillonio, Guinizonem fuisse quidem abbatem sancti Salvatoris ab anno 1006. & etiam ab anno 996. usque ad 1036. sed juste vel injuste per aliquod tempus regimine privatum ab Henrico suasu episcoporum Clusinorum, & denuo regimen assumpsisse, ejecto vel mortuo Romualdo; id quod innuere videtur Damianus scribens de nostro sancto viro: [c] *Ubi vir sanctus quanta adversa perpessus sit non solum ab eo, qui ejectus fuerat, sed etiam ab illo, quem ipse ex suis discipulis abbatem constituerat, ille quidem perferre patientissime potuit, nos referre, etiamsi adesset facundia, non valemus.* Vel alii dicerent monasterium Romualdo concessum non fuisse insigne cœnobium sancti Salvatoris, sed alterum, quod in iisdem Senensibus Amiatinis montibus esset constructum. Ut tamen & nos aliqua dicamus, priori sententiæ potius adhæremus, cum nullum tunc temporis, præter illud sancti Salvatoris, extaret illustre monasterium in montibus Amiatinis. Nec enim tunc actum fuit de novo cœnobio construendo, sed jam conditum monasterium traditum fuit ab Henrico imperatore Romualdo regendum, quod ex Damiano patet, qui insuper ejectum fuisse ab Henrico ex eo monasterio abbatem scribit. Quapropter falli videntur, qui Montis-amiatini cœnobium asserunt fuisse illud sancti Petri de Vivo vel de Fonte-vivo. Hoc enim conditum est tantum anno sequenti, & quidem primitus sub eremi forma a Romualdo, & progressu temporis, adjunctis in aliqua ab eremo distantia habitationibus pro cœnobitis, in monasterium excrevit. Mala, quibus obnoxius dicitur Guinizo sancti Salvatoris abbas, non erant nisi interminabiles lites, quas cum Arialdo Clusino episcopo movebat & patiebatur. Reportaverat quidem anno 1006. Guinizo favorabile regis Henrici rescriptum; verum prævalente episcopi potentia, potuerit accusari ut inquietus, tempore, quo Henricus in Italiam hoc anno iterum descendit, quod sufficiens fuerit, ut loco dimoveretur, & data occasione monasterium illud Romualdo reformandum traderetur. Conjecturam nostram firmamus, quia Guinizo, quem non imus inficias ab anno 996. usque ad præsentem cœnobium illud rexisse, in diplomate nihilominus *Conradi II. imperatoris imperii IX. indictione* IV. anno nimirum Dominicæ incarnationis 1036. asseritur in abba-

tiæ

a *Annal. T. IV. pag.* 268.

b *T. III. col.* 710. *seqq. Ital. Sac.*

c *Ibidem.*

tiæ Amiatinæ possessionem missus ab ipso Conrado apud Ughellium [a]. *Igitur omnium sancte Dei ecclesie fidelium, ac nostrorum presentium scilicet & futurorum comperiat solercia, qualiter nos per interventum dilectissime conjugis nostre Gille, & carissimi filii nostri Henrici regis, Winizo nobis dilecto abbati cenobium Domini & salvatoris nostri Jesu christi in monte Amiato constitutum ad regendum commisimus, ut ibidem neglecta Dei obsequia suorum predecessorum incuria studiose deceret ordinare, congregationem inibi Deo servientium monachorum regulariter corrigere, & solummodo divinis obsequiis deditis ad sufficientiam largiri* &c. & in altero ejusdem *Conradi* II. *regnantis* III. *imperii primo indictione* x. hoc est anno 1027. apud [b] Muratorium: *Dum nos dilecto fideli nostro Guinizoni abbati cenobii domini & Salvatoris in monte Amiate constructum ad regendum commiserimus &c.* Potuit ergo Romualdus toto tempore imperii Henrici, vel per se, vel per abbatem substitutum regere abbatiam Amiatinam, sed decedente Henrico, & paucos post annos etiam Romualdo, Guinizo tamquam de novo electus in pristinum gradum restitui a Conrado. Hinc intelligimus, cur Romualdus *adversa perpessus sit ab eo*, abbate, *qui ejectus fuerat*; Guinizo nimirum, qui juste pugnare sibi videbatur pro libertate sui monasterii, contra fas loco dejectum se fuisse ab imperatore conquerebatur, quare torvis oculis Romualdum jus suum invadentem aspiciebat; Romualdus e contra, cui nota erat voluntas imperatoris, ut monasterium reformaretur, & aliunde ignorabat Guinizonis innocentiam, eum sibi adversantem existimabat.

ANN. CHR. 1014. ROMUALDI 107.

a T. III. col. 624.

b Antiq. medii ævi T. V. col. 449.

NON sola Amiatini cœnobii donatione, sed etiam confirmatione abbatiæ Adalbertinæ prope Ravennam liberalem se ostendit erga sanctum virum Romualdum Henricus rex. Rubeus [c] cum anno præcedenti adventum Henrici Ravennam conjungit, verisimilius tamen est illuc advenisse initio præsentis post nativitatem Domini, quam Papiæ, ut vidimus, celebravit, & *media hyeme* Ravennæ constitisse testimonio annalistæ Saxonis apud Muratorium. Tunc ergo Henricus, ut idem Rubeus narrat: „ *Tres excusatos in Ferrariensi dono dedit cœnobio sancti Adalberti ad Padum*, „ *exemptionibus, immunitatibus, prærogativisque multis additis*, eidem ab„ batem iterato statuit Romualdum; quod tabulæ augustales, subdit, in „ tabulario divi Vitalis adhuc servatæ testantur. " Alluvione, quam alibi diximus, fluminum periit etiam hocce diploma Henrici. Ceterum, sicut Romualdus condito ab Ottone III. cœnobio sancti Adalberti, alium pro se abbatem constituit ad regimen ejus monasterii, ut constat ex Damiano, ita hac vice vel amore suæ Sitriensis solitudinis, vel perrecturus ad reformationem monasterii Amiatini, licet ab Henrico confirmatus, alium loco sui subrogavit abbatem, & forte Vitalem, qui anno 1016. ut videbimus, abbas cum esset sancti Adalberti, litem habuit coram Arnaldo archiepiscopo Ravennate cum Guidone abbate Pomposiano. Immo cum adnotaverimus ad annum 1013. Vitalem vocari *abbatem electum* sancti Severi, rursusque visuri simus eodem anno 1016. Letum abbatem itidem sancti Severi, verisimile erit Vitalem ex monasterio sancti Severi transiisse, Romualdi imperio, ad regendum alterum Adalbertinum, ut anno 1009. conspeximus Guidonem ex eadem sancti Severi abbatia translatum ad regendam illam Pomposiæ. Hæc profecto si certius constarent, jam intelligeretur intercedens mutua societas inter monasteria sancti Severi, sancti Adalberti & sanctæ Mariæ Pomposiæ, dic etiam sancti Apollinaris in Classe, & sanctæ Mariæ de Palatiolo, quæ societas confirmaret nostram hypothesim, ipsa nimirum cœnobia ad hæc tempora suscepisse reforma-

XXVI. Adalbertini cœnobii regimen confirmatur Romualdo.

c Lib. V. p. 274.

ANN. CHR. 1014. ROMUALDI 107.

tionem & disciplinam Romualdi, & ad invicem fuisse earumdem legum & consuetudinum nexibus colligata.

XXVII. Petrus Vercellensis redit ad suam ecclesiam.

AD hunc annum commode referri potest reditus Petri episcopi ad suam Vercellensem ecclesiam, qui ita potuit contingere. Redeunte Henrico imperatore in Germaniam hoc anno circa festum Pentecostes, quod Bambergæ celebravit, Arduinus Vercellensem invasit civitatem, *Leone ejusdem urbis episcopo vix effugiente* ait Ditmarus in chronico [a]; Arduinum ergo probabile est data tunc occasione revocasse ad ecclesiam suam recipiendam Petrum, qui, ut vidimus ad annum 1011. captivus erat apud Constantinopolim. *Dum autem in carcere positus Bononius orationi insisteret*, ait Ratbertus [b], *divinæ voluntatis esse intellexit, ut præsul sibi concaptivus ad commissum sibi gregem quantocyus rediret. Interim ergo eorum causa discussa, & innocentia cognita, dimissi sunt liberi, immo & muneribus ex regio fisco donati. Petrus ergo intelligens se a caris ovibus reposci, ægre licet a Bononio spirituali patre suo tandem divisus est, & in Italiam festinans ad sancti Eusebii ecclesiam resumendam vocatus*. Et monachus Lucediensis: [c] *Cumque illius urbis Dei cultores ereptionis eorum causam eo demonstrante cognoscerent, apud imperialem potestatem operam dederunt, ut injuste capti absolverentur, & in patriam suam cœpto cursu feliciter reverterentur. Quorum precibus imperialis potestas annuit, omnes enim de carcere eductos absolvit, & ex ærario imperii ditatos, navigio, quo advenerant, cum omnibus, quibus indigebant, misericorditer restituit. Inde cum gaudio singuli ad propria sunt reversi. Petrus Vercellensis episcopus pristinæ suæ sedi jure est restitutus, & ibi præfuit multis temporibus*.

a Lib. VI.

b Cap. XVII.

c Num. 9.

XXVIII. Bononius revertitur ad montem Sinai.

BONONIUS autem, revertente ad suam ecclesiam Petro, ad montem Sinai rediit. *Abbas vero*, ait Ratbertus [d], *iterum montem Synai revisit, & quosdam inde monachos majoris solitudinis desiderio ferventes secum assumpsit, in eremis suis collocandos. Et cum omnia filiorum suorum habitacula paterne visitasset, & in Christi amore consolidasset, eosdem contra imminentia famis & belli flagella a se jam prævisa singularis patientiæ, & eximiæ caritatis clypeo munivit: nihil hæc infortunia veris Dei servis incommodi allatura asseverans, immo ad virtutum & præmiorum augmenta profutura prædicens; nam aliquos ea occasione martyrii palma feliciter coronandos prænunciavit .....* Et anonymus Lucediensis. [e] *Interim servus Dei divinæ legi se mancipaverat in montem Sinai, ubi tantarum virtutum signis claruit, quibus totam Jerosolymorum viciniam sacrosanctæ opinionis bono odore replevit*.

d Ibid. cap. XVII.

e Num. 10.

XXIX. Albertus ep. Arretinus, & plura de ipso.

ALBERTUM quemdam post Willelmum, & ante Theodaldum sedisse in cathedra Arretina certo certius novimus. Pauca admodum de eo Buralllius & Ughellius, qui ad fidem Buralli inserit catalogo episcoporum Arretinorum tantum ejus nomen. Verum præter alibi adducta nominatur Albertus in charta Immonis episcopi Arretini confecta circa annum 1045. his verbis: [f] *Plebem sancti Quirici in Osenna, quam antecessor noster domnus Albertus episcopus cum omnibus aliis bonis nobis concessit, & in suo privilegio confirmavit*. Memoratur ulterius in alia charta ad annum 1092. scripta apud Muratorium [g], & quidem ut successor Helemperti sive Helperti (intellige mediante Willelmo) his pariter verbis: *Ex eo tempore quo Belasius presul, qui oratorium sancti Donati parvum edificavit, sic autem permansit per plurimum tempus usque ad Albertum hujus ecclesie episcopum. Denique ipse secutus antecessorem suum Helpertum, qui ecclesiam sancte Marie a fundamentis renovaverat, sic & iste a fundamentis ecclesiam construxit sancti Donati, eamque ad medietatem deduxit, sed preventus*

f Murat. T. VI. Antiq. col. 426.

g T. V. col. 221.

tus morte successor quidam Theodaldus perfecit. De Belasio episcopo Arretino altum quoque silentium in Ughellio, ejusque emendatoribus. De Alberto vide, quæ diximus ad annum 1012. quem eumdem fuisse innuimus & declaravimus, qui antea illegitime Ravennates infulas obtinuerat, & hoc anno 1014. Henrici imperatoris opera a sede Ravennate deturbatus, Arretinæ præfectus fuit ecclesiæ. Hæc addidimus ad illustrandam seriem episcoporum Arretinorum per hæc tempora nonnihil turbatam.

ANN. CHR. 1014. ROMUALDI 107.

XXX. Refutatio facta monasterio S. Gregorii de Urbe.

GERARDUS & Sergius nobiles fratres Johanni abbati sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe fundum *Cesamora* cum suis adjacentiis positis foris portam sancti Pancratii via Aurelia restituunt, quem iniquus Silvester abbas ejusdem monasterii ipsis concesserat *diabolica fraude post renuntiatam abbatiam, quasi dum esset abbas*. Hanc autem refutationem faciunt *coram presentia domni presulis, & subscriptorum judicis & testium*. Subscribunt autem † *Thfpfhlbtx:c: ego Benedictus sancte catholice & apostolice Romane ecclesie presul subscripsi*. † *Benedictus sacellano sancte apostolice sedis*. † *Petrus Dei nutu judex*. † *Leo Frajapanis* &c. De characteribus illis præpositis nomini Benedicti VIII. summi pontificis agemus etiam ad annum 1033. Interea notamus literas illas significare nomen, quod gerebat Benedictus VIII. ante pontificatum, nempe *Theophylactus*. Idem nomen legitur in duabus chartis annorum 1014. & 1015. ad designandum eumdem Benedictum VIII. apud [a] Muratorium in chronico Farfensi, & apud [b] Mabillonium in annalibus; & in altera etiam anni 1013. [c] in antiquitatibus medii ævi. Notæ chronicæ chartæ Gregorianæ sunt: *Anno* &c. *pontificatus domni Benedicti* &c. *octavi pape* &c. *secundo, imperante domino piissimo perpetuo augusto Henrico a Deo coronato magno & pacifico imperatore anno primo indictione duodecima mensis martii die quinta*, scilicet Henricus coronatus fuerat antecedente mense in imperatorem. Colligitur ex his refutationis tabulis Silvestrum quemdam vel invasisse Gregorianum monasterium, vel coadjutorem electum fuisse a Johanne, sed malo suo regimine abbatia privatum fuisse, post quam tamen privationem adhuc auctoritatis signa præstare voluerit. Ipsam chartam edidit Muratorius [d], sed nos iterum recudimus in Appendice ex Gregoriano codice ad illustrationem historiæ ejusdem monasterii. Præterea *Johannes abbas monasterii sancti Gregorii, quod vocatur clivus Scauri*, subscriptus legitur hoc eodem anno secunda die augusti alteri placito, quo Hugo Farfensis abbas evicit castellum Buccinianum contra Crescentium filium Benedicti comitis apud eumdem [e] Muratorium.

a *Script. rer. Ital.* T. II. P. II. *col.* 521.
b T. IV. p. 705.
c T. IV. *col.* 800.
d *Ibid. col.* 795.
e *Script. rer. Ital.* T. II. P. II. *col.* 521.

ANN. CHR. 1015. ROMUALDI 108.

XXXI. Persecutiones patitur Romualdus in monasterio Amiatino.

PERSECUTIONES, quas passus fuit Romualdus in Amiatino monasterio, & Dei protectionem, qua semper fuit servatus, unico exemplo declarat Damianus dicens [f]. *Ubi*, in eo scilicet monasterio, *vir sanctus quanta adversa perpessus sit, non solum ab eo, qui ejectus fuerat, sed etiam ab illo, quem ipse ex suis discipulis abbatem constituerat, ille quidem perferre patientissime potuit, nos referre, etiamsi adesset facundia, non valemus. Sed qualiter illum Deus in cunctis adjuverit, uno exemplo monstrare sufficiat, ut prudenti quilibet, quid etiam in reliquis evenerit, innotescat*. [g] *Monachus quidam vesano adversus eum furore succensus, pilum latenter exacuit, & eum reponens, ut beatum virum interficeret, expectare congrui occasionem temporis cœpit. Nocte vero dum depressus sopore quiesceret, ecce videt malignum spiritum in se immaniter irruentem, qui retortam in collum ejus mittens, tanta ferocitate conabatur guttur ejus astringere, ut jam*

f *Vit. S. Rom. cap.* lxv.
g *Ibid. cap.* lxvi.

Ann. Chr. 1015. Romualdi 108.

ille cogeretur funditus expirare. Tunc monachus in extremo jam ſpiritu poſitus, Romualdum, ut ſibi ſuccurreret, obſecravit. Qui, ut monacho videbatur, protinus advolans, de manibus eum iniqui hoſtis eripuit. Hic igitur mox experrectus, ad pedes venerabilis viri proſtratus advolvitur, ut alliſionem cervicis aſpiciat, deprecatur; confiteri etiam crimen ſuæ malitiæ non veretur. Poſtremo conſervatæ vitæ ſibi gratias retulit, & pœnitentiam tanti reatus accepit. Et ita, qui Romualdo vitam inſidiatur eripere, jam per eumdem ſanctiſſimum virum & ſuam meruit conſervare, cui inferre mortem ſtuduit, per eum ſuæ periculum mortis evaſit. Pilum, de quo ſupra, eſt armorum genus haſtile cum ferro, trigonalem figuram acuminatam extollente, juxta Vegetium. In Gloſſario Cangii habetur exemplum pro lanceolæ cujuſdam ſignificatione, qua facilius latenter uti poteſt. *Retorta* vero eſt funis ita appellata ex filis & funiculis ſimul tortis.

XXXII. Ædificat eremum de Vivo.

Nunc vero ſuperveniente quadrageſimali jejunio hujus probabiliter anni, Romualdus, qui eo ſacro tempore inſtantius jejunio & ſolitudini indulgebat, locum a ceterorum habitatione ſejunctum per Senenſes montes & cavernas quærebat, ut inibi eremum conſtitueret, ubi ſe & diſcipulos, qui ſolitudinis amore tenerentur, reciperet. Narraturus idem ſanctus ſcriptor, quid Romualdo contigerit in ea perquiſitione, præmittit uſum inveteratum venerabilis viri permanendi in cella propria temporibus jejunio ſacris. [a] *Habebat autem*, inquit, *Sanctus conſuetudinem, cum monaſterium teneret, ut niſi cum jejunaret, ad communem menſam cum fratribus quotidie veniens unum quidem pulmentum comederet, poſtmodum vero lectioni, vel quid etiam apud unumquemque ageretur intentus, de reliquis non guſtaret. Quadrageſimali vero tempore, niſi neceſſitate inevitabili cogeretur, in cellula jugiter morabatur*. Hunc ergo morem, quem in ceteris, quæ regenda ſuſceperat, monaſteriis tenebat, etiam in Amiatino ſervare volens, remotum pro quadrageſimali tempore locum inquirebat. *Dum igitur*, [b] proſequitur Damianus, *prædictum cœnobium vir beatiſſimus regeret, quadrageſimali jam propinquante jejunio, quærebat cum diſcipulis per vicina montium loca, ubi eremum facere potuiſſet. Dumque longas in quærendo moras protraherent, repente aquis undique circumfluentibus ita concluſi ſunt, ut nec ipſi jam redire, nec de monaſterio quiſquam ad eos poſſet aliquatenus tranſvadare. Vivebant autem ex aliquantis caſtaneis, quas ſecum detulerant. Cumque dies Dominicus adveniſſet, & alia cibi ſpes nulla jam ſupereſſet, cœperunt fratres pauculas, quæ remanſerant, caſtaneas deglubere, & jam quodammodo dubitantes ultimum ex eis convivium præparare. Romualdus autem, ut erat ſemper alacri vultu, fidenter ait, quia niſi Deus ſibi panem per aliquem mitteret, ipſo die nullatenus manducaret. Diſcipuli vero mirantes inter ſe, in qua ſpe hoc ille præſumeret, certi tamen quia magiſter incaute aliquid vovere non poſſet, cibum jam tantæ ſollemnitati congruum cœperunt fiducialiter expectare. Sexta igitur diei hora jam propinquante, ecce tres viri onuſti pane & vino, & aliis cibis adveniunt, qui ſe de longinquis partibus cum multo labore perveniſſe dicunt. Tunc itaque ſpiritali omnes repleti gaudio, benedicentes Deum, pariter cibum ſumunt, & beatum virum per revelationem hoc cœlitus agnoviſſe, indubitanter agnoſcunt*.

Prodigio igitur iſto nobilitata fuere primordia eremi de Vivo, ſic dictæ a fluvio, qui ad Vivum appellabatur, juxta cujus fontes excitata, vel ſaltem deſignata fuit eremus a ſancto patre Romualdo, ut ejus erectionis traditio vigebat jam ab ipſo anno 1143. ſub Cœleſtino papa ſecundo. De hac eremo ſequentia habet Fortunius. [c] „ Comperto deinceps idoneo „ receſſu ad eremiticam vitam agendam, ad fontes fluvii, qui ad Vi- „ vum

a Ibid. cap. LXVIII.

b Ibidem.

c Par. II. lib. I. cap. XX.

„ vum nuncupatur, excitavit ibi parvum templum cum eremitico con- „ tubernio, cellis angustissimis, sicut adhuc videre est, distincto, quod „ ab ipsis aquis semper scaturientibus nomen eremi ad Vivum accepit. „ Ibi autem discipulis locatis, qui magis eremiticæ vitæ dediti essent, „ descendit paullo post in inferiorem partem, ibique ad similitudinem „ Camalduli Fontis-boni cœnobium cum templo construxit, quod beati „ Petri apostoli & sancti Benedicti patris monachorum titulo insignivit, „ ubi pariter discipulorum congregatione instituta, occasionem finitimis „ oppidorum populis locum augendi & illustrandi occasionem reliquit. „ Memoratu dignum est, qualiter nullus major parallelus ex omnibus „ locis a sancto Romualdo erectis ullibi fieri potest, quam inter hanc „ ad Vivum, & sacram Camaldulensem eremum. Siquidem utraque non „ solum in arduo asperrimoque monte acclivi atque nemoroso sita est, „ necnon inter fontium aquarum abundantiam mirabilem, sed quia utri- „ que in adjacenti inferiori valle cœnobium maxime simile esset secus „ flumen, in quem fontium ipsorum aquæ rediguntur, molendina atque „ folles facientes, tanta loci atque situs similitudine, ut nihil magis „ simile alibi viderimus. “ Hæc Fortunius de eremo ad Vivum. Henrici imperatoris diploma anni 1024. olim extitisse dicitur, qui vel constructionem eremi aut monasterii præceperit, vel sub sua protectione eremitas aut monachos admiserit, vel eidem loco donationis chartam exscripserit; aliud pariter Friderici imperatoris anni 1166. privilegia anteriora confirmantis, & eremum ac monasterium de Vivo cum omnibus suis ecclesiis & castris immunia a quocumque comitatu, urbe & potestate declarantis, quæ nos incassum in tabulariis Senensibus quæsivimus. Laudantur tamen ea diplomata in quibusdam autographis scripturis & sententiis superiorum seculorum. Præter cetera monumenta legimus apud nobiles patricios Senenses Cervinos comites de Vivo epistolam sigillo munitam priorum Sejani, quod castrum quatuor milliaribus distat a Vivo, qua ipsi priores anno 1526. die 27. novembris Bernardinum Caroli oratorem suum mittunt ad priorem de Vivo, ut concedere dignetur hominibus Sejani authentica exemplaria donationis factæ ab Henrico imperatore totius regionis illius, quæ protenditur *a molendinis silvestribus usque ad eremum*; & alterius donationis cujusdam comitissæ cum filiis suis Rainerio & Uguccione Lamberto priori de Vivo, tertium quoque exemplar venditionis terrarum factæ Guinizoni priori, ut tutius possint statuere fines castri sui cum finibus vicinorum castrorum. Hinc etiam Hieronymus Gilius Senensis in suo Diario [a], aliique Senenses auctores suprarelata diplomata memorant.

Ann. Chr. 1015. Romualdi 108.

[a] *Pag.* 686.

Quidquid de his sit, super altitudinem montis Amiati in parva quadam planitie extabat olim eremus de Vivo, cujus modo dumtaxat superest ecclesia sancto Petro dicata. Monasterium vero sancto patri Benedicto sacrum uno milliario ab eremo erat dissitum, eo pari modo, quo distat Fontis-boni monasterium ab eremo Camaldulensi. Subinde cum eremitæ & monachi de Vivo assiduis injuriis & insidiis divexarentur ab hominibus Castellionis Vallis-urciæ, castri quinque milliaribus a Vivo, & tribus a castro sancti Quirici in Osenna distantis, occasione jurisdictionis, ut ad annum 1338. uberius dicemus, coacti fuere monachi & eremitæ locum deinceps deserere, & tutiorem habitationem sibi parare in urbe Senensi, & demum affatim alienare territorium Vivi cardinali Cervino, Marcello inde II. Romano pontifici anno 1538.

Pius II. anno 1463. moram trahens in Amiatina sancti Salvatoris abbatia

ANN. CHR. 1015. ROMUALDI 108. batia se contulit ad hanc eremum de Vivo, quam sequentibus verbis describit Johannes Gobellinus vicarius Bonnensis in commentariis ejusdem summi pontificis [a]: *Pontificem*, inquit, *julio jam prope exacto visendi fontem in eremo noti fluminis, quem Vivum appellant, cupido incessit. Quadraginta circiter stadia procul aberat in parte montis, quæ ad septentrionem vergit, ascensus inter prata & castaneas trium ferme passuum millium fuit non inclemens, descensus tertia parte minor intra quercus præceps & asper in supercilio jugi; qua prata fuerunt arbore nuda herba reperta est, quam Carolinam vocant .... Pontifex iter secutus paullo ante meridiem ad fontem pervenit, qui ex antro gelidus ac largus erumpit, juxta sacellum adhuc extat ex quadrato lapide, quamvis tectum ruinam minatur; habitacula, quæ circa fuerant, corruere; castanea simul & fagus mixtæ umbrosum nemus efficiunt. Prandium in umbra circa fontem apparavere. Cardinales accesserant & referendarii. Placuit pontifici priusquam ederet, signaturam facere: dies serena fuit, & sol prope cœli medium tenuit, nec rigorem frigoris temperaverat æstus: ad nudum solem erigere mensam & signare supplicationes oportuit, atque ita calefactum prandere pontificem, qui plus frigoris, quam optasset, invenerat. Finito prandio ad sexdecim stadia descensum est, fluvio qui ex fonte gignitur per abrupta saxa & confragosas valles magno a dextris murmure atque impetu decurrente, in valle ima planities non magna reperta est, & ager qui aliquando aratrum pertulit & pomiferas aluit arbores: nobile hic fuisse cœnobium ruinæ docent, Camaldulenses habitavere monachi, nunc bubones incolunt; fanum adhuc extat non ignobile. Fluvius juxta decurrit, quem vocant Vivam eremum, quoniam ab eremo superiori ad inferiorem decurrens lapsu perpetuo nunquam moritur, sed arentem Urciam & aliquando deficientem vivificat, & molas habet, quæ per æstatis ardores, cum ceteræ deficiunt, Pientiæ vicinisque oppidis farinam suggerunt. In inferiori monasterio abbas & conventus mansit cum monachis, quibus vita regularis communisque placuit; superiorem eremum fratres incoluere asperioris cultus, & qui solitudine & jejunio gauderent. Nunc ambo loca deserta sunt. Pontifex transmisso fluvio per altissimas silvas, in quis proceræ & instar abietum directissimæ quercus creverant, per aliud iter ad abbatiam rediit.*

a *Lib. IX.*

Sed de eremo & de cœnobio ad Vivum complura in medium proferemus sub aliis annis occasione multarum donationum, unionum quoque ecclesiarum & monasteriorum, ob quas tamquam princeps & caput evasit novæ congregationis Camaldulensis, ita sane ut jugum excutere sæpius tentaverit subjectionis Camalduli priori; de varia etiam utriusque tam eremi, quam cœnobii fortuna verba faciemus.

XXXIII. Bononius fit abbas Lucediensis.

MORTUO circa hæc tempora Lucediensi abbate, Petrus Vercellensis episcopus Bononium, cujus consortio privatum se eatenus doluerat, invitat, & abbatem Lucedio præficit: *Non multo post*, ait Lucediensis anonymus [b], *Vercellensis diœceseos Locediensis abbas obiit; post cujus obitum Petrus prænominatus pontifex, nunciis ad eum directis, eumdem ad se accersivit, & nimiis & inevitabilibus precibus eum rogavit, ut defuncto abbati succederet, & locum & omnes commissos secundum Deum regeret. Cumque circa se Dei voluntatem intelligeret, nec diutius resistere posset, invitus pater monachorum effectus, multis ibidem cœpit coruscare virtutibus.* Fusius Ratbertus: [c] *Denique cum Petrus episcopus Bononii patris sui absentia contristatus, illum ad se vocandi opportunam quæreret occasionem, contigit, ut Lucediensis hujus cœnobii abbas ad Deum migraret; itaque fratres rogavit, ut de successore eligendo non essent solliciti, nam brevi sanctum*

b *Num.* 10.

c *Cap.* XVIII.

ctum virum a se evocandum, illisque præficiendum, quo certe non meliorem sortiri possent antistitem. Mox peculiares nuncios cum literis suis ad Bononium direxit, efficaces stimulos addens, ut ad se statim properaret, minas iræ divinæ intentans, si ad opus, quod in maximam Dei gloriam cessurum erat, venire postponeret; quibus intellectis Bononius nuncios illos triduo expectare jussit, dum in tanta re deliberanda divinæ voluntatis beneplacitum exploraret, & dilectorum filiorum, quos ægre deserebat, curam alteri demandandam disponeret; quo termino elapso cum filios suos præcipuos convocasset, eosque ad religiosæ perfectionis instantiam hortatus esset, discretum virum Philippum singularibus virtutibus decoratum, & a se in omni eremiticæ disciplinæ exercitio satis instructum illis præfecit, atque ab ejus nutu illos deinceps pendere jussit. Mox omnibus valedicens, cum iisdem nunciis in Italiam rediit. Conjectura Grandii, licet subdubitanter expressa, Philippum potuisse deinceps se recipere in Hungariam, sub quo abbate postea floruerint Andreas & Benedictus eremitæ, nequit admitti, cum Philippus monasterii Zobor abbas ante annum præsentem in Hungaria viveret.

ANN. CHR. 1015. ROMUALDI 108.

Tum, quid egerit Bononius Lucediensis abbas factus, narrare pergit idem Ratbertus [a]: *Statim vero in episcopi Petri conspectum venit vir venerabilis, prædicti nostri monasterii regimen, Deo inspirante, ab illo suscepit, atque ad regularis tramitis normam, non sine multis difficultatibus, ab hoste maligno suscitatis, pio ejusdem præsulis favore opitulante, reduxit. Præcipuus ejus fervidæ voluntatis zelo obsistebat Wido præpositus olim noster, dum sedes vacaret abbatis. Sed illius ex itinere quodam reducis pedes humillime lavans venerabilis abbas, ejus mentem, tanti patris sui demissione, obstupefactam, ad suaiora consilia flexit, sibique consilians, ad sanctæ observantiæ fervorem deinceps accendit.*

a Cap. XIX.

JUXTA nostram hypothesim hoc anno contigit felix obitus Andreæ Zoerardi eremitæ. Sed præstat audire Maurum Quinquecclesiensem episcopum fide dignissimum, utpote qui a Philippo abbate, sub quo Andreas vivebat, hæc didicit: *Jam quæ sequuntur, Philippus abbas mihi abbati constituto narrare consuevit. Cum igitur tempus resolutionis sui corporis immineret, indicans eis hoc, qui aderant, ne ab ullo vestimentorum suorum exueretur operimento, præcepit, donec abbas Philippus, quem miserat accersitum, adveniret. Qui pater adveniens, ubi corpus venerabile jam mortuum jacebat lavandum, catenam æream viscera jam attingentem invenit. O mira res & inaudita! Catena carnes intus putrefaciens, cute foris est obducta. Sed nesciri hoc genus martyrii posset, nisi ad umbilicum ligati nodus appareret metalli. Soluta vero catena, dum ex corpore trahitur, sonus costarum elisarum graviter auditur. Cujus catenæ partem mediam ab eodem patre impetravi, & nunc usque custoditam, petitione ducis christianissimi Geizæ, cum desiderio mihi pro ea instanti, negare nequivi. Sepulto quoque beati viri corpore, quæ per revelationem abbatis Philippi cognovi, & cognitu digna esse videbantur, memoria notavi. Tempore quodam latrones, quorum collegia maxima ex parte solitudinem inhabitant, in silva congressi sunt, quibus confligentibus, unus ex eis multum sauciatus est. Conflictu dirempto, cum hunc socii vulneratum nequaquam in silva dimittere vellent, consilio inito, ad cellam superius dicti viri Andreæ, cujus fama jam ad omnes circumquaque diffundebatur, eum deferre statuerunt. Sed cum adhuc locus longe abesset, latro in via defunctus est. Corpore vero ejus ad cellam deportato, & in eadem posito, media jam nocte cum ossa commendare vellent humo, subito spiritu reverso mortuus resurgere cœpit. Illis autem, qui*

XXXIV. Andreas Zoerardus obit.

b Act. SS. Ord. S. Bened. Secul. VI. p. 70. n. 4.

ade-

Ann. Chr. 1015. Romualdi 108.

aderant, valde perterritis, & prae pavore fugientibus, resuscitatus ille revocabat eos dicens: Nolite, fratres formidare, neque fugere; sanctus enim Zoerardus me a morte suscitavit ad vitam. Illis autem præ gaudio plorantibus, & ut discederet cum eis, rogantibus dixit, se numquam ab ea cella discessurum; sed ibi in perpetuum Deo & sancto Zoerardo serviturum. Fecit itaque, quod promisit, & usque ad obitum suum ibi permansit. [a] *Aliud quoque ejus miraculum nequaquam reticere volui, quod, eodem Philippo abbate narrante, cognovi. In civitate Nitria quidam reus damnatus suspensus est. Qui post solutus Dei misericordia, ad abbatem venit Philippum, & qualiter per merita beati viri Andreæ liberatus esset, indicavit. Dixit enim, quod cum damnatus esset, semper nomen ipsius implorasset; & cum sublevaretur in patibulum, statim manibus suis beatus vir Andreas eum sustentaverit. At illi, cum eum omnes mortuum putantes, domum reverterentur, ipse eum manu sua solutum abire permisit. O quanti meriti vir ante Deum, qui visibilis apparens, homines solvit, cum invisibilis inter angelorum choros locum possideat.* De Andrea, ejusque sepulcro redibit sermo ad annum 1018. emortualem Benedicti ipsius discipuli.

a Ibid. n. 5.

Ann. Chr. 1016. Romualdi 109.

XXXV. Romualdus redit ad suam solitudinem Sitriensem.

Dilectae Rachelis sinu avulsus Romualdus, hoc est a sua solitudine Sitriensi, quam ad tempus relinquere coactus fuerat cum ad preces Henrici imperatoris, tum pro ordinatione monasterii Montis-amiati, post biennium ad eam regreditur. In hac reversione forte contigit, quod narrat Damianus [b] sequentibus verbis: *Quodam tempore venit vir venerabilis Sitriam. Qui cum adhuc jejunus esset, & fratres utpote in arduis montibus, piscem, quem ei ad comedendum apponerent, non haberent, cœperunt inter se quodammodo confusi erubescere, & quid pro tam venerabili hospite acquirere potuissent, anxie cogitare. Tunc frater quidam, puto divinitus inspiratus, ad siccum pene rivum, qui juxta præterfluebat, cum festinatione cucurrit, ubi nimirum & aquæ exiguum erat, piscis vero illic visus numquam penitus fuerat. Cœpit itaque frater Deum devote deposcere, ut qui Israelitico populo aquam potuit ex arida petra producere, ipse sibi dignaretur piscem in arenti rivulo demonstrare. Confestim igitur missa manu in exigua aqua piscem reperit, qui beato viro ad refectionem abundanter sufficere potuit; Deo scilicet servo suo providente, convivium inventum est in saxoso & arido monte velut in piscosa valle vivarium.*

b Vit. S. Rom. cap. lxviii.

Per septem fere annos inclusus mansit in Sitriensi solitudine Romualdus; quod tamen reclusionis septennium non a præsenti anno auspicandum est, sed explicationem aliquam exigere videtur. Ex Apenninis montibus descendens ascenderat alterum Sitriæ montem anno 1013. Eo anno, licet discipulis congregandis, & novi loci constructioni intentus Romualdus, inclusionem voluntariam servare incœpit; anno 1014. ipsam forsan aliquot diebus, vel mensibus fuit persecutus, sed legatione Henrici, & monasterii Montis-amiati regimine distractus, eam interruperat; redux propterea vel sub finem anni præcedentis, vel initio præsentis eamdem resumpsit; ideoque Damianus non integros septem annos in ea Romualdum mansisse, sed fere septennium scribit; sub finem enim anni 1021. relicta Sitria Bifurcum se recepit; quare si aliquod reclusionis tempus ante susceptum regimen Montis-amiati, & sex annos post suum regressum in Sitriam simul computemus, septennium fere exurgit ipsius reclusionis. De ea hæc Damianus. [c] *In Sitria denique vir venerabilis per septem fere annos inclusus mansit, & silentium continuum inviolabiliter tenuit. Verumtamen tacente lingua & prædicante vita, vix usquam tantum laborare aliquan-*

c Vit. S. Rom. cap. lii.

quando potuit, vel in convertendis hominibus, sive ad pœnitentiam concurrentibus.

Ann. Chr. 1016. Romualdi 109.

XXXVI. Primæ Petri Damiani adolescentis actiones.

Ad hæc usque tempora ipse Petrus Damianus, parentibus defunctis, pueriles annos in extrema egestate transegerat, & tamquam vile mancipium ab ipsa tenera ætate a fratribus exceptus, duram & abjectam vivere coactus fuerat vitam, ut sequentibus verbis fuse narrat [a] Johannes Laudensis ipsius discipulus. *Puer autem hac diligentia, donec ablactatur, perfruitur; qua sane post modicum utroque orbatus parente, infra pueriles adhuc annos immature privatur. Eo igitur fraternæ curæ relicto; oh incomprehensibile divinæ dispensationis arcanum! unus ipsorum, qui atrox inter ceteros honestis moribus præditos sub ovina pelle latebat, fraudulenta nunc pietate pro paterna vice educandum suscepit, atque dum sibi cohæredem adoptare se fingit, diræ velut emptitium servituti adjicit. Cui socia conjux hærebat, quæ nullis pietatis visceribus ab illius sævitia differebat. Uterque igitur super innocentem puerum unanimi feritate grassantes, torvo ac novercali eum aspectu tractantes, duris afflictionibus pendulis illius viribus officiebant, servorum nempe cibariis, & quæ magis congruerent porcis, malignaque vappa, usu sustentabant assiduo, pedibus nudis, vestibus ibat incultus, verberibus vapulabat, pugnorum ac calcium crebris ictibus subjacebat. Porro cum jam grandiusculus sub tam iniquis licet oneribus fuisset affectus, ad porcos pascendos ejicitur, ceterisque mancipiorum conditionibus indifferenter subjicitur. Quid in his vero considerandum, nisi quod iccirco hunc suum Dominus militem permittebat acriter affici, quoad spiritualis procinctum militiæ disceret arctius informari, quatenus ejus virtus eo robustius ardua postmodum quæque perferret, quo ipse a puero expertus hujusmodi jam fuisset.* In tantis tamen rerum angustiis, insigne ab ipso præstitum erga defunctum patrem pietatis officium enarrare pergit idem Laudensis dicens: [b] *Quadam die, dum idem præfata adhuc laboraret inedia, casu nummum reperit; & tamquam subito dives effectus, gratulabundus, quid eo mercari aptius posset, diu mente revolvere cœpit, nimirum dum suavibus cunctis egeret dulcis appetitus, per mollia quæque puerilem mentem trahebat; quod dum prolixius fieret, ancepsque, quod esset eligendum, ambigeret, divinitus tandem inspiratus ait: Quid est quod revolvo? quidquid horum certe assumam, non erit ejus diuturna voluptas; melius ergo est, ut tradam presbytero, qui Deo sacrificium offerat pro patre meo. Quid hujus pueri simplicitate prudentius? quid hoc agente pupillo frugalius? & spretis cunctis, quæ peritura cognovit, illud solum elegit, quod mansurum in æternum speravit. Porro quid hoc fuisse putemus, nisi quoddam futurorum præsagium, quod appetitu videlicet æternorum, contemneret temporaliter blandientia?*

Verum Deus, qui Petrum ad utilia ecclesiæ præstanda beneficia destinaverat, animum majoris ejus fratris, Damiani appellati, accendit, ut Petri præterpropter decennis pueritiam inertem & otiosam non pateretur, & benignitate foveret, quem ceteri fratres ut servum despiciebant. [c] *Postquam Domino, qui suorum curam non deserit, ex præfatis etiam calamitatibus eruere placuit ipsum pene consumptum, ex impiorum laniatibus misericorditer abstraxit, & in germani alterius sinu, Damiani nomine, jam mulcendum tandem, fovendumque locavit. Hic eum itaque cara satis dilectione complectens, tantam ipsius curæ diligentiam impendebat, ut paternum excedere videretur affectum. Quem porro licet grandiusculum, literarum apicibus tradidit imbuendum, necnon & studiis subinde liberalibus, in quibus scilicet tam docilis, tamque industrius est agnitus, ut ipsis suis doctoribus mirabilis haberetur.* Ex hoc tempore Petrus suo alterum adjunxit

a *Vit. S. Petri Dam. cap.* I.

b *Ibid. cap.* II.

c *Ibidem.*

Ann. Chr. 1016. Romualdi 109.

Damiani nomen, grati in fratrem animi ergo. Studia sua in urbe Parmensi commemorat sanctus doctor opusc. XLII. *de fide Deo obstricta non fallenda* [a], ubi etiam addit, quod dum liberalium artium studiis ibidem docendus insisteret, & dum in ipso esset adolescentiæ flore, & nova pubertas indueret faciem, hoc est circa annum 1022. cœpit tentationibus carnis esse obnoxius, & æstibus libidinis inflammari. In opusculo *de sancta simplicitate* [b] meminit Ivonis magistri sui, socii Gualterii, cujus sapientiam eo capite prædicat; in alio de *divina Omnipotentia* indicat [c] se liberalium artium studiis insudasse apud Parmense oppidum. Fortunius existimat Petrum partim Faventiæ, partim Parmæ adolescentiam suam in addiscendo transegisse. Certe in epistola [d] ad Theuzonem aliquid enarrat Damianus, quod contigit audire, *adolescentem se in Faventina urbe propter literarum studia constitutum*.

a *Cap.* VII.
b XLV, *cap.* VI.
c *Opusc.* XXXVI *cap.* XVI.
d *Opusc.* LI. *cap.* XIII.

XXXVII. Concilium Ravennatense.

Celebris hoc anno episcoporum & abbatum conventus habitus fuit Ravennæ, in quo agitata fuit lis, quæ vertebat inter Guidonem abbatem Pomposianum, & inter Vitalem abbatem sancti Adalberti in Pereo. Id eruimus ex charta autographa quidem, sed semilacera, & quam ob characteres pene evanescentes summo labore transcripsimus ex tabulario archiepiscopali Ravennæ, rejecimusque in Appendicem. Celebratum fuit concilium hocce *anno Deo propitio pontificatus domni Benedicti summi pontificis, & universalis pape in sacratissima beati Petri apostoli sede quinto ...... a Deo coronato pacifico magno imperatore, in Italia vero anno tertio die trigesima mensis aprilis indictione quartadecima. Ravenne.* Obiter observamus ex his numeralibus notis colligi ante trigesimam diem mensis aprilis anni 1012. ordinatum fuisse in Romanum pontificem Benedictum VIII. & consequenter nutare acta, quæ ad diem XVI. junii ejusdem anni de Sergio IV. Benedicti prædecessore affert Baronius; multoque ante mensem augustum, & plus, quam putet Pagius, obiisse Sergium. In hoc Ravennate conventu, præter Arnaldum ipsius urbis archiepiscopum, interfuerunt episcopus Placentinus, cujus tamen nomen discissum non amplius apparet in charta, sed is erat Sigifredus, qui alteri concilio Ravennati anni 1014. assederat, Ildebrandus episcopus Faventinus, Leo episcopus Ficoclensis, Teopertus Popiliensis, Marnacius Cæsenas, Petrus Adriensis, Johannes Comaclensis, Rodulfus Liviensis & Paullus Foro-corneliensis episcopi. Ex abbatibus vero Deotmarus abbas sancti Apollinaris in Classe, Leto abbas sancti Severi in Classe, Petrus abbas sanctæ Mariæ in Urano, Andreas sancti Vitalis Ravennæ, Wido Pomposianus, Andreas abbas sancti Laurentii in Cæsarea & Vitalis sancti Adalberti abbas, præter plures alios presbyteros cardinales & diaconos sanctæ ecclesiæ Ravennatis. Supplendi & corrigendi ex supradictorum episcoporum recensione Ughellius, ejusque continuatores & emendatores, qui Mannacium, sive Marnacium, ut habetur in charta nostra, vel Marinacium ut ex alia, quam ad annum 1042. referemus, ad annum tantum [e] 1026. agnovere; qui Johannem Comaclensem ad annum circiter 1050. [f] referunt; qui Rodulfum Liviensem [g] omittunt; qui Teoperti Popiliensis monumenta ultra annum 997. [h] non adducunt; qui Paullum Corneliensem eamdem sedem obtinuisse [i] dicunt anno 1027; qui demum Leonis Ficoclensis notitiam [k] non habent, nisi ex Rubeo ad annos 997., & 1017. & ad 1029. ex synodo Romana [l]; cujus etiam Leonis chartam ineditam referimus in Appendice ad annum 1035. spectantem. Petri Adriensis episcopi, quem non recenset Ughellius, [m] meminere Silvestrius [n], & Coletus [o]. Intelligimus etiam, loco Veneti simoniaci abbatis a Romualdo deturbati, ordinatum fuisse in cœno-

e *Ital. sacr.* T. II. *col.* 447.
f *Ibid. col.* 483.
g *Ibid. col.* 576.
h *Ibid. col.* 600.
i *Ibid. col.* 624.
k *T.* II. *col.* 468.
l *T.* X. *col.* 261.
m *T.* II. *col.* 401.
n *Paludi Adriane pag.* 156.
o *T.* X. *col.* 197.

bio Classensi sancti Apollinaris Deotmarum; Letum vero in monasterio sancti Severi Classis successorem datum fuisse Vitali, eidem forte, qui translatus fuit ad regendum Adalbertinum monasterium. Petrum Uranensem abbatem memoravimus ad annum 1003. memorabimus etiam ad annum 1018. Ceterum controversabantur inter se Vitalis abbas sancti Adalberti, & Guido abbas Pomposianus circa piscationes in portu Volano & in ceteris adjacentibus litoribus; afferebat ille Ottonis III. privilegium suo monasterio anno 1001. concessum; iste vero diploma Henrici regis, & bullam Benedicti VIII. sibi datam anno 1013. in medium adducebat. Edita fuit bulla Benedicti a Fontaninio [a], & nos ipsum autographum vidimus in tabulario sancti Benedicti Ferrariæ, in quo legitur præter cetera: *Insuper concedimus vobis piscariam integram, que vocatur Volanum cum rivo Baderino & Gavalina majore ad ipsam piscariam pertinente cum porticellis ex utrisque partibus, sicut olim intraverunt in mare eidem similiter pertinentibus*. Verum lectis per Honestum diaconum Ravennatis ecclesiæ, & per Henricum capellanum domni Arnaldi archiepiscopi, ac per Lazarum consulem hujuscemodi privilegiis, cum ea viderentur in damnum sanctæ Ravennatis ecclesiæ emanata, & derogare anteriori privilegio, quod Johannes olim archiepiscopus Ravennas obtinuerat a Benedicto papa, (hic fuit vel Benedictus VII. tempore Johannis Vincentii archiepiscopi Ravennatis, aut Benedictus IV. tempore Johannis IX. aut Benedictus III. tempore Johannis VIII. vel demum Benedictus I. Johannis III. tempore; sub his enim Benedictis Romanis pontificibus vixerunt hi Johannes Ravennates archiepiscopi) præceptum fuit ab Arnaldo & a toto concilio utrique abbati, ne jus ullum prætenderent deinceps in supradictas piscationes; eorumque privilegia, utpote adversantia concessioni factæ in favorem ecclesiæ Ravennatis, essent nulla & inania. Animadvertere placet Vitalem abbatem sancti Adalberti protulisse coram patribus diploma Ottonis III. quod confirmat ea, quæ diximus ad annum 1001. extitisse laudatum Ottonis privilegium, sicut etiam extabat tempore Rubei, quod tamen fluminum irruptione irreparabiliter fuit amissum, ut indicavimus.

ANN. CHR. 1016. ROMUALDI 109.

a Dominio tempor. di Comacchio pag. 395.

XXXVIII. Donationes Prataliensi monasterio factæ.

HOC anno mense majo indictione XIV. qui secundus appellatur, sed melius tertius imperatoris Henrici annus, [b] Gottifridus filius Gottifridi nomine judicii donavit Sigifrido abbati Pratalienſi domum & terram in casali *Piscaja* perticarum XL. *juxta mensuram perticarum ex* XII. *pedibus Luitprandi* constitutam, *pro qua judicatione meritum recepit* a prædicto abbate *nusce unius auri pro solidis* XXX. *manu Azonis notarii*. Nusca, ut in locatione anni 1082. [c] erat fibula; legitur enim in ea *pretio nusce auree seu fibule*. Alter [d] Gottifridus quondam Gottizi pro redemptione animæ suæ atque parentum suorum, & *barbani* sui seu patrui eidem monasterio servum Rainerium cum filiis donat, & quidquid ad illum *lebesum* pertinet. Vox nusca in Glossario Cangii habetur, non autem lebesus.

b Arch. Cam. §. Donatio A. 1. 21.

c Ibid. §. Locatio A. 15.

d Ibid. §. Donatio. num. 11. A. 1. 22.

ANN. CHR. 1017. ROMUALDI 110.

XXXIX. Abstinentia Romualdi in Sitria.

DESCRIBIT Damianus rationem vitæ Romualdi in solitudine Sitriensi in hunc modum: [e] *Vivebat autem, vergente jam senectute, nimis districte, videlicet cum jam & ipsi perfecti viri solent remissius vivere, & aliquid sibi de sui propositi rigore laxare. Nam per unius quadragesimæ spatium nihil aliud neque in cibo, neque in potu penitus habuit, nisi de modica farina, & paucis herbis sorbitiunculam faciens, ex ea ad imitationem Hilarionis vixit*. Cum peculiaria de Romualdi abstinentia aliis capitibus enuntiaverit Damianus, rem admiratione profecto dignam non narraret hic loci, si quotidie per quadragesimæ spatium Romualdus in

e Vit. S. Rom. cap. 111.

Ann. Chr. 1017. Romualdi 110.

cibum adhibuisset condimentum herbarum & farinæ; quare videtur Damianus intelligendus heic esse de unica sorbitiuncula, qua contentus vixerit per quadraginta dies sanctus senex, ut de Paullo abbate dixit Rufinus [a]: *In una quadragesima ad sextarium lenticulæ, & parvo aquæ vasculo perduravit*; ita ut respondeant ea verba Damiani iis, quæ sequuntur, *se exercendo tentabat, quid sua virtus posset*. Simili modo explicari debent illa, quæ idem subdit [b]. *Quinque vero hebdomadibus nihil aliud comedens, ad modicum se infusi ciceris adstrinxit. Et ita Romualdus per multa alia vivendi genera, quid sua virtus posset, per hæc & illa se jugiter exercendo, tentabat. Studebat quippe discretus Christi miles ad novum se certamen semper accingere, & cum jamjam cadere videretur, adhibita mox misericordia, vacillans corpusculum relevare.*

a Vit. Patrum lib. III. n. 72.

b Ibid. ut supra.

XL. Ejusdem vestium asperitas, suique neglectus.

Abstinentiam Romualdi comitabatur vestium asperitas. *Duo*, inquit Damianus [c], *vel etiam tria quandoque habebat cilicia, propter nascentum* (*nascentem* habent Bollandus & Mabillonius; utraque tamen lectio potest sustineri, *nascentum* scilicet animalculorum, & *nascentem*, hoc est exorientem) *corporis importunitatem, quæ lavari nullatenus permittebat, sed ea potius ad imbrem projiciens post triginta dies mutare consueverat*. Cultior Romualdus, utpote inhabitans cum pluribus fratribus, aqua pluvia purgabat cilicia, quæ nunquam lavit, neque mutavit Hilarion omnino solitarius, qui supervacaneum esse dicebat munditiam in cilicio quærere. Illud præterea adnotat Damianus [d], quod *novaculam nunquam in suum caput patiebatur ascendere, sed ipse sibi perraro solebat excrementa capillorum & barbæ forcipibus attondere*. Ex hoc textu colligitur sanctum Romualdum facile barbam promissam, ut pingitur, minime tulisse; cur enim attonderet? Mos hujus seculi erat, ut sacerdotes & monachi Latini, ad sacerdotum ac monachorum Græcorum & etiam Latinorum secularium discrimen, barbam sibi decurtarent; quare ait Damianus de rectoribus ecclesiarum loquens: [e] *Barbirasium eos a secularibus dividit, sed actio non discernit*; & in opusculo [f] *de sacramentis per improbos administratis* arrogantiam quorumdam monachorum Florentinorum describens, hæc inter cetera ab ipsis cum tumore sperni asserit: *Vident monachum incedentem, aspice, inquiunt, unum scapulare. Presbyterum vel episcopum abire prospiciunt, barbirasos se videre fatentur.*

c Ibidem.

d Ibidem.

e Epist. XV. lib. I.

f Opusc. XXX. cap. 3.

Vir etiam ille *terribilis & grandævus senex*, qui apparuit cuidam Romano pontifici, colaphumque ipsi impressit, eo quod alienasset quamdam apostolicæ sedis possessionem in Babylonia, describitur a Damiano, [g] quod *in ejus facie* barbirasium *videbatur*; is nimirum erat sanctus Petrus apostolorum princeps. Abbas autem Nilus rationem reddens Adalberto Pragensi episcopo, cur eum intra suum monasterium non reciperet, de hoc usu Græcorum, ad Latinorum discrimen, mentionem facit: [h] *Recepissem te*, inquit, *dulcis nate, nisi hæc susceptio mihi, meisque vocitura, tibi tamen minime esset profutura; etenim ut iste habitus & barbæ pili testantur, non indigena, sed homo Græcus sum, terra autem quantulacumque est, quam ego & mei mecum incolunt, illorum, quos tu bene fugis, propria est*, hoc est Casinatum monachorum; ex quo loco clare innotescit Græcos tantum monachos, qui cum Nilo erant, non Latinos cœnobitas & eremitas barbam gestasse. Demum habemus in vita sancti Petri Urseoli a Rivipullensi monacho conscripta, ipsum, ad insequentium se manus effugiendas, Guarino abbati consilium dedisse, ut [i] *quantocyus acciperet novaculam, & deponeret sibi barbam, sicque colobium sibi indueret monasticum*. Anonymus vero Camaldulensis scriptor vitæ ejusdem sancti ducis habet: *Signaculo crucis facto*,

g Lib. I. epist. 20.

h Secul. V. Bened. pag. 831. n. 19. primæ vitæ.

i Ibid. p. 855. num. XI.

facto, abscissaque barba, quam juxta morem patriæ tunc gerebat, suscepit habitum monachalem, & thesaurum, quod secum gerebat, abscondit. Eadem leguntur de Harduino rege Italiæ, & de Petro Barbolano Venetorum duce, qui per hæc tempora, annalista Saxone & Dandulo testibus, radentes barbam monachi facti sunt. Quare Romualdus vitabat diligentiam quidem & nimium cultum in deponenda barba, renuendo, qua ceteri utebantur, novaculam, & forcipes tantum adhibendo, non autem prælongam nimis & implexam gestabat barbam; quam tamen ab antiquissimo tempore gerunt venerabiles viri eremitæ sancti patris successores, ut ex pervetustis tabulis & imaginibus comprobatur, & quidem summa cum dignitate; quantum enim sacerdotes barba deceat, consuli potest Johannes Pierius Valerianus Bellunensis, qui de eo argumento libellum [a] confecit anno 1531. & cardinali Hippolyto de Medicis dicavit.

ANN. CHR. 1017. ROMUALDI 110.

Demum quanta industria gulæ oblectamenta devitaret Romualdus, ita describit Damianus. [b] *Si quando vero eum ex aliquo esculentiori cibo gulæ vitium titillaret, mox accurate illum præparari præcipiens, ori & naribus apponebat, & solum captans odorem dicebat: O gula, gula, quam dulcis, quam suavis modo tibi saperet iste cibus, sed væ tibi, ex eo nunquam gustabis; & sic intactum ad cellarium,* promptuarium nimirum, in quo custodiri solebant, quæ victui erant necessaria, *remittebat.* His narrationibus licet Damianus referat abstinentiam, ceterasque austeritates sancti viri hujus temporis, *vergente* scilicet *senectute*, videtur tamen data occasione simul collegisse, quæ peculiares per totum vitæ decursum fuere Romualdi in ratione abstinentiæ & pœnitentiæ consuetudines.

a *Pro Sacerdotum Barbis. Romæ in 4.*

b *Ibid. cap.* III.

XLI. Ædificatio eremi in ditione marchionis Maginfredi.

REFERRI ad hoc forte tempus potest ædificatio eremi facta, suasu Bononii Lucediensis abbatis, a marchione Odelrico Maginfredo. Quo nomine appellaretur hæc eremus, divinare nolumus. Hæc intelligimus ex Ratberto [c]: *Pristino solitudinis amore interim exardens* (Bononius) *non ignobilem eremum ab illustri marchione Maginfredo in suæ ditionis silvis ædificandam curavit, quam & eximiis Christi famulis undecumque adscitis sollicite instruxit.* Teste Petro Damiano, [d] *Maginfredus sex aut septem non minima monasteria in proprii juris possessione condidit, quæ prædiis & ornamentis munifica liberalitate ditavit.* Abbatiam Caramaniæ una cum Adalrico episcopo Astensi, & Adalberto marchione fratribus suis, & Berta comitissa conjuge anno 1028. abbatiam quoque sancti Justi Segusii anno 1029. cum eodem Adalrico, sive Alrico episcopo, & Berta supradicta construxit, quarum abbatiarum erectionis chartas Franciscus-augustinus ab Ecclesia Saluthiensis episcopus refert [e] in Historia chronologica Pedemontanæ regionis, & ab illo Ughellius. [f] Maginfredus erat Segusii marchio, & lege Salica vivebat, ideo Alricus episcopus ipsius frater ait: *Honorem sacerdotalem habeo, & legem Romanam nunc vivere videor, quamvis ex natione Salicus sum.* In eremo autem, quam condidit Maginfredus, suasu Bononii, vixit aliquanto tempore Leo, discipulus deinceps Damiani, de quo idem Damianus ait [g]: *Vir Dei dominus meus Leo venerabilis eremita, qui per continuum jam fere vicennium in cellula reclusus advivit, hoc insigne perhibuit, quia cum in præfati marchionis eremo ipse cum nonnullis fratribus habitaret, hanc sibimet legem uxor ejus* (Berta) *indixerat, ut quodcumque sibi necessarium eremitarum nuncius peteret, ipsa protinus, aucto fœnore, geminaret; videlicet, cum iste quinque fortassis exigeret solidos, illa decem traderet, cum iste decem, illa viginti continuo numeraret.*

c *Cap.* XX.

d *Opusc.* IX. *cap.* V.

e *Cap.* XX. XXII.

f *T.* IV. *col.* 1033.

g *Ibidem.*

XLII. Donatio plurium monasteriorum Ravennæ facta ab Arnaldo archiepiscopo, quæ & illustrantur.

ARNALDUS archiepiscopus Ravennas *Petro venerabili diacono sanctæ Ravennatis ecclesiæ, & uni successori* ejus *de gremio ejusdem ecclesiæ, mo-*

naste-

Ann. Chr. 1017. Romualdi 110.

nasterium, sancte Marie, quæ vocatur a Plachernas; monasterium, quod dicitur Ferrata positum foris porta sancti Laurentii; monasterium sancte Agathe majoris, quod est positum in civitate Ravenne in regione porta Ursicinis; & sancti Johannis babtiste, quod vocatur a Marmorata situm foris porta Guarcinorum; & sancti Petri apostoli, quod vocatur Offeo trofei .... positam in regione sanctorum Johannis & Pauli; & sancte Agathe, que vocatur Pittula, positam prope abdicam sancti Petri, qui vocatur majoris; & sancti Michaelis archangeli, quod est situm in superiora domus, que fuit de quondam Gregorio, qui vocabatur de Honesto Nigro; & monasterium sancti Petri, quod vocatur manu Domini, quod est fundatum in civitate Ravenne in regione, que dicitur Ferrata; hæc omnia scilicet monasteria regenda committit eidem Petro. Arnaldi pagina data est .... *quinto*, nempe quinto anno pontificatus Benedicti VIII. papæ, *sitque imperante domino domino Henrico macngno imperatore in Italia vero anno quarto, die vigesimo mensis februarii indictione quintadecima*. Quam paginam referimus in Appendice; hic autem aliqua de ea dicimus tum ad illustrationem monasteriorum, seu ecclesiarum Ravennæ, tum quia locuturis nobis ubertim de cœnobiis sanctorum Apollinaris & Severi Classis, eorum aliorumque locorum occurret non infrequens mentio, qua lucem nostra recipiant, & vicissim a nostris aliena acquirant. Monasterium itaque primum *sanctæ Mariæ ad Blachernas* celebre illud fuit, cujus abbas extitit Agnellus, qui de eo pluribus agit, & situm erat *foris portam sancti Laurentii juxta Vandalariam*, non longe ab alio monasterio *sancti Donati*, quod vocabatur in *Monterione*, ut nos docet idem [a] Agnellus. Secundum, quod dicebatur *Ferrata* positum erat extra eamdem portam; & forte illud ipsum fuit, quod Ingelrada comitissa filio suo Petro diacono donans sic nominavit: [b] *In hac civitate Ravenne, qui vocatur Ferrato, cum monasterio sancte semperque virginis Dei genitricis Marie a nobis a fundamento edificato cum omnibus possessionibus ad idem monasterium pertinentibus & turricella trans platea*. Tertium monasterium *sanctæ Agathæ majoris*, ad distinctionem minoris, de quo inferius, ædificatum fuerat [c] Exsuperantii archiepiscopi tempore a Gemello subdiacono ecclesiæ Ravennatis & Siciliæ rectore. De monasterio sanctæ Agathæ majoris monumentum occurrit in membranis archiepiscopii Ravennatis etiam ad annum 990. Quartum *sancti Johannis-baptistæ a Marmorata foris portam Guarcinorum* extructum fuit teste Rubeo, [d] " ob memoriam obtruncationis divi Johan- „ nis-baptistæ a Maximiano archiepiscopo extra urbem, " & a copia lapidum *Marmoratum*, ut ait [e] Fabrius, dictum. Porta autem Guarcinorum, quæ est eadem ac sancti Victoris, ut legitur in supralaudata Ingelradæ donatione his verbis: *Foris portam sancti Victoris, qui vocatur Guarcinorum*, Hadriana modo nuncupatur. Quintum monasterium *sancti Petri apostoli Offeo trophei* vel saltem domus, supra quam monasterium exsurrexit, conditum vel condita fuisse videtur a Malasvinta, sive Amalasventha regina Athalarici matre, de qua hæc habet Agnellus: *Ut ajunt quidam*, [f] *domus, ubi ædificatum est monasterium sancti Petri, quod vocatur Orphanum trophium, ipsa ædificari jussit proprio jure*, forte *ære*. Hanc ecclesiam eamdem putant [g] Rubeus, sed præcipue [h] Fabrius, cum ecclesia sancti Petri minoris & sancti Simonis, appellata etiam sancti Petri in burgo, & posita in suburbio portæ Ursicinæ, ab Alexandro III. memorata, quam Cruciferis divinis obsequiis colendam dedit Gerardus archiepiscopus anno 1188. Regio vero sanctorum Johannis & Paulli nomen desumebat ab eorumdem martyrum ecclesia, celebri ab ipso Venantii Fortunati tempore, diruta

a Par. II. pag. 443.
b Apud Rubeum Lib. V. p. 249.
c Id. Lib. II. p. 90. & Fabr. p. 62.
d Rub. Lib. III. p. 162.
e Pag. 203.
f Par. II. p. 67.
g Lib. V. p. 369.
h Pag. 312.

diruta anno 1115. adhuc tamen, licet minorem in formam redacta, extante. Sextum appellabatur *sanctæ Agathæ, quæ vocatur Pitula, positum prope abdicam sancti Petri, qui vocatur majoris.* Situm erat monasterium hocce prope ecclesiam sancti Petri majoris inchoatam a Petro Chrysologo, & perfectam a Neone archiepiscopis Ravennatibus, quæ modo nomen obtinet [a] sancti Francisci. Erat nimirum ecclesia sanctæ Agathæ præterpropter, ubi dicebatur *Brachium-fortis*, de quo loco hæc habet [b] Agnellus: *Cum jeritis ad regionem apostolorum non longe a macerie Ovilionis, introeuntes vos infra ardicam beati Petri, ubi imago domni nostri Jesu Christi depicta est extenso brachio* &c. Septimum erat *sancti Michaelis archangeli, quod est situm in superiora domus, quæ fuit de quondam Gregorio, qui vocabatur de Honesto nigro.* Ad annum 969. in paginis [c] ejusdem Ravennatis tabularii legitur *Johannes archidiaconus Ravennas & abbas sanctorum Archangeli & Severini ad Horologium.* Sed non putamus in Arnaldi donatione de eo loco sermonem haberi. Reperimus in aliis [d] tabulis ejusdem archivi *Petrum arcbidiaconum Ravennatem & abbatem sancti Michaelis, quod vocatur Storoco de Ravenna* ad annum 1024. Pignus daremus Petrum archidiaconum nominatum in charta anni 1024. esse nostrum Petrum, diaconum appellatum in charta hujus anni. Aliud sancti Michaelis monasterium nominat Agnellus. Maximianus archiepiscopus *consecravit,* [e] ait ipse, *ecclesiam beati archangeli Michaelis hic Ravennæ, quam Bachauda cum sanctæ recordationis memoria Juliano argentario ædificavit in regione, quæ dicitur ad Frigiselo* (Aphricisco legendum censent eruditi Ravennates) *sub die nonarum maji quater P. C. Basilii junioris V. C. indictione* VIII. (forte VIIII.) Anne ecclesia sancti Michaelis in Aphricisco eadem erat cum illa in Storoco? Postremum monasterium fuit *sancti Petri, quod vocatur Manu-domini in regione Ferrata.* De regione Ferrata superius diximus, sed de sancti Petri ecclesia frustra alibi quæreremus monumenta. Ad annum 1049. in tabulario archiepiscopali nominatur ecclesia *sancti Petri, que vocatur Scotorum*, sed hæc erat ante portas sancti Andreæ majoris; alia existebat *sancti Petri* ecclesia vocata *in Androna*; alia *sancti Petri in-vinculis* suppressa a cardinali Petro Aldobrandino, ubi modo sunt cellæ vinariæ Seminarii, ut ait [f] Fabrius. Atque hæc occasione paginæ, qua beneficum se in tot monasteriorum donatione Petro diacono ostendit Arnaldus archiepiscopus Ravennas.

ANN. CHR. 1017. ROMUALDI 110.

a *Fabr. p.* 172.
b *Par. I. p.* 241.
c *Es* 1801.
d *N.* 6613.
e *P. II. n.* 94.
f *Pag.* 312.

XLIII. De Raimaro duce & marchione Camerinense.

NOVUS in scenam prodit Camerinensis dux & marchio Raimarus ex tribus chartis tabulariorum sancti Blasii & sanctæ Catharinæ de Fabriano. In prima hæc leguntur: *In anni Domini ab incarnatione Domini nostri Jehsu cristi, quod sunt anni Domini mille .... domno Henrigo magnum imperatore providentia imperator augustus & temporibus domno* RAIMARI *dus & marchio anno ejus tertium, & die mense ...... indiccione quintadecima*, Stephanus presbyter filius quondam Guanpo, & Benedictus presbyter, & Maria per consensum Petri mundualdi sui monasterio sancti Benedicti & sanctæ Mariæ & sancti Victoris in loco Victuriano, & Gisoni abbati custodi ipsius monasterii res juris sui tradunt, positas in territorio castelli Pretosi, una cum medietate *ecclesie sancti Stephani cum muris & altariis & libris tectis & celis.* In altera charta, qua Ardo filius quondam Gunpo, & Accia conjuges vendunt Vitali presbytero proprietatem suam infra territorium castelli Pretosi in loco, qui dicitur *Larcianum*, notæ chronicæ sunt sequentes: *In anni Domini ab incarnatione Domini nostri Jesu christi, quod sunt anni Domini mille sextodecimo, & regnante domno Henrico divino ordinante providencia imperator anno ejus*

quarto

ANN. CHR. 1017. ROMUALDI 110.

quartum , *&* *temporibus domno* Raimari *dus & marchio anno ejus quarto* , *& die menſe november per indicione prima* ; videtur tamen emendandus annus ab incarnatione , & ſubſtituendus annus 1017. ut poſſit eſſe quartus imperii Henrici , atque conjungi cum indictione prima , incœpta nihilominus a menſe ſeptembri. In tertia demum: *Anni Domini mille ſexto decimo & regnante domno Henrico divino ordinante providencia imperator auguſtu anno ejus quinto & temporibus domno* Raimari *dus & marchio anno ejus quinto* , *& die menſe februariu per indictione prima* ; in qua pariter corrigendus eſt annus Domini , & reponendus annus 1018. qui erat quintus Henrici imperatoris , & concurrebat reapſe cum indictione prima.

Quis in ducatu Camerinenſi ſucceſſerit Hugoni Thuſciæ marchioni anno 1001. defuncto , defectu inſtrumentorum ignorare ſe fatetur Muratorius [a] ad annum 1028. ad quem dumtaxat aſſerit reperiri Hugonem ducem & marchionem , nominatum in [b] additamentis a ſe editis ad chronicon monaſterii Caſaurienſis. Beneficio igitur noſtrarum tabularum non ſolum alter dux & marchio Raimarus detegitur ante Hugonem & ante annum 1028. ſed inſuper ſignantur anni ducatus ipſius , qui videtur ſuſcepiſſe regimen ducatus Spoletani & marchiæ Camerinenſis eodem anno , quo Henricus in imperatorem fuit coronatus; ut inde etiam eruatur alios ante Raimarum duces & marchiones Spoleti & Camerini extitiſſe. Sic ergo ordinari poterit ex chartis præſertim noſtris ſeries Spoletanorum ducum & Camerinenſium marchionum. Poſt Tranſmundum , qui *dux & marchio* appellatur in charta emphyteutica relata in chronico Vulturnenſi ad annum 984. electus fuit dux & marchio Hugo, quem magnum dicunt ante annum 989. [c] *Anno nongenteſimo octuageſimo nono* , *& menſe junio per indictio ſecunda in Aprucio* habitum fuit placitum a Gattola [d] editum in hiſtoria monaſterii Caſinenſis , cui præſidebat *Guilielmus comes miſſum domni Ugoni dux & marchio*. Pariter in eodem chronico monaſterii Vulturni legitur aliud placitum Valvæ celebratum anno 995. cujus præſides erant [e] *Acto comes & Oderiſius comes & Helmepertus epiſcopus miſſus domni Ugonis dux & marchio*. Immo ad annum 999. reperimus Ottonem imperatorem [f] *reverentiſſimo papæ Gerberto* dediſſe in adjutorium *primores Italiæ*, & præcipue *Hugonem Tuſcum vobis per omnia fidum s.* (forte *ſcilicet*) *comitem Spoletinis & Camerinis præfectum* , *cui octo comitatus* , *qui ſub lite ſunt* , *veſtrum ob amorem contulimus* , *noſtrumque legatum eis ad præſens præfecimus* , *ut populi rectorem habeant* , *& vobis ejus opera debita ſervitia exhibeant*. Eodem tamen anno contigit , quod narrat Damianus , Hugonem nimirum , qui *obtinuit utramque monarchiam* , *& quam Tyrrhenum videlicet* , *& quam mare Adriaticum alluit* , *cum perpenderet* , *quia propter improbitatem injuſte viventium ſtrenue regere utramque non poſſet* , *ultroneæ renuntiationis arbitrio* ceſſiſſe *imperatori monarchiam Camerini cum Spoletano ducatu* , *juri vero proprio Thuſciam* reſervaſſe. Re enim vera occurrit nobis in quadam charta Camerini marchio alter anno *nonaigenteſimo nonaigeſimo nono & rennante domno Octo mannum imperatore providencia imperator auguſtu anno ejus quartu* , *& temporibus domno Ademari principe dus & marchio ano ejus primum* , *& die quartodecimo menſe december per indictione tertiadecima* (inchoata a menſe ſeptembri) *in Caſtello*], ſcilicet Pretoſo; quam chartam ex autographo archivi ſanctæ Catharinæ de Fabriano protulimus ad annum 1007. Ergo Ademarus, quem principem Capuæ alibi diximus , hoc anno Hugoni renuntianti ſucceſſor datus fuit in ducatu Spoletano , & in marchia Camerinenſi , ut proinde nullo jure carpere debeat Muratorius [g] Damianum aſſerentem Hugonem ceſſiſſe

a *Annal. d'Italia* T. *VI. p.* 89.

b *Rer. Italicar.* T. *II. Par. II. col.* 989.

c *Rer. Ital.* T. *I. P. I. p.* 485.

d *Par. I. pag.* 123.

e *Rer. Ital.* T. *I. P. I. p.* 484.

f *Du Cheſne* T. *II. rer. Francic. Gerberti epiſt.* 158.

g *Annal.* T. *V. pag.* 6.

cessisse marchiam & ducatum imperatori. Quanto tempore in regimine earum provinciarum perstiterit Ademarus, non liquet. Humbaldi II. meminit [a] Jacobillius ad annum 995. quo Romualdo nostro dicitur obtulisse Valle-castrenses terras. Romualdus tamen Vallis-castri eremum fundavit anno tantum 1005. ut vidimus. Johannem ducem atque marchionem laudatum in charta anni 1012. chronici Farfensis [b] verisimiliter putat ducem fuisse Spoletanum, & marchionem Camerinensem idem Muratorius in [c] Annalibus, & forte datum successorem Hugoni magno. Monumentis allatis Hugoni immediate successisse Johannem hunc negare cogimur; potuit tamen posterioribus annis regimen illud obtinere, præsertim si Johannes nominatus in chronico Farfensi fuerit idem cum Johanne filio Crescentii, qui a Ditmaro, & ab Annalista Saxone appellatur *apostolice sedis destructor, qui muneribus suis, & promissionibus phaleratis regem*, Henricum imperatorem, *palam honoravit, sed imperatoriæ dignitatis fastigium eum ascendere multum timuit, omnimodisque id prohibere clam tentavit*. Intelligeremus enim, cur anno 1014. anno nimirum primo sui imperii, Henricus alium suffecerit Spoleti ducem, & Camerini marchionem Raimarum, qui quartum hoc anno numerabat sui regiminis annum, quia nimirum imperator audacem & violentum Johannem loco movit, ducatu Spoletano & marchia Camerinensi ipsum expolians.

ANN. CHR. 1017. ROMUALDI 110.


a *SS. Umbr. T. II. p. 27. & III. p. 356.*

b *Rer. Italic. Script. T. II. Par. II.*

c *T. VI. pag. 40.*

Ipso anno *mille septimo decimo & die duodecimo kalende september per indicione quintadecima* Albertus filius quondam Alberici & Teuza conjuges donant res suas positas in territorio castelli Pretosi ecclesiæ sancti Laurentii & sanctæ Trinitatis. Chartam cum tribus supralaudatis, quæ hucusque lucem non viderunt, publici juris facimus in Appendice.





ANNALES CAMALDULENSES.

LIBER DECIMUS.

Ab anno CHRISTI M. XVIII. *ad annum* M. XXVI.

ANN. CHR. 1018. ROMUALDI III.

I. Sitriensium monachorum austeritatis descriptio.



NARRATA sancti Romualdi abstinentia & vitæ ratione in Sitria, ne vir in seipsum tam austerus crederetur & ab aliis similem austeritatem exigere, aliqua ad ejus hilaritatem demonstrandam congerit Damianus; deinde ex una re nullo negotio, ut ipsi est familiare, transiens ad res alias, quas nos alio loco retulimus, vel referemus, atque post varia capita ad Sitrienses denuo sermonem vertens, eorum austeram vitam sub magistro Romualdo enarrat hisce verbis: [a] *Taliter autem tunc in Sitria vivebatur, ac si in similitudine non solum nominis, sed etiam operis, altera denuo Nitria videretur. Omnes siquidem nudis pedibus incedentes, omnes inculti, pallidi, & nimia omnium rerum extremitate contenti. Nonnulli vero damnatis januis clausi, ita mortui videbantur mundo, velut in sepulcro jam positi.* Reclusionis nimirum legem, cui aliquando se subjiciebat Romualdus, imitabantur aliqui ex ejus discipulis tam in aliis eremis, ut vidimus ad annum 1011. in Ingelberto incluso, quam in hac Sitriensi. Prosequitur Damianus: *Vinum, ibi nemo noverat, nec si etiam gravissimam quisquis ægritudinem pateretur.* Eamdem quoque vini abstinentiam in usu fuisse primis Camaldulensibus eremitis beatus Rodulphus, & primis Avellanitis sanctus Petrus Damianus tradunt; sed hi quidem ipsis Damiani temporibus, ob ingruentes loco aspero, infirmisque fratribus ægritudines, eam paullatim relevare coacti sunt, dicente ipso Petro [b]: *A vino autem, ut nostis, aliquanto tempore continuimus, ita ut neque laici, neque extrinsecus venientes, vel etiam in Pascha Domini aliquid hic præter aquam biberent, neque vinum hic, nisi pro sacrificio haberetur, sed quoniam & hic manentes cœperunt ægrotantes deficere, & quidam ad eremum transire cupientes, hujus rigoris observantiam penitus abhorrere, fraternæ, sive ut verius dicam, communi imbecillitati dispensatione condescendentes indulsimus, ut vinum hic, servato sobrietatis moderamine, biberetur.* Illis vero, hoc est Camaldulensibus, beatus Rodulphus primo

a Vit. S. Rom. cap. LXIV.

b Opusc. XIV.

mo in variis sollemnitatibus vinum concessit, deinde novis sanctionibus septies in majori quadragesima, quinquies in minori indulsit; demum discretioribus statutis temporum decursu ordinatum fuit, ut Dominicis quibusvis diebus vini abstinentia laxaretur, & hoc sub Johanne priore, mox ad certas tantum dies anni aquæ potus deputatus.

ANN. CHR. 1018. ROMUALDI III.

Superiora, quæ diximus, ad Sitrienses monachos pertinent, ut ait Damianus, qui statim subdit sub magisterio Romualdi ipsos etiam famulos & servos jejunio, silentio & pœnitentiæ operam dedisse. *Sed cur ego de monachis*, inquit, *loquor*, *cum & ipsi monachorum famuli*, *ipsi quoque custodes pecorum jejunarent*, *silentium tenerent*, *disciplinas inter se invicem facerent*, *& de quibuslibet verbis pœnitentiam flagitarent?* Vaticanus codex addit *otiosis* verbis. De disciplinarum usu agemus, cum tractabimus de Dominico Loricato, & de ipso Petro Damiano, qui communiter institutores disciplinarum appellantur; ii tamen potius propagatores ejus usus sunt nuncupandi, cum ex hoc textu id actitatum etiam fuisse a Romualdo, & a discipulis ejus constet, & inter cetera exercitia, quæ suis præscribebat sanctus vir, numerari etiam debeat pœnitentiarum, metanæarum, ac disciplinarum exercitium. Demum excurrit eximius ejus vitæ scriptor in laudem seculi Romualdi hoc epiphonemate: *O aureum Romualdi seculum*, *quod etsi tormenta persecutorum non noverat*, *spontaneo tamen martyrio non carebat! O aureum*, *inquam*, *seculum*, *quod inter montium & silvarum feras tot cœlestis Hierusalem cives alebat*. Simili prorsus sententia, qua eremitas sui temporis laudat Chrysostomus: [a] *Viden' quantum nobis prosint externi illi & peregrini solitudinis cives*, *immo cœlorum cives?* Et alibi [b]: *Jam hic illi*, *quæ ad regnum cœlorum pertinent*, *meditantur .... sed quasi angeli in cœlo degunt*.

a *Homil.* IV. *alias* LVI. *in Matthæum*.

b *Hom.* LXXVIII. *al.* LXXIX.

Quisquis hæc legit, suscitatas jam videt Romualdi opera in Sitria antiquas eremitarum Nitrias, nudipedium nimirum, pallorem, silentium, voluntarios cruciatus, omnis demum cultus & commodi privationem. Si *pallor & macies*, ut erat antiquorum effatum, *decus est monachorum*, hi erant omnes pallidi. Ad imitationem pœnitentis illius, *qui ante monumentum mortuus est*, *sepulcrum enim cellulam suam fecit*, ut ait Climacus [c], cella Sitriensibus erat pro carcere & pro sepulcro, ubi damnantes ostium, sicut solet supra mortuum, flebant supplicantes Deo; neque solitudinis contenti districtione pœnitentiarum genus omne amplexabantur, membra sua crucifigebant, omnibusque vitæ necessariis sibi interdicebant, ut soli Deo, rerumque cœlestium contemplationi perfecte & unice vacare possent.

c *Scala Parad. gr.* XXVII.

II. Bonus ædificat monast. S. Michaelis in Burgo Pisarum.

PERTINET ad hunc annum ædificatio insignis monasterii sancti Michaelis in Burgo Pisarum, quod cadente hoc seculo, vel initio sequentis, eremi Camaldulensis instituta arripiens, nobilissimum fuit semper nostræ congregationis membrum, & in ea usque ad hodiernam diem perseverat, in celeberrimæ etiam urbis splendorem. Bonus Pisis ad annum circiter 990. natus ejus fuit auctor. Testatur ipse in charta fundationis ejusdem monasterii Pisas natale suum fuisse solum; eam enim urbem suam appellat illis verbis [d]: *Ambulavi per civitatem nostram .... de bonis christianis nostræ civitatis*; quare audiendi non sunt, qui Bonum Mutinensem faciunt, non alio argumento inducti, nisi quia in monasterio Nonantulano primitus monasticam cucullam induit. Si fides sit Farullio nostro, viro ceteroquin facile divinatori, ortus est ex nobilissima Vicecomitum familia, quæ sub Ottone I. imperatore Pisis substitit, ut [e] Troncius narrat. Certius est avunculum ejus maternum fuisse Petrum, & nepotem Johannem; hæc enim asserit in prædicta sua narratione monasterii institu-

d *Ap. Grand. in App. ad Epist. de Pandect. num.* IV. *pag.* 128.

e *Memorie di Pisa p.* 8.

ANN. CHR. 1018. ROMUALDI III.

tor Bonus. Quindecim annos natus Nonantulam profectus est, ibique monasticam amplexus fuit disciplinam sub Rodulfo abbate anno 1005. vestigia secutus avunculi sui Petri. Florebat tunc in eo monasterio pietas; ut enim ad annum 985. vidimus, reformatum fuerat vel a Romualdo per Leonem discipulum suum, ut putat Grandius, vel ab eodem Leone, cui se abdicanti Leo alter post aliquod tempus successerat archiepiscopus, & Leoni secundo Johannes, & Johanni anno 1002. Rodulfus. Duodecim vel tredecim annorum curriculo in virtutum & pietatis operibus totum se exercuit Bonus in eodem monasterio Nonantulano; verum nominis ejus fama longe personante, hoc anno revocatus fuit in patriam a primoribus civibus pro erectione novi monasterii, & præcipue a Stephano *seniore*, hoc est domino, qui cum *extra portam Samuelis* ejusdem urbis capellam haberet divo Michaeli archangelo dicatam, & a presbyteris detentam, in ejus possessionem misit Bonum. Sed præstat ipsum Bonum audire. *In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Breve recordationis facio ego Bonus abbas, qualiter ab initio inchoavi conversari in ecclesia sancti Michaelis, que nunc est cenobium. Fecit me venire senior Stephanus de Nonantulis cum avunculo meo Petro, & investivit me de ipsa capella, que tunc temporis detinebatur a presbiteris.* Fortunius [a], Troncius, Cardosus & alii non probe intelligentes vocem illam *de Nonantulis*, putarunt fuisse de Nonantulis familiam quamdam Pisanam, in cujus gente numeraretur dictus Stephanus; ipsius tamen familiæ cognomen in instrumentis hujus ætatis minime reperitur. Recte ergo Mabillonius ad annum 1040. [b] existimat sermonem ibi esse de monasterio Nonantulano, a quo evocatus fuerit Bonus; incompertum tamen nobis est, unde ipse Mabillonius hauserit rubricam sequentem. *Breve recordationis, quod fecit Bonus abbas sancti Michaelis monasterii a monachis Nonantule fundati*, cum Boni narratio a verbis, quæ supra attulimus, incipiat, non per tituli, sed per narrationis modum, & auctorem ac fundatorem ipsius cœnobii ex eadem narratione liqueat fuisse eumdem Bonum, non monachos Nonantulanos.

a P. II. lib. II. cap. IX. pag. 65.

a T. IV. Annal. pag. 435.

Cum Bono redux in patriam fuit avunculus ejus Petrus, & accepta possessione ecclesiæ, quæ usque ad annum 1137. describitur *extra portam Samuelis in burgo*, vel *in fore porta in burgo*, dum deinceps simpliciter dicitur ecclesia vel monasterium sancti Michaelis in Burgo, exorsus est Bonus, Stephano auxiliante, ædificationem sacræ domus; turris proinde erecta fuit unum passum excedens altitudinem ecclesiæ, habitatio pro monachis extructa, ecclesia suffulta, & collecto Pisanorum civium numero sufficienti, ecclesiæ in honorem sancti Michaelis archangeli consecratæ obsequium præstari incœptum. Post quinquennium cernens Bonus ecclesiam, turrim & monasterium humiliter admodum constructa, animo versare cœpit novam ædificationem. Romam itaque profectus, duodecim marmoreas emit columnas, cum suis basibus & epystiliis, quibus ecclesiam ornavit, turrim extulit, & monasterium refecit. Quare nescimus, quo fundamento nitantur Troncius, Dempsterus & Farullius putantes ecclesiam sancti Michaelis fuisse olim Martis templum, cum ex dictis pateat omnia ejus ecclesiæ ornamenta a Bono fuisse pretio comparata. Post plura demum facta & refecta ædificia, monasterium sancti Michaelis evasit illustre, ita ut de eo potuerit Bonus dicere, *& est tam perfecta domus, ut in tota Marca*, (intellige *Thusciæ*) *melior non sit*. Anno 1038. turrim novam erexit cum septem campanis, quas omnes de eleemosynis fecit *Dominicus* ejus *prior*, inde merito suarum virtutum abbas creatus sancti Zenonis Pisarum. Fallitur Fortunius putans Dominicum priorem fuisse artificem campana-

panarum, cum ex narratione Boni evincatur tantummodo, ejus industria & quæstu ærea signa fuisse acquisita; & revera Bonus missas cantari jussit a suis monachis pro iis, qui manus adjutrices porrexerant ad hoc pium opus. Non contentus Bonus fabricæ monasterii & ecclesiæ consuluisse, supellectili pariter ecclesiam insignivit, bibliothecam adornavit, redditus annuos procuravit, ut ad annum 1048. præcipue enucleatius referemus.

ANN. CHR. 1018. ROMUALDI III.

III. Bononius transit e Lucedio ad castrum Marturi.

CIRCA hoc tempus videtur Bononius transiisse e Lucedio in Thusciam ad recolligendas reliquias consodalium suorum, qui olim incoluerant monasterium sancti Michaelis in castro Marturi. Monasterium hoc aliquatenus exsurrexerat a damnis, quæ tempore anteacto pertulerat, ut ait Ratbertus, qui proinde subdit: [a] *Cum vero reparatum aliquando sancti Michaelis cœnobium ad castrum Marturi fuisse intellexisset, in Etruriam illi tantisper excurrere placuit, veterum filiorum & consodalium suorum reliquias exquirens, quorum nonnullos in hanc regionem ad suæ conversationis solatium, & ad persecutionum, quas a malevolis patiebatur, lenimentum, & ad ceterorum fratrum ædificationem illorum exemplo promovendam secum adduxit*. Reparatio facta monasterii sancti Michaelis de castro Marturi indicat sub alio marchione tunc dominante, nempe Rainerio, meliorem faciem statum ejus monasterii recepisse. Auctor primæ vitæ Lucediensis monachus reparationem San-michaeliani monasterii tribuit ipsi Bononio. Sed ipsum audiamus: [b] *Hostis antiquus, qui omnino, sicut suum est, invidet bonis operibus, adversus sanctum pastorem pugnæ conflictum assumsit, & monasterium* (intellige *Lucediense*) *quodam procellæ turbine commovit. Ille vero memor illius Evangelici: Si persecuti vos fuerint in civitate una, fugite in aliam; scandalum humiliter declinavit, atque inde recedens in partibus Thusciæ interim habitavit, ubi reparato ad plenum monasterio, & secundum legem Dei & sancti Benedicti regulam instituto, sicut consueverat ubivis locorum, claruit multorum indiciis signorum*. Quod autem dicat coactum ipsum fuisse loco seu Lucedio cedere, conjicimus Petrum Vercellensem episcopum hoc anno defunctum fuisse, atque post eum denuo Leonem viduatæ ecclesiæ regimen assumpsisse. Si enim Petrus adhuc in vivis degisset, auctoritate sua tumultum & persecutionem ortam in Lucediensi cœnobio compescuisset, sicut alias fecerat initio præsulatus Bononii, quo, ut ait Ratbertus [c], *non sine multis difficultatibus ab hoste maligno suscitatis, ad regularis tramitis normam pio ejusdem præsulis favore opitulante* monasterium Lucediense *reduxit*. Ita probabiliter poterunt conciliari tempus & anni sedis Petri & Leonis eodem tempore episcoporum Vercellensium.

a *Cap.* xx.

b *Num.* 10.

c *Cap.* xix.

Sicut autem legibus Romualdi magistri sui Bononius fundaverat anno 998. monasterium sancti Michaelis apud Podium-bonitium, ac post viginti annos reparavit, ita verisimiliter putandum est per socios, quos post hunc annum secum adduxit juxta Ratbertum ex San-michaeliano ad Lucediense, similibus legibus & institutis Lucediense cœnobium reformasse. Ea porro reformatio in eo sita fuerit, ut ad exactam regulæ Benedictinæ observantiam monachos adigeret, & si quos in monasterio jam probatos & bene excultos reperiret, ad perfectiorem solitariam vitam in cellulis prope monasterium ædificatis, vel in eremis non multum distantibus, utputa in ea, quam fundaverat in silvis ditionis illustris marchionis Maginfredi, statueret; quod utrumque præstitum scimus a maximo consociatore utriusque vitæ cœnobialis & eremiticæ Romualdo, Bononii magistro.

TRIEN-

Ann. Chr. 1018. Romualdi III.

Triennio post obitum Andreæ Zoerardi, a latronibus occisus est Benedictus, qui magistri vestigia secutus eamdem cellam incoluerat, in qua vixerat & defunctus fuerat Andreas. Hæc habemus ex relatione episcopi Mauri, qui sequentia scribit: [a] Benedictus, *patre suo defuncto, locum eumdem habitare decrevit. Cumque per tres annos exemplo magistri districte vitam ageret, latrones supervenientes, & multam apud ipsum pecuniam esse sperantes, ductum ad ripam fluminis Wagh jugulaverunt, & in ipsam aquam demerserunt. Diu vero corpore ejus quæsito, & non invento, per integrum annum visa est aquila in ripa fluminis Wagh, quasi quædam observatura sedere: per quam de corpore certi effecti, quemdam in aquas immergi fecerunt, & sic integrum, quasi nuper obiisset, invenerunt. Conditus est autem Benedictus in basilica beati Emmerammi martyris, in eodem sepulcro, in quo asservabantur ossa beati Andreæ, ejus sancti patris.* Fallitur Castellanus in *Martyrologio universali* [b], ut observat Cuperus, dum de sancto Benedicto Vagheo eremita, in Hungaria occiso a latronibus, subdit: „ Cujus corpus honoratur apud sanctum Emmerammum Ratisbonæ. “ Non de Ratisbonensi, sed de Hungarico templo olim erecto in Hungaria, loquitur episcopus Maurus; & occasio errandi Castellano fuit cultus præcipuus, quem obtinuit in Ratisbonensi diœcesi sanctus Emmerammus, perinde ac alibi templa in sui honorem constructa habere non potuisset.

IV. Benedictus Andreæ Zoerardi discipulus martyrio coronatur.

a *Ap. Mabill. Sec. VI. P. I. pag. 70. n. 3.*

b *Pag. 909.*

Celebratur festum sanctorum Andreæ & Benedicti apud Hungaros die XVII. julii; apud Polonos vero, & etiam apud Camaldulenses, die XVI. ejusdem mensis. Lectiones proprias, sed orationem habent de Communi, ritu semiduplici peragitur eorum officium in toto regno Hungariæ, sed Nitriæ sollemnissimo ritu coluntur Andreas & Benedictus tamquam patroni loci cum octava, & cum nundinis publicis die ipsorum natalitio. In monte Zobor, sub medietatem seculi præteriti, ædificatum fuit templum in eorum honorem, in arce vero Nitriensi ipsorum basilica renovata. Monasterium Zoborense circa finem præcedentis seculi, anno nimirum 1689. obtinuerunt Camaldulenses nostri Montis-coronæ eremitæ, ubi eremum excitantes, locum sanctorum Andreæ & Benedicti habitatione olim celebrem instaurarunt, opitulante potissimum domino Blasio Zachi Nitriensi episcopo.

V. Loca ab Andrea & Benedicto in Hungaria frequentata.

Inter loca solitaria, ubi se recepere Andreas, & qui post ipsum triennio vixit Benedictus, alter locus erat in spelunca prope monasterium sancti Hippolyti, alter vero Skalka appellatus. In hoc postremo loco tempore Jacobi quarti episcopi Nitriensis anno 1224. conspiciebatur sanguis adhuc adhærens saxo; quare idem episcopus *in spelunca, ubi etiam sanguis martyris Benedicti usque in hodiernum diem perfusus in pariete speluncæ esse dignoscitur*, ecclesiam ad titulum beati Benedicti & omnium Sanctorum ædificavit, & abbatiam secundum regulam sancti Benedicti constituit, atque ad sustentationem fratrum in eadem ecclesia Domino servientium plura elargitus est, ut intelligimus ex diplomate, quod ad diem XVII. julii afferunt Actuum Sanctorum editores [c]. Bela quoque rex Hungariæ anno 1238. divertens ad locum, qui Skalka dicitur, in comitatu de Trinchin, ubi sanctus Benedictus martyr vitam eremiticam gesserat, cernens fratres loci illius in Dei servitio permanentes nimiam pati penuriam, alia donavit, ut in altera charta apud eosdem collectores. Extant pariter S. R. E. cardinalium literæ anni 1560. ecclesiam beati Benedicti indulgentiis decorantes. Pertinet porro nunc hæc abbatia ad patres societatis Jesu ex donatione Ferdinandi III. imperatoris.

c *T. IV. Jul. p. 329.*

Sepul-

Sepulcrum vero sancti Andreæ Zoerardi, quod erat in ecclesia sancti Emmerammi, jam ab initio seculi XIV. magnifice exornatum conspiciebatur; etenim in tripartito opere [a] decretorum & constitutionum regni Hungarici narratur, quod Matthæus Trinchiniensis, Carolo I. regi Hungariæ rebellis, miserabili morte interierit, postquam Nitriensem ecclesiam, & sepulcrum divi Zoerardi, ex puro argento optime factum, expoliavit, & depeculatus est. Addunt iidem eruditissimi patres societatis Jesu, ex relatione suorum Nitriæ commorantium, conspici in quodam saxo adhuc vestigia clara, ubi, quantum per continuam traditionem acceperunt, dura super petra jacuisse perhibentur Andreas & Benedictus; apparere item aliam petram modice ab assiduis genuflexionibus excavatam; præterea impressa signa utriusque manus digitorum in lapide, ad quem se sustentabant, dum expansis in crucem manibus, stantes in spelunca diuturniori orationi vacabant, ex qua manuum extensarum dimensione colligitur eos fuisse staturæ plusquam mediocris. Narrant Martinus Baronius [b] & Demalevicius [c] temporibus suis extitisse vineam parvam manibus Sanctorum in Nitria plantatam in usum divini sacrificii, quæ toto solebat anno vinum subministrare; ex ea si quis uvas abstulisset, incidebat in febrim pestiferam, & solum pœnitens pristinæ sanitati restituebatur, infirmi autem ceteri vinum, Sanctorum meritis fisi, sumentes salutem recuperabant. Subdit Martinus Baronius huic perenni miraculo aliud, quod contigit in Polonia anno 1569. die XVI. julii, festivo sancti Andreæ, tempore Sigismundi augusti regis, dicens [d]: „ Dum una vice Lutherani nequitia inflati cum magno impetu conabantur, ut ecclesiam sive cellam, in qua vivens sanctus Zoerardus tot annos habitabat, populum Christianum orantem, & divina obsequia peragentem, cœperunt foras ex ecclesia ejicere; tunc populus elevatis manibus & oculis in cœlum, cœpit cum magna voce clamare ad Dominum dicens: Sancte Andrea Zoerarde serve Dei, nunc defende ecclesiam Dei ab impiis Lutheranis inimicis fidei Christi catholicæ. Statim mox dicta, sanctus Andreas Zoerardus visibiliter omnibus apparens, cum baculo ignito in manu tenens igne scintillante, ex cœmeterio ecclesiæ illos foras omnes Lutheranos expellens, percutiens eos baculo ignito, & dicens illis: Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum; ite maledicti Lutherani in ignem æternum paratum diabolo, vobis & angelis ejus, inimici crucis Christi, *Matth.* 21. *&* 25. Multos divina ultione igne comburit, alios excæcavit, ex quibus Lutheranis multi sunt in hac cæcitate miserabiliter mortui, ceteri vero post pœnam ad fidem catholicam conversi sunt, & nihil mali ecclesiæ nocuerunt, ac pro majori fide hujus miraculi ad hanc usque diem hodiernam in cœmeterio templi est lapis niger, magnus, quadriangularis, durus, silicinus, ut mensa planus, longus trium cubitorum, altus & largus unius brachii; in quo lapide sunt adhuc visa vestigia plantæ pedum, in quo apparuit sanctus Andreas Zoerardus ejiciens Lutheranos ex ecclesia & cœmeterio, Dei mysterio, die hodierna miraculum claret; quæ distat a Cracovia Polonicis milliaribus octo. " Prosequitur idem Baronius. „ Mortuus tandem in Hungaria in Monte-ferreo sepultus die XVI. julii, anno Domini 1009. A Calixto tertio pontifice maximo in numerum Sanctorum appositus. Multa & alia quamplurima Deus per illum operatus est. Sane si ea, quæ per memetipsum didici, hujus viri miracula, aut quæ fidelium narratione cognovi, & quæ adhuc quotidie apud sacrum corpus ejus declarantur, scripto aut sermone explicare vellem, calamus

„ & ver-

[a] T. II. pag. 45.

[b] Pag. 30.

[c] Pag. 176.

[d] Pag. 28.

Ann. Chr 1018. Romualdi iii.

„ & verba non sufficerent, siquidem per ejus invocationem & merita sunt „ mortui resuscitati, cæci illuminati, permultique alii languentes homi„ nes miris modis sunt pristinæ sanitati restituti, præstante Domino nostro „ Jesu Christo, & precibus Beati, qui & oret pro nobis cum aliis sociis „ suis in æterna felicitate, sicut patronus & advocatus noster in conspe„ ctu Dei precibus nostris poscamus. Est vero Sanctus hic a Calixto III. „ pont. max. in numerum Sanctorum relatus una cum sociis suis, & die „ XVI. sollemni colitur memoria. " Hæc Baronius. Quod autem asserit Andream obiisse anno 1009. ex iis, quæ attulimus, patet differendum esse annum ejus pretiosæ mortis; melius fortasse Carolus Stengelius [a] in imaginibus ordinis sancti Benedicti, & Georgius Garnefelt Carthusianus [b] notant tempora Andreæ & Benedicti eremitarum ad annum circiter 1020. illud tamen semper pro constanti tenendum Andreæ mortem triennio præcessisse illam Benedicti. Alterum, quod affirmat idem Baronius, Andream & socios eremitas a Calixto III. in numerum Sanctorum relatos, utinam nobis licuisset pontificis bullam legere; credibilius tamen est sola episcoporum licentia, & populi consensu ipsos Sanctorum titulum fuisse promeritos. Grevenus in Usuardi augmentis martyrem utrumque facit, ita & Arnoldus Wion, Dorganius & Ferrarius ad dies I. maji, & XVI. julii; Hugo Menardus illos emendat, soli Benedicto honorem martyrii tribuens. Canisius, Molanus, Felicius & Bucellinus ipsorum meminere ad diem primam maji. Quod addit Ferrarius eos interfectos a latronibus circa annum 990. falsitatis ex dictis convicitur, tum quoad genus mortis, quod utrique tribuit, tum quoad annum passionis. Illud postremo adnotamus, in aliquibus ecclesiis Camaldulensibus, ut puta in Arretina sanctæ Mariæ in Gradibus, ubi majori honore colitur sanctus Andreas Zoerardus, solere benedici nuces a populis oblatas, invocato Andreæ nomine; id forte fit ob memoriam quadraginta nucum, quas initio quadragesimæ accepit a Philippo abbate, quibusve vixit usque ad sanctum Resurrectionis Domini diem, ut habet in ejus vita Maurus Quinqueccles iensis.

a *Pag.* 60.

b *Lib. II. de Vitis Eremit. n.* 24.

VI. Donationes monasterio Victoriano de Clusis.

Successerat in monasterio sancti Victoris de Clusis Gisoni abbati Atto II. qui *custos* appellatur ejus loci in charta donationis factæ hoc anno mense februario a quodam Berto. Præfert quidem donatio annum 1016. sed cum adjiciantur annus quintus imperii Henrici, & indictio prima, ad præsentem annum ea donatio est revocanda, quo decurrebat reapse indictio prima, & post diem XIV. februarii, etiam annus quintus imperii Henrici. Eidem Attoni abbati alia donatio recensetur facta a Petro presbytero filio quondam Johannis. Nota dignum est nomen Romani pontificis, quod in ea usurpatur: *Anno Deo propicius pontificatu domno* Romanii *summo pontifice & universali papa in apostolica sacratissima sede beatus Petrus principes apostolorum anno ejus septimo, & dies mense september indiccione prima*. Notarius scilicet, qui fuit *Petrus scabinus*, ignorans vel oblitus nomen verum papæ, qui tunc erat Benedictus VIII. substituit *Romanii*, a sede nimirum Romana ejusdem pontificis. Tertia donationis charta est Ingrezonis filii Caro, qui præter terram offert monasterio sancti Victoris, & Attoni abbati medietatem *ecclesie sancti Stephani*, quam ecclesiam nos memoravimus sub anno etiam antecedenti, cum medietate *de dote, & cum muris, & libris, & patrocinia sanctorum, que ibi recondite sunt. Anni Domini mille* XVIII. *& rennantes domno Enrigo imperatore anni renni imperii ejus in Italia quinto & die decimo mense decembris per indiccione secunda* incœpta nimirum a mense septembri. Postremam vero donationem eidem abbati fecit Acto filius quondam Ota; notæ chronicæ

nicæ sunt: *Anni mille optavo decimo, & regnante domno Enrigo divino ordinante providencia imperator augusto anno ejus sexto & die mense julium per indiccione secundam*; attamen charta potius pertinet ad annum sequentem; etenim anno 1018. mense julio decurrebat indictio prima, & Henrici annus quintus incœperat a die XIV. februarii hujus anni, quare sextus non poterat exordium petere, nisi ab eadem die XIV. februarii anni 1019.

ANN. CHR. 1018. ROMUALDI 111.

VII. Alia donatio facta abbatiæ Uranensi.

PETRO *venerabili abbati monasterii sancte Dei genitricis virginis Marie, que vocatur in Uriano, & sex successoribus monasterii abbatibus, qui in eodem monasterio ordinati fuerint*, Arnaldus archiepiscopus Ravennas hoc anno *pontificatus domni Benedicti in apostolica beati Petri sede sexto, sitque imperante donno Henrico magno imperatore, in Italia vero anno quinto, die octavo decimo mensis decembris indictione secunda*, concedit *medietatem integram de fundo, qui vocatur Casa lapidea, constitutam territorio Pupiliense plebe sancte Marie, que vocatur in castro Cesubeo*. Ex hac charta evincitur majorem promereri fidem Hieronymum Rubeum, quem sequitur etiam Ughellius, asserentem Arnaldum e vivis excessisse die XIX. novembris anni sequentis, quam mereatur annalista Saxo, qui ipsum præsenti anno obiisse scripsit, cum die XVIII. decembris hujus anni adhuc in vivis degeret. Quare, quod cupiebat Muratorius [a], ut nempe ex chartis archivi Ravennatis dilucidaretur, quænam ex his assertionibus vera foret, & ea spes ulterius, quam idem conceperat, hoc præstandum fore opera clarissimi viri domni Petri-pauli Ginannii abbatis sancti Vitalis Ravennæ, qui indefesso & improbo studio omnia collegit, quæ ad illustrationem antiquissimæ patriæ suæ Ravennæ pertinent, cujusque singularibus beneficiis plurimum & nos profecisse in iis, quæ ad eamdem urbem spectant, testamur, ope hujus chartæ obtinetur. Apographum Ambrosii Ravennatis tabellionis, erutum ex autographo Honesti notarii ejusdem sanctæ ecclesiæ, descripsimus ex tabulario archiepiscopali Ravennæ, ubi tamen tabellio erravit in consignandis annis pontificatus Benedicti, & loco septimi, qui incœperat saltem ante XXX. diem aprilis, reposuit sextum; ceteræ chronologicæ notæ optime sibi cohærent; annus nimirum quintus Henrici, & indictio secunda a mense septembri inchoata. Chartis his omnibus locum damus in Appendice nostra.

a *Annal. T.VI. p.* 59.

ANN. CHR. 1019. ROMUALDI 112.

VIII. Romualdus calumnias patitur a Romano monacho Sitriensi.

LICET tanta sanctitate præfulgeret Sitriensis eremus, enarrari tamen nequeunt ea, quæ multa numero passus est ab aliquibus discipulis suis Romualdus. *In Sitria vero quot contumelias, quot scandala a suis discipulis passus sit, non est nostræ*, inquit Damianus [b], *facultatis evolvere. Ex quibus videlicet unum hic ponimus, cetera brevitatis studio prætermimus*. Quod quidem vix credibile redderetur, & ipsius scriptoris admirationem excussit; verum, ut ait Hieronymus [c], *lustravi monasteria Nitriæ, & inter Sanctorum choros aspides perspexi*; & abbas Piamon apud Cassianum [d]: *Nec perversos & execrabiles quosque sanctorum virorum numero insertos latitare miremur, quia dum in hujus seculi area conculcamur, atque conterimur, necesse est etiam paleas igni perpetuo deputandas inter electissima frumenta misceri*. En contumeliosissimum excogitatum. *Habebat namque* Romualdus *quemdam discipulum, Romanum nomine, qui nobilis quidem fuerat genere, sed omnino degener actione. Hunc itaque vir sanctus, cum pro suæ carnis immunditia non modo verbis argueret, sed sæpe etiam verberibus gravissimis coerceret, ausus est diabolicus vir titulum illi ejusdem reatus apponere, & impudenter contra sancti Spiritus templum sacrilego ore latrare, dicens videlicet, sanctum virum una secum ex eadem contagione*

b *Vit. S.Rom. cap.* xlix.
c *Lib. III. contra Rufinum.*
d *Collat.* XVIII. *cap.* 16.

Ann. Chr. 1019. Romualdi 112.

peccasse. Mox itaque discipuli omnes adversus eum irati, omnes infesti, alii clamant senem impium laqueo debere suspendi, alii dignum judicant cum ipsa cellula ignibus concremari. Quod utique valde mirabile fuit, præsertim spirituales viros ex decrepito sane, & ultra quam centenario tam nefarium scelus credere potuisse, cui etiam si voluntas adesset, natura tamen, & frigidus sanguis, & ariditas attenuati corporis hoc penitus denegaret. Sed credendum est proculdubio, ad augendum sancti viri meritum, hoc sibi tam gravis adversitatis cœlitus accidisse flagellum. Nam & ipse asserebat, hoc in eremo, unde nuper abscesserat, veraciter agnovisse, & ad hoc dehonestatis improperium subeundum alacriter advenisse. Ille autem Sarabaita reprobus, qui sancto viro crimen intenderat, episcopatum postmodum Nucerinum per simoniacam hæresim acquisivit, & per biennium illum occupans, in primo anno incensam ædem cum libris, & tintinnabulis ac ceteris sacris ornamentis, exigentibus suis meritis, vidit; in secundo autem dignitatem cum vita, divina illum feriente sententia, miserabiliter perdidit. Romano tribuit Damianus *Sarabaitæ* titulum, qui ejus generis monachi erant, qui *mentiri Deo per tonsuram noscuntur*, ut ait sanctus pater Benedictus [a], & de quibus ipse Damianus etiam loquitur epistola IX. libri V. Improbi episcopi Romani nomen reperitur apud Ughellium inter episcopos Nuceriæ, quæ urbs est Umbriæ, *Camellaria* dicta ad differentiam alterius Nuceriæ *Paganorum* nuncupatæ, quæ in Campaniæ provincia sita est; & quidem ad annum 1012 [b]. Verum Romani sedes non solum post eum annum, sed etiam post præsentem est trahenda, cum episcopus factus fuerit post contumeliam illatam sancto viro; vel etiamsi primo statim anno, quo Sitriam incoluit Romualdus, illigetur impacta tam atrox calumnia; quod minime est credibile, post annum 1013. saltem Romani assumptio ad episcopatum Nucerinum est consignanda. Eremus unde abscessit, & unde veraciter agnovit Romualdus, hanc ei fore contumeliam irrogandam, vel erit Camaldulensis, ut putavit Fortunius [c], qui loquens de illa eremo dixit: „ Quadam die oranti cœlitus revelatum est, magna sibi apud Sitriam superesse certamina, & graves calumniosasque persecutiones perferendas, quarum tamen gratia Spiritus adoptionis filiorum Dei ejus cor mirifice esset impleturus. “ Sin autem ad præsentem circiter annum spectet impia & diabolica hujuscemodi accusatio, eremus, unde nuper abscesserat, poterit esse etiam illa sancti Petri ad Vivum, ex qua redux fuit anno 1016. in Sitriam. Cur autem ad secundum potius quam ad primum adventum Romualdi in Sitriam hanc ignominiosam labem inustam ipsi fuisse asseramus, illud est in causa, quod ægre persuadeamur, unius anni spatio Romualdum discipulos in Sitria congregasse, eremum statuisse, plures persecutiones tulisse, graviter accusatum fuisse, semestrem pœnitentiam subiisse, innocentiam deinde suam ex divina jussione manifestasse, postmodum psalterium totum exposuisse, quæ omnia intra unius anni spatium complere debuisset, quandoquidem anno 1013. ex Camaldulo Sitriam veniens, anno sequenti legatione vocatus Henrici imperatoris, administrandum Amiatinum monasterium, ut vidimus, suscepit. Quare probabilius videtur Romualdum quiete & pacifice toto anno 1013. discipulos collegisse in Sitria, & in eo loco eremum fundasse, suumque solitudinis septennium ipso anno auspicatum fuisse, sed interturbatum ob commissum sibi regimen cœnobii Montis-amiati, ibidem non rediisse nisi anno 1016. quo tempore cœperint contra sanctum virum exoriri tumultus, qui tandem, aliquo annorum spatio interjecto; nam Romanum non modo verbis arguit, sed etiam sæpe coercuit verberibus; in manifestam rebel-

a *Reg. cap.* I.

b *T. I. col.* 1066.

c *Par. I. Lib. I. cap.* 35.

rebellionem, atrasque calumnias degeneraverint. Unico autem contextu de chronologiæ ordine parum sollicitus Damianus, quæ Romualdo in Sitria contigere, narrat toto eo tempore, quo ibidem commoratus est, neque omnia primo anno accidisse determinat. ANN. CHR. 1019. ROMUALDI 112.

Ex hac Damiani narratione præterea apertissime deducitur longævitas vitæ sancti Romualdi, qui hoc anno explebat centesimum-duodecimum ætatis annum, neque dicendum in numero annorum vitium irrepsisse, nam in Vaticano antiquissimo codice non per cifras numerales, sed per extensas integrasque literas legimus *& ultra quam centenario*, & eodem modo leguntur hæc verba exarata in nostro codice, qui fuit olim monasterii Berardingæ. Præterquamquod si minuatur, juxta Bollandi sententiam, vita sancti Romualdi, & ad septuaginta dumtaxat reducatur annos, quommodo de septuagenario, immo paullo plusquam sexagenario viro (nam Sitriensis calumnia præcessit aliquot annis obitum Romualdi) dici vere possent, quæ de ipso asserit hoc capite Damianus? Senex-ne *decrepitus* appellatur homo septuaginta nondum annos emensus? Et hujusmodi hominis natura & sanguis frigida ne ita sunt, ut si voluntas adsit, non possit nefarium crimen committere? Sed de hoc argumento, aliisque spectantibus ad Romualdi ætatem contra Bollandum, fusius agemus alibi.

IX. Subit pœnitentiam sibi inflictam.

DISCIPULI autem Romualdi, qui præcipiti zelo alii laqueo, ignibus alii sacrificandum sanctum senem effutierant, aliquanto saniores mente effecti, mitiorem sententiam contra ipsum pronunciarunt, licet absque legitima auctoritate hoc sibi usurpaverint. *Imposuerunt itaque*, scribit Damianus, [a] discipuli sancto viro, quasi *de commisso crimine pœnitentiam, & celebrandi sacra mysteria penitus abstulere licentiam*. Morem gessit mansuetissimus pater, licet & innocentiæ suæ penitus conscius esset, & discipulis suis subjectum se minime cognosceret, atque ad semestre spatium sacris sibi interdixit. *Quod ille præjudicium*, idem prosequitur, *libenter amplectens, & pœnitentiam velut revera obnoxius criminis observavit, & ad sacrosanctum altare per sex fere menses accedere non præsumpsit*. Ostendunt & ad hanc diem incolæ ejus loci angustam quamdam & subobscuram cellam apud Sitriæ ecclesiam, quam appellant carcerem sancti Romualdi; in eo tamen falluntur, dum tradunt per septem annos inclusum carcerali custodia coercitum fuisse a discipulis, confundentes voluntariam Romualdi cum imposita pœnitentiam. Ceterum carcerem cum jejunio in pane & aqua indicendum esse monachis impudicis decernunt synodus Germanica [b], & Liptinensis [c], atque suspensionem a sacris officiis iis, qui quolibet tempore carnali contaminati essent scelere, imponebat sanctus Johannes gualbertus [d], ut in ejus vita.

a *Vit. S. Rom. cap.* L.

b *Conc. T. VIII. col.* 271. *canon.* VI.

c *Ibid. col.* 274.

d *Januen. cap.* XXII.

X. Bononius revertitur Lucedium.

FERRARIUS scribit Bononium post susceptum Lucedii regimen, orta in eum persecutione monachorum, in Etruriam venisse, ubi veteri monasterio instaurato, monachos sanctissimis legibus instituit; neque amplius cogitasse Lucedium reverti. Illud tamen certum est, Bononium, sedata persecutione, Lucedium regressum fuisse, ut vidimus ex Ratberto, & diffusius constat ex Lucediensi anonymo, qui hæc scribit [e]: *Interdum prioris loci commotio sedata quievit, & Domino revocante, ad monasterium Locediense rediit, ut ibi plantatus clementia supernæ dispensationis, ramos ibidem diffunderet piæ conversationis. Et cum per multa annorum curricula plurima ibi fulgerent virtutum suarum insignia, ille angelicus vir semper latere quærebat, illud Dominicum commemorans: Cum feceritis, quæ præcipio vobis, dicite: servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.*

e *Num.* XI.

XI. Miracula, quæ gessit in vita Bononius.

SUBNECTIMUS heic loci varia Bononii, dum viveret, miracula, tam ex Ratberto, quam ex monacho Lucediensi; cum enim tempus, quo pa-

ANN. CHR. 1019. ROMUALDI 112.

a Cap. XXI.

petrata fuere, nullibi indicetur, in unum collecta legenda damus. *Ut autem*, ait Ratbertus, [a] *de mirabilibus ejus aliqua dicam, memoriæ proditum recolam ab ipso ter aquam in vinum conversam ob Paschalis diei reverentiam, cui major jejunii austeritas non congruebat. Ad mensam quoque cujusdam proceris invitatus immaturas ficus ex arboribus adhuc pendentes, dum per hortum exspatiaretur, illas ex inopinato maturas ostendit, ac mensæ inferri jussit .... Secreta cordium persæpe rimatus est, ac de occultissimis pravitatibus filios suos redarguens, salubri timore ac verecundia perculsos ad meliorem frugem convertit ....* Aliquot autem paginæ hic in ms. desunt, quem defectum supplemus ex prima vita a Lucediensi anonymo confecta, qui distinguit miracula sancti Bononii tempore vitæ suæ ab iis, quæ post ejus obitum contigerunt. En prioris temporis miracula, una cum prologo, qui tamen deest in codice Vercellensi.

b *Apud Mabill. Sec. VI. P. I. pag. 240.*

[b] *Incipit Prologus monachi Lucediensis in miraculis sancti Bononii abbatis & confessoris.*

Gratia nostri Redemptoris, qui fideles suos mundo mortuos secum viventes & conregnantes in cœlestibus, multorum signis miraculorum ostensis perspicue demonstrat; apparet viros fuisse, quorum studio & labore veteris & novi Testamenti sanctorum Patrum opera, atque virtutum signa per eos cœlitus facta, quibus ad divinum amorem excitarentur, posteris scripta relinquerentur. Quisque autem illorum, Sancto-spiritu ubi vult spirante, & non omnes suas gratias uni, sed partim cunctis tribuente, pro virium seu ingenii capacitate pauca vel plura studuit, prout potuit exarare. Ergo fratribus miræ devotionis in Dominum, ut miracula per sanctum Bononium, dum viveret, sive post ejus obitum facta schedulis traderem, precative rogantibus, atque præfatorum scriptorum mihi renuenti exempla objicientibus, quorum minimo nullo modo me audeo comparare, sciens me modicæ scientiæ, sed in Domino spei maximæ, qui linguas infantium facit disertas; tandem eorum diutina deprecatione devictus, atque in ipsorum obsecrationibus, tantique confessoris supplicationibus pro me ad Dominum confisus, pauca de multis ultra mearum virium negotium præsumendo, non patiens cuncta esse incognita, conor memoriæ tradere humanæ. Quorum si nulla foret descriptio, ne inertis commissum talentum abscondentis in terra particeps essem timeo: cum testante Scriptura, bonum sit secretum regis celare, & honorificum opera Domini laudare. Unde obnixe oro lectores, ut non sint hujus operis detractores, nec verborum rusticitatem attendant, sed quæ hic habentur, vera fore credant; quia quæ refero, plura ego ipse vidi, & quæ non a me visa, a veridicis & fidelibus viris audivi multorum testimoniis confirmata.

Incipiunt miracula sancti Bononii.

Nocturnis igitur hymnis, atque laudibus temporibus peractis, mos erat beato Bononio in oratorio remorari: ubi vacans uberrimis fletibus, & oraminum obsecrationibus, pro statu sanctæ Dei ecclesiæ, & omnibus fidelibus vivis & defunctis, quanto secretius valebat, non humanæ laudis appetitum desiderans, Dominum jugiter supplicabat. Ea vero hora dum hæc agerentur, frater quidam, nomine Lintefridus (Liutefredus in codice Vercellensi *) vir magnæ reverentiæ, provectæque ætatis, cupiditate victus, videns pulcram candelam in candelabro, subripuit, & extinxit, atque in sinu suo reposuit. Quod dum faceret, Dei occulto & justo judicio meruit percuti ab Angelo. Hoc autem ipsum latuit tunc temporis nihil mali sentientem. Sed & candelæ palatio, & angeli percussio beatum non latuere Bononium; cujus*

jus purus mentis intuitus, omni luvione pulsa, sedulo in exstasi raptus cœlestia penetrabat, quippe ejus vita, nec etiam levi famine erat maculata. Mane autem facto, primaque hora diei celebrata, ac facta ex more fratrum collatione, beatus Bononius in eorum resedit conventu; & dictis dicendis, & juste misericorditerque correctis corrigendis, ut pater filium, fratrem præfatum de candelæ subreptione clementer increpavit, & ut eam custodi ecclesiæ redderet imperavit, qui licet invitus, reddit quod fuerat jussus. Inde vero egressis & singulis ad sibi injuncta peragenda occupatis, quibusdam ex ipsis ad se accersitis, quod in eo factum esse cognoverat vir Dei, mœrendo aperuit dicens: Filioli, scitote fratrem illum modo infirmaturum, & hac de clade vix mortem evasurum. Item & ei lectum in domo infirmorum construite, eumque cum magna diligentia custodite. Qui suscepto ac peracto jubentis imperio, jam aliquid mali patienti occurrentes, quæ a Dei famulo audiverant & fecerant, innotuerunt. Ipse namque non multa adhuc infirmitate se videns gravari, sibi relata parvipendit, & non futurorum ipsius præsagio, sed amentiæ stultiloquio deputavit: qui graviter crescente dolore, ut sententia viri Dei esset veridica, ita est ea die viribus corporis destitutus, ut de ejus vita funditus desperaretur. Sicque per multos dies mansit; & ut ipse postea solitus erat referre, numquam ea de infirmitate convalesceret, & procul dubio credi licet, nisi beatus Bononius suis meritis & orationibus pro eo intercederet.

Aliud quoque narro miraculum, quod valde exstat venerandum. Beato namque Bononio ab adolescentia sua omni tempore corpus suum cum vitiis & concupiscentiis crucifigente, omnino spretis quatuor præcipuis victibus, scilicet carnibus, adipibus, ovis & caseis, dum morem abstinentiæ vini in Paschali festivitate vellet observare, quo tantum in diebus, in quibus eucharistiam accipiebat, propter stomachi eversionem, permodicum gustando vase vix semisse apparente utebatur, non ei permisit clementia superna: qui dum in præfata die rite celebratis mysteriis divini officii, ad mensam accessisset, ei minister juxta consuetudinem in duobus vasis, in uno vinum, in altero aquam bibere detulit: quod vas videlicet aquæ, dum facto signo sanctæ crucis ori admisisset, eam vinum factam invenit; accitoque ministro dixit: Cur mihi solita consuetudine aquam non propinasti? Qui respondens ait: Etiam domine pater. En, inquit, vir Dei, experire; & si sit aqua, an vinum per temetipsum addisce. Ille vero bibere non distulit; & inveniens aquam vinum factam, admiratione perculsus obstupuit, & accipiens scyphum, foras vinum ejecit, atque ad fontem recurrens, inde aliam lympham beato Bononio reportans dedit: quam signo sanctæ crucis facto, & nomine Trinitatis invocato, cum iterum ad os misisset, inventa est optimi meri saporem habens. Tunc vir sæpe memorandus tamquam irato animo dixit: Non tibi, amens, vinum, sed aquam præcepi deferre. Scio, inquit minister valde admirans, domine pater scio, testem Dominum invoco, quia illa & hac vice ego ipse ad fontem ivi, & meis manibus aquam extraxi, & huc ad te devexi. Beatus vero Bononius illi non credens, rursum aliam imperavit aquam afferri: quæ & ipsa conversa in optimum vinum, propriam mutavit naturam. Quo viso beatus vir, cujus voluntas fuit in lege Dei die ac nocte, maximum habuit stuporem, atque recognita Dei pietate circa se miserationem agente, ei grates dignas retulit. O virum vere per omnia laudandum, cunctorumque bonorum laudibus extollendum: scriptum est enim, ut illicita committentes, licitis interdum non utantur. Ipse enim hujus præcepti non immemor, ut cotidie mortuus mundo viveret Deo, hanc auctoritatem transiliens, etiam in die resurrectionis Dominicæ, necdum in aliis,

ac

Ann. Chr. 1019. Romualdi 112.

ac si illicita committeret, plerisque licitis nullo modo utebatur, maxime cum ea die peccatoribus venia, indulgenter conceditur, & animabus jam carne solutis causa purificandi pro commissis supplicio deputatis requies exhibetur. Quin etiam hominum favorem effugiens, ut hac indulgentia a Deo sibi præstita omnes lateret, eumdem ministrum, qui solus hoc noverat, ad se vocavit, & ne, quousque hominem exiret, divulgaretur, interdixit.

Beatus Bononius pro causa monasterii cum suis militibus in itinere directus, a quodam rustico in hospitio devote est receptus. Cui, suisque refectis appropinquante nocte, domus parvitate in ea jacendi facta difficultate, sub divo lecta præparata fuerunt: sed ruentibus cœli imbribus, in eisdem quiescere nequiverunt. Domum igitur introjerunt, & utcumque valuit, ibi se quisque collocavit. Christi vero servus Bononius super quoddam vasculum, ubi panis solebat confici, sua sancta membra dedit quieti, pro cujus honore vas illud postea veneratione habitum, donum non silendum accipere meruit. Deinde cum panis subcinericius ex usu ibi pararetur, operante divina clementia, absque levamine persæpe fermentatus est repertus, ut qualis ac quantus esset vir ille, quem sustulerat, insinuaretur. Quod insolitum & inauditum videntes illius domus homines, multum admirari cœperunt, sed recolentes beatum Bononium ibi super jacuisse, id ejus meritis fieri non dubitaverunt. Qui donec in carne mansit, sui Domini acceptam pecuniam non intra abscondendo, sed negotiando, quantum potuit multiplicare studuit, unde recepta mercede in cœlo & in terra honorari & exaltari meruit.

Fuit quoque femina liberorum procreandorum aviditate plena, sed a propaginum fœcunditate per multorum annorum curricula aliena, quæ prolem gignendi medicinis susceptis frustra concipiebat & pariebat, quia sibi justo Dei judicio prohibente diu vivere nequibant. Illa vero suorum pœnitens commissorum, audita sancta opinione beati Bononii, ad eum devenit, & supplex ejus pedibus provoluta, cujus rei gratia advenisset, patefecit. Quam suis sanctis instructam monitis, & indicta pœnitentia, in suis sacris orationibus Dei prædictus famulus suscepit, eamque cum gaudio ad propria remisit. Et quousque vixit concipiens & pariens, meritis Domini confessoris, filiis & filiabus non caruit. Nec mirum si tanta ac talia valuit obtinere apud Dominum, cum ipse semper fuisset bonæ terræ ager, qui suscepto semine centesimum obtulit fructum.

Quodam tempore, dum contigit eum iter facere, & in quodam vico ad domum cujusdam causa hospitandi declinare, auditum est a quadam femina febricitante eum ibi adesse; quæ festinans eo venit, & quis esset fusurus aquas ejus manibus, perquirendo invenit. A quo dum peteret aquas ejus manuum, (sciebat enim plurimos sospitatem consecutos per haustum earum) responsum est illi: Hoc minime facere audeo, quia coram eo solito more in terram projicio: sed me ei aquas dante prope adesto; & dum in terram fudero, brachialem extendens, non tamquam sponte, sed casu, & tamen, quo plus latenter poteris, eas suscipe, domumque regrediens ablue, atque eamdem lavaturam confitenter ebibe, quia sine spe possibilitatis vana est petitio cujuslibet cupiditatis. Quæ siquidem mulier visa non multum distare ab ea, quæ accedens retro tetigit fimbriam Domini, fecit, quod sibi fuerat imperatum: & illico convaluit, atque ei Dominus pristinam sanitatem sui famuli meritis reddidit.

Inter cetera, quæ refero, nec illud silendum puto, quod meæ accidit matri intercessione ipsius, quæ cum esset frigoretica, & nimis inde laboraret, ad eum venit, atque suis se orationibus commendare studuit, quam ipse vir venerabilis satis benigne, gratanterque suscipiens, seque Dominum pro

ea oraturum promittens tali prorupit in voce: Vade, & noli amplius febricitare. Continuo namque melius habuit, & citius inde perfecte convaluit.

ANN. CHR. 1019. ROMUALDI 112.

Alio quoque tempore dum idem beatus vir iter faceret, contigit, ut apud quoddam castrum in quadam domo ad hospitandum declinaret, ubi opacæ noctis tempore tanta lucis claritas super eum refulsit, ut a quibusdam non longe manentibus tota illius domus fabrica, in qua excubaverat, igne consumi putaretur. Qui consurgentes omni celeritate illuc perrexerunt, sed ab eorum oculis sublato lucis splendore, eam inustam invenerunt. Quam videlicet claritatem nulli constat dubium fuisse ob ejus merita. Nec mirum, cum ipse Dei famulus a puerili ævo toto conamine opera tenebrarum perfecte abjecisset, & arma lucis & fidei optime indutus esset. Hoc idem & post ejus transitum in cellula, in qua, dum corpore viveret, recumbebat, frequenter & a multis visum est; unde aperte patet, quia ibi sancta studia & opera Deo satis placita ab eo sunt peracta.

Dum idem Dei famulus alio etiam tempore esset apud quemdam vicum in domo cujusdam matris-familias, ab ea multis est rogatus precibus, ut ibidem dignaretur prandere: qui ejus obsecrationum instantiam videns, votis ipsius adquievit. Mensa namque apposita ad prandendum discubuit. Ubi autem consumpta sunt edulia, quæ haberi poterant, si ficus quivisset habere inquisivit. Cui quidam suus presbyter, prædicta paullo ante, ut ficus ipsi Dei famulo colligeret missus, respondit: Eo enim ad colligendum; sed omnibus diligenter circumspectis, & immaturis repertis neminem sumsi. Cui vir Dei: Vade, ait, & collige, nobisque huc defer. Presbyter vero sancti viri præcepto obediens, ad easdem ficus, quas adierat, rediit, &, ut eodem referente cognovi, tot in eis maturas invenit, quot viro Dei, & omnibus, qui cum ipso erant, sufficere potuerunt. Unde credentium fides informari simul debet, & augmentari. Nam unicus summi patris omnium Dominus servo suo præstitit, quod ipse quærens fructum in ficulnea sibimet non exhibuit. Spopondit enim in se credentibus: Opera, quæ ego facio, facietis, & majora horum. Quoniam aliqua, quæ vivus peregerat, prout quivimus, summatim scribendo perstrinximus, ad recolendum ea, quæ post transitum egit, Domino adjuvante, stilum vertamus. Sed de iis nos ad annum ipsius Bononii emortualem.

XII. Oblationes factæ monasterio Prataliensi.

HOC anno, [a] qui *imperii Henrici* dicitur *quintus*, melius tamen sextus, *indictione secunda mense martio* Ildebrandus olim Johannis refutavit portionem, quæ ei obtigerat a suis fratribus & consortibus, de rebus positis in casali *Sexta* plebatus Partinæ *Redento* monacho Pratalienſi. *Actum in casa predicti monasterii seu Sigifridi abbatis*. Mense junio [b] sexto anno Henrici imperatoris *Petrus filius Angantrudæ que Minuta clamatur* nomine judicii tradidit monasterio de Pratalia tertiam partem trium domorum, & sortium positarum in comitatu Arretino, quarum duæ sunt in territorio Partinæ in casali *Gello*, tertia vero in territorio Biblenæ in casali *Frassineta*. Petrus [c] olim Imizæ terram in casali *Sparena* donavit mense augusto; & antea *mense* [d] *januario quinto anno imperii Henrici* Johannes & Vivenzus partim elargiti fuerant, partim vendiderant, receperantque meritum solidorum 100. pro terris in casali *Gello*, ac demum [e] Rodingus & Willelmus fratres filii quondam Ugonis Sigifredum abbatem in possessionem miserunt terrarum constitutarum in casali *Frassineta*. Hæc pertinent ad monasterium Pratalienſe sub hoc anno.

a *Arch. Cam.* §. *Renuntiatio A.* 7. 23. 8.
b *Ibid.* §. *Donation A.* 1. 24.
c *Ibid. A.* 1. 25.
d *Ibid. A.* 1. 26.
e *Ibid. A.* 1. 27.

XIII. Restitutio facta monasterio S. Gregorii de Urbe.

AFFERTUR ad hunc eumdem annum a Baronio, & ex ipso a Mabillonio [f] restitutio facta monasterio Sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe

f *T. IV. Annal. pag.* 267.

Ann. Chr. 1019. Romualdi 112.

Urbe & Johanni abbati ab Ingizone Romano viro nobili Franconis bonæ memoriæ trans Tiberim filio quorumdam prædiorum in fundo *Molæ-ruptæ* positorum, quæ *Silvester nefandissimus ac sceleratissimus ejusdem monasterii abbas* ipsi per emphyteusim tradiderat. De Silvestro abbate Gregoriano mentionem fecimus ad annos 1013. & 1014. Desiderantur hæ tabulæ in nostro codice, sed Baronius eas accepit a Flaminio Philonardo episcopo Aquinate, quas una cum aliis antiquitatis monimentis collegerat, antequam cardinalis esset, sanctissimæ memoriæ Paulus papa IV. Ex Baronio itaque denuo edimus in nostra Appendice ad integram monasterii sancti Gregorii historiam. Subscribunt tabulis restitutionis *Crescentius Dei gratia urbis Romæ præfectus*, *Johannes dativus judex* & alii. Scriptæ fuere per manum *Sergii scriniarii S. R. E. anno* &c. *Benedicti octavi pape* &c. *octavo*, *imperante domino piissimo perpetuo augusto Henrico a Deo coronato magno imperatore anno sexto indictione tertia*, incœpta scilicet a septembri *mensis novembris die* XXIII. Brevem alteram subjungimus in eadem Appendice chartam ad castellum Pretosum spectantem, quam tamen, licet hunc annum præferentem, melius anno sequenti 1020. assignandam putamus.

Ann. Chr. 1020. Romualdi 113.

XIV. Romualdus post visionem psalterium interpretatur.

Romualdus, qui discipulis suis, legitima licet auctoritate destitutis, obediverat sex mensium intervallo, morem gessit, & divinæ motioni, qua sibi injunctum fuit, ut intercœptam sacri faciendi actionem resumeret. *Tandem vero*, ait Damianus, [a] *sicut ipse postmodum eisdem suis discipulis retulit*, *divinitus sibi jussum est*, *ut si divinam timeret gratiam perdere*, *jam indiscretam simplicitatem omnino postponeret & sacra Missarum sollemnia fiducialiter celebraret*. Quid divini die prima sacrificii passus fuerit Romualdus, mox enarrat sanctus doctor. [b] *Postera igitur die sacrificare incipiens*, *cum ad secunda Missæ secreta perventum esset*, *in extasim raptus*, *tam longo temporis spatio siluit*, *ut omnes*, *qui aderant*, *mirarentur*. *Interrogatus autem postmodum*, *cur in offerendo sacrificio tantas moras præter solitum habuisset*, *respondit*: *Raptus*, *inquit*, *in cœlum*, *oblatus sum ante Deum*, *& continuo mihi divina voce præceptum est*, *ut secundum hunc intellectum*, *quem mihi Deus immisit*, *psalmos exponerem*, *& pro modulo mei sensus chartulis per ordinem commendarem*. *Ego autem nimio & inenarrabili terrore constrictus*, *respondere nihil aliud potui*, *nisi tantummodo fiat*, *fiat*. *Unde postea vir sanctus totum psalterium*, *& nonnulla prophetarum cantica luculenter exposuit*; *& licet corrupta grammaticæ regula*, *sanum tamen sensum ubique servavit*.

XV. De Romualdi commentario psalmorum asservato Camalduli.

Hic venerabilis commentarius, ab ipso sancto Romualdo conscriptus, inter sacra Camaldulensis eremi cimelia religiose custoditus asseritur. Se eum ibidem vidisse testantur Christophorus Marcellus archiepiscopus Corcyrensis in sua epistola de eremo Camaldulensi ad amicum, Andreas Mugnotius [c] in simili descriptione, Fortunius noster in suis historiis, [d] & Mabillonius [e] in suo itinere Italico, cuius postremi hæc sunt verba: „ In sacrario (Camaldulensi) asservatur sancti Romualdi commentarius in „ psalmos, in cujus operculo, quod ex serico rubeo constat, hæc leguntur: *Istud Psalterium scripsit & glossavit manu sua propria sanctissimus* „ *ac beatissimus Romualdus*, *sicut præceperat sibi Deus*, *quando fuit raptus* „ *in paradisum celebrans Missam in eremo Sitriæ*, *ut scribit beatus Petrus* „ *Damianus presbyter cardinalis in legenda sua*. Hic commentarius incipit a primo psalmo in hunc modum. *Beatus vir*. *Iste psalmus proprie* „ *de filio dicitur* &c. " Et ante plurimos annos beatus Paullus Justinianus dixerat: [f] *Psalterium totum sua manu perscriptum*, *sua manu etiam*

ex

a *Vit. S. Rom. cap.* L.

b *Ibidem*.

c *Pag.* 7.

d *Part. I. p.* 83.

e *T. I. pag.* 181.

f *Reg. erem. p.* 37.

ex integro non rudi omnino sermone sensibus vero eminentissimis exposuit, quod pretiosum beatissimi patris & institutoris pignus in eadem sacra Camaldulensi eremo conservatur. Codex hic, manu seculi XI. scriptus, integer non est, neque erat Fortunii etiam tempore. Continet autem expositionem a primo psalmo usque ad versiculum: *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus*, psalmi IC. *Jubilate*; „ residuum namque, [a] ait ipse Fortunius, voluminis sive „ improbitate & injuria temporum, sive incuria priscorum patrum, seu „ potius curiosorum hominum subtractione, tam a venerabilibus eremitis, „ quam a toto Camaldulensium ordine jamdudum nequicquam desidera- „ tur. " Inter sacras tamen reliquias monasterii sanctæ Mariæ Angelorum Florentiæ, teste nostro domno Frigdiano Balneocaballensi in notis quibusdam mss. ad vitam sancti Romualdi a Fortunio scriptam & in Italicum idioma traductam, reperitur commentarius in finem psalmi: *Jubilate*, & in totum psalmum: *Misericordiam*, quibus completur centenarius existens psalmorum interpretationis numerus. Habemus & nos in nostro sancti Michaelis de Muriano, & loco venerandi monumenti adservamus folium extractum seculo XVI. a codice Camalduli, quo continetur elucidatio partis psalmi LXVIII. ab illis verbis: *Extraneus factus sum fratribus meis*, usque ad illa: *Secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me*. Supradictus domnus Frigdianus Balneocaballensis in animum suum induxerat, ut prælo committeret hanc Romualdinam psalterii explicationem; verum cum contulisset suprascriptorum psalmorum existentium in sacrario sanctæ Mariæ Angelorum Florentiæ expositionem cum illa psalterii Cassiodorii, parvam inter utramque varietatem agnovit; paraphrasim pariter versiculi: *Astitit regina a dextris tuis* exscriptam in quadam tabella ejusdem monasterii Florentini ex eodem Camaldulensi codice, iisdem verbis constare deprehendit, quibus constat Cassiodoriana; demum explicationem psalmi: *Quare fremuerunt* Romualdi cum altera Cassiodorii expendit, atque eamdem præterpropter esse utramque reperiit; hinc falso suppositum parenti nostro opus, quod idipsum judicaverat esse cum illo Cassiodorii, asseruit, vel etiam non amplius extare Romualdinam psalmorum dilucidationem, vel saltem illam non esse, quæ sub ejus nomine asservatur in codice Camaldulensi, pronunciavit, cujus sententiæ subscripsit nuperrime etiam noster Collina in vita [b] a se edita sancti Romualdi. Ut opinionem nostram in medium proferamus, redimus probari posse supradictam interpretationem a Romualdo conceptam, conscriptamque fuisse, fœtumque ipsius esse potuisse, sed valde profecisse ex simili Cassiodorii, cujus integras periodos frequentissime suæ inserit. De cetero Cassiodorii paraphrasis primi psalmi incipit ab his verbis: BEATUS VIR. *Nimis pulcrum commodumque principium*; Romualdi autem: BEATUS VIR. *Iste psalmus proprie de filio dicitur*. Cassiodorii explicatio est elegantissima & ad latinitatis rigorem expressa; illa vero Romualdi multis solœcismis pro seculi conditione abundat, &, ut ait Damianus, *corrupta grammaticæ regula*; superaddidit ergo facile Romualdus suæ brevi excursioni paraphrasticæ etiam Cassiodorii expositionem, ut ex folio, quod apud nos extat, deducimus. Sed ut penitus liqueat, in quo consentiant, & in quo dissentiant hæ duæ interpretationes, lectoribus jucundum, operæque pretium facturos arbitramur, si ex una parte editam Cassiodorii, ineditam ex altera Romualdi explicationem producamus, integrum folium, quod apud nos servatur ex psalmo LXVIII. in Appendice subjicientes.

ANN. CHR. 1020. ROMUALDI 113.

a Par. I. Lib. I. cap. XXXVI.

b T. I. Cap. XXXV.

XVI. Alia visio Romualdi.

POST relatam visionem, qua præceptum fuit Romualdo, ut psalterium exponeret, subdit Damianus [c] aliam, qua ipsius anima ante Deum delata fuit. Verisimiliter contigit etiam hæc secunda visio in Sitriensi solitu-

c Vit. S. Rom. cap. II.

Ann. Chr. 1020. Romualdi 113.

solitudine. Sed ipsum Damianum loqui sinamus. *Interrogaverunt eum aliquando*, inquit, *discipuli dicentes: Magister, cujus esse ætatis anima cernitur, vel in qua figura ad judicium præsentatur? Respondit: Scio hominem in Christo, cujus anima delata est ante Deum splendida veluti nix, humana quidem effigie, statura vero perfectæ ætatis. Inquisitus iterum quis ille esset, indignans & confundens eos, dicere noluit. Mox discipuli rem ad eum, ut veraciter erat, inter se invicem referunt, & ipsum fuisse hominem certa manifestatione cognoscunt.*

XVII. Henrici imp. præceptum pro Pratalia.

Henricus imperator *interventu Theuzonis monachi fidelis* monasterio sanctæ Mariæ & sancti Benedicti de Pratalia confirmat ejus bona diplomate, quod ex chartario monasterii Fontis-boni damus in Appendice. Theuzo monachus, qui etiam *rector* ejusdem monasterii appellatur, idem esse videtur cum illo, cujus simili interventu privilegium aliud eidem monasterio concesserat Otto III. anno 1002. Cum tamen ad annum 1008. viderimus Sigizonem consecratum fuisse Prataliæ abbatem ab Helemperto episcopo Arretino; & chartæ omnes ad eam abbatiam spectantes ab ipso anno ad præsentem & ulteriores annos Sigizonis abbatis nomen semper præferant, conjicimus Theuzonem hunc monachum extitisse potius conditorem & reformatorem aliquorum monasteriorum in Thuscia, non tamen celebrem fuisse illum sanctæ Mariæ Florentiæ monachum, ut alias ostendemus. Donationes hujus anni factæ eidem monasterio nil habent nota dignum. [a] Ursus olim Inprandi, Leo presbyter olim Johannis, Roizo, Lambertus & Farezo fratres filii quondam Leonis, & Ursus olim Leonis nomine judicati dederunt terras in variis casalibus sitas. In chartis tamen corrigendus est annus *sextus imperii Henrici*, qui a die 14. februarii incœperat esse septimus. Plures pariter locationes scripsit Sigifridus abbas cum pactis inter cetera, ut veniant *ad usertiam* in monasterium Prataliæ. Hæc vox desideratur in glossario Ducangii, & significat oblationem.

a §. *Donatio. A.* 1. 2. &c.

Ann. Chr. 1021. Romualdi 114.

XVIII. Romualdus Sitriense monasterium condit. Aliqua de ipso cœnobio.

Septimus est hic annus reclusionis Romualdi in Sitria. Eremiticum ibi solide fundatum institutum cernens sanctus vir, ad alia loca pergere properavit. *Cum vero ibi fratres jam tanti essent*, scribit Damianus, [b] *ut omnes illic habitare vix possent, tunc Romualdus monasterio ibi constructo, & abbate præposito, inviolatum servans silentium, Bifurcum secessit ad habitandum.* Monasterium Sitriense condere potuerat Romualdus etiam annis antecedentibus, verum nulla aderat necessitas præficiendi ibidem abbatem tempore, quo præsentia sua monachos illos regere poterat, quæ necessitas adfuit, statim ac discessum est meditatus. Ultra præsentem tamen annum differri nequit ædificatio hujus cœnobii; & ut aliqua de monasterio Sitriensi, quod originem suam debet Romualdo, dicamus, hoc in celebrem evasit abbatiam, fuitque monachorum domicilium usque ad annum 1451. quo Nicolaus papa V. monachis substituit abbates seculares. Floruerunt in eo monasterio celebres sanctitate viri, Leo prius Romualdi, inde Damiani discipulus, alter Leo Prezensis, Mainardus abbatiæ juxta Jacobillium Saxivivi postea fundator, juxta nos tamen diversus, Thomas a Costacciario, & Sigismundus Saxo-ferratensis, vel opinione aliorum Eugubinus, qui ex abbate Sitriensi a Nicolao Papa IV. meritis suis & doctrina postulantibus, electus fuit [c] episcopus Senogalliensis anno 1288. obiitque, juxta Griffolini Valeriani testimonium, anno 1291. Hermannus de Attis ex Saxo-ferrato fuit abbas Sitriensis anno 1358. Johannes a Marliano anno 1371. & anno 1448. Pandulphus de Attis, sub quo commendatum fuit a Nicolao V. monasterium. Inter abbates commenda-

b *Vit. S. Rom. Cap.* LXIIII.

c *Ughel. T. II. col.* 870.

mendatarios recensetur Saporitus Saporiti a Saxo-ferrato ad annum 1524. In columna ad latus ecclesiæ leguntur hæc verba: R. D. LOD. CES. ABB. A. DNI. M.D. LXVIII. & in domo prope ecclesiam: PAULs. CARDlis DE CESIS. Tempore Ludovici Jacobillii, cardinalis Franciscus Barberinus abbatiam in commendam tenebat, quam modo post Annibalem patruum cardinalem obtinet Johannes-franciscus cardinalis Albanus nepos. Veteris loci pauca extant vestigia, monasterio pene diruto; ecclesiæ vero unica superest ara quatuordecim columnis innixa, & quintadecima crassiori, quæ mensam in medio substentat. Ascenditur ad altare per plures gradus, quos secat porta, quæ ducit ad veterem confessionem subtus altare existentem. Prope ipsam subobscurus locus monstratur, quem carcerem appellant sancti Romualdi. In fronte hujus loci e regione portæ visitur beati viri imago, cui conspiciendam se præbet Deipara cum Jesu infante, quem tenet in ulnis. Fluit prope Sitriam rivus Artinus; distat Sitria duobus milliaribus ab Avellanensi abbatia, ex qua per montem Nocri ad illam Sitriæ est iter.

ANN. CHR. 1021. ROMUALDI 114.

XIX. Bifurcum se confert.

RELICTA Sitria, Bifurcum se contulit sanctus pater. Ne diversimode tractaretur Bifurci Romualdus, ac tractatus fuerat in aliis locis, ibi quoque ab abbate, quem ad meliorem frugem reducere volebat, multa perpessus est. *Illic etiam*, pergit Damianus, [a] *volens abbatem spiritualiter vivere, & rectitudinis viam tenere, multam ab eo passus est persecutionis injuriam.* Ante decem & septem annos Bifurcum deseruerat Romualdus, & admonuerat fratres illos eremitas, ut sibi abbatem præficerent, sub cujus obedientia viverent, & rectam disciplinam a se institutam vivendi solitarie, sed simul parendi majoribus reciperent. Hoc intervallo temporis videntur Bifurcenses secuti Romualdi consilium, & abbatem sibi constituisse; sed quæ tunc erat vivendi deformitas in monachis, nunc inerat abbati, quem proinde corrigendum & reformandum duxit. Sed de reformatione Bifurcensis monasterii plura anno sequenti.

a Cap. lxiv.

XX. Elevatio corporis sancti Petri Urseoli.

PERTINET ad hæc tempora elevatio corporis Petri Urseoli, ducis olim Venetorum, postea monachi Cuxanensis, facta ab Oliba episcopo Ausonensi & abbate simul Cuxanensi & Rivipullensi. Vidimus ad annum 982. Petrum sepultum fuisse *in claustro juxta ostium ecclesiæ*; sed cum ad ejus tumulum frequenter conspicerentur *divinitus accensa luminaria, quæ miro candore refulgebant per omnia loca illius claustri*, aliaque beatus vir operaretur mirabilia, loco motum fuit ejus corpus per supradictum episcopum, situque decentiori collocatum. Fontaninius [b] hanc elevationem corporis Petri Urseoli apotheosim ipsius sollemnem existimat, Ausonensemque episcopum Olibam delegata, non sua auctoritate, in aliena diœcesi Helenensi putat eam fecisse anno 1027. quo die XVI. junii *Oliba pontifex Ausonensis ad vicem Berengarii Helenensis episcopi tunc temporis in transmarinis partibus peregrini synodum Helenensem celebravit*. Verum nil vetat, quin etiam ordinaria potestate potuerit id facere Oliba, quia præter episcopatum Ausonensem, quem gerebat, & præter multas abbatias, quas possidebat, abbas etiam erat monasterii Cuxanensis, ut patet ex Sergii IV. papæ anni 1011. confirmationis [b] bulla. Prima Olibani Ausonensis episcopi mentio habetur ad annum 1019. quo præsens fuit judicio inter Ermissindem comitissam Barcinonensem, & Hugonem comitem Emporitanum. Post eum igitur annum contigit hæc elevatio; circa quam præstat anonymum Rivipullensem audire. *Tunc post aliquod temporis spatium defuncto Guarino abbate* (hujus obitum ad annum 1011. retulimus) *inclitus vir Oliba rector ejusdem patriæ post susceptionem sancti habitus*

b *Dissert. de S. Pet. Urseolo pag.* 40.

b *Appen. Marc. Hispan. col.* 978.

Ann. Chr. 1021. Romualdi 114.

bitus relicto seculo abbas in eodem cœnobio ab omnibus monachis & illius regionis incolis eligitur, qui postmodum pontificium culmen adeptus in Ausoniæ cathedra dignus Deo pontifex est electus. Cumque pontificatus sui jura velut arguta apes æquo libraminis pondere, ac virga directionis & omnem subditam plebem sibi & Deo regeret, discernens discreta ratione utrorumque ordinum causas, idest clericorum & monachorum effectus est ecclesiæ Dei sanctæ pastor egregius. Eratque multarum abbatiarum eximius pater, præcipue tamen sanctæ Mariæ Rivipullensis, sanctique Michaelis Cuxanensis, in quo requiescit, admodum in omnibus curis dilexit cœnobium. Qui sollicitus in orationibus, philosophiæ studiis exercitatus est, tamquam leo apertis oculis dormiens, in senectute jam positus, rudes acœmetas ad disciplinam veræ scientiæ fratres, necnon divites ac potentes, rusticos & illustres atque alumnos ecclesiasticæ regulæ, alens eos prudentia documentis quasi dilecta soboles. Igitur quodam tempore, quia erat pontifex, & monachus & abba monachorum piissimus, circuibat secundum consuetudinem sibi commissas oves, perspiciens uniuscujusque vitam, eradicans vitia, plantans virtutes, ducens volentes, trahens nolentes, cohortans armatos, induens inermes, ingratos discutiens actus, dabat unicuique ex mellito ore consilium medicaminis divinæ prudentiæ. Veniensque ad locum semper dilectum ad Anciba Pyrasilum revelatum sibi est, aliisque fratribus, ut corpus venerabilis Petri ducis Venetiarum atque Dalmatiarum ab ipsis transmutatum poneretur infra ecclesiæ gremium. Tunc domnus Oliba pontifex advocavit omnem populum regionis illius, & processionaliter cum maximo apparatu divini cultus transmutavit corpus ejus in sepulcrum, ubi nunc requiescit. Divino monitu translationem factam docet etiam anonymus Camaldulensis: *Interim Oliba*, inquit, *a beato Petro* (Urseolo) *monetur factus monachus, mortuo Guarino abbate, sacram abbatiam invitus assumere coarctatur, & post modicum tempus ob ejus sanctitatem Ausoniæ pontifex licet diu renuens ordinatur, & eruditus physicis ac theologicis disciplinis, prælatos & clericos sibi suppositos in vitam honestissimam regulavit. Cum autem velut pastor bonus frequenter ecclesias & monasteria visitaret, & ad locum sibi dilectum, videlicet monasterium beati Archangeli pervenisset, quod in singulari reverentia beati Petri memoria prægerebat, Deo revelante clero undique convocato, sanctissimi ducis corpus in dexteram partem altaris ecclesiæ summa reverentia collocarunt.* In quadam relatione e Cuxano transmissa a domno Nicolino Alcalà legitur: „ Ad ingressus chori sinistram est urna san„ cti Petri Urseoli, ubi antiquitus asservabatur ejus sacrum corpus. “ Attamen non videtur eadem esse urna, in quam episcopus Oliba deposuit sacrum corpus, cum alia subsecuta fuerit translatio, de qua nos alibi Domna Jacobina de Blemur [a] scribit, Mariam Dalmatiæ reginam adstitisse translationi sacri corporis, & magnifica dona obtulisse tumulo sancti & illustris sui propinqui, ut legitur in antiquo codice ms. abbatiæ Cuxanensis. Altera est hæc Maria regina a Maria uxore Johannis Urseoli, quæ jam obierat anno 1005. Ceterum Deus ob sanctitatem Petri Urseoli multa patravit ad ejus sepulcrum mirabilia. *In quo loco*, subdit Rivipullensis, *multa ostenduntur a Deo miracula fratribus ibi commorantibus meritis beati Michaelis archangeli, & aliorum Sanctorum, quorum reliquiæ ibi requiescunt, meritisque Petri Venetici ducis ejusdem loci monachi, qui perficiens bonum certamen, & consummans cursum, idemque servans promeruit coronam justitiæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Ad quam coronam* &c. Et Camaldulensis anonymus: *In qua translatione*, inquit, *multa miracula Dominus ostendit, nam inter alia, monachus quidam dentium*

[a] *Anno Bened. T. I. pag.* 83.

nimio

nimio dolore vexatus de ore beati Petri abstulit unum dentem, quem ponens in ore statim dolorem dentium sensit extinctum, & postmodum multæ gentes ab ipso dolore & aliis multis languoribus ejus meritis liberationem sumpserunt, non solum corporum, sed etiam animarum. Addit etiam: *In cujus honorem & memoriam duæ lampades usque in diem hodiernum ardere non deficiunt incessanter, & singulis annis a toto clero fit sollemnis processio, & anniversarium celebratur.*

ANN. CHR. 1021. ROMUALDI 114.

XXI. Donationes factæ monasterio Montis-Christi.

HUGONUS marchio & dominus de Corsica *anno Domini* M. XXI. *indictione* III. (forte in autographo scriptum erat IIII. ut observavit etiam [a] Muratorius) *martii* VI. offert *Deo & sancte Marie de Canovaria* (monasterium erat abbatiæ sancti Mamiliani Montis-Christi membrum) omnes suas *possessiones, quas habebat allodio, sive ex secutione patris vel germanorum in loco ubi dicitur* a la cappanna; *item aliam possessionem in loco ubi dicitur* Rabagium, *item aliam ubi dicitur* a la Verdese *&c. Item aliam ubi dicitur Casanova cum domos* &c. *de plano in monte, de gargalo in gargalo* &c. *Item alias possessiones in loco ubi dicitur* Erbaja; *aliam* la croce *&* lo sancto *&c.* quæ *inrevocabiliter* donat *Simoni venerabili abbati monasterii sancti Mamiliani Montis-Christi, & rector abbatie sancte Marie de Canovaria. Actum in domo Pandolfini. Ego Rubertus judex imperiali notario rogatus &c.* Hugonus forte filius fuit Rugerii comitis Corsicæ, cujus chartas spectantes ad annos 969. & 981. attulimus ad annum 963. Idem Hugonus in anteriori charta *anno Dominice incarnationis* M. II. *indictione* XV. *tertio nonas aprilis* appellatur *Hugonus Dei gratia marchio Masse, domino de Corsica & judex Calaritanus; sanusque* eo anno *mente & corpore inter vivos* donat *Deo & domno Placido abbati monasterio sancti Mamiliani insule Montis-Christi unam possessionem terrarum, que est propria dictam in plagia posita in loco, quod dicitur* a le Prunice; *item aliam in loco dicto* a le Godule; *item aliam in loco ubi dicitur* a la Renula. *Actum in castro Calari. Ego Nicolaus Johannis imperiali auctoritate notarius rogatus* &c. *Ego Johannes predicta exemplavi de actis Montis-Christi.* Placidus videtur suffectus Mauro in regimine abbatiæ sancti Mamiliani, sicut videtur Simon successisse Placido.

[a] *Antiq. med. ævi* T. II. col. 1074.

Ejusdem Hugoni filius forte fuit *domino Rainaldo marchese quondam Hugonis, qui fuit similiter marchio.* Is *omnipotenti Deo & beato Mamiliano de Monte-Christo* dedit & concessit *totam villam* de la Vesolacia *cum toto circulo Guidulaceso, quomodo est terminato ab omni parte ad podio sancti Martini ad Sandulaccia & mittit in fine* Molinelli *& mittit in flumen altum & mittit cum terris pregnaticis, & mittit ad Topolacciam & mittit per Gargalum ad sanctam Mariam de Petra Corbaria, & ibi sunt alii termini & mittit ad podium* de l'Ancello. *Item dedit totam villam de Pugnano & totum Pugnaticum, idest casas* &c. *cum toto suo circulo, quomodo circumdatum est ab omni parte & mittit* a la Vectolda, *& mittit ad sanctum Augustinum, & descendit ad Copulacciam & mittit in flumine de Olmo & mittit in mare, ab alio latere ad Gargalum & Sanavi & ad Figarete & mittit ad mare* &c. *Actum in ecclesia sancte Marie de Marana per manum Ansalduci de Prigniano imperiali auctoritate notarius.* Hæc donationis charta signatur quidem *anno dominice incarnationis* M. C. LX. *indictione* VIII. *pridie idus martii.* Sed cum a vero non abludat, ut existimavit etiam [b] Muratorius, Raynaldum filium fuisse Hugoni marchionis, ab hujus temporibus parum sunt dimovendæ chartæ Raynaldi filii; quare memorata donatio vel pertinebit ad annos 1025. vel 1040. qui bene componuntur cum indictione VIII.

[b] *Ibid.* col. 1078.

An

Ann. Chr. 1021. Romualdi 114.

An etiam *Rolandus comes & dominus Corsicæ* ad hæc tempora spectat, vel idem est cum Raynaldo? Habemus in iisdem exemplaribus abbatiæ sancti Mamiliani *Julium abbatem insule Montis-Christi*, & *Placidum abbatum sancti Stephani & sancti Benedicti de Venaco ordinis Montis-Christi* cum eorum fratribus adiisse Rolandum comitem Dei gratia & dominum totius insulæ Corsicæ, Julium quoque judicem & Johannem legatum Corsicæ, ibique querimoniam suam exposuisse adversus plures homines, qui contenti persolvere decimam, ceterum omne jus sibi usurpabant in bona abbatiæ sancti Stephani de Venaco, quos Rolandus comes & Johannes legatus compescuit, lata sententia ad favorem abbatiæ Montis-Christi. Notæ chronicæ chartæ sunt hujusmodi. *Anno dominice nativitatis septeno centesimo decimo nono indictione secunda*. Sed juxta conjecturas nostras alibi allatas, chartæ omnes abbatiæ Montis-Christi secula quintum, sextum, septimum & octavum incarnationis Dominicæ præferentes assignandæ sunt seculis decimo & undecimo.

In prima, quam indicavimus, donationis charta Hugoni marchionis & domini de Corsica anno 1021. nominatur Simon abbas sancti Mamiliani. Ad Hugoni itaque tempora spectabit etiam altera charta adnotata *anno sexto centesimo octavo indictione sexta* (forte anno 1023. quo decurrebat indictio VI.) in qua legitur Marianum ab Aquajo, uxoremque ipsius Almanam *in manu domni abbatis Simonis de Monte Christi & domni abbatis Uberti sancti Stephani de Venaco ordinis Montis Christi concordantes se in unum* dedisse *se ambo in religione ad ecclesiam sancti Stephani de Venaco cum omnibus suis bonis, terris* &c. *que habent in* Aquajo, *qualiter sunt terminata per terminis ab uno latere flumen, quod dicitur* Zingajo, *& da pede flumen, quod dicitur* Tavignano, *ab alia via, quod mittit ad ecclesia sancti Salvatoris* de l'Aquajo, *& mittit per via publica* a la fogata di Arliso *& mittit* a la Vallela de Terranella, *& foxa* de Erbajo, *& istas terras erant patri meo & antecessores mei & meo proprio* &c. *& sic damus* &c. *a dicta abbatia sancti Stephani di Venaco, & corporis nostri ibi debeant sepeliri. Ego Petrus quondam Rola notarius publicus sacri imperii rogatus* &c. Ad annum 951. Muratorii dubiis fecimus satis, qua scilicet ratione seculis X. & XI. scriptores harum chartarum *sacri imperii notarii* appellentur? Heic autem loci veteres has omnes chartas in unum congessimus, licet ad varios annos pertineant, quas etiam in Appendice integras proferimus ab exemplaribus tabularii sancti Michaelis in Burgo Pisarum, post Muratorium, qui earum partem a Grandio secum communicatam edidit in suis Antiquitatibus, eas insuper juxta probabiles conjecturas nostras corrigendo in characteribus chronicis, usquedum lux major nobis affulgeat ad eas tenebras depellendas, quæ tum ex enormi notariorum & amanuensium imperitorum vitio, tum ex rerum Corsicarum obscuritate profluunt.

Theuzo [a] presbyter quondam Ildizi pro anima sua judicavit monasterio Prataliæ terram cum vinea, & quidquid sibi *ex eredio* patris & fratris sui pervenerat in territorio *Socone*; Bonizo [b] autem tertiam partem de tribus petiis terræ positis in casali *Gello* territorio Partinæ. Hæc ex indicibus Eduardi Baroncinii.

a §. *Donatio. A.* I. 12.

b *Ibid. A.*I.13.

Ann. Chr. 1022. Romualdi 115.

XXII. Romualdus præficitur Bifurcensi monasterio ab Henrico imp.

VIDENS Romualdus abbatem Bifurcensem monitis suis minime proficere, Henricum imperatorem, qui autumno anni præcedentis descenderat tertia vice in Italiam, impiger adiit, necessitatemque exposuit collapsæ disciplinæ in ea abbatia restituendæ, quæ eremitico insuper instituto ob

loci

loci alpestris situm aptissima erat. Annuit libentissime pius imperator votis Romualdi, quem summopere diligebat, cujusque colloquio gavisus fuerat ante octennium, ac insigni diplomate sub disciplina atque ordinatione Romualdi & ejus successorum in ipsa eremo persistentium constituit abbatiam Bifurcensem debere in reliquum tempus permanere. Imperiale præceptum extat [a] apud Ughellium; extat etiam apud Soldanium, qui ipsum affert [b] tam in quæstionibus Vallis-umbrosanis, quam [c] in historia monasterii Passinianensis, sed ipsius notæ chronicæ apud utrumque erroribus deturpantur. Has enim præfert apud Ughellium: *Anno Dominice incarnationis* M. XII. *indictione* X. *anno vero domini Henrici* II. *regnantis* XXI. *imperantis vero* VIII. *Actum pridie kalendas januarii Ravenne feliciter amen*. Similes notas exhibet Soldanius in memoratis quæstionibus. Verum anno M. XII. indictio quidem decurrebat X. sed minime erat annus XXI. regni Henrici, sed potius annus XI. regni Germaniæ; multo minus annus VIII. imperii, cum post biennium tantum, anno nimirum M. XIV. coronatus fuerit imperator; insuper id est contra fidem historiæ; anno enim M. XII. Henricus non erat in Italia, sed *Palithi in Germania celebravit natale Domini, & festum epiphaniorum Alstidii*, ut testis est Ditmarus, [d] una cum Benedicto papa VIII. qui Roma fugiens ad ipsum in Germaniam convolaverat. Ad alterum ergo annum assignanda est donatio abbatiæ Bifurcensis facta Romualdo ab Henrico imperatore. Ideo Soldanius, qui emendaverat in quæstionibus suis Vallumbrosanis Grandium nostrum [e] eam referentem ad annum M. XXII. sententiam mutans in historia Passinianensi, putavit etiam ipse pro anno M. XII. esse substituendum annum M. XXII. qui reapse erat XXI. regni Henrici II. & VIII. mense decembri imperii, & pro indictione X. apponendam esse indictionem V. Porro Grandius ante ipsum sententiam suam aperuerat his verbis. [f] „ Denique illud etiam „ movere potest, cur utrobique ad annum 1022. privilegium referam Hen- „ rici imperatoris, quo sancto Romualdo abbatiam sancti Benedicti ad „ Bifurcum munificentissime donavit: quando Didacus Franchus, Augu- „ stinus Lubin, Ferdinandus Ughellius & alii id anno 1012. contigisse, „ ipsiusmet diplomatis fide, confirmant. Sed enim advertendum est, il- „ lius diplomatis numeros male consignatos omnibus imposuisse: cum „ enim subscriptum esset revera hoc modo: *Datum anno Dominicæ in-* „ *carnationis* M. XXII. *indictione* V. perperam ab antiquariis exscriptum „ est: *Datum anno Dominicæ incarnationis* M. XII. *indictione* X. (uno X. „ nimirum ibi subducto, hic vero lineis infra angulum protractis, & V. „ in X. commutato). Nec saltem ex sequentibus verbis, quæ tamen in- „ tegra ab Ughellio referuntur tom. II. pag. 513. videlicet: *Anno vero* „ *domini Henrici* II. *regnantis* XXI. *imperantis* VIII. in suspicionem evi- „ dentissimi erroris ullus inductus est, cum pateat, has notas ad annum „ 1022. non 1012. referri; siquidem Henricus anno 1001. rex Germa- „ niæ, & 1014. Romanorum imperator est coronatus; unde annus regni „ XXI. & imperii VIII. in annum 1022. a nobis designatum, non in an- „ num 1012. quadrare potest. “ In Responsionibus [g] autem ad quæstiones Vallumbrosanas ejusdem Soldanii, diploma emanatum censet idem Grandius eodem anno 1022. exeunte; cum juxta Sethum Calvisium, ut ipse ait, Henricus redux non fuerit in Germaniam, nisi anno 1023. Verum constat jam ex annalista, & ex chronographo Saxone Henricum alpium cacumina citato transgressum cursu, declinante æstate anni 1022. propter epidemiam, qua laborare cœperat ejus exercitus tempore obsidionis Trojæ, reversum fuisse in Germaniam, ubi concilium plurium episcoporum celebra-

ANN. CHR. 1022. ROMUALDI 115.

a T. II. col. 493.
b Pag. 125.
c Pag. 197.
d Chron. Lib. VI. versus finem.
e Dissert. Cam. II. pag. 143.
f Ibidem.
g Cap. IX. n. 10.

Ann. Chr. 1022. Romualdi. 115.

celebravit; & licet ægre credimus concilium hocce fuisse Salegunstadiense habitum die 12. augusti hujus anni, ut existimat Solerius S. J. & Bollandianus continuator [a], quia cum esset Henricus in comitatu Lucense x. kal. augusti, fieri vix poterat, ut die 12. augusti esset Salegunstadii, atque copiosum jam numerum convocare potuisset episcoporum; præterquamquod Salegunstadiensi synodo præfuisse archiepiscopum Moguntinum cum quinque dumtaxat suis suffraganeis reperimus; licet nimirum Henricum huic concilio interfuisse dubitemus, interfuit tamen alteri synodo plurium episcoporum in Germania hoc anno ad finem vergente. Insuper II. *nonas januarii anno Dominice incarnationis* M. XXIII. *anno vero domni Henrici regnantis* XXI. *imperii vero ejus* VIIII. *indictione sexta*, anno scilicet sequenti, & quinque diebus post trigesimam-primam diem decembris anni 1022. Paterbonæ commorabatur Henricus, ut ex diplomate pro monasterio Casinense constat, signato superioribus notis [b] apud Gattolam. Si ergo Henricus mense decembri hujus desinentis anni non erat amplius in Italia, quomodo conciliari poterit diploma datum Ravennæ pridie kalendas januarii M. XXII.? Dicendum proinde præceptum Henrici pro abbatia Bifurcense datum fuisse Romualdo ab Henrico imperatore ultima die decembris anni 1021. qui a nativitate Domini ante septem diem numeratus incœperat jam esse 1022. sicut & indictio vel a septembri, vel a natali Dominico inchoata erat quinta. Emendandi tamen erunt anni regni; cum enim electus fuerit Henricus rex Germaniæ mense majo anni 1002. ad finem anni 1021. nonnisi vigesimus perdurabat regni annus; annus vero octavus ejus imperii optime congruit; numerando enim a mense februario anni 1014. quo coronatus fuerat imperator., ad ultimam diem anni 1021. adhuc perseverabat octavus ipsius imperii annus. Quare sic chronicæ notæ diplomatis Bifurcensis corrigendæ erunt: *Datum anno dominice incarnationis* M. XXII. *indictione* V. *anno vero domini Henrici* II. *regnantis* XX. *imperantis vero* VIII. *Actum Ravenne. Feliciter*. Quod autem exeunte anno 1021. Ravennæ potuerit commorari Henricus ex eo colligimus, quia die VI. decembris placitum tenuit [c] Veronæ; die X. erat [d] Mantuæ; januario anni sequentis juxta [e] Leonem Ostiensem cum exercitu movit Apuliam versus, ergo XXXI. decembris ejusdem anni 1021. bene poterat Ravennæ consistere, progressurus inde versus Apuliam. Bifurcense præceptum Henrici protulit Ughellius ab exemplo deducto ex ipso autographo existente in libro privilegiorum congregationis Vallis-umbrosæ, qui custoditur in tabulario sanctæ Praxedis de Urbe. Ab exemplaribus cœnobii Ripulensis, aliisque in medium attulit Soldanius tum in quæstionibus, tum in historia Passinianensi. Ipsum nos in Appendice edimus, facta ejusdem collatione cum illo Ughellii, & cum duobus ipsius Soldanii, ex quarto veteri apographo, quod ex archivo imperialis collegiatæ sancti Laurentii Florentiæ exscripsit amicissimus nobis, & huic generi studiorum deditissimus domnus Joseph-maria Gherardinius sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia monachus Camaldulensis noster.

a *Act. SS.* XIV. *Julii*.

b *Hist. Casin. Access. P. I. pag.* 120.

c *Antich. Estensi Par. I. cap. XIV.*

d *Antiq. medii ævi T. VI. col.* 329.

e *Lib. II. cap.* XXXIX.

XXIII. De Romualdi eremitico instituto.

Opinatur idem Ughellius ab hoc donationis anno cœnobium sancti Benedicti Bifurci in eremitarum sedem fuisse commutatum, & pium imperatorem ita permisisse Romualdo, quod in ipsum vitam eremiticam induceret, ut tamen religiosi viri, qui in ea disciplina excolebantur, una cum eremitico secessu, & ab humano consortio segregati, divi Benedicti instituta sectarentur ac conjungerent. Sed jam vidimus superius eremitas, & quidem sub disciplina Romualdi, eo loci consedisse ante diploma Henrici, & ignorat nullus Romualdi eremiticum institutum fuisse secundum regulam sancti

cti Benedicti. Illud potius ex hac pagina donationis eruitur, monasterium traditum fuisse Romualdo pro reformandis monachis, & eremum pro perficiendis sanctioribus viris illis, qui solitudini operam darent, utrisque tamen juxta ipsam regulam sancti Benedicti, quam unicam profitebatur Romualdus; habemus enim in ipso diplomate distingui Romualdum, suosque successores ab abbate ipsius monasterii, illiusque successoribus; ac ex Damiano intelligimus Romualdum multa mala perpessum fuisse ab abbate ipsius cœnobii. Duo propterea in Romualdo insignes characteres sunt agnoscendi, reformatoris nimirum disciplinæ Benedictinæ collapsæ, & eremiticæ vitæ propagatoris. Existimat secundo Ughellius, Ildebrandi episcopi Faventini potissimum opera, Henricum imperatorem divo Romualdo eremitarum Camaldulensium conditori abbatiam hanc sancti Benedicti in alpibus ad Bifurcum sitam confirmasse. Potuit id contingere; verum nulla in præcepto fit Ildebrandi mentio, & solo potius *interventu religiosi viri domini Romualdi monachi & eremite* apparet chartam donationis conceptam & scriptam fuisse.

Ann. Chr. 1022. Romualdi 115.

XXIV. Ildebrandus ep. Faventinus beneficus in monast. SS. Hippolyti & Laurentii.

Ceterum Ildebrandus Faventinus episcopus, cujus gesta vetustate temporum obruta, nec posteritati alia ipsius monimenta propagata fuisse conqueritur idem Ughellius, beneficum se exhibuit erga monasterium sanctorum Laurentii & Hippolyti de Faventia, seculo sequenti XII. Camaldulensi eremo aggregatum, quod an etiam seculo præsenti reformationem susceperit Romualdi, non omnino liquet. Charta quidem donationis Ildebrandi non est autographa, sed exemplum antiquissimum, & ejusdem fere seculi, in dicto monasterio asservatum, quod publici juris facimus in Appendice, tum ad indicandam antiquitatem cœnobii hujus, quod postremis his seculis sedes est supremi nostri præsidis, tum etiam ad illustrandam memoriam Ildebrandi episcopi, de quo præter Ughellium pauca admodum habet etiam Tonduccius in historia Faventina. Destituitur exemplum hoc notis chronicis; verum cum Ildebrandus subscripserit Ravennati concilio temporibus Gerberti archiepiscopi anno 998. rursusque alteri subscriptus reperiatur sub Arnaldo archiepiscopo Ravennate anno 1016. ut vidimus; alia vero ex parte primum monumentum, quod superſit, Ethici illius successoris pertineat ad annum 1032. in quodam judicato apud [a] Muratorium, intra hoc temporis spatium locum habet hujusmodi Ildebrandi charta, qua *Johanni venerabili presbytero atque abbati regule monasterii sancti Laurentii & sancti Hippolyti* concedit jus *in capellam sancti Antonini*, ea conditione, ut in ipsa *omni tempore diurnarum atque singularum horarum laudes matutinas & missas omnia absque intermissione* celebrare faciat; statuens præterea ut, qui in ipso monasterio fuerint aggregati, *omni tempore pro defunctis scilicet christianis orare, qui sua in prefata obtulerunt ecclesia aut obtulerint, & orationes continuas in psalmis & missis facere* debeant, & pro se *peccatore Ildibrando episcopo sancte Faventine ecclesie tribus vicibus omni die psalmum quinquagesimum in conspectu Domini canere, & in die anniversarii sui totum officium mortuorum celebrare* teneantur. De monasterio sanctorum Laurentii & Hippolyti, & de capella sancti Antonini plura dicemus suis annis.

a *Piena espo. siz. &c. di Comachio Append. p.* 361.

XXV. Præceptum Henrici imp. pro monasterio Burgensi.

Idem Henricus imperator Beneventi existens (quo die ignoratur, cum deficiat mensis & dies in præcepto, ut deficit in pluribus aliis ejusdem Henrici, quæ enumerat Muratorius in Annalibus; mensibus tamen februario, martio & aprili erat in urbe Beneventana, profecturus ad obsidionem Trojæ, ut ostendit ex placitis ibidem habitis [b] Muratorius, atque proinde aliquo ex eis mensibus hujus anni) Roderico abbati monasterii sancti Se-

b *Annal. T. VI. pag.* 70.

Ann. Chr. 1022. Romualdi 115.

pulcri confirmavit bona ejusdem cœnobii, inter quæ recensentur ab imperatore *ecclesia & monasterium beati sancti Apollenaris sito Cerreto a nobis noviter adquisito, & ecclesia sancti Cervonii & sancti Jacobi, & ecclesia sancti Rufini*. De monasterio autem sancti Sepulcri illud illustre narratur, quod ibi *prestantur multa beneficia infirmis, & fiunt mirabilia crebra ad laudem & honorem nominis ejus secundum prophetiam illam, quæ dixit: & erit sepulcrum ejus gloriosum. Data anno Dominice incarnationis* M. XXII. *indictione* V. *regni vero domini Heinrici Deo propitio* XXI. *imperii vero* VIIII. *Actum vero Benevento feliciter. Amen. Theodericus cancellarius a vicem Everardi episcopi & archicancellarii recognovit*. Everardus episcopus & archicancellarius est Eberardus episcopus Bambergensis, qui etiam Ebbo appellatur in diplomate concesso hoc ipso anno ab eodem Henrico imperatore monasterio Casinensi, quod refert Gattola in historia illius archicœnobii [a]. Everardus sive Ebbo, præter eam dignitatem, alteram etiam obtinebat archicapellani, nisi dicamus idem fuisse archicancellarii & archicapellani officium. Theodericus vero, vel Theddericus, Theiricus vocatur in placito hujus anni existente in [b] chronico Vulturnensi. Mabillonius [c] videtur existimasse monasterium sancti Apollinaris ab Henrico noviter acquisitum fuisse prope Beneventum; quod tamen nos conjicimus parum distasse a Burgo-sancti-Sepulcri, quo tamen in loco existeret, monumentorum defectu ignoramus; legi etiam posset in autographo *a vobis*, idest Roderico abbate, *noviter acquisito*. *Noceuti* quoque appellat idem Mabillonius, quod in diplomate legitur *Noceati*; *Rotbertum* facit abbatem conditorem monasterii sancti Sepulcri, qui fuit *Rodericus*; apud *Caretum* demum statuit monasterium sancti Apollinaris, quod erat situm in loco, qui dicebatur *Cerretum*. Privilegium hoc autographum extat in tabulario Fontis-boni, ex quo descripsimus, & in Appendice edimus. In codice jurium abbatis Burgensis contra episcopum & urbem Civitatis-castelli, qui asservatur in bibliotheca Mediceo-laurentiana [d], & exaratus fuit anno 1454. atque oblatus Nicolao V. Romano pontifici, cujusque initium in suo Gratiano retulit V. Cl. Hieronymus Lagomarsinius S. J. præter prædictum Henrici privilegium, quod indicatur, enumerantur alia duo ejusdem Henrici diplomata concessa eidem monasterio sancti Sepulcri, & Roderico abbati, in cujus tamen nominis deleti loco ab eodem scriptore substituitur semper nomen *Bonilii*. Primum datum dicitur anno imperii sui, hoc est regni, nono apud Papiam anno M. XII. secundum vero apud Golfam anno Domini M. XV. De his nil superaddimus, quoniam eorum autographa vel exemplaria non vidimus.

a *Access. Par.* I. *pag.* 119.

b *Script. rer. Italic. T.* I. *Par.* I. *p.* 497.

c *T. IV. pag.* 288.

d *Plut.* 66. *cod.* 26. *p.* 3.

XXVI. Alcherius comes Bononii obit.

Obiit hoc anno Alcherius præpositus Lucediensis, comes individuus peregrinationum Bononii abbatis itidem Lucediensis; teste enim Ratberto [e] *quadriennio Bononium præcedens viam universæ carnis ingressus est*. Videbimus porro Bononium decessisse anno 1026.

e *Vit. S. Bonon. cap.* I.

Ann. Chr. 1023. Romualdi. 116.

XXVII. Romualdus condit asceterium pro virginibus in Valle-bona.

Haud multa distantia, quæ inter Bifurci abbatiam, & comitatum Vallis-bonæ intercedit, nos inducit, ut opinemur, constructionem monasterii ancillarum Dei in Valle-bona, de qua loquitur Damianus, peractam fuisse circa hunc annum a Romualdo. Reperitur quidem Vallis-bona in diœcesi Arretina; Sigifridus enim abbas Prataliæ locat unam domum cum terra posita in casali *Contra*, territorii Partinæ, vocabulo *Valle-bona* anno 1038. Alia Vallis-bona in Castillione erat, alia in agro Mucellano, in qua postrema etiam constructum erat cœnobium, cujus prior Angelus dono recipit terras quasdam, ut in instrumento monasterii Cister-

sterciensis Florentiæ signato L. *63.* [a] apud Lamium. In altero documento anni 1104. ecclesia *Vallis-bonæ in Mucello* nominatur *ad honorem & regimen monasterii sancti Salvatoris sito loco Septimo* [b] apud eumdem. Sed illustrior erat Vallis-bona in Galeatensi territorio, cujus frequens mentio in chartis pertinentibus ad sacram eremum Camaldulensem, ubi sæpius *comites Vallis-bonæ*, *curtes de Valbona*, *censualia servitia Vallis-bonæ*, *homines de Valle-bona* memorantur; in quo etiam loco, desinente hoc eodem seculo XI. novæ eremi sub disciplina Camaldulensis erectæ fuere. In Galeatensi ergo Valle-bona, melius quam in aliis diœcesibus, & rectius quam in sancto Petro Valbonæ territorii Moncipelli, ut conjicit Collina noster, vel in provincia Capitanatæ, ut eam statuit Lubinus, quæ loca a sancto parente nostro minime frequentata fuere, videtur locatum asceterium hocce a Romualdo constructum. In actis concilii Florentini ab Horatio Justiniano editis, fit mentio Martini Rogæ abbatis Vallis-bonæ, qui post Ambrosium Camaldulensem sedit, & peroravit Ferrariæ in eo concilio die mercurii VIII. januarii anni 1438. Quare firmat Collina conjecturam suam, secedentibus monialibus eum locum in solitudine positum occupasse postea monachos. Sed, in qua diœcesi fuerit abbatia Vallis-bonæ, cui præsidebat Martinus, ignoramus. Illud scimus, ubi ubi demum fuerit hoc asceterium ancillarum Dei, cum ipsum condere statuisset Romualdus, rumorem excitasse ejus discipulos, plaudentes alios novæ erectioni, improbantes alios. Quid dæmon profecerit in hac ipsorum discordi opinione, enarrat [c] Damianus. *Rursus alio tempore cum monasterium ancillarum Dei, quod est in Valle-bona, construere decrevisset, discordia mox inter sancti viri discipulos oritur, quia videlicet alii nolunt, alii vero, ut fieret, vehementer insistunt. Cumque ante venerabilem virum utræque dissidentium partes diversa utentes allegatione contenderent, cœpit diabolus ante portellam cellæ, quasi malleo, vegetem sine cessatione percutere, & per reboantem silvam crebris audiebatur tunsionum ictibus intonare. Deinde cum jam omnes unanimiter monasterium fieri concordassent, ecce malignus spiritus, cunctis audientibus, ululare, plorare & flebiles non cessabat voces emittere. Postremo autem cum jam divisi ad suum quisque reverteretur hospitium, prosequebatur eos antiquus hostis cum tanta tempestate & turbine, & quasi omnia ventorum genera commovens, ut totam silvam radicitus evellere putaretur. Quidam vero fratrum increpans eum dixit: Præcipio tibi in nomine sanctæ Trinitatis immunde spiritus, ut desinas venire post nos. Et ita fugatus est. Jure quippe auctor discordiæ, composita pace, compulsus est in fletum prorumpere, qui prius audiebatur crescente rixa gaudere, & qui tunc quasi circulum vacui vasis abstrahere, & partes, quibus compactum fuerat, dissipare tentavit, constrictis jam in vinculo pacis & caritatis compage discipulis, tristis abscessit.* Ex his postremis verbis patet Damianum vegetem usurpasse pro dolio. Hæc vox occurrit in hac significatione in Rodulphi nostri constitutionibus sub rubrica de usu vini: *Studeant ergo ministri, quibus hæc imminet sollicitudo, ut vindemiarum tempore in vegetibus ad hoc præparatis congruenter purgatis, quorum & sine ullis aquarum mixturis recondatur vinum*; reperitur in vita sancti Johannis Traguriensis: *In tanta paucitate uvarum tres majores jam replevimus vegetes*; in alia sancti Andreæ de Galeranis: *Ivit ad vegetem & facto signo crucis hausit abunde vegete repleta divinitus*; Domnizo lib. I. de vita Mathildis cap. XIII. *imperat argenti vegetem subito fabricari*. In bulla [d] Alexandri papæ III. concessa Lombardo quondam archiepiscopo Beneventano anno 1179. apud Ughellium: *Sexaginta saumas puri vini per annum cum vegetibus, in qui-*

a *Deliciæ erudit. an.* 1743. *pag.* 1062.

b *Ibid. pag.* 1095.

c *Cap.* LXII.

d *T. VIII. col.* 123.

ANN. CHR. 1023. ROMUALDI 116.

bus possit reponi. Auctor chronici Trium-tabernarum [a] apud eumdem habet in episcopis Catacensibus: *Impius archipresbyter venenum bibere obtulit* (episcopo scilicet Scillacii) *qui cum gustasset*, *statim stupefactus cecidit mortuus*, *moxque igitur in vegetem inclusit & per magnam rupem illum præcipitavit*. Quæ hic collegimus, ut ostenderemus *vegetis* vocem fuisse usurpatam his seculis; dum alii credentes barbaram esse dictionem, minusque consuetam, legunt in Damiano, pro *vegete*, vectem, quo usus fuerit dæmon quasi malleo; sed jam Damianus satis abunde se manifestat per *circulum vacui vasis* dolium intellexisse ad aquam vel vinum recipiendum aptum.

a T. IX. col. 360.

XXVIII. Theodaldus ep. Arretinus donat monasterio Pratalienfi.

THEODALDUS, qui Alberto episcopo in sede Arretina successerat anno præsenti, anteriorum episcoporum vestigia sectatus, monasterio de Pratalia, Sigizoni abbati & ejus successoribus, qui juxta regulam sancti patris Benedicti vixerint, largitur domum positam infra plebem sancti Hippolyti in Biblena, vocabulo *Peza*, cum vineis, pratis & silvis *manu Hugonis notarii mense julio indictione sexta* hujus anni. Verba donationis sub tali formula sunt expressa: *A fidelitate sancti Donati judicamus & tradimus in monasterium*, *que est super jure sancti Donati*, *& est dedicato in uno vocabulo Pratalia*. Sed integra donatio reperietur in Appendice.

XXIX. Donationes aliæ factæ monasterio Berardingorum.

RAINERIUS ejusque jugalis Icta filia bonæ memoriæ Farolfi, qui fuit comes, monasterio *sancti Salvatoris de Fonte-bona*, dicto postea Berardingorum, donant hoc anno tertiam portionem *de ecclesia & capella sancti Johannis sita vocabulo Modini*; *medietatem de ecclesia sancti Cosme in vocabulo Campi*, *& decem sortes domos inter & terras*. Donatio fit *Sena*, *locus infra casa nostra domnicata*, *que est intus castello nostro de Monte-Aperto*. *Henricus gratia Dei imperator augustus anno imperii ejus Deo propitio decimo idus decembris indictione septima*, exordio scilicet ducto a mense septembri. Nescimus, an hoc anno abbas ejus monasterii esset Ardimannus, de quo extat memoria ad annum 1007. vel Ubertus, cujus mentionem faciemus ad annum 1037. Chartam donationis ex apographis Huberti Benvoglientii damus in Appendice.

XXX. Monasterii S. Petri in Vincula agri Ravenn. primordia.

SPECTAT ad hæc circiter tempora appulsus Gerardi Sagredi in Pannoniam. Is ex nobilissima gente Venetiis natus *monasticæ religionis habitum puer accepit* in cœnobio sancti Georgii-majoris Venetiarum per manus Johannis Mauroceni, olim Romualdi socii in cœnobio Cuxanensi, inde fundatoris, primique abbatis ejusdem monasterii sancti Georgii. Electus Gerardus tertius loci abbas, *cupido eum incessit invisendi Dominicum sepulcrum*; quare regimine cœnobii sese abdicans, iter versus Palæstinam suscepit; verum cum pervenisset *in Pannoniæ partes*, *cujus habenas tunc christianissimus rex Stephanus moderabatur*, benigne ab ipso exceptus, sed simul retentus fuit in eo regno, ne ultra procederet, dimissis alibi ejus peregrinationis sociis, *Cernens servus Christi se solum illic derelictum*, *ut populi strepitus evitaret*, *ejus regionis eremum*, *quam Beel vocant*, *petiit*, *atque illic septennio jejuniis & precibus vacans*, *excepto Mauro monacho*, *solus habitavit*. Ad Guntheri Bohemi eremitæ preces Stephanus monasterium illud ædificaverat, teste Chartuitio, sed probabiliter etiam ad Andreæ & Benedicti ei generi vitæ assuetorum, & ad discipulorum Romualdi, inter quos fuerat Gregorius, qui Hungariam ad annum 1010. penetraverant, incolatum. Maurum monachum credimus, post [b] Mabillonium in actis Sanctorum, eumdem cum Quinquecclesiensi postea præsule, scriptore vitæ Andreæ & Benedicti eremitarum. Post septennium rex Stephanus *servum Dei Gerardum ab eremo revocavit*, *pontificalique infula deco-*

b *Secul. VI. Par. I. pag.* 550.

cora-

coratum ad prædicandum populo suo destinavit, & ecclesiæ Morissenæ præfecit præterpropter ad annum 1030. ne si Gerardi assumptionem ad episcopale munus retrahamus post annum 1030. quo tantum anno ipsum cœnobii sancti Georgii abbatiam dimisisse scribunt ejusdem loci historici, septennium ægre reperiatur eremiticæ ipsius vitæ. „ A Gerardo Morisien„ si episcopo facto consecrari curavit Stephanus (verba sunt [a] Mabillo„ nii) ut popularibus suis ad apostolorum limina voti causa profecturis „ consuleret, monasterium sancti Petri ad Vincula dictum in agro Ra„ vennati a se constructum, assignato annuo vectigali vigintiquinque mar„ carum puri argenti, quo non solum monachi ibidem ab ipso constitu„ ti, sed etiam peregrini Hungari alerentur. Id patet ex ejusdem regis „ diplomate apud [b] Rubeum relato, quod Stephanus jam Hungariæ rex „ venerabilibus viris abbatibus & conventui monasterii sancti Petri ad „ Vincula, quod in territorio Ravennæ situm est, inscribit. Hoc in di„ plomate ait rex, se hoc monasterium cum consilio Gerardi venerabilis „ episcopi ecclesiæ Morisenæ fidelis sui, una cum nobili viro Romano „ duce Ravennæ, construi fecisse per prædictum Gerardum, ac auctorita„ te Romanæ ecclesiæ dedicari, ut in ipso monasterio servire Deo pos„ sint monachi, & peregrinos Hungaros; ac nuntios ipsius regis tracta„ re. Quamobrem vigintiquinque marcas puri argenti de camera sua se „ quotannis persolvendas assignare. " Atque hæc sunt primordia monasterii Ravennatis sancti Petri ad Vincula, quod seculo XIII. ad Camaldulenses pertinebat, pertinuitque deinceps, donec ad commendatariorum servitium transiens, modo sola rudera antiquæ ecclesiæ & monasterii retinet. Nullam diplomati regio apponi chronicam notam observat Mabillonius. Cum tamen ejus ecclesiæ dedicatio fieri debuerit a Gerardo episcopo Morisiensi, post annum 1030. statuendum est etiam diploma, & ante annum 1038. quo obiit piissimus rex. Idem Mabillonius ipsum refert ad annum 1000. quod ab eo factum facile fuerit, ut ceteris Stephani gestis hoc etiam pietatis insigne adjungeret; magis autem miramur Rubeum, qui erectionem hujus monasterii narrat ad annum 963. quo nedum rex erat Stephanus, nedum episcopus Gerardus, sed nedum uterque illorum erat natus. Diploma in Appendice recudimus ex Rubeo ad illustrandam originem hujus nostri monasterii, de quo aliqua dicemus in consequentibus annis.

ANN. CHR. 1023. ROMUALDI 116.

a Annal. T. IV. p. 144.

b Lib. V. p. 260.

XXXI. Donationes factæ monast. Gregoriano de Urbe.

ANNO *duodecimo Benedicti octavi papæ atque Henrici imperatoris anno decimo indictione sexta mensis julii die ....* Leo nobilis vir filius quondam Leonis bonæ memoriæ, qui dicebatur *Buccaberta*, consentiente sibi Theodora nobilissima femina jugali sua, donat Johanni religioso presbytero atque coangelico abbati monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe, & cellæ, quæ est ad honorem Dei, & beatæ Fortunatæ virginis ac posita in territorio Sutrino, portionem suam terrarum sitam prope jam dictam ecclesiam sanctæ Fortunatæ. Tabulæ donationis ex codice Gregoriano nostro habentur in Appendice, cum altera donationis charta, quam in eodem territorio Sutrino mense junio hujus anni eidem Johanni, eidemque ecclesiæ sanctæ Fortunatæ fecere Anselmus & Wido, Benedicta & Guaccus subdiaconus sanctæ Romanæ ecclesiæ, fratres filii quondam Rutherii bonæ memoriæ. Nominantur in postrema charta *ecclesia sancti Cesarei* posita in territorio Sutrino in fundo *Martula*, *& venerabile monasterium sancti Blasii*. De ecclesia, seu monasterio sanctæ Fortunatæ in territorio Sutrino, quod erat subjectum monasterio sanctorum Andreæ & Gregorii nonnulla occurrent dicenda seculis sequentibus.

QUAN-

Ann. Chr. 1024. Romualdi 117.

XXXII. Miracula Romualdi.

a Vit. S. Rom. cap. LIV.

QUANDOQUIDEM narrat Damianus aliqua Romualdi miracula, vel diabolicas, quas passus fuit sanctus vir, persecutiones, quæ nonnisi divinando ad suos annos assignarentur, placuit nobis hoc & sequenti anno ea in medium adducere, ut completam omnino sancti doctoris enarrationem de vita ipsius sancti Romualdi habeamus. Insanum aliquando osculo sanavit. *Vir quidam*, inquit, [a] *capitis patiebatur insaniam, ita ut sensu rationis amisso vel quid ageret, vel quid diceret, funditus ignoraret. Huic Romualdus nihil aliud fecit, nisi solummodo osculum præbuit, & protinus illum ad incolumitatem pristinam revocavit, & cum inquieto homine dum pacem fecit, ad mentis eum suæ pacem reduxit. Referebat autem postmodum ille, qui curatus fuerat, dicens: Quia cum sacra beati viri labia tangere merui, statim prodire ex ore ejus quasi vehementis auræ spiritum sensi, qui totam faciem meam, & ipsum denique sinciput perflans, omnem cerebri æstuantis ardorem protinus effugavit.*

b Vit. S. Rom. cap. LIX.

Mulierem aliam Romualdus in amentiam versam benedictione sanavit [b]. *Secularis quidam vir, Arduinus nomine, Romualdo se ad suscipiendum sanctæ conversationis habitum tradidit, deinde domum, ut sua quæque disponeret, remeavit. Cumque eum uxor sua venientem vidisset, femineo nimirum furore succensa, exclamavit adversus eum dicens: Sic, bone vir, ab hæretico illo & antiquo seductore nunc venis, & me miseram & destitutam omni humano solatio derelinquis? Et hoc dicto, protinus in amentiam vertitur, & ita furere, & conquassari cœpit, ac si patenter a dæmonio vexaretur. Habebat autem vir sanctus hujusmodi consuetudinem, ut si quando fratres in viam dirigeret, benedictionem illis, sive panem, sive pomum, seu quodcumque aliud daret. Unde discipuli, ut experti multoties fuerant, certum tenebant, quod si ex benedictione magistri cuilibet ægroto porrigerent, ad salutem illum incolumem revocarent. Nam & ex aqua, unde manus ejus abluebantur, plures languidi sæpe restituti sunt sanitati. Quod tamen cautissime oportebat fieri, ne si vir sanctus hoc aliquatenus deprehenderet, in gravissimam tristitiam deveniret. Cum igitur diu jam femina miserabiliter vexaretur, quidam fratres, qui aderant, de benedictione panis, quam a magistro susceperant, ei particulam tradiderunt. Deinde cum hoc mulier comedisset, mox mente sedata, ab omni redditur insaniæ furore liberrima. Quæ protinus omnipotenti Deo & Romualdo famulo ejus recuperatæ sanitatis gratias retulit, & viro suo conversionis licentiam ulterius non negavit.* Exemplum habemus usus panis vel pomi pro *benedictione* in vita sancti Theobaldi scripta a Petro Vangaticiensi abbate, in qua legitur, sanctum virum panem unum, quem a quodam monasterio acceperat, parentibus suis *pro benedictione* misisse.

XXXIII. Inobedientiæ & obedientiæ discipulorum Romualdi exempla.

c Vit. S. Rom. cap. LVIII.

INOBEDIENTIÆ pariter pœnam, & obedientiæ fructum duorum Romualdi discipulorum enunciat Damianus his verbis. [c] *Aliquando vir venerabilis cujusdam causa necessitatis in viam ire disponens, uni discipulorum cellam commisit, & usque ad suum reditum in ea illum manere præcepit. Ille vero temerarius, dum debiti honoris reverentiam magistro non servat, audacter in ejus strato jacere non dubitat. Ecce autem in ipsa nocte maligni spiritus super eum immaniter irruunt, gravissimis eum verberibus atterunt, & projectum de lecto pene seminecem derelinquunt. Merito namque tam superbos suæ offensionis ultores pertulit, qui in talem virum postposita humilitate peccavit, & dum pio magistro non exhibuit reverentiam, ex duris & impiis sensit manibus disciplinam. Similiter quoque postmodum venerabilis vir iter acturus, alium in eadem cella discipulum dereliquit. Cui cum discipulus diceret: Magister, ego in lecto tuo non jaceo, quia, quod alii*

alii contigit, mihi etiam consequenter evenire formido. Ille respondit: Fili mi, jace & dormi securus; ille enim in eo recubans iccirco in manus inimicorum incidit, quia parvitatis meæ licentiam non accepit; tu autem accepto consensu, in Deo spem pone, & sine pavore quiesce. Qui videlicet in eo, sicut jussus fuerat, jacuit; & nullum omnino casum adversitatis incurrit. ANN. CHR. 1024. ROMUALDI 117.

Dæmoniaci insuper curationem refert. [a] *Alio quoque tempore puer quidam dæmoniacus ad beatum virum delatus est; cui ille nihil aliud fecit, nisi pro benedictione sibi panis particulam tradidit. Qua mox puer ille refectus, confestim est a dæmonio liberatus. Jure quippe, postquam benedictio Romualdi male possessum corpus intravit, inde confestim malignus spiritus cauteriatus exivit.*

a *Vit. S. Rom. cap.* lx.

XXXIV. Gariperga monialis donat monast. Prataliensi.

DIGNAM observatione chartam legimus in archivo Fontis-boni, *Gariperga sanctimonialis filia quondam Alberici, qui fuit vocatus Albizo*, nomine judicati tradit *monasterio sancte Marie matrem Domini ac virgine, que est dedicata a radice montis agutis, qui dividet Tuscie e Romanea*, hoc est cœnobio Prataliæ, domum & terram cum vinea, & promittit *cum filiis & heredibus suis* se compositturam in duplum, si unquam contra judicium suum ageret. *Sanctimonialis* hæc fuerat conjugata, & filios habebat; quapropter potuerit in statu viduitatis se Deo consecrare; vel si conjugem adhuc habebat Gariperga, vocatur *sanctimonialis*, scilicet sanctæ vitæ femina. In vita sancti Theobaldi nostri eremitæ Vicetini legitur Herebertum episcopum Mutinensem sororem habuisse *religiosam sanctimonialem*, quæ Theobaldum conveniens ipsum pro fratre exoravit. Mabillonius [b] morem affert hujus temporis nonnullarum mulierum, quæ sub velamine sanctæ religionis in privatis ædibus remanebant, & exemplum producit nobilis matronæ Senensis nomine *Avæ filiæ bonæ memoriæ Zenonis comitis relictæ Ildebrandi*, quæ velamen sanctæ religionis induta, nihilominus in domo conjugis sui defuncti permanebat ad annum circiter 1001. Donatio Garipergæ signatur: *Anno Einrici imperatoris Romanorum anno regni ejus undecimo mense september indictione septima*. Vel ergo nondum innotuerat in Thuscia mors Henrici, qui obierat mense julio, vel nomen Henrici in tabulis publicis supervivebat, nulla habita ratione Conradi electi regis Germaniæ, qui anno tantum 1026. regnum Italiæ fuit adeptus.

b *Annal. T. IV. pag.* 147.

XXXV. Charta monasterii Gregoriani.

ANTERIOR supradicta est charta spectans ad monasterium sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe; *anno* nimirum *Deo propitio pontificatus domni Johannis &c. nonidecimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli primo, imperante domino piissimo perpetuo augusto Henrico a Deo coronato magno imperatore anno undecimo indictione septima, mense aprilis die vicesima*. Ergo ante eam diem jam obierat Benedictus VIII. Johannis summi pontificis suique successoris frater, & non mense junio, ut post Pagii observationem, communiter credi autumat Muratorius: [c] *Magnifico viro Andree, qui vocatur de Viola*, Johannes coangelicus abbas sanctorum Andreæ & Gregorii hac charta locat casale in *Mandra Camellaria*, ut integre legitur in conventione, quam damus in Appendice, una cum charta superiore Prataliensi.

c *Ann. T. VI. pag.* 75.

Bonus abbas sancti Michaelis prope Pisas, cujus monasterii fuerat conditor, ut narravimus ad annum 1018. pluribus emptionibus sacrum illum locum augere satagebat. Hoc anno *merito annuli aurei* acquisitionem bonorum fecit a Cunerado, qui Cunitio vocabatur, & a Luitio presbytero, quam ex tabulario ejusdem cœnobii proferimus in Appendice.

A Puc-

Ann. Chr. 1024. Romualdi 117.

a Pag. 203.

A Puccinellio [a] in historia abbatiæ Florentinæ in medium profertur synopsis alterius chartæ sub hoc anno mense octobri indictione octava a septembri inchoata, qua Ildiprandus & Berardus filii bonæ memoriæ Berardi, *qui fuit Saligo ex genere Francorum* offerunt in monasterio Domini & Salvatoris nostri, qui est *in casali Campis & in vocabulo ad Fontebona* domum & res &c. Eruta fuit paginæ synopsis ex membranaceo volumine abbatiæ Berardengæ.

Ann. Chr. 1025. Romualdi 118.

XXXVI. Dæmonis incursus contra Romualdum.

b Vit. S. Rom. cap. lxi.

QUANTA molitus fuerit dæmon contra Romualdum jam ab initio suæ conversionis, alibi ubertim vidimus; quanta pariter persecutionum scandala per ejus discipulos contra ipsum moverit, abundat historia vitæ ipsius. Duos etiam superaddimus a Damiano relatos maligni hostis incursus, qui quando contigerint, [b] incassum quæreremus. *Numquam tamen diabolus a sancti viri poterat impugnatione quiescere. Et quia occulta jam adversus eum fraude nil poterat, non cessabat virus suæ malitiæ visibiliter demonstrare. Aliquando namque vir venerabilis, dum in cella consisteret, ecce malignus spiritus, ut est revera teterrimus, hispidus, horribilis, immensum cœpit sancto viro terrorem incutere, & cum nimio furoris impetu mortem sibi minitans intentare. Cumque Romualdus auxilium de cœlo imperterritus quæreret, & ut sibi Christus succurreret, fiducialiter exclamaret, mox antiquus hostis aufugiens, ipsum cellæ parietem tanto iracundiæ felle percussit, quod gravem fagi tabulam unius cubiti spatio, vel eo amplius fidit. In habitaculo igitur patenter ostendit, quanta adversus habitatorem flamma crudelitatis exarsit, & quodammodo scriptum reliquit in pariete, quod occultum gerebat in mente.*

c Vit. S. Rom. cap. lxii.

[c] *Aliquando etiam dum venerabilis vir cum suis discipulis equitaret, ecce malignus spiritus rubei canis effigiem simulans, cum magno impetu obviam irruit, & equum, cui insidebat, ita ut pene vir sanctus mergeretur, exterruit. Interrogati discipuli si eum vidissent, exhorrescentem quidem equum conspexisse se asserunt, sed nil tale eis apparuisse testantur. Ille vero ait: Miser ille, qui olim præclarus angelus fuisse cognoscitur, nunc se in immundi specie canis ostendere non veretur.*

XXXVII. Dominicus Loricatus fit eremita Luceolensis.

TRIGESIMUM circiter ætatis annum attingebat Dominicus, Loricatus postea dictus; quo anno verisimiliter & sacrum presbyteratus ordinem jam assumpserat, & cognita iniqua via, qua ad eum ordinem evectus fuerat, seculo valedixerat, in monasterium prius, paullopost in eremum se recipiens. Nil tamen ex Damiano, quoad præcisum tempus illius conversionis exsculpere possumus. Vidimus, & alibi videbimus, quantum his temporibus, in Umbria præsertim, serperet lethiferum simoniæ virus. Inscio Dominico illicitum pactum firmatum fuit, ait Turchius, ex lectionibus breviarii monastici & ex Ferrario; quæ tamen Dominici ignoratio non liquet ex Damiano, qui potius hanc unam culpam agnoscit in bonæ frugis juvene, expiatam postea supereffluente pœnitentia, quorum Damiani verborum causa dixerit Jacobillius id factum fuisse Dominico consentiente; potest tamen Damianus explicari de aliena, non de propria Dominici culpa. Quidquid sit, episcopo dono dederunt pretiosam præparatam pellem parentes ejus, ut filium ad sacerdotium promoveret; dono illectus & victus episcopus manus illi imposuit, & sacerdotem reddidit; agnovit inde Dominicus iniquam conditionem, ac illegitima via se ad sacerdotium pervenisse horrescens, non solum ab exercitio sacri ordinis abstinuit, sed mundo etiam affatim se subripuit.

Hæc breviter enarrat in epistola ad Alexandrum papam II. Damianus.

nus. [a] *Dominicus itaque cum esset in seculo clericus, quia tunc Simoniaca vigebat hæresis, quæ & nunc utinam prorsus esset extincta, ut presbyter fieret, a parentibus ejus data est episcopo hircinæ pellis aluta. Quia, sicut ait apostolus: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; hæc una beati viri culpa multorum post bonorum probatur extitisse materia. Nam hoc pavore perterritus, contempsit seculum, induit monachum, arduumque mox eremiticæ vitæ, tamquam bellator intrepidus, arripuit institutum. Sed quia male promotus est, donec advixit, sacrosancti altaris usurpare ministerium non præsumpsit.*

a Cap. VI.

Ubi loci Dominicus monachum induerit, non exprimit Damianus, sed cum asserat mox suscepisse *arduum eremiticæ vitæ institutum* in solitudine Luceoli, erat forte non longe ab eremo monasterium, in quo prius probarentur in regulæ observatione a seculo advenientes, ut inde tuto possent ad perfectiorem eremi vitam transire. Loca solitaria in ea regione excitata, exculta & sanctificata a Romualdo demonstravimus ad annum 1011. qui & monasteria prope eremos, & eremos prope monasteria ædificaverat & reformaverat. Ipsum Luceoli monasterium ædificatum circa annum 996. a Romualdo, in eoque monasticam suscepisse disciplinam Dominicum anno præterpropter 1020. tradit Jacobillius in vita ejusdem sancti Dominici. Putat tamen Turchius, qui ea loca lustravit, monasterium sancti Nicolai prope Cantianum fuisse locum incolatus sancti viri, ex quo se receperit mox in proximam Luceoli eremum. Oppidanorum etiam traditio fert, in parvo monte pone ecclesiam supradictam sancti Nicolai, antiquitus decem & octo monachos in totidem cellas inclusos vixisse, eique ecclesiæ monasterium contiguum adhæsisse, atque illius cœnobii memoriam apud Damianum extare; & revera visitato monte, quem incolæ *Colmetranum* appellant, reperiit idem Turchius parvas plateas circa ipsum montem, super quas veri speciem habet consurrexisse cellas ipsas. Sed jam eremitarum Luceolensium institutum & vitam ex Damiano pandamus. [b] *In illa igitur eremo, quæ scilicet erat in regione, quæ dicitur Luceoli, constituto, decem & octo videbantur cellulæ ad habitandum fratribus deputatæ, ubi nimirum sub hac regula vivebatur, ut nunquam vinum biberent, nunquam adipe alimenta condirent, unum in Dominica die, sed & quinta feria pulmentum sumerent, quinque per hebdomadam diebus in pane & aqua jejunium celebrarent; solis autem orationibus vacantes, vel manuum operibus insistentes, non agriculturam exercebant, non prædia vel aliquam substantiam, præter unum sagmarium, possidebant. Cum quo scilicet asello vel equo unus erat minister, qui vel ad acquirendas, vel ad terendas fruges indeficiens discurrebat, solusque eos in cunctis necessitatibus sustentabat, Johannes scilicet, qui postmodum loci abbas factus, sub honesta rexit administratione conventum. Tenebant autem per totam hebdomadam districta censura silentium, quod utique Dominica die post vesperum, cibumque solventes, habebant loquendi invicem usque ad Completionis officium, libertatem. Nudis præterea pedibus & cruribus jugiter in cellulis morabantur.*

b Ibidem.

Johannem *sanctum virum* appellat Damianus; de Dominico enim loquens habet: [c] *Vitam eremiticam non omisit, ubi nimirum sub magisterio sancti viri Johannis, qui dicebatur de Monte-feretri, per plurimos vixit annos.* Hic Johannes modo magister Dominici dicitur, modo loci abbas factus, modo prior. Narrat Damianus ejusdem Johannis zelum, ut fratris cujusdam superbiam retunderet. [d] *Illic etiam*, inquit, *quidam frater erat, qui sæpe vagabundus egredi de cella tentaverat, quem Johannes prior eremi, prout di-*

c Ibidem.

d Ibidem.

ANN. CHR. 1025. ROMUALDI 118.

gnum erat, prius austere corripuit, deinde in sua præsentia vapulare præcepit. Cumque jubente magistro, se cœpisset induere, superbe locutus est. Quem rursus magister exui, rursus præcepit verberari. Sed adhuc etiam se vestire incipiens, superbum quid effluere non cessavit. Sic tertio, sic quarto, & si rite teneo, usque sexies verberatus est, nec emendatus. Exutus enim & reindutus, humilia respondere non potuit. Septima vero vice flagellatus, cum se cœpisset induere, clare cœpit voce clamare, dicens: Ecce diabolus abiit, ecce nequissimus mei cordis habitator aufugit, meque nexibus, quibus astringebar, effractis, liberum dereliquit. Jamjam domino & magistro meo libenter obtempero, ejusque me subdendum legibus per omnia repromitto. Hoc modo frater ille ad humilitatis custodiam rediit, & in cellula jugiter perseverans, de cetero irreprehensibiliter vixit.

In eadem eremo vivebat religiosus vir Anso, de quo hæc habet idem Damianus. [a] *Dixit autem mihi*, (supple *Dominicus*) *quia cum cohabitaret Ansoni, religioso videlicet viro, quem & ipse vidi, quotidie per omnes horas canonicas disciplinam sibimet invicem scoparum ictibus ingerebant. Qui videlicet Anso sibi aliquando conquestus est, quod novem diarias panis pensas in ventre simul haberet. Tanta quippe macerabantur inedia, ut avidus panis constiparetur in ilibus, ac digeri difficile potuisset*. Hanc postremam historiam narravit Damiano ipse Dominicus, cui referri debent verba illa, quod *per omnes horas canonicas* disciplinas dabat, ac vicissim recipiebat ab Ansone, & illa insuper quod uterque *macerabantur inedia*. Hæc tamen, ut ab alio monacho sibi exposita, scripsisse Damianum, incogitanter asserit Turchius.

a Ibidem.

XXXVIII. Aliqua de eremo Luceolensi.

NEQUE de Luceolensi eremo majora ad notitiam nostram pervenere. Ex his tamen, quæ protulimus, eamdem disciplinam comperimus in ea viguisse, quæ vigebat in ceteris eremis a Romualdo excitatis, & in Avellanensi. Præter eremi Luceoli ad monasterium proximitatem, quam maxima semper sollicitudine curavit Romualdus in omnibus suis novis erectionibus, vinum ibi ignorabatur & adeps; biduana & triduana jejunia adamussim observabantur, opere manuum sese exercebant eremitæ, ut in solitudine Perensi actitatum jam supra diximus. Oratio pene assidua, juge silentium, nudipedium, cellarum tamquam carcerum non interrupta habitatio, disciplinarum usus, hæ erant loci consuetudines similes consuetudinibus monachorum Sitriensium. Jejunii tempore, ut in Avellanensi & Camaldulensi eremis, panis lancibus pendebatur, teste Ansone, qui novem *diarias panis pensas* in ventre simul habebat. Credendum quoque est Johannem prius eremi priorem, inde abbatem monasterii, id executioni mandasse, quod a ceteris abbatibus requirebat Romualdus; per hebdomadam nimirum eremum petiisse, & in cella constitisse, diebus vero Dominicis monasterium frequentasse. Præter Johannis sanctitatem, honestam monasterii administrationem, & zelum in debellando superbo monacho, neque Damianus, neque ceteri auctores plura de eo tradunt; oriundus videtur a civitate Feretrana, sic appellata a Monte homonymo, quique nomen dabat toti provinciæ Feretranæ, vulgo *Monte-Feltro*.

XXXIX. Chartæ Sanvictorianæ, Pratalienses & Gregorianæ.

INTELLIGIMUS ex paginis tabularii sanctæ Catharinæ de Fabriano Raimaro duci & marchioni successisse Ugonem. *E factum est in nani domini ab incarnacione domini nostri Jebsu cristi, quod sunt anni domini mille viesimo quinto, & regnante domno Enrico divino ordinante providencia imperator augustus anno ejus undecimo, & temporibus domno Ugo dus & marchio anno ejus quartum, & die mense julius per indiccione settima*, Moronto filius quondam Ordo vendit Laurentio filio quondam Dominici

in

in loco, qui dicitur *la Ceresiola infra territorium castellum Pretosum* &c. Et sub anno sequenti: *In nomine domini & factum est in anni ab incarnacione domini nostri Jehsu cristi, quod sunt anni mille* XXVI. *& temporibus domnus ugo dux & marchio anni vero in ducato ei quinto, & dies menses januarius per indiccionis nona: Ideoque ego Ugo filio quondam Acto cum mea propria bona voluntate & secundum mea lex langobardorum dono & trado pro redencione & obsolucione anime & de Acto genitore meo & de Tederarda genetrice mea & pro redencione anima mea, ut deus omnipotens abeat indulligencia & misericordia de peccatis suis, & est posita ipsa supraſcripta res fra ducatu Spolitino territorio castellu Pretosum in locu, qui dicitur Colle moriani* &c. *Ego Berardu judice notarius scripsi & complevit & inclausit*. Præter Ugonem ducem & marchionem notatione est dignum numerari in prima charta undecimum Henrici imperii annum, cum tamen ante annum integrum ad superos evolasset pius imperator, quod profecto demonstrat interregni tempore, quod cessit inter mensem julium anni 1024. usque saltem ad februarium anni 1026. quo juxta aliquos coronatus fuit in regem Italiæ Conradus, notarios usurpasse in publicis tabulis nomen defuncti imperatoris, perinde ac in vivis ageret, imperiumque obtineret. Indictio tamen est corrigenda, & pro septima reponenda octava in prima ex his paginis. ANN. CHR. 1025. ROMUALDI 118.

Lambertus, *qui Bonato vocatur filius Vunizoni*, promittit sub pœna sibi imposita solidorum centum argenti defendere domos, terras, vineas, resque omnes, quæ possidet monasterium Pratalïæ, vel deinceps possidebit, stipulatione facta manu Azonis notarii. Hæc [a] ex summariis archivi Camaldulensis improbo labore confectis a domno Eduardo Baroncinio doctissimo & piissimo ejus loci eremita.

a §. Promissio A. 1. 32.

Anno Deo propitio pontificatus domini nostri Johannis summi pontificis & universalis nonidecimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli secundo indictione octava mensis madii die sexta, hoc est anno præsenti 1025. conductionis titulo *Johannes magnificus aurifex filius Leonis, qui dicitur Calvus*, recipit a Johanne abbate sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe terras quasdam positas *in regione* .... (supple *prima*) *in loco, qui dicitur Orrea, juxta Aventinum*. Nominatur inter fines harum terrarum *hortus venerabilis ecclesie sancti Petri, que est proprietas supraſcripti monasterii*. Confirmatur ope hujus chartæ, quod diximus ad annum 961. monasterium sancti Petri apostoli & sancti Martini confessoris positum in Aventino, in loco, qui dicebatur *Orrea*, pertinuisse ad abbatiam sanctorum Andreæ & Gregorii; ita ut abbas hujus monasterii præsideret etiam alteri cœnobio sanctorum Petri & Marcellini. Sub eodem tamen anno 961. errore nostro factum est, ut scriberemus Martinellium in sua *Roma sacra* mentionem non fecisse hujus postremi monasterii, neque ecclesiæ sancti Jacobi in Orrea; verum Martinellii elucubrationem diligentius percurrentes reperimus ipsum revera ejus cœnobii meminisse, immo chartam ejusdem anni Gregorianam pro confirmatione indicasse, licet omnino sileat de altera ecclesia sancti Jacobi in Orreis. *Leo, qui vocatur Calvus*, sedit inter nobiliores viros, qui adfuerunt placito anni 1013. in causa vertente inter monasteria sanctorum Andreæ & Gregorii, ac sanctorum Alexii & Bonifacii de Urbe. Chartam ex codice nostro Gregoriano proferimus in Appendice, una cum aliis duabus ad hunc annum, & ad eamdem abbatiam pertinentibus, in quibus titulus insuper *coangelici* tribuitur Johanni abbati.

ANN. CHR. 1026. ROMUALDI 119.

XL. Romualdus redux ad Valle-castrense cœnobium.

ROMUALDUS versus hujus anni finem ad monasterium Vallis-castri rediit, teste Damiano [a] dicente: *Vir denique sanctus per multa alia habitavit loca, multa alia, præcipue a suis discipulis, perpessus est mala, plura quoque per eum sunt facta miracula, quæ nos describere ideo prætermittimus, quia longioris styli prolixitatem vitamus. Post cuncta igitur habitationum suarum loca, cum jam finem suum imminere conspiceret, tandem ad monasterium, quod in Valle de Castro construxerat, rediit.* Putant aliqui anno præsenti Romualdum visitasse omnia loca a se constructa, & discipulos suos revisisse; verum Damianus asserit tantum *post cuncta habitationum suarum loca*, nimirum post omnia super enarrata loca, quæ erexit & habitavit, regressum fuisse Romualdum in Vallem de Castro; *ibique*, prosequitur sanctus doctor, [b] *propinquantem obitum indubitanter expectans, cellam sibi cum oratorio ædificari, in qua recluderetur, & silentium usque ad mortem servaret, instituit.* Hoc oratorium dicatum fuit sancto Blasio, unde & eremus sancti Blasioli deinceps appellatum, quod per milliare a Valle-castrensi cœnobio distat. *Sane viginti annis ante finem vitæ suæ, discipulis suis manifeste prædixerat, quia in prædicto monasterio oporteret eum quiescere, nulloque astante, vel funeri exequias dependente, expediret eum spiritum exhalare. Facto itaque reclusorio, cum mens ejus in eo esset, ut mox includi deberet, cœpit corpus ejus magis magisque molestiis ingravescere, & deorsum jam velut non tam languore, quam decrepiti longævitate senii declinare.* Ad hæc verba quid dicet Bollandus, & quotquot apertis ulnis excipiunt opinionem illam, Romualdum nimirum vix septuagenarium ex hoc seculo exiisse? Homo septuaginta annos natus appellatur-ne *longævus decrepitæ senectæ?* Prosequitur sanctus ejus vitæ scriptor: *A medio fere anno nimia sibi flegmatis abundantia cum ipso læsi pulmonis marcore defluxerat, & gravi eum tussis anhelatione vexabat. Non tamen propter hoc vir sanctus vel lecto decumbere, vel in quantum possibile erat, soliti rigorem jejunii acquieverat relaxare.* Sed de Romualdi sanctissimo obitu anno sequenti verba faciemus.

a *Vit. S. Rom. cap.* lxix.

b *Ibidem.*

XLI. Leo Vercellensis ep. obit. Aliqua de ipso.

REFERTUR ab Ughellio ad hunc annum mors beati Petri Vercellensis episcopi die XXIII. februarii, ad quem annum quoque & diem vitam ejus affert Bollandus [c]; sed id profecto repugnat auctoritati Wipponis, qui in vita Conradi Salici, postquam enarravit, Conradum per Veronam Ticinum appropinquasse, & repertis urbis portis clausis, profectum fuisse Vercellas, ubi die X. aprilis hujus anni sanctum Pascha celebravit, subdit: [d] *In ipsis diebus Paschalibus Leo ejusdem civitatis antistes, vir multum sapiens, mundum cum pace reliquit, cui Ardericus Mediolanensis canonicus successit.* Quare mors Petri Vercellensis ante hunc annum est reponenda. Immo cum ad annum 1022. in chronico Vulturnensi [e] legatur placitum, quod habuit *Leo episcopus Vercellensis* una cum Einrico episcopo Parmensi, & aliud, cui interfuit cum Olderico episcopo Tridentino *in præsentia domni Henrici serenissimi imperatoris*, & ad annum 1021. [f] aliud placitum in *solario sancti Zenonis non multum longe urbis Veronensis* celebratum ab Henrico Romanorum imperatore augusto, in quo affuit cum aliis pluribus archiepiscopis & episcopis etiam *Leo Vercellensis*, ante annum 1021. statuenda erit mors Petri Vercellensis. Quid, quod anno 1014. referente Ditmaro in chronico [g], postquam ex Italia excessit Henricus imperator, Harduinus rex Vercellensem invasit civitatem, *Leone* ejusdem episcopo vix effugiente? Quinimmo ad annum 1003. memoratur Leo jam episcopus Vercellensis a Benzone episcopo Albense [h] in sua oratione panegyrica ad Henricum IV. imperatorem; anno pariter

c *T. III. Febr.*

d *Ap. Pistor. T. III. pag.* 471.

e *Apud Mur. Script. rer. Italic. T. I. P. II. pag.* 497. & 500.

f *Antich. Est. P.* I. *c.* 14.

g *Lib. VI.*

h *Apud Mencken. T. I. col.* 1020.

ter 1001. interfuit placito in cœnobio nostro sancti Apollinaris in Classe Ravennæ pro monasterio Pomposiæ ad eum annum a nobis relato, & annis 1000. ac 999. privilegia obtinuit ab Ottone III. producta ab Ughellio [a]. Illud itaque suspicamur, quod & alibi pressius innuimus, Leonem Vercellensem fuisse episcopum usque ad annum 1014. quo, prævalente Harduini factione, ejectus fuerit e sua ecclesia, & in ejus locum constitutus vel restitutus Petrus II. quo decedente inter annum 1014. & 1021. vel etiam denuo Henrico victore, & Harduino dejecto, atque facto monacho, administrationem ecclesiæ Vercellensis rursus susceperit Leo, qui tandem hoc anno obierit. Cogimur etiam dicere non ante annum 1014. Petrum captivum a Vercellensibus in episcopum expetitum fuisse, & annis tantum sequentibus ipsum a solitudine Babylonis Bononium vocasse, & abbatiæ Lucedii præfecisse.

ANN. CHR. 1026. ROMUALDI 119.

a T. IV. col. 773.

XLII. Bononius abbas Lucediensis cœlum petit.

ILLUD certius constat Bononium ex monacho solitarium Perensem sub Romualdo, inde abbatem sancti Michaelis de castro Marturi, tum Ægypti apostolum, & demum Lucediensem abbatem hoc anno ad superos evolasse die XXX. augusti. Sed audiamus Ratbertum monachum de ejus obitu disserentem [b]: *Appropinquante autem suæ vitæ sanctissimæ termino, ardentiori cœlestis patriæ desiderio se contabescere sentiebat, ac tanta supernæ voluptatis, cui perpetuo inhiabat, cupiditate cor ejus conflagrare videbatur, ut sæpe dum matutinas laudes cum fratribus decantaret, paullatim languescens in ipsa stalli sui sede .... resumpto veluti spiritu ex aeris refrigerio recreabatur, & lætus ad intermissam psalmodiam redibat .... Laboribus denique confectus, bonorumque operum ac dierum plenus, post sexagesimum suæ conversationis annum ad æterna præmia vocatus, summa devotione Dominici corporis munimine, sacrique olei unctione, ad instantem exitum præparari se voluit, atque filios & alumnos suos ad observantiæ regularis instantiam exhortans, benedictione super illos implorata, feliciter oculos clausit* III. *kalendas septembris, cujus obitum dæmones ipsi ex obsessis corporibus clamantes pervulgarunt, factoque ad ejus tumulum variorum ægrotantium concursu, tot prodigiis gloriosum factum est sepulcrum sancti viri, quot recens fama testatur, ut illa recensere supervacaneum jam sit; cum dies ferme nulla elabatur, qua non aliquis cum firma recipiendæ sospitatis fiducia huc accedat, aut pro jam recepta salute votum aliquod non exsolvat, ingentes Domino gratias referens ad laudem servi sui Bononii; qui utinam pro nobis pariter ipsum Redemptorem interpellet cum Patre & Spiritu-sancto regnantem in secula seculorum, amen.* Anonymus vero Lucediensis ita ejusdem sancti obitum describit [c]: *At cum multo tempore ad construendum domicilium Dei vivi ex sensibilibus laboraret, & in omnibus irreprehensibilem se exhiberet; & jam tempus immineret, ut remunerante Deo, sui agonis bravium reciperet, consummato opere valefecit, & spiritum Deo tradidit*, (Codex Vercellensis addit : *anno Domini* M. XXVI.) *post cujus obitum evidenter apparuit, qualis & quantus in vita fuit. Nam ad ejus sepulcrum plurimas ægritudines curatas novimus, & de die in diem meritis ipsius fidem credentium informari gaudemus: sicut olim verba sanctæ prædicationis, ita nunc miraculorum signis dæmonia fugantur, cœci illuminantur, qualibuscumque morbis languidi curantur, & manifeste sanctificatus sanctis in cœlo est coæquatus.*

b *Cap.* XXII.

c *Num.* XII.

XLIII. Miracula ad ejus tumulum.

IDEM autem Lucediensis [d] monachus miracula sequentia describit ad ejus tumulum facta eo ipso anno, quo ad Deum transiit.

Anno igitur incarnationis Dominicæ millesimo vigesimo sexto, tempore dormitionis suæ in Domino accedente, gaudentibus angelis & flentibus populis,

d *Apud Mabil. Sec. VI. P. I. n. x. pag.* 243.

Ann. Chr. 1026. Romualdi 119.

lis, beatus Bononius tertio calendas septembris ad omnium bonorum remuneratorem feliciter perrexit, braviumque sui agonis, ut optimus athleta accepit. Quo defuncto, ita confestim ejus sanctitatis fama totam per provinciam circumquaque est diffusa, ac si praecones mitterentur, quibus is obiisse, & per eum signa fieri narrarentur. Quod audiens quidam validis compedibus ferreis vinctus, atque in carcerali custodia magna cum diligentia positus, cœpit ingemiscere, pectusque pugnis tundere, & ad Dominum toto mentis affectu preces fundere. Si vera, inquiens, sunt, Christe, quae de famulo tuo Bononio auditu comperi, ejus quaeso meritis & intercessione fac misericordiam mihi, ut per me liberatum a tantis, quibus crucior, doloribus, nomen tuum & servi tui magnificetur, & hoc miraculum tuae dexterae potentia factum cunctis intimetur, ut majora his, quae fieri in praesentiarum perhibentur, ejus interventu futura esse sperentur. Hoc autem cum diu esset oratum, solutus vinculis Dei miseratione, tantique confessoris supplicatione se exauditum cognoscens, absque mora exivit, & eisdem vinculis sumptis, ad ejus sacratissimi corporis tumulum festinato gressu devenit, & ibi eadem, quae multo tempore manserunt, suspendit, ac gratias agens Deo, sanctoque confessori Bononio, qualiter ei accidit, per ordinem nobis narravit.

a Num. XI. [a] Eodem vero anno, quo ipse sanctus Dei Bononius ex hac vita ad ineffabilem polorum gloriam migravit, quidam frater, cui ipse habitum sanctae conversationis tradidit, adeo acri dentium dolore torquebatur, ut etiam inediam diesque ac noctes continuatim insomnes duarum hebdomadarum spatio pateretur, atque ei omni quiete amota per cœnobii circuitum quasi amens vagaretur. Nocte autem quadam post multam fatigationem, dum caput in gremio infirmorum servitoris ponens modicum somni caperet, apparuit ei sanctus Bononius, qui festinus surgens, ut sibi per somnium videbatur, ob honorem tanti patris, ad ejus sacra vestigia osculandum proruit: sed eum vir venerabilis amiciter per mentum accipiens erexit. Ad cujus tactum illico omnis dolor est effugatus, simulque frater ille infirmus a somno, quo tenebatur, est excitatus. Hoc autem facto, obsequentem sibi vocavit dicens: Jam enim sancti Bononii visione & consolatione omni dentium careo dolore. Sicque sospitate recepta, in eadem omni vitae suae tempore mansit.

b Num. XII. [b] Quaedam femina ab adolescentia conjugio copulata, videns sibi non nasci filios neque filias, una cum viro suo nimio taedio ac mœrore afficiebatur. Haec autem, ut sui uteri sterilitatem amitteret, dum multa inlicita, quae putabat prodesse, faceret, cognovit se in vanum laborare, quod tentaret velle Dei per sua maleficia superare. Meliore siquidem consilio divinitus inspirata, erogans multas eleemosynas pauperibus, ac insistens assiduis oraminum precibus, se funditus vertit ad Dominum, qui solus est unicum & verum, & unicum miserorum praesidium. Non multo post tempore evoluto, dum sopita dormiret, vidit in somnis, quod si ex stillicidiis pluviae stillantibus a domo, in qua vir beatus degit, haberet atque potaret, a suo desiderio fraudata non esset: quae a somno expergefacta, visionem suo non distulit intimare marito. Tempore namque opportuno adveniente, una cum viro suo ad jam memorati patris monasterium devenit, atque ex aqua, quam desiderabat, per quemdam sibi notum ab ea rogatum accepit. Qua denique exhausta, domumque regressa, paucis transactis diebus concepit & peperit, atque interveniientibus beati Bononii meritis utriusque sexus prole deinde fœcunda permansit.

c Num. XIII. [c] Homo quidam erat fratricidii pœnitens, qui habebat mucronem, cum quo peremerat fratrem, fixum in ferreo circulo circum dextrum brachium strictius posito, cute & carne jam superimminente. Hic cum esset in septi-

mo

mo pœnitentiæ suæ anno, multorum Sanctorum ecclesiarum limina calcando, in die ejus natalis venit, ubi beati Bononii corpus jacet humatum. Qui flens & ejulans ex intimo cordis alta trahens suspiria Dominum precabatur sibi propitium fieri intercessione sui tanti famuli. Cumque diu orationi instaret, & sanctum confessorem Bononium in suo suffragio invitaret, ei Christi clementia subveniente, coram multa turba virorum ac mulierum circulus repente fractus, & valde abjunctus a brachio cecidit, qui ante ejus altare ad hujus rei memoriam multo tempore pependit. Unde intelligi datur, quia similiter ab animæ reatu eadem hora est liberatus. Hoc miraculum ad minus anno sequenti est illigandum.

ANN. CHR. 1026. ROMUALDI 119.

[a] *Eodem quoque die quidam ab infantia mutus proprii sermonis recepit usus, a cujus ore multum sanguinis decidit, quod signum fracturæ linguæ vinculi exstitit. His namque visis miraculis, quique majorem spem & fidem in Deo amplioremque devotionem & venerationem in ejus Confessorem inde habentes, cum gaudio ad propria redierunt. Tua sunt, Domine Jesu Christe, hæc opera: sic sic & mirabilius, cui tu semper vivere fuisti, nunc mortuum magnificas, a quo hac in vita degente fideliter magnificabaris, qui lucerna lucens non sub modio latuit, sed super candelabrum positus omnibus in domo tua nobiliter splenduit.* a Num. XIV.

XLIV. Theodaldus ep. Arretinus monast. Prataliensis benefactor.

NOVA hoc anno Theodaldus episcopus Arretinus præbuit munificentiæ suæ erga monasterium Prataliense testimonia. Charta donationis autographa extat in archivo Fontis-boni data: *Anno Dominice incarnationis millesimo vicesimo sexto anno Einrici imperatoris Romanorum anno regni ejus decimo, mense julio indictione nona*; quæ prima facie maximo laborare videtur errore, cum hoc anno in vivis non esset amplius Henricus imperator, quippe qui obierat eodem mense julio ante biennium, succedente sibi Conrado Salico in Germaniæ regno die VIII. septembris anni 1024. & hoc anno in illo Italiæ. Verum dicendum erit, notarium Henrici licet defuncti nomen continuasse in hujus donationis tabulis, & quamvis Arnulphus [b] Mediolanensis historicus testetur, Conradum mense februario hujus anni coronatum fuisse in regem Italiæ ab Heriberto archiepiscopo Mediolanensi, initium tamen ejus regni incertum adhuc judicant ceteri scriptores; immo ex hac charta argumentum posset desumi, mense julio nondum revera Conradum insignitum fuisse corona regali, vel recognitum, saltem in Thuscia, regem. Ceterum si ultra vivere perrexisset Henricus, annus præsens fuisset XIII. sui imperii; notarius tamen decimum retinuit annum, habita ratione decimi anni completi, quo ipse imperavit. Indictio IX. quæ usurpatur in Theodaldi charta, optime copulatur cum anno præsenti 1026. Et juxta indictionem in hoc casu explicare debemus ceteras notas chronicas, ne mutare cogamur annum incarnationis ex 1026. in 1023. & indictionem ex IX. in VI. ut annum incarnationis, & indictionem componamus cum anno X. Henrici.

b Lib. II. cap. 11.

XLV. Chartæ Sanvictorianæ.

TRES e contra hujus anni ex archivo sanctæ Catharinæ de Fabriano chartæ conjunguntur cum indictione octava. *Anni Domini mille vicesimo sexto die mense februarius; die mensis aprelis; die mense madiu, per indiccione octava*. Reponenda est in omnibus indictio nona; continent ipsæ donationes factas Actoni abbati monasterii sancti Victoris, & Vitali presbytero.

XLVI. De monasterio S. Laurentii ad flumen Æsinum.

EXTABAT ad flumen Æsinum monasterium fundatum & dedicatum in honorem sancti Laurentii, quod tunc temporis regebat Dodibertus abbas. Ipsi abbati & fratrum congregationi inibi existenti largitus est hoc anno Conradus Italiæ rex diploma, quo bona ipsius monasterii in protectio-

Ann. Chr 1026. Romualdi 119.

ctionem regiam suscipit, & nominatim *duas cellas juris sui*, *quarum una in sancti apostoli Andree*, *altera vero in sancti Benedicti abbatis honore constructa* erat. Chartam autographam ex archivo sancti Apollinaris Classis transcripsimus, qua illustratur memoria monasterii, quod post biennium in alio præcepto ejusdem Conradi, & clarius anno 1062. in Alexandri II. papæ bulla unitum legitur monasterio nostro sancti Severi de Classe, cujus membrum evaserat. Datum est diploma *anno dominice incarnationis* M. XXVI. *indictione* ..... *Chuonradi secundi regnan*...... Membrana læsionem in elementis passa fuit, sed indictio erat IX. & annus primus regni Conradi in Italia. Ravennæ multo tempore constitit hoc anno Conradus, & *cum magna potestate ibi regnavit*, ut loquitur Wippo in ejus vita; verisimiliter itaque charta data fuit Ravennæ. Chartam hanc cum ceteris superius laudatis in Appendice exhibemus.



AP-



APPENDIX
TOMI PRIMI
ANNALIUM
CAMALDULENSIUM

Vetera Monumenta & Diplomata complectens.

I.

Charta fundationis monasterii sancti Petri de Palatiolo in Etruria.

Anno 754. mense julio.

Ex codice V. mss. instrumentorum pag. 31. Uberti de Benvolientis Senensis patricii.

Ad lib. III. num. 21.



IN nomine Domini nostri Jesu Christi atque ejus beate sancte semper Virginis Marie, beatissimi apostolorum principi sancti Petri. Regnante piissimo atque exserenissimo pro salute totius catholice gentis nostre Langobardorum domno nostro Aistolfo rege, anno regni ejus Deo protegente sexto mense julio indictione septima. Vualfredus filio quod. Ratehausi civis Pisane recolente me istius mundi caducam & transitoriam vitam, & quod oporte hujus mundi vanam gloriam contempnere per Christum, Dominum sequi ejusque sacra precepta implere & promissione suscipere & eternam vitam vere fruere, & quod peccatoribus aditio regni celorum non intercluditur si toto corde ad misericordia Dei confugerit, & dum per mea facinora & spatio vite, quam neglegenter duxi me animi tedio inficere & non inveni, pro quo me in angustiis convertere te protectorem quesivi, ut quia non meis meritis ad illa valeam pervenire vitam, pro qua cummissa deleantur, illius protectio, cui ligandi solvendique est concessa potestas in ovile ejus reducat. Tunc in ejus honore disposui monasterio edificare, in quo regulariter vitam ducere, & me una cum filiis & res meas offerre ubi & nostras & aliorum devotas anime salvarem. Item namque ego qui supra Vualfredus cum magna devotione & compunctione cordis offero me ipso & filiis meis, idest Rachisi, Gunfredus, Tayso, & Benedictus Domino Deo deservire & usque ad virtutem & possibilitatem auxiliante pius Domino sancte & regulariter vitam peragere in monasterio beatissimi apostolorum principis sancti Petri, quas presenti tempore, in proprio territorio meo ob amore Christi & pro remedio meorum peccatorum edificare visus sum locum, qui vocatur Palatiolo judicialia Lucense. In eo vero tenore disposui animo, ut nullo episcoporum aut judicum ibi proveniat imperio, neque aliquis de filiis vel heredum meorum typo superbie inflati quacumque possit in fratribus inibi congregati vel in res monasterii hujus generare superbia. Sed ita volo atque per hujus munimini cartula

confirmo, ut in suprammemorato monasterio sancti Petri congregatio monachorum fiat de illis fratribus, quos pius Dominus & ipse ejus apostolo ad suum servitium vocare dignati fuere, & filiis meis una cum ipsis pariter adjuvante omnipotentis Dei misericordia sic & regulariter vitam peragant, & pro meis peccatis diu noctuque sanctis orationibus omnipotenti Deo non cessent obsecrari misericordiam, & tam ordinationem abbati, quam & alias ordinationes, quas opportuna sunt in monasterio fieri ita agant & perficiant secundum institutam regulam a sancto patre nostro Benedicto, & si aliquo error per ordinationem abbatis ortus fuerit aut pravum aliquod vitium repertum inter fratribus, quod ipsi inter se ad rectitudinem aut regule instituta corrigere neglexerit, tunc accedant in ipso monasterio sancti patres quoepiscopi, idest sedis ecclesie sancte Pisane, & sedis sancte Marie Volaternensis, & sedis sancte ecclesie Popoloniensis, ceu & abbas monasterii domini Salvatoris locum Pontianum. Item & abbas monasterii sancti Fridiani, ubi & ejus corpus quiescit humatum civitatis Lucense. Et hii quinque sanctissimi & venerabiles viri in omnibus habeant licentiam malum aut pravum vitium, quod ortus fuerit instigante diabolo ad Domini revocare precepta, ut malum vitium resecetur, & anime fratrum corrigat ad salutem. Ordinatio vero abbatum aut consecratio monachorum vel ejusdem ecclesie sedis sancte ecclesie Volaterrensis sola potestate permaneat. Et si decedentem abbatem in electione abbatum aliquod fuerit scandalo, sicut solet fieri per insidiam hostis nostri, ipsi quidem suprammemorati sancti patres una cum fratribus ipsius monasterii provideant, qui dignus fuerit preesse ita eligant & confirment sine ullo munere aut alio aliquo imperio, nisi tantum ad his prius vitiis se corrigendum, ut sancte & regulariter vivant & ordinationem abbatum & consecrationem monachorum & ecclesie beatissimi Petri . . . . Nam si ipsi se corrigere potuere ut sancte & regulares vitam agant suprammemoratis coepiscopis, vel abbatis nullo cogatur imperio in ipso monasterio aliquo ordinandi aut judicandi, nisi sicut supra dictum est, sed liceat eos instituta patrum servare & vitam peragere. De suprammemoratis vero filiis meis etiam volo ego qui supra Vualffredus, ut si aliquis se ipsis peccatis facientibus in aliquo lapso cecidere aut aliquo pravum egerit. Tunc abbas, qui ordinatus fuerit eos penitentia & disciplinam corrigant & intra monasterio retineant & anima ejus salvare possent nam foris monasterio nullo modo eos expellant ut anima ejus depereant, sed quod forte voluntarie bene agere neglexerint faciant. In dotis vero superius memorati monasterii atque apostolorum principi beati Petri una cum filiis meis idest Rachis, Gunfredus, Tayso & Benedicto in primis trado & offero portionem meam de supradicto casale Palatiolo ubi & ipso monasterio fundato est una cum portione mea de basilica sancti Philippi vel res ad eam pertinentes cum casas meas massaritias, familias meas mihi pertinentes vel adjacentia eorum peculias domnicatas & pastores qui eas depascunt cum vineas olivetas & territorias per fines una cum sylvas sicut nobis pertinere videtur integre; item & curtem jures mei in Castaneto cum edificias suas peculios domnicatos & pastores qui eam depascunt vineas & olivetas pratas territoria sylvas seu & casas massaritias & pertinentes nostros cum familias suas que nobis pertinent quanta exinde libere non dimiserimus cum omnem adjacentiam ad ipsecase vel curtem pertinente integra habeant ipsi monasterio. Item & abeant portionem meam de molino & casa de Caldana cum Hylato seu & Dominico pueri nostri & omnem adjacentia ad ipsa casa vel molina partem meam in integra pertinentem. Simili modo & habeat ipse prefati monasterio portionem meam de curte super fluvio Cornina cum edificias suas vineas territorias cultas & incultas & inegressas silvas ficagias pasqua una cum casa massaricias cum familias suas & omnem adjacentiam & ipse case vel curte pertinente una cum greges de vaccas & porcos cum pastores suos qui eas depascunt in integro antepofito portionem meam de Gagio quod fuit Chucti & portionem meam hoc est medietatem de casa Candidi de rivo Orsario cum familia & omnem adiacentia ad ipsa casa pertinente. Item habeant ipse monasterio sancti Petri portionem meam de casale in Rausano tam de monasterio quod inibi est sito, & de case massaritie cum adjacentia sua ut dixi portionem meam in integrum. Item volo ut habeat ipsi monasterio medietatem salinas de mea portione in loco Vada & in Pojolo antea quod emit quondam Antifridus meam portionem; simili modo & offero in superius dicto monasterio portionem meam de curte juris mei in loco qui vocatur Setere cum edificias vineas olivetas sylvas territorias culti vel inculti una cum suis masseritiis cum familias vel omnem adjacentia ad ipse case vel cur-

curte pertinente in integro parte me contingente antepoſito veri homines quod exinde libero dimiſero ſeu & habeant inſimul caſa Machonciolo & caſa Tocudiberti & caſa Upertaili & caſa que fuit quondam Paſchali & de uxore ejus in fundo Magno cum omni adjacentia ad ipſe caſe pertinente. Itemque do & offero ad ipſum predicto monaſterio portione mea de curte mea ad caſtello Faolfi cum vineas olivetas edificias territorias chulti & inculti ſeu caſa & maſſaritie ad ipſam curtem pertinentem cum omnem adjacentia ſua ſeu familie quante exinde liberi non dimiſerimus abeant ipſe monaſterio ſancti Petri. Simili modo offero in predicto monaſterio portionem meam de Gagio in Latiniano in integro & caſa Theodori de Ugello & caſa Pincholi de Ciſiano cum omnem adjacentia de ipſe caſe pertinente & families eorum quanti exinde liberi non dimiſerimus. Item & habeant ipſe monaſterio ſancti Petri caſa Umifridi de Muſciano & medietate de caſa quondam Mauri in Variano & de filii ejus & abeant caſa Gehyduli de Rivocavo & caſa filii quondam Parzoli in Piſimano & caſa Anſprandi in Prezule. Item in civitatem caſa Tunandi, caſa Gluduberti, caſa Fridi, caſa Glauſperti, caſa Sichimundi & autem caſe cum omne adjacentia ad eas pertinente & familie & quanti exinde liberi non dimiſerimus, habeant ipſe ſanctum & venerabile locum; ſimili modo do & offero in predicto monaſterio caſa Barbali & caſa Minghola cum adjacentia ſua & familie eorum quanti exinde liberi non miſerimus & caſe eſſe videntur in loco Coziano ſimul & habeant ipſe monaſterio medietate de mea portione de caſe que habemus in loco qui dicitur Barthagermio, Lupanaria, Ghevezana cum familie adjacentia ſua & habeat caſa in loco qui vocatur Sarachamuna qui emimus a Vinniperto cum adjacentia ſua. In tali enim tenore ego qui ſupra Vualfredus res ſuperio comprehenſa omnia abere monaſterio ſupramemorato ſancti Petri ut ita perſolvant ad ipſo monaſterio tam liber quam ſervi vel aldiones qui in ipſe caſe reſederint, ſicut ego eorum per libello decrevero ſcufias vel tributas & amplius eorum nulla ſuper imponet abbate ipſius monaſterii aut auctoribus ejus. Itemque do & offero ad noſtro monaſterio portionem meam de pecunia noſtra de inſula Corſica tam caſas familias territorias & omnem adjacentiam ad ipſe caſe pertinentes & res domnicatas movilia & immovilia, ut dici meam portionem de quantum in ipſa inſula Corſica abeo omnia in integro ſimul & abeat ipſo monaſterio portione de pratu & padule actione & habeat portione mea de Urſula & orto que vocatur ad prata juxta padule Anzoni portione mea de terra, in arena medietate de mea portione, ſimul & habeant portione mea de oliveto in Verriana & portione de mea de caſa Brunuli in ipſo loco Verriana cum familia & omnem adjacentiam & ipſa caſa pertinente meam portionem. Itemque dono & offero ad prefatum & ipſius nominatum monaſterio beatiſſimi ſancti Petri, in eccleſia & monaſterio ſancti Petri in Accio, que eſt fundatum & conſtructo in jam prædicta inſula Corſica cum omnia adjacentia, que ad ipſa eccleſia & monaſterio eſt pertinente in integro. Abeat & poſſideat ipſe ſanctiſſimo & venerabile locu. Hec omnia ſuperius comprehenſa do & offero ego qui ſupra Vualfredus pro redemptione anime mee in prædicto monaſterio ſancti Petri & abbas cum fratribus inibi congregatis. Peto ut pro meis peccatis ſuis orationibus & vigiliis intercedere dignetur, ut mihi Dominus innoſcat quod neglegenter geſſi, & eorum pro me peccatore Dominus retribuat mercedem. Et ecce qualiter meus complacuit animo per hujus voluminis cartule confirmo ſic ita ut ſi aliquis de filiis aut heredes proheredes meus contra hanc dotis mee paginam ire quandoque preſumpſerit aut aliquid ſubtrhahere vel moleſtare preſumſerit per ſe aut ſuppoſita perſona de omnia que ſuperius legitur & adprobans fuerit, componat parti ipſius monaſterii ſancti Petri vel ad ejus congregationis auri ſolidos quingenti, & preſens cartula dotis mei in ſuam maneat firmitatem & hoc a ..... volo ego qui ſupra Vualfredus ut caballos boves & vaccas monaſterii domni Salvatori quem nos edificavimus ſuper campo Piſanica Hlunierni ſemper gubernare debeas ſupra conſcripti monaſterii ſancti Petri cum ſuas ſimiles peculias in erba & .... enutrire unde tres cartule pari tenore Anſpertus Notarius ſcribere rogavi.

Augtum Piſa indictione VII. Una de iſte cartule reſervamus in predicto monaſterio noſtro ſancti Petri. Alia vero dedimus ad ſupradicto ad conſervando in domo eccleſie ſancte Piſane, ubi domnus Andreas epiſcopus eſſe videtur. Tertia vero de iſte cartule dedimus ad conſervando in monaſterio Domini noſtri Salvatoris, ubi abbas Guidisberteo ad iſte eſſe videtur.

Ego Walfredi filio quondam Ratehauſi in ac cartula dotis mei in manu mea pro-

propria subscripsi, & testibus obtuli roborandum.

Signum † manuum Ariperti filio quondam Arieti teste.

Sign. manu Rinaldi filio quondam Arioldi tt.

Sign. manu Berti Alustario tt.

Sign. manu Gadualdi filio quondam Marran tt.

Ego Man....io notar. rogatus a Vualfredi hac cartula me teste subscripsit.

Ego Gan..... quondam Hyrbenzi rogatus a Vualfredi hac cartula me teste subscripsit.

Sign. manum Uniliperti filii quondam Vitaliani teste.

Ego Ansperto notarius rogatus a Walfredi hac cartule scripsi & supplevi.

Ego Benedictus notarius autentico illum vidi & legi.

Ego Gospertus notarius autentico vidi & legi, unde uno exemplar factu est & hic subscripsi.

Ego Illo notarius domni imperatoris authentico illo vidi & legi, & fideliter exemplavi literis plus minus.

II.

Origo & dotatio monasterii sancti Savini in agro Pisano.

Anno 780. pridie kal. maji.

Ex apographo antiquissimo archivi Fontis-boni, seu Camalduli-majoris.

Ad lib. III. n. 20. REGNANTE domno Karolo rege anno regni ejus in gente Langobardorum sexta die ante kalendas maja indictione tertia. Ecclesia beatissimi sancti Savini sita in loco, qui vocatur Cerasiolo territorio Pisano. Ego Gumbertus in Dei nomine abbas, & Ildibertus Gumbardo religiosis viris fratribus germanis filii b. m. Auricauli pro amore Dei reliquimus seculum de ante hos annos devota mente tonso capite religiosa vita deservimus Domino, ut perveniamus ad celestia promissa ab eterno judice audire vocem dicentis: Venite benedicti Patris mei possidete regnum paratum vobis a constitutione mundi, pro quibus ipsa consideratis cum Dei retributione ipsum Dominum Jesum Christum proponentes hic nobis semper defensor adjutorem ab hodie iis ipsa superius dictam & venerandam ecclesiam in honorem Dei nobis habitando monasterio fundamus, & sic per hanc chartulam confirmamus, qualiter a modo presentibus & futuris temporibus omnibus diebus semper sit fundatum monasterium de abbate & congregatione monachorum in observatione sanctam Regulam semper hic deserviendo, ubi nunc offerimus pro anima nostra in ipso monasterio casas, & omnem edificationem, & solamentis, & habitationis & curte, ubi ipsa ecclesia fundata est cum omnis res ad ipsam ecclesiam fuerint pertinentes, omnia in integro simul & offerimus, & tradimus in ipso jam dicto monasterio sancti Savini pro anima nostra hic in ipso loco & finibus Cerasiolo, casa que est curte habitationis nostre cum omnis res, que ad ipsam curtem sunt nobis pertinentes de quanta habere visi sumus in ipso loco & finibus Cerasiolo omnia in integro & trans fluvio Arno. Casa, que regitur pro Domnuculo, casa que regitur pro Poto, casa que regitur pro Corentiolo, casa que regitur pro Domnedulo cum ipse familie, & in loco Sambra, que regitur pro Lupertulo cum omnis domnicatis de quanto ibi in ipso loco habemus in integrum, & in loco & finibus Cintoria cum omnis res, sive domnicato & casa massaritie de quanto ibi habemus omnia in integro, & medietatem de curte mea in terra Valda cum medietate de omnis res domnicata nobis ad ipsam curtem pertinentes; & case massaritie quatuor in terra Valda, idest casa, que regitur pro Repertulo, casa que regitur pro Bertulo, casa que regitur pro Gualprandulo clerico, casa que regitur pro Ropulo, & casa in Hancruniano que regitur pro Perticasalo; ecclesiam quoque sancte Marie & sancti Petri puellarum, & sancte Eufraxie capella cum curtis & omnibus suis pertinentiis, que infra civitate Pisana & extra sita inveniuntur. Insuper concedimus tibi curte sancti Torpix in Sambra; curtim, & ecclesiam sancti Michaelis de Calci cum omnibus suis pertinentiis; ecclesiam sancte Marie in Puzzale cum suis pertinentiis; ecclesiam sancti Quirici in Cultano cum omnibus suis pertinentiis; ecclesiam sancti Justi in Passiniane cum omnibus suis pertinentiis; ecclesiam sancti Martini de Vulmiano cum omnibus suis pertinentiis; ecclesiam sancti Pancratii, que est in Massa, cum omnibus suis pertinentiis; ecclesiam sancti Justi de Compora cum omnibus suis pertinentiis; ecclesiam sancti Gregorii, que est prope Monte Magno cum omnibus suis pertinentiis; ecclesiam sancti Anasthasii, que est in Creti prope plebem cum omnibus

suis

ſuis pertinentiis ; curte mea & eccleſia ſancti Michaelis in Impore cum omnibus ſuis pertinentiis; eccleſiam ſancti Quirici in Ruſignano cum omnibus ſuis pertinentiis ; eccleſiam ſancti Sentii cum curte in loco , qui dicitur Cerreto cum omnibus ſuis pertinentiis ; curtem meam ad Pontorme cum ſuis pertinentiis ; ad Petrojo quatuor Maſie; ad Petrojolo quatuor Maſſie; curtem meam ad Canneto, que eſt prope ſancto Geneſio cum omnibus ſuis pertinentiis ; curtem meam ad ſanctum Geneſium cum terris & caſis & omnibus ſuis pertinentiis; ad Paterno quatuor Maſie ; curtem meam ad Porcari cum omnibus ſuis pertinentiis ; curtem meam in Tinzulo cum omnibus ſuis pertinentiis ; curtem meam ad monaſterio cum omnibus ſuis pertinentiis ; curtem meam in Matroajano cum omnibus ſuis pertinentiis ; curtem meam in Corano cum omnibus ſuis pertinentiis ; curtem meam ad Caſa nova cum omnibus ſuis pertinentiis ; curtem meam in pallude cum omnibus ſuis pertinentiis; eccleſia ſanctorum Johannis & Pauli cum omnibus pertinentiis & ſalinis ſuis in Vale ; curtem meam in Tripalo cum omnibus ſuis pertinentiis; curtem meam in Cazzano cum omnibus ſuis pertinentiis ; eccleſiam ſancti Michaelis in loco qui dicitur Monte Noculi cum omnibus ſuis pertinentiis ; curtem meam in loco qui dicitur Monte Vaſo cum omnibus ſuis pertinentiis; eccleſiam ſancte Marie in loco qui dicitur Colle Grimperti cum omnibus pertinentiis ſuis; curtem meam in Corſica, & Morenzano, & Tatalia, & Simbria , & Criſtiniano, & Germaniſe , Morenzano , & omnes res noſtras de quanta nobis pertinente. Hec omnia res, que ſuperius legitur, ſive caſe & curtis domnicatis cum omni domnicato & os ſupradicte caſe cum omnia adjacentia & cum pertinentiis earum & edificiis ſolamentis ſuis , ortis , territoriis, pratis, paſquis, ſilvis, arboribus fructiferis & infructiferis, mobilia & immobilia, atque ſeipſis moventibus, cultum, deſertum omnia in integrum cum ipſis maſſaritiis & mulieres & familias earum in ipſo monaſterio offerimus & tradimus poteſtati in ipſa congregatione monachorum in alimonia ipſorum de tempore habendo qualiter in ipſo monaſterio in ſua ordinatione permaneat , ut diximus , in regimine de abbate , in ea vero his ſcilicet ratione diſponimus, ut dum ego jam dictus Gumbertus abbas advixero hec monaſterio omnis congregatio iſtorum monachorum, qui preſentes & ingreſſi fuerint ... ſubjectis in obſervatione ſancta Regula ego indignus gubernare & regere debe .. mihi Domino auxiliante poteſtate confirmo. Ideo & nos Ildilbertus Gumprando abjiciendo ſeculi tenebras de poteſtate noſtra eximus tibi domno Gumberti abbati noſtro nos & ipſo monaſterio & omnis ſupradicta res ad ipſum monaſterium pertinentes in tua tradimus poteſtate , & ſic firmamus qualiter amodo tu recturus fueris & ordinaveris & diſpoſueris in omnibus in tua ſit poteſtate de tempore his ſtabile permaneat . Ita ego qui ſupra Gumbertus abbas ſimiliter confirmo pariter vobiſcum germanis meis in Chriſto permanendo , ut poſt tranſitum meum in ipſo monaſterium cum omnia res quicquid ad ipſum monaſterium pertinet , remaneat in poteſtate de ipſis monachis qui ipſo monaſterio obedientia repromiſſa ſanctam Regulam obſervantes ibi permanſerint de ipſa congregatione ſibi abbatem eligere & confirmare unanimem qualem voluerint, poteſtatem habeant , qui ſimiliter ſecundum Deum & ſanctam Regulam ſancti Benedicti eorum fiat abbatem , & ſic ipſo omnibus temporibus in ipſo monaſterio habeant permanere , & ſi de ipſa electione inter eos intentio exorta fuerit, tunc debeant petere ſibi ad conſilium abbatem monaſterii Domini & ſancti Salvatoris de Datiano & abbatem de monaſterio ſancti Petri de Monte Viride. Ipſi habeant Deo retributore propter intentionem inter eos tollendo, quem ipſi providerint de ipſis monachis plus eſſe ſecundum Deum, ipſe fiat eorum abbatem, & pro Legisfalcidie volemus ut habeant Adneago abbas germano noſtro & Alperga ſorore noſtra caſa una maſſaritia in Corſica in villa Germana , que regitur per Juventinulo cum omnia ad ipſam caſam pertinentes, & cum tantum ſit tibi contemptus , & ſi aliquis de heredibus vel proheredibus meis contra hanc chartam dotis a nobis facta ambulaverit & de ea que ſuperius legitur ſubtrhaere, moleſtare queſierit, compoſiturus eſſe inveniatur in ipſo monaſterio abbati qui pro tempore fuerit duplam melioratam rem, de quo agitur, & preſens charta de omnia, que ſuperius legitur omni tempore in ſua permaneat firmitate , ſicut Martio notarius ſcribere rogavi.

Actum in Ceraſiolo in curte ipſius monaſterii indictione ſupradicta feliciter.

Ego Gumbertus abbas in hanc chartam a me factam manu mea ſubſcripſi.

Signum manus Ildiberti clerici , qui hanc chartam fieri rogavit.

Signum

Signum manus Gumbrandi clerici, qui hanc chartam fieri rogavit.

Ego Belirinfusus presbiter rogatus a Gumberto abbate, & Ildiberto, & Gumbrando in hanc chartam ut testis subscripsi.

Signum manus Rachifredi filio quondam Ermifredi testis.

Signum manus Ausperti filio quondam Deuperti testis.

Signum manus Teoperti filio Detuli testis.

Signum manus Pranduli clerici filio quondam Ermifredi testis.

Signum manus Cunifredi clerici filio quondam Fridiperti testis.

Ego Martio notario hanc chartam scripsi post tradita in ipso altario complevi & dedi.

III.

Bulla Adriani papæ I. Dominico abbati monasterii sancti Apollinaris in Classe.

Anno 782. kal. novembris.

Ex authentico anni 1053. *archivi Classensis.*

Ad Lib. I. n. 17. IN nomine Dei eterni jesu christi salvatoris anno incarnationis millesimo quinquagesimo tertio Leonis pape sedis apostolatus ejus anno quinto, anno imperii Heinrici cesaris augusti magni imperatoris filii quondam Chonradi imperatoris in Italia septimo die .... mensis novembris indictione septima Ravenne. Exempla .... exarata de cartula precepti, que fecit Adrianus papa in monasterio beati Apolenaris, qui vocatur in Classe jus ...... dicendis.

ADRIANUS episcopus servus servorum Dei Dominico ...... martyris Apolenaris, ubi tuum sanctum veneratur corpus in eodem venerabili monasterio in perpetuum ..... convenit impertire assensum, ut tamen servientium utilitas valeat summitti dispendiis, nam tunc petitorum postulatione, quando venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur quia postulavit a nobis tua religiositas, quatenus inferius adscriptos fundos; idest fundum Centum & fundum Lacuna Candatia, & fundum Mauronianum, & fundum Portianula, & fundum Pissiano, & fundum Candatianum in integro sita territorio Corneliense: necnon & sex uncias fundi, qui vocatur Sala, & fundum Folianum, & fundum Vidiquosa, & fundum Ciccirianus in integro constituta omnia suprascripta loca territorio Corneliense in plebe, que vocatur Solustra, cum vineis, terris, campis, silvis, pratis, pascuis vel omnibus eis generaliter & in integro pertinentibus. Inter adfines suprascriptorum vero fundorum, idest fundum Centum, & fundum Laude, & fundum Candilanicus, & fundum Centulum & fundum Gestriticum, fundum Tactarianum, fundum Asinianum, fundum Trinianum atque strata publica. Verum etiam & vobis concedimus fundum Medoco, fundum Arculis, fundum Serra mediana, fundum Monterubeum, fundum Julianulum in integrum cum omnibus ejus generaliter & in integro pertinentibus constituta territorio Fanestre. Interrafines suprascriptorum fundorum fluvius qui vocatur Suasanus & Aqua albella seu saxo, qui vocatur Baritis, & ripo qui vocatur Amaturio. Simul omnem loca publica ubicumque tenere visi estis in quolibet loco vel territorio omnia juris publici palatinis Ravennatis a presenti sexta indictione in perpetuum tue religiositatis, & pro te tuoque venerabili monasterio sancti Apolenaris concedimus detinendas, ea prorsus ratione, ut singulis quoque dierum missas pro remedio anime nostre, & veniam delictorum in eodem sancto loco indifferenter sine ullo neglectum fieri disponat abbas, qui pro tempore veram ipsius sacri monasterii curam gesserit, nostramque memoriam in eodem sancto loco permaneat usque in finem seculi. Et quotiens matutinum efficitur intus ipsius sanctum monasterium pro remissione peccatorum nostrorum, & veniam delictorum monachi, qui in ibidem inventi fuerint trecentos Kirie eleyson exclamare debeant similiter, & post expletum vesperum pro remissione peccatorum nostrorum & venia delictorum centum Kirie eleyson exclamare studeant, ita sane ut singulis quibusque rationibus publicis tua religiositate successoribusque tuis abbas difficultate postposita persolvatur, omnemque non indigent defensionem & meliorationem predicta loca indifferenter vos sine dubio procurante efficiatur, nullaque precepta ad dandum annua pensione a vobis mora perveniat: sed ultro actionariis publicis a predicto tempore persolvatur. Statuentes auctoritate beati Petri principis apostolorum sub anathematis interpositionibus & trecentorum decem & octo patrum

trum Niceni concilii & cum diabolo describantur. Ut nulli umquam nostrorum successorum pontificum, vel alie & cujusque magne parveque persone liceat contra hoc nostrum apostolicum preceptum confirmationis agere, sed in proprio usu & utilitate sepedicti venerabilis monasterii pro sustentatione monachorum illic deservientibus perpetuis permaneant temporibus. Scriptum per manus Johannis scriniarii in mense octubrio indictione suprascripta sexta. † BENE VALETE.

Data kalendas novembris per manus Anastasii scriniarii regnante domino Deo & salvatori Jesu christo cum Deo patre omnipotenti & Spiritu sancto per infinita secula. Anno Deo propitio pontificatus domni Adriani in apostolica sede undecimo indictione sexta.

† Ego Deusdedit tabellio Ravennas in hoc exemplo, ut vidi & legere audivi de prompta recordatione subscripsi.

† Buconsilius quondam Runaldi in hoc exemplo subscripsi testis.

† Bulgarus filius quondam Andrea in hoc exemplo subscripsi testis.

† Johannes R..... Ravennas in hoc exemplo testis subscripsi.

IV.

Donatio Gisulfi quondam Romualdi ducis Johanni VIII. archiepiscopo Ravennati.

Anno 855. 7. die martii.

Ex antiquissimo exemplo seculi x. *penes nos.*

. . . .
. . . .

Ad Lib. I. n. 7. domno Lodojucus ite imperator ejus filio anno VI. die VII. mensis marcii indictione tertia aput ecclesia beati Apolenaris adque pontificis sita non longne ab urbe dudum Clase atque sancte ac venerabile Ravennatis ecclesie, in qua deo protegente domnus Johannes sanctissimus atque beatisimus umiliumque virtutum gratia Dei sublimatus Johannes archiepiscopus pontifex esse videtur. Ego Gisulpfus filius quondam Romualdi ducis comanente in territorio Corneliense donatore presens presentes salute sanctarum scripturarum nos racio premonet illa semper considerare ac disponere que pro anime meritum celestem retribucionem merear promereri, sine dubitacione credentes in evgagnelica subsequi lecione pro in oc seculo centuplum, & in futuro eterne vite esse participes. Qua de re ego qui superius Gisulfus filius quondam Romualdus duci donatore nullus penitus provocantes neque compellentes aut suadentes vel vim ferentes set meis propriis deliberacionis arbitrio do, dono tibi jam dictus domnus Johannes sanctisimus & coagnelicus archiepiscopus predicte sancte Ravennatis ecclesie in jus & dominiumque tuum & per te in suprascripte sancte ravennatis Ecclesie tuisque sucessoribus in perpetuum do dono cedo trado & mancipo a presente die pro oblacionem & remuneracionem & remedium anime mee profuturo posidendum. Idest curtem meam integram que est posita in Balnearea, cum fundis & casalibus & appendicibus suis, simulque & alia curtem meam integram posita in massa Metaciano vocatur, sita territorio Bonenieuse adque integra massa que vocatur Medicina cum fundis & casalibus & apendicibus suis, simulque & alia massa integra que vocatur Boetas cum fundis & casalibus & apendicibus suis & omnibus rebus in integris, quantascumque abere visu sum ohc est in territorio Bononiense & Corneliense & Faventino in colibet fundis qualibet nuncupatur tam ex ucessione quondam parentorum meorum ex paterna vel ex materna, quamque & pro qualecumque vismodi vel titulum adquisitum vel abere visus sum in predictis territoriis. Hec omnia predictarum locarum cum terris & vineis pascuis silvis salectis sacionalibus cum edificiabus cum rivis fontis aquis perhemnis, limitis limitibusque suis cultum vel incultum domnicatum vel colonicatum vel omnibus ad earum de predictis locis generaliter & spetialiter integriter pertinentibus seu adjacentibus sibique subjunctis omnisque nostris proprietatis meis cum suarum justis & certis in terra finibus quamque in te decrevit voluntas ut ab odierna die licentiam abeatis vos vestrisque sucessoribus per an carthulam donacionis mee presenti die in vobis factam introire & ingredi seu & inocupare in suprascriptis omnibus rebus, sicut superius legitur tamquam per legitimam & corporalem tradicionem, sine ullo meo meorumque filiorum & heredum vel alicujus obstaculum aut impedimentum potestative & quiete juris abeatis teneatis posideatis ordinandi & disponendi & qualiter vobis bonum vel rectum fuerit exinde faciendi jure dominiumque tuum & per te in predicte sancte Ravennatis ecclesie tuisque successoribus in perpetuum vindecetis adque

que defendatis plenum dominium de legibus sociaris effectum. Contra quam eciam donacionis mee a presenti die paginam sicut superius legitur, policeor nunquam me imposterum filiis aut heredibus ac sucessoribus meis adversus vos vestrisque sucessoribus predicte sancte Ravennatis ecclesie per quemlibet modum vel titulum non per aliquacumque oppositas faticias procuratorisve personas non ad eumdem judicium non suplicandum principibus neque per ecclesiasticam interpellacionem pro predicta curte mea integra posita in Balnearia, & pro alia curte mea integra posita in massa Metaciano, adque integra massa mea, que vocatur Medicina, simulque & alia massa integra, que vocatur Boetas, item & omnibus rebus meis integris quantascumque abere visus sum per quemlibet modum vel titulum in predictis territoriis Bononiense & Corneliensis seu & Faventino in qualibet fundis quolibet nuncupatur tam ex paterna vel ex materna, quamque & per qualecumque visdmodis vel titulum adquisivi vel abere visus sum in suprascriptis territoriis, & cum omnibus ad earumdem generaliter ac specialiter integriter pertinentibus seu adjacentibus sicut superius legitur ullo modo ullanque racionem contrarie quod absit, & afferre voluntatem quia legibus cautum est, ut quod semel donatum vel quoquomodo colatum vel cessum fuerit nullo modo revocetur. Unde pro majoris firmitatis ujus donacionis mee a presenti die paginam sicut superius legitur, pro quibus omnibus juratam dico per Deum omnipotentem sedemque sanctam apostolicam, & vitam superscriptorum dominorum nostrorum atestacione confirmo contra presentem donacionem quam proprietate spontanea voluntate feci nunquam sum venturo, sed perpetuis temporibus, illesa adque immaculata conservare & adimplere promitto. Quod si quod apsit, & avertas divina potencia & in aliqua controversia testus fuero per qualecunque ingenium, & omnia non observavero cunta que superius legitur, quia daturo promitto superscriptus Gisulfus filio quondam Romualdi Duci cum meisque filis ete heredibus ac sucessoribus a vobis multociens dictus domnus Johannes sanctissimus archiepiscopus sancte Ravennatis ecclesie tuisque sucessoribus ante omne litis inicium vel interpellationem pene nomine auri ebrizo libras decem a partis sancte vestre Ravennatis ecclesie, & post pene solucionem manead hec cartulam donacionis a presenti die in sue firmitate. Excluso circa me meosque omnium omnis legis beneficium juris efectus ingnorancie forisque locis prescripcionem, quia ab largitate mea ut superius fatus sum & ujc abeat deliberacionem per vim nullus quogentis consilium vel admonentis inpulsus. Quam vero inrevocabilem donacionem meam a presenti die, sicut superius legitur, quam absque ullo dolo malo ingenium & circumscripsionem cessante, Moise tabelio civitate Ravenne scribendum rogavi, & subtus manus meas proprias susscripcionem feci testibus a me rogatis obtulis susscribendum eorum qui per eam pro vestra presencia ad Georgium per domini misericordia humilimus diaconus sancte vestre Ravennatis ecclesie tradidimus, & indictione suprascripta tercia.

† Ego Gisulpsus filius quondam Romualdi duci huic cartulam donacionis de suprascriptis curtis integris positis in Balnearea, Metaciano, Medicina, Boeta & omnibus rebus sicut superius legitur a me facta in domno Johanne archiepiscopo sancte Ravennatis ecclesie suisque sucessoribus ad omnia suprascripta relegi consensi & subscripsi, & testibus a me rogatis obtuli subscribendam.

Romanus ducx hujus cartulam donacionis de suprascriptis curtis integris positi in predictis locis & omnibus rebus sicut superius legitur facta in domno Johanne archiepiscopo Ravennatis ecclesie suisque sucessoribus a Gisulso filio quondam f. Romualdi duci donatori, qui me presente ss. & ei relegi rogatus ab eodem testis subscripsi.

† Atilingo filio quondam Atiliani huic cartulam donacionis de predictis curtis integris positis in predictis locis & omnibus rebus sicut superius legitur facta in domno Johanne archiepiscopo sancte Ravennatis ecclesie suisque sucessoribus a Gisulso filio quondam Romualdi duci donatore, qui me presente subscripsit & in ei relege rogatus ab eodem teste subscripsi.

† Johannes filius Gregori dativi huic cartulam donacionis de predictis curtis integris positis in predictis locis cum omnibus rebus sicut superius legitur, facta in domno Johanne archiepiscopo sancte Ravennatis ecclesie suisque sucessoribus a Gisulso filio quondam Romualdi duci donatore, qui me presente subscripsit et ei relegi, rogatus ab eodem teste subscripsi.

Vitalianus consul huic cartulam donacionis de predictis curtis integris positis in predictis locis cum omnibus sicut supe-

ſuperius legitur facta in domno Johanne archiepiſcopo ſancte Ravennatis eccleſie ſuiſque ſuceſſoribus in perpetuum a Giſulfo filio *quondam agiſulfo filio* quondam Romualdi duci donatore qui me preſente ſubſcripſit, & ei relectum eſt rogatus ab eodem teſtes ſubſcripſi.

† Vitali filio Spereindeo huic cartulam donacionis de predictis curtis integris poſitis in predictis locis cum omnibus ſicut ſuperius legitur facta in domno Johanne archiepiſcopo ſancte Ravennatis eccleſie ſuiſque ſuceſſoribus a Giſulfo filio quondam Romualdi duci donatore, qui me preſente ſubſcripſit, & ei relectum eſt rogatus ab eodem teſte ſubſcripſi.

Moyſes tabellio civitatis Ravenne ſcriptor huic cartulam donacionis de predictis curtis poſitis in predictis locis Balnearia, Metaciano Medicina Boeta cum omnibus rebus ſuis integris, ſicut ſuperius legitur poſt roborationem teſtium atque tradita complevi & abſolvi.

Notitiam teſtium ideſt.

Romanus in Dei nomine Ducx

Atilingus humilis filius quondam Atilianus

& Johannis filio Gregorii Dativus

& Vitalianus inluſtris Conſul

& Vitalis umilis filius Speraindeo

V.

Inſtitutio monaſterii ſanctæ Mariæ in inſula Palatioli non longe ab urbe Ravenna.

Anno circiter 858.

Ex Margarinii bullario Caſinenſi T. II. p. 37.

Ad l.b. III. n. 3. SAncte illuminatrici & defenſatrici atque protectrici & Domini noſtri Jeſu Chriſti genitrici beate Marie glorioſe virgini Johannes ſervus ſervorum Dei epiſcopus ſancte Ravennatis eccleſie exiguus oblator.

Redemptor humani generis, ac ſalvator noſter Jeſus Chriſtus filius omnipotentis Dei noſtri, miranda potentique virtute ſancti Spiritus precordiis tuis, beatiſſima virgo Maria, claritatis lumine circumfulſit, atque matris & virginitatis te decore mirabiliter decoravit. Dignum eſt ergo tibi tam ſublimi virgini ſacre, ut in templo, in quo ſacratiſſima tua patrocinia ſunt recondita, optimis modulorum vocibus canatur; ideoque quod pridem ſtatutum non erat, nunc, favente Deo, tuis prevenientibus ſuffragiis monachorum regularis congregatio a nobis conſtituta eſt, que ibidem diebus ac noctibus inceſſanter laudes offerant domino Deo, ſecundum quod in Pſalmigraphi dictum eſt melodia. Septies, inquit, in die laudem dixi tibi ſuper judicia juſtitie tue. Et rurſum: Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Et iterum: Veſpere, & mane & meridie narrabo, & exaudies vocem meam. Igitur conſiderantes eorum regularium monachorum ſtipendiis, & quod equum eſt, ut ii qui ad ſacratiſſimum tuum templum deſervire videntur, & regularem & monaſticam vitam famulantes degunt, ac indeſinenter omnipotenti Deo laudes offerunt affluenter, ſua ſtipendia perpetualiter habeant. Ideoque tibi ſacratiſſima virgo eterni luminis mater beata Maria, munuſculum tribuo, tueque eccleſie, in qua ſancte tue reliquie humate eſſe videntur, perpetualiter fruendi tantummodo regularium monachorum victualitatis ſtipendia ad ſuſtentationem atque veſtimentum; ideſt inſula, quæ vocatur Palatiolum, inter affines a duobus lateribus fluminis, qui vocatur Padus & Renus, a tertio latere Mare. A quarto latere foſſo novo, in qua ipſum tuum decoratiſſimum monaſterium fundatum eſſe videtur cum terris, ſilvis, ſalectis, ſationalibus, campis, paludibus, lacis & edificiis a nobis conſtructis. Concedimus etiam vobis veſtriſque ſucceſſoribus in littore maris ipſius inſule, ſeu in fluvio, qui vocatur Adarenus, omni tempore, quando volueritis, piſcari. Simulque tibi glorioſiſſima virgo & venerabili tuo templo, quod in eadem inſula ſitum eſt, offero atque perpetualiter permanſurum decerno, monaſterium ad tuum honorem conſtructum cum clauſura quadam vinee & horto juxta ſe poſito, quod monaſterium ad Memoriamregis, & ad Farum nuncupatur. Nam ceteras res ſibi pertinentes volumus, atque futuris temporibus manſura eſſe jubemus in monaſterio ſancti Georgii martyris, quod non longe ab ipſo monaſterio conſtructum eſſe videtur; ut quidquid ex eadem inſula omnipotens dominus largiri dignatus fuerit, integre & indiminute in ſancto tuo venerabili monaſterio intemerata Chriſti virgo Maria omni tempore condiatur, prout dictum eſt, alimoniarum ſtipendiis tantummodo monachorum, vel qui in perpetuo in generationibus & progeniis fuerint coram ſancto tuo altari die noctuque hymnos cum laudibus

dibus Domino precinentes. Et ſtatuimus, ut nullo umquam tempore, qui archiepiſcopus hujus ſancte Ravennatis eccleſie prefuerit, ipſam congregationem diſperdat, aut conjurationem aliquam eis imponat, ſed magis augeat & circumfoveat beneficiis pro ſua mercede; reſervata tamen nobis & ſucceſſorum noſtrorum in prefato monaſterio ordinatio & poteſtas. Et quando Domino placuerit ab hac luce migrare abbatem, qui in ipſa congregatione fuerit, ſemper exercens regulam monachorum & congregationem; & idem abba ſi fatibilis prefuerit a pontifice ſepedicte ſancte eccleſie Ravennatis ordinetur, ſub tali nempe conditione, ut omnes, qui ſimul nunc eſtis, vel qui tempore futuro in ipſa fuerint congregatione, imperpetuum, poſt matutinum expletum officium, quinquageſimum pſalmum & triginta Kirie eleiſon & orationem pro peccatis meis canere debeatis; ſimiliter & hora tertia. In die vero depoſitionis mee, qui ibi presbyteri fuerint, omni anno unuſquiſque presbyter tres Miſſas pro facinoribus meis cantet & pſalteria ſingula. Ceteri quoque, qui pſalterium ſapuerint, unuſquiſque ipſorum unum pſalterium pro peccatis meis dicat. Et ipſe abbas eodem die pane, vino, carne aut piſce quinquaginta ad ſaturitatem pauperes recreet. Si quis vero tam veſtri ſucceſſores, vel quevis major vel minor perſona contra hujuſmodi noſtre donationis & precepti ſeriem quidquam aliter agere preſumpſerit, & ſupraſcriptam inſulam & monaſterium, ut ſuperius legitur, a jure vel dominio regularium ſervorum Dei monachorum, qui pro tempore fuerint, in tuo mirabili templo, beata Dei genitrix, quovis tempore per quemlibet, ut dictum eſt, contractum alienare, vel monitiones, ut factum eſt, innovaverit, ſuſcipiat inſolubilem Maranathe anathematis jaculum trecentorum decem & octo ſanctorum Niceni concilii, atque cum Juda Iſcariote ejuſdem Chriſti Domini traditore compar exiſtat, & cum antiquo hoſte Diabolo vel ejus tortuoſis demoniis in tartareo chao demerſus in perpetuo igne condemnetur, atque in inferno inferiori in evum conſiſtat, & in exteriores tenebras, in quibus fletus & ſtridor dentium eſt, degat & omnimode a vita eterna privetur, & nullo modo in memoria nominetur apud Deum; nec enim ab hac eterna condemnatione quoquomodo evadere valebit. Ii autem, qui a tuo venerabili templo hec a me offerta Virgo & mater Domini, alienare, aut ſubripere tentaverint, ea que ex tuis tibi propriis ad limina tua deſervientium regularium monachorum perenniter tribuimus poſſidendum. Quamobrem enixe per te depoſco, ut mihi tuo inutili famulo, licet immerito, ac qui pro firmo deſiderio cordis erga ſacratiſſima tua latera, amoris ſtudio hanc regularem diſpoſui congregationem queſo, quatenus tuis digneris obſecrationibus obtinere, noſtri Redemptoris clementia, ut aboletis meorum peccatorum contagiis eterna regna tribuat poſſidere. Quam noſtre preceptionis ac voluntarie noſtre largitatis, Petro clerico & notario ſancte Ravennatenſis eccleſie ſcribendam precepimus, & ſubtus manu propria, ut perpetualiter valeat, roboravimus; imo & epiſcopos, presbyteros, diacones diverſaque officia ſubſcribere fecimus, & coram ſancto tuo altario glorioſiſſima virgo Domina mea Maria eorum preſentia & totius plebis concedimus totis temporibus poſſidendum. Amen.

† Johannes ſervus ſervorum Dei epiſcopus in hac perpetuali precepti donatione a me facta in tuam venerabilem eccleſiam, glorioſiſſima Dei genitrix Maria virgo, & per te in regularium congregationem de ſupradictis capitulis ſub anathematis vinculi obligatione, ſicut ſuperior textus eloquitur, manu propria ſubſcripſi, & coram tuo venerabili altario oblato contradidi.

† Ego Apollenaris epiſcopus ſancte Saxinen. eccleſie in hac perpetuali precepti donatione facta a ſanctiſſimo ac beatiſſimo dompno Johanne archiepiſcopo ſancte Ravennatenſis eccleſie in venerabili monaſterio ſancte Dei genitricis Marie, quod vocatur in Palazolo, & per eam congregationem regularium monachorum, que ab ipſo ſancto viro conſtructa eſt, & loca ſuperius nominata, ſicut ſuperior textus eloquitur, ſub anathematis vinculo obligata, juſſu ipſius ſanctiſſimi viri ſubſcripſi.

† Ego Conſtantinus humilis epiſcopus ſancte Ferrarienſis eccleſie in hac perpetuali &c. *ut ſupra*.

† Ego Romanus humilis epiſcopus ſancte Faventine eccleſie &c. *ut ſupra*.

† Ego Cyprianus humilis epiſcopus ſancte Comaclenſis eccleſie &c. *ut ſupra*.

† Ego Petrus humilis epiſcopus ſancte Cornelienſis eccleſie &c. *ut ſupra*.

† Ego Florus humilis epiſcopus ſancte Ceſenatenſis eccleſie &c. *ut ſupra*.

† Ego Johannes Popilienſis epiſcopus &c. *ut ſupra*.

† Ego

† Ego Apollenaris episcopus sancte Liviensis ecclesie &c. *ut supra*.

† Ego Johannes archipresbyter sancte Ravennatensis ecclesie &c. *ut supra*.

† Ego Petrus per Dei misericordiam archidiaconus sancte Ravennatensis ecclesie &c. *ut supra*.

† Ego Andreas per misericordiam Dei diaconus sancte Ravennatensis ecclesie &c. *ut supra*.

† Ego Deusdedit presbyter sancte Ravennatensis ecclesie &c. *ut supra*.

VI.

Erectio parthenonis sancti Salvatoris de Fonte-bona (postea de Berardinga) in agro Senensi.

Anno 867. men. Februarii.

Ex codice Senensi apud Muratorium antiq. medii ævi T. V. col. 513.

Ad lib. VII. n. 33. IN nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi. Antiqui principes & sancti patres statuta sanxerunt, quod nobis modo per futura tempora conservare obsequi oportet. Ut quicumque in sua propria hereditate loco sancto in onhore sanctorum construere vel hereditare deliberat, oportet, ut idem ei in ipso sancto loco, quam hedificaverit, aliquid de rebus suis conferrere vel donare debeat, unde aput pium Dominum mercede comula accipiat; hoc per scripturarum series debet obligare, ut aliquibus in posterum non valeat infrangere, sed perhenniter maneat inconvulsu. Igitur ego in Dei nomine Winigis comes Senense filio quondam Reghinari, & conjux mea Richildam, & divina superna inspiratione sana mente, salubrique consilio, unanimiter pertractantes, sicut dicit in evangelio: Vende omnia que abes & dat pauperibus, & abebit thesaurum in celo. Idcirco pro amore Dei omnipotentis, & remissione peccatorum nostrorum, ut pio Domino largiente veniam consequi mereamur, donamus adque tradimus ad basilica nostra, quem constructa ibi, quem nos in honore Domini & salvatoris unanimiter nostro opere hedificavimus, donatumque imperpetuo esse volumus, hoc est ipsa area hubi ipse ecclesia a fundamentis est hedificata in loco nuncupante Campi, hubi dicitur Fonte bona super fluvio Cogia pago Senense cum ipsa terra & silva uno tenente ipsa silva nuncupante acceptoraria & silva & terra de Piscina sancta & villa, que nuncupante Septiminula, ibidem prope ipsam ecclesiam, cum casis, terris, vineis, silvis, servis, proservis, aldiis, proaldiis, liberis, proliberis, omnia & in omnibus ad ipsa villa pertinentes; & casas in ipso suprascripto Campi cum servos & ancillas cum greges porcorum, greges caprarum, greges jumentorum, greges armentorum. Et dedimus res nostras in Casprina, que nobis da quondam Odone, & Albisinda Saligos per cartula evenerunt cum casis & hedificiis, cum gregis ovium & greges porcorum, & greges armentorum cum servos & ancillas & cum ipsos pastores, qui ipsa animalia custodiunt. Ideſt nomina eorum; in primis ibidem ad ipsius monasterio in villa, que dicitur Campi, Johannes Celerario cum Rodelinda uxore sua, & cum Adelberto filio suo: Waleprando besulcus frater eidem Johanni cum uxore sua nomine Magna, & Ursa filia sua: Lupari besulcus cum Waleperga uxor sua, & Sperandeo, & Raintruda & Bonula filie eorum: Johannes befulcu cum Scamperga uxore sua: Albini befulcus cum Obisiada uxore sua: & Donatulo bifulcus cum Raneperga uxore sua, & abitat in Septiminule: Bertesusu cum uxore sua Ildiperga, & Bertisinda filia ejus: Jumentario uno nomine Ildeprando cum Ansiperga uxore sua: Savino pecorario, & Viccineperga uxore sua & Ursula filia suprascripto ejus. Felix pecorario cum Sinitruda uxore sua, & Johannes, Lupulo, Ursianulo, Filiperga, Ansula, Ursula filiis eorum & Johannes Silla junior ejus. Et de suprascripta Casprina pastores, servos & ancillas nomina eorum, idest Magiolo pecorario cum Teupla uxor sua & filios masculos tres, idest Johannes, Petrus, Teupala, & filie femine due Gumperga & Magiperga, nuruam eidem Magioli, Reintruda cum Andrea filio suo, & juniores ipsius Magioli duo Lupolo & Teupulu; vaccario uno nomine Deodato cum Lupula uxore sua & Martino filio suo; porcario uno nomine Amulo cum Paitruda uxore sua cum Amalperga & Raintruda filie ipsius, Ganripaldo eidem Amuli. Et donamus ibidem alios servos nostros manuales ministeriales, Rodulo loco cum Teuderada uxore sua; Ildeprandello pistrinario cum Dativa uxor sua; Gottefredo Lavandarius cum Froumberga uxore sua, Anastasius & Arriano filiis eorum: tappetarios tres, id sunt Ursulu cum Sighitruda uxore sua, Flo-

dard & Ansipertu. Donamus atque concedimus & tradedimus in ipso prefato monasterio domini Salvatori curte nostra ad sanctum Paulo cum ipsa ecclesia, que est posita prope Piscina Insi super fluvio Bumba. Simulque donamus ibi ipsis casis, curtis & rebus nostris, quas habemus in casale Sextano, que nobis per cartula advinet da Teudatico filio quondam Arponi seo casis & rebus ipsis ibi in Sextano, qui Petro Burgundio ad suas tenet manus. Simulque & donamus ibi alia ecclesia nostra, quod est dedicata in honore sanctorum Cosme & Damiani, que sita est ibidem in Campi, seo & donamus ibi alia ecclesia sancti Petri cum ipsa curte nostra dominicale sita Calatina. Donamusque & tradedimus ibidem curte & ecclesia nostra, que hedificata est in honore sancti Fabbiani super fluvio Arbia. Simulque donamus ibidem oratorio nostro, qui est constructus in honore sancti Ansani sito platea Senense. Seo donamus atque tradedimus ibidem curte nostra illa in Gamurisa prope fluvio Umbrone. Et donamus ad ipso monasterio servo nostro illo in Clatino nomine Ildeprando cum Oda uxore sua & Johanne filio ejus. Ideo omnes istas suprascriptas & denominatas ecclesias cum curtis donnicatis cum casis, curtificiis, casticiis, mansis, mancipiis, massaritiis, terris, vineis, pratis, pascuis vel decursibus aquarum, farinariis, quadris, campis, perviis tam donnicatis quam & massaritias, aldiaricias, colonicas, servi, proservis, aldios, proaldios, liberis, proliberis simul & diversis gregibus cum pastoribus, movilibus adque inmovilibus. Nisi anteponimus & reservamus de predictis rebus ecclesia sancti Pauli ipsas casas & rebus in Campiano, & ipso cambio, que fecimus cum Ilderico filio quondam Ildoni, quod ipso monasterio menime donavimus. Nam illas alias omnia predictas & denominatas ecclesias, & curtes cum rebus, pertinentiis & adjacentiis earum cum servos & ancillas, cum mansis, casticiis & mancipiis &c. omnia & in omnibus rebus exquisitas totum atque integrum donamus adque concedimus, & secundum legem nostram Saliga firmamus per fistucum, vvantonen & andilagine tradimus ad ipso sancto loco de jure nostro in jure dominationis ipsius prefati monasterio domini Salvatoris, quod nos in puellare ordine construximus. In ea videlicet ratione, ut dum nos prefati Winigis comes & Richilda jugalibus in hoc seculo advivere meruerimus in nostra sit potestatem & regimen gubernandi, struendi & edificandi. Nam nec vindendi, nec donandi, nec alienandi, nisi de adversa parte nostra sit potestas defendendi. Post vero ambarum nostrarum decesso, sit, deveniat ipsius monasterio in potestate Ittane, que est sorori mee Winighis & genitrice Richild conjuge mea, seu Richild filia nostra in eo ordine, ut in ipso prefato monasterio Ittana abbatissa sint, si voluerit, & si noluerit, tunc sit ipsa Richild filia nostra in ipso monasterio ...... diebus vite sue, & ibi Deo secundum vires illorum deserviant, oraziones & elemosinas, seo officium & luminaria, quantum Deus illas concedere dignatus fuerit pro nos, suisque nostris parentibus facere studeant, & de illas abbatissas prefatas superius nominatas Itta & Richild, que supra alia vixerit, habeat potestatem de cispite nostro masculino, qui de eorum nata vel procreata fuerit, ipsa eligere abbatissam. Dum vero de ipso cispite ulla fuerit, que in ipso ordine in jamdicto monasterio vivere & abitare, & omnia, ut supra legitur facere studuerit, non abeat licentiam de alio cispite ibidem abbatissam eligere, aut ordinare. Et si hoc evenerit, quod somnu mortis jam perpesse sint, quod de ipso paterno cispite non sit, que abbatissa eligere aut ordinare possit, vel si fuerit & esse noluerit; tunc postea habeat licentiam ipsas monachas quod de eodem tempore in ipso monasterio fuerint, una cum heredibus ac proheredibus nostris de ipso cispite Richild, que de masculino genere nata fuerit in suprascripto monasterio abbatissam eligere & ordinare. Nam & ipsa electione & ordinatione de ipso monasterio sine licentia & consensum de eredibus & proeredibus nostris stabilis esse non debeat. In eo ordine, ut non habeat licentia vel potestatem heredibus hac proeredibus nostris de ipsis rebus de predicto monasterio nec vendere, nec donare, nec alienare, nec pro ullo negotio, nec pro scriptione, vel adversa parte de ipso monasterio abstrahere, nisi de adversa parte ad jure ipsius monasterio defendere & mundiburdire, & ipsa abbatissa de ipso monasterio nec de res eidem monasterii non abeat potestatem per nullum argumentum ingenio in adversa parte dare, nec alienare: & ipsa vero abbatissa, qui pro tempore in ipso prefato monasterio ordinata fuerit, nulla alia laboratione, nec aliut censum, nec superposita faciat, nisi per singulos annos in dedicatione eidem monasterii ad eredibus hac proheredibus nostris ibidem ad ipso monasterio donet denarios duodecim in pensione. Et

si ipsa

si ipsa abbatissa predicta pensione non dederit, & dare neglexerint in primo & secundo, vel usque in septimo anno, tunc dent postea ipsa pensione insimul, quod reliquus est. Et si tunc ipsa pensione dare neglexerint, componat ipsa abbatissa ad heredibus, hac proheredibus nostris aurum libras tres; & postea abeat ipso monasterio, ut supra legitur, omnia adimplendum. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, si nosmetipsis, aut ullus de heredibus hac proheredibus nostris, seo quislibet ulla opposita vel extranea persona, qui contra prefato fulgenti monasterio, quem nos propter nomen Domini & reverentia Domini Salvatori nostro opere edificavimus, inrumpere, aut infrangere temptaverit, quod Deus non permittat, absit: in primis ira Dei omnipotentis incurrat offensa, & ad liminibus Sanctorum simul, & ad ipso sancto loco excommunicatus appareat. Et insuper una cum distringente socio Fisci aurum libras quinquaginta, argentum ponderas centum, partibus prefati monasterii mulcta componat, & quod reppetit evindicare non valeat; set has donatio & traditio omnique tempore firmam, inviolatamque permaneat cum stipulatione subnixa. Et quod ne permittat Deus fieri, si casus evenerit, quod de meo cispite, aut de Richil conjuge mea inventa non fuerit, que in suprascripto monasterio abbatissa esse possit, vel si fuerit, & abbatissa esse noluerit, tunc ipsa monachas de predicto monasterio habeat potestatem & licentiam una cum notitia de heredibus ac proheredibus nostris inter se abbatissam eligere & ordinare in ipso prefato almo loco, ut omnia statuta capitula faciat & adimpleat, ut supra legitur. Et si ipsis eredibus hac proheredibus nostris, vel quislibet personas, quod abbatissa in ipso monasterio vel in res ejus monasterii aliquas superflua fecerint, tunc in suprascripta mulcta & pena subjaceat, qualiter supra legitur. Facta donatio & traditio hanc in septimo anno imperii domno nostro Ludovici imperatori filio Lotharii, quod. augusto mense februarii indictione quintadecima. Feliciter.

Unde & rememorati sumus, ut predicta abbatissa in ipso monasterio habeat omni tempore monachas viginti: & quando de ipsa monachas aliqua mortua fuerint, habeat spatium usque ad annum integrum, ipsum numerum complendi, ut similiter monachas viginti. Et si infra ipso anno ipsum numerum recomplere neglexerint, tunc componat ipsa abbatissa ad heredibus hac proheredibus nostris, aurum libras tres. Et si postea ipsa abbatissa suprascripto numerum complere neglexerint, ut ipsa monachas viginti non fuerint, tunc licentiam & potestatem habeant heredibus hac proheredibus nostris prefata abbatissa de ipso monasterio foras jactare, & alia abbatissa ibidem mittere, eligere & hordinare, ut omnia suprascripta capitula faciat & adimpleat qualiter superius decrevimus, nisi tantum de ipsa congregatione sit ipsam abbatissam, que postea ibidem ordinaverit.

Ego Winigis comes suprascriptus.
Ego Adelom subscripsi.
Signum manus † ejusdem Richilde, ut supra legitur, scrivere rogavi.
Ego Leonardus ss.
Ego Dionisiga scribere rogatus ad Winigiso comes ss.
Ego Leodoinus levita ss.
Ego Crisoconius ss.
Ego Rainulfus ss.
Ego Bernardus ss.
Ego Willefredus ss.
Ego Pelerino notarius ex rogato suprascriptorum jugalibus hanc dote, qualiter supra legitur scripsi, & post tradita complevi & dedi.

VII.

Altera charta VVinigisi comitis & Richildæ uxoris pro eodem parthenone.

Anno 881. men. aprili.

Ex codice Marii Ugurgerii patricii Senensis pag. 5.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Manifesti sumus nos Vuinigis comes Senense & Richilda jugalibus, eo quod in propriis rebus nostris edificavimus ecclesia in honore Domini Salvatori nostri, & sancti Alexandri in loco nuncupante Campi, & vocitatus Funte bona super fluvio Cogia pago Senense, & ibi monasterio puellarum construximus pro delictis nostris & parentum nostrorum, & tam jam per alias dotes dotatum habemus, & ibidem de propriis rebus nostris dedimus, & tradedimus, adque ad jure ipsius monasterii concessimus ad ipsa arva, ubi ipsa ecclesia construenda esse videtur. Et villa qui dicitur Septeminule seu curte ad sanctum Paulum una cum ipsa ecclesia & curtis & rebus illis in Sestano, seu & ecclesia, & res sanctorum Cosme & Damiani, & ecclesia *Ad lib. VII. n. 33.*

sia & res sancti Fabiani super fluvio
Coia , & ecclesia & res sancti Ansa-
ni sito platea Senense seo pro ceteris lo-
cis vel vocabulis ad ipsis curtis & rebus
& ecclesia pertinentes una cum servos
& ancillas seo bestiis atque thesaurum &
libri & ceteris utentibus que in ipsa ec-
clesia a presente die missam habemus .
Aut ibi in ipsum sanctum & venerabi-
lem locum datum vel traditum est. Aut
Dominum opitulante in antea ibi datum
vel traditum fuerit. Omnia & in omni-
bus jure ipsius monasterii firmavimus in
perpetuum possidendum , in ea videlicet
ratione , ut dum nos præfatum Winigi
comes & Richild jugalibus , qui in hoc
seculo vivere meruerimus , in nostra es-
set potestatem & regimen gubernandi ,
struendi & sustinendi, nam non vinden-
di, necnon donandi , nec alienandi, nisi
de aversa parte defendendi, & post no-
stra ambarum decesso devenire ipso mo-
nasterio in potestatem Ittane socru mea
Winigisi & genitrice mea Richilda filia
nostra. In eo ordine, ut si ipsa Itta in
ipso monasterio abbatissa esse voluissent ,
& si esse voluisse fuisse abbatissa ipsa Ri-
childa filia nostra, quod Itta ipsa Richil-
da filia nostra ibi abbatissa fuisset , jam
judicium Dei eventum ipsa filia nostra de
ac luce migrata est , & nos nostrique si
ipsa Itta in eodem monasterio abbatissa
esse voluerit & nos inspirante divina ma-
jestas , volumus si ipsa abbatissa Itta su-
per nos advixerit, & ipsa & in ipso mo-
nasterio abbatissa esse voluerit , ipsa ha-
beat ipso monasterio , & res eum perti-
nentes, sicut decet abbatissa monasterium
regere & gubernare, & ibi Deo una cum
ipso sorores monacharum secundum vires
illorum serviunt , orationes & helemosi-
nas seu officium atque luminaria , quan-
tum Deus illius concedere dignatus fue-
rit per nos suisque & nostris parentibus
facere studeant , etsi Dominus ....
si ibi abbatissa fuerit tam longa vita con-
cesserit, ut Berardus aut Winigisus filiis
nostris de legitimos conjugio filia habue-
rit , qui in ipso monasterio abbatissa es-
se placuerit .... ipsa abbatissa Itta in
vita sua ea ibi abbat.... ordinent, & si ta-
lis fuerint Domini preceptum, quod ipsi
filiis meis in vita illius Itte de legitimo
conjugio filia non habuerint . . . qui ibi
abbatissa esse possint , aut si abuerint &
esse noluerint, tunc postea habuerint li-
centias ipsas monachas, qui eodem tem-
pore in ipso monasterio fuerint una cum
heredibus hac proheredibus nostris de ipso
cespite de masculino genere fuerint in
suprascripto monasterio abbatiss. eligere
& ordinare, nam & ipsa electione & or-
dinatione de ipso monasterio sine licentia
& consensu de heredibus nostris stabilem
esse non debeant, & si forsitan ullus de
filiis & heredibus hac proheredibus no-
stris contumax fuerit , & ipsa abbatissa
& prefata ecclesia , ut supra legitur, or-
dinare noluerint , nullius sit ordinatione
& defensione, qui ipsum sanctum locum
secundum Domini & nostra statuta ordi-
nare voluerint & ordinaverit, & ille ,
qui omnia & in omnibus sic vita nobis
statutum est , & supter & subtus legitur
adimplere distulerint , amittat ipsa ordi-
natione & defensione . In talis ordine ,
ut non habeat licentia , nec potestatem
filiis & heredibus ac proheredibus no-
stris de omnibus predictis curtis , eccle-
siis, casis, & rebus, quas in isto aut in
ipso anteriore dote legitur, de mobile
aut immobile, de servuos & ancillas, de
omnia & in omnibus , quas a presente
die ibi pertinet , vel Deo adjuvante in
antea ibi pertinente videntur , nec ven-
dere, nec donare , nec in divisione mit-
tere, nec per nullum argumentum inge-
nii dare, nec alienare, nec perscriptione
in aversa parte de ipso monasterio fue-
rint subtrahere , nisi de aversa parte a
jure ipsius monasterii defendere & mun-
diburdire , & ipsas abbatissas , qui pro
tempore in ipso monasterio fuerint, non
habeant licentiam, nec potestatem ipsum
sanctum monasterium , nec res ad eum
pertinentes in aversa parte dare nec alie-
nare, & ipsa abbatissa, qui pro tempore
in ipsum monasterium ordinata fuerint ,
neque monachanas de ipso monasterio ,
nec subjecti eorum nulla alia laboratio-
ne, nec alio sensu , nec super posita fa-
ciat , nisi per singulos annos in dedica-
tione eidem monasterii ab heredibus hac
proheredibus nostris, qui ipsum sanctum
monasterium secundum Deum melius or-
dinaverit, ibi ad ipsum monasterium do-
nec, & denarios duodecim in pensione ,
etsi ipsa abbatissa predicta pensione non
dederit secundum quod in ipso anteriore
dote continet, tunc postea dent ipsa pen-
sione, quod reliquum est , etsi tunc ipsa
pensione dare neglexerint componat ipsa
abbatissa ad ipso heredes nostro ac pro
heredes, qui omnia , ut supra legitur ,
conservaverit, aurum libras tres, & po-
stea habeat ipso monastrio , & omnia ad
eum pertinentes, ut supra legitur, omnia
adimplendum. & si talis fuerit domini mi-
sericordia, ut de supascriptorum filiis no-
stris filia de legitimo matrimonio nata
fuerint , qui ipso monasterio secundum
Deum regere & gubernare possit, & ibi
abba-

abbatissa esse voluerint, sit ibi abbatissa, & quo ne permittat Deus, quod de suprascriptis filiis nostris filias, aut nepus, aut pronepus, aut de eorum cispitibus talem inventum non fuerint, qui in ipso suprascripto monasterio abbatissa esse possint, vel si fuerit & ibi abbatissa esse possint. Vel si fuerit & ibi abbatissa esse noluerint, tunc ipsas monachas de predicto monasterio habeant potestatem & licentia una cum notitia de heredibus hac proheredibus nostris, qui ipsum sanctum locum secundum Deum melius ordinare providerint, semper inter se abbatissa eligere & ordinare in prefato almo loco usque in finem seculi, sicut supra adnexum est, ut omnia suprascripta capitula faciant, & adimpleant, ut supra legitur. Nam ut dunde nostro masculino cispite legitima filia inventa fuerit, qui ibi abbatissa esse possint, de alia generatione ibi abbatiss. esse non permittimus. Et si non fuerint, aut si fuerint, & esse noluerint, maneant, ut supra volumus, ut ipsa abbatissa, qui pro tempore in ipso monasterio fuerint, habeant omni tempore secum monachas triginta. Et quando ipsas monachas aliqua mortua fuerint, habeat spatium usque ad annum integrum ipsum numerum adimplendum; & si ipsum numerum complere neglexerint; tunc licentiam & potestatem habeant heredibus hac proheredibus nostris ipsum sanctum locum secundum Deum melius ordinare previderint. Si ipsa abbatissa infra tres annos ipsum numerum non compleverint, ipsa abbatissa foras jactare & alia ibidem de ipsa congregatione abbatissa eligere & ordinare, ut omnia suprascripta capitula faciant, & adimpleant, qualiter superius legitur. Quia per hanc scriptione per fistucum, vvasonem & andilaginem, & spansionem seo ramos de arboribus jure ipsius monasterii tradedimus perpetualiter abendum & possidendum per mercis & remedium anime nostre, vel parentum nostrorum dedimus & tradedimus atque confirmavimus: tam ista scriptione, quam & illis anterioris dotis secundum nostram Saligam legem firmavimus perhenniter, & in ipsum almum locum possidendum. Et si quis vero, quod sue usum esse non credimus, si ullus de heredibus ac proheredibus nostris, seo quislibet ullam apposita persona, qui contra prefato monasterio aliquid per vim inferre temptaverit, aut minuare presumserint, vel infrangere temptaverint, quod Deus non permittitur si non se conrexerit, aut quod ibi injuste intulerit, si infra triginta dies omnia eorum non emendaverit, in primis ira Dei omnipotentis incurrat offensa, & ad limina sanctorum simul & ad ipsum sanctum locum excommunicatus appareat, & habeat exinde nobis cum ratione ante tribunal Christi etiam judicium. Et insuper una cum distringente .... fisci auro libras quinquaginta argentum ponderosa, centum partibus prefati monasterii mulcta componat, & quod repetat per nullisque ingeniis evindicare non valeat, sed presens as nostras traditiones & omnes nostras conscriptiones, quas de ipso monasterio facta habemus vel firmata, omnique tempore firmam & inviolatam permaneat cum omni firmitate ex stipulatione subnixa, manu nostra propria subtus firmavimus, & boni viri pro firmanda decrevimus. Actum Sena. Datum anno primo Domini Caroli divina ordinante providentia imperator aug. mense aprilis indictione quartadecima.

Ego Vuinigis comes subscripsi.

Signus manus suprascript. Richild qui, sicut supra legitur fieri rogavit.

Signus manus Berardi & Vuingisi gg. filii suprascriptorum Vuinigis & Richilde, qui manu sua scribere rogaverunt.

Ego Rainulfus subscripsi.

Ego Dionisi gastald. rogatus subscripsi.

Signum manum Hodoni saligos testes.

Signus manum Nichardu saligo test.

Ego Giselbertus rogatus ad Vuinigisi com. & Richild subscripsi.

Christianus judex domini imperatoris rogatus ad suprascript. subscripsi.

Ego Adelbertus rogatus ad suprascript. ss.

Ego Sigenulfus notarius post tradita complevit & dedit.

VIII.

Testamentum Simonis comitis & domini Corsicæ pro abbatia sancti Mamiliani insulæ Montis-Christi.

Exemplum profert annum 836. sed substituendus annus 902. ut conjicimus.

Ex codice tabularii sancti Michaelis in Burgo Pisarum.

IN nomine Domini amen. Hoc est exemplum de quadam chartula, cujus tenor talis est. A nativitate Domini nostri Jesu christi eterni Dei anno octavo cen- *Ad Lib. II. n. 40*

centesimo trigesimo sexto indictione v. Ex hoc publico instrumento notum sit omnibus audientibus & legentibus, quod Simon comes Dei gratia dominus de Corsica sanus mente & infirmus corpore.... volo facere judicium de meis bonis acquisitis & pater meus & mater mea in presentia domnus abbas sancti Mamiliani insule Montis Christi, & Silverii abbas sancti Benedicti & sancti Zenobii de Ilaria, ubi dicitur, & in presentia a me notario Marco. Item judico corpus meum apud ecclesiam sancti Benedicti & sancti Zenobii de Ilaria ordinis Montis Christi. Item judico meas possessiones, quas ego habeo de mio proprio allodio, & denuo acquisito in Verde in loco, ubi dicitur *a Brevone*, qualiter sunt terminate de *Sedstatii* & *mette a Radone*, *& alle Saline*, *& alle Piaggine & mette in fiume de Luppiano*, *dicto Barchaio*, *& mette* ad ecclesiam sancte Marie, excepto CCX. mezzinate, que sunt sancta Maria *de Barchaja*. Item aliam possessionem ubi dicitur *Solcacomodo*, terminata da via *Vallela a'l altra Vallella* & caput sancti Martini. Item aliam possessionem, ubi dicitur Filetta *lo poggio alla chiusa* & *alla Silvella* & *lo piano dell' acqua*, & *lo Pecastro* e *li Magnuzzoli* & *alle fiche le Lorete* & *Aqua viva*. Et istas possessiones cum casis & casamentis, hortis, olivis, vineis, castagnetis & nocetis, melis & peris, arboribus fructiferis & non fructiferis, terris cultis & non cultis, domesticis & agrestis, servis & ancillis. Item aliam possessionem in Alixiano, ubi dicitur *ala presa alo Navale*, qualiter est terminata ab uno latere *ala Vallela*, que dicitur *de lo Pino alo Martone*, *da capo la via publica* & *a piede fiume del Risso*. In tali vero tenore uxor mea domina Pregha comitissa debeat habere fructum in vita sua, & post vitam suam debet redire ad dictam abbatiam Montis christi. Et ista mea ultima voluntas.

Actum in Canavarile in domo dicti comitis. Testes Ubertino judex de Corsica, presbiter Blanco plebano de Alixano, presbiter Ansandino de sancto Stefano, & Pietro Castaldo, & Cogello de Monte Vajano, & Lodovico de Canavarile & alii plures testes vocati fuerunt.

Ego Marcus quondam Philippi notarius sacri imperii rogatus fui, scripsi, complevi, firmavi & dedi.

IX.

Donatio Berlingerii regis & domini de Corsica & de Sardinia abbatiæ sanctorum Benedicti & Zenobii de Hilaria.

Anno 9... sed Anno 902. 12. martii.

Ex eodem codice monasterii Pisarum.

IN nomine Domini amen. Anno nativitatis Domini nonocentesimo....... indictione quinta XII. die martii. Ego Dominus Berlingerius rex Dei gratia dominus de Corsica & de Sardinia dedi, quando fuit edificata abbatia sancti Benedicti & sancti Zenobii de Ilaria in loco, ubi dicitur *lo cavo*, *tutto lo suo circulo*, quomodo est terminato & circumdato *da ogni parte* de nostro proprio allodio de pater meus & de mater mea. Et damus ad dictam abbatiam nostram possessionem, terras agrestes & domesticas, buschis & silvis, castagnetis & nocetis, sicut sunt terminate *de piede in Ficarella in Busso & mette alle saline & mette a sancta Justa*, *& mette a Verde & mette allo Livelli*, *& mette allo Livelli a Fontalione*, *& mette in Montalto*, *e falla per lo Strigone*, *& mette in Busco & mette alle Ficarelle*. Et istas possessiones damus vobis pro Deo de nostro proprio, ut abeatis & doneatis usque in perpetuum in tali vero tenore, ut non possitis vendere nec alienare istas possessiones damus dicte abbatie pro anima mea & pater meus & mater mea, & predictorum germanorum meorum damus cum licentia domini pape A. *Ad Lib. II. n. 39*

Actum in ecclesia sancte Marie de Mariana, domino Bruno archipresbyter Januensis legatus in Corsica & Sardinia, & domino Lunergio episcopus Marranensis, & domino Nicolao episcopus Acciensis & alii plures testes ibi fuerunt vocati.

Ego Johannes quondam Matthei sacri imperii notarius rogatus fui, scripsi, firmavi & dedi.

Ego Buccaccius olim quondam Branchatii de Pirello plebis Alisani Corsice diocesis Aleriensis publicus notarius imperiali auctoritate coplavi ea, que sic vidi que intellexi nec jungens, nec carens aliquid res, quod variat sensum vel intellectum, licet fortassis propter malam orthographiam, sub anno Domini M. CCCC. LIII. die XII. augusti.

X.

Fundatio abbatiæ sanctorum Petri & Stephani de Venaco in Corsica subjectæ monasterio Montis-Christi.

Anno 407. sed legendum 907.

Ex eodem codice.

Ad lib. 11. n. 41. AD honorem Dei & beate Marie & *beato Stephano & beato Benedetto,* anno Dominice nativitatis *quadragentesio settimo regnando messere Berlinghiero Re e Giudice. Sia manifesto a tutte persone che legeranno, e che odiranno questa carta. Quando venne messer Otto, e messer Domenico, e messer Guidone de'Conti dell' isola di Corsica, & questi vennono in presentia di messer l' abate Silverio abate di santo Mamiliano dell' insula di Monte Christo. E questi sopradetti Signori li dedono sua possessione, ch' elli avevano in Venaco in l' isola di Corsica, che sono case, casamenti, terre, vigne, boschi e selve agresti e domestiche, le quali sono terminate e per termini sopra lo piano chiamato lo Felice, e mette allo fiume di Rissonica, e mette in Tavignano, e mette allo poio dello Palazzo, e mette allo vado delle Carcere, e mette allo poio delle Tavole, e mette a Tuisano, e mette allo vado delle Rondini con due parte dello Gualdo delle Lentigini. Et questa possessione diamo per noi, e per nostri heredi in perpetuum. Et questi Signori sopradetti facta la sopradetta donatione vennono con messer lo abate in presentia* di messer Sinibaldo da Ravenna arcivescovo e legato in Corsica *con sua licentia, e con volontà di messer Angelo conte e signore di Corsica e di madonna Gilia madre sua, e questi feceno monasterio & abadia sancti Petri & sancti Stephani de Venaco; e dedono e summisonsi ea allo monasterio di sancto Mamiliano dell' insula di Monte Christo con tutti li sua beni; in tali vero tenore, che quando l' abate, overo li Frati o li Preti non potessino stare, che la dicta Chiesa con li sua beni deggia tornare alli sopradecti signori, overo alli sua heredi & inrede. In tali vero tenore, che ogni anno debbino rendere un cavallo infrenato & insellato, che vaglia libre sette. E quando l' abate velit, overo li Preti volessino tornar, deggiano havere la dicta abbatia con tutti li sua beni senza piato vel molestia, & non peggiorati sotto pena della dicta possessione. Et questi sopradetti signori, overo li sua heredi deggiano essere Patroni & Gubernatori & Defenditori contra ogni homo. Et questi patroni deggiano havere vitto e vestito nella dicta Badia, vel in altre Chiese di Monte Cristo.*

Actum *in Marrana innanzi la Chiesa di sancta Maria in presentia di me notario insoprascripto e di messer Sinibaldo Legato.* Testes *prete Grisogano, prete Antonio & misser Bonaparte, & messer Manfredo di Samma, & altri più, che ivi erano.*

Ego Philippus quondam Arriccii notarius sacri imperii hanc chartam rogatus fui & scripsi firmavi & dedi.

XI.

Donatio Angeli comitis, & Giliæ comitissæ eidem abbatiæ de Venaco.

Anno 600. Verum pertinet ad annum 908.

Ex eodem codice.

AL *nome di Dio* amen. *Recordatione facimo che a l' anno di messer Domenedio* sexto centesimo indictione XI. Ad lib. 11. n. 40. *manifesto sia a tutte persone, quando venne messer Angelo conte e madonna Gilia contessa e madre sua in presentia di me notaro infrascripto & fecero offertione e donatione in mano di messer l' abate Joanni abbate di sancto Stefano di Venaco delle sue possessioni acquisite, terre culte & inculte, domestiche & agreste, che sono in la isola di Corsica, in loco dicto Venaco, in loco chiamato campo di Boxio & lo piano delo Salice, & lo piano chiamato Tengajo, che sono terminate per termini, judichiamo & offeriamo a questo sopradicto abate per lo sopradicto monasterio, che non debba giammai a noi tornare non possa lo detto judicato. Lo quale judicato e terre prenominate meo & di mio padre & di mia madre.*

Actum *alla casa de lo conte. Testimonii Salvaticcio di Sommenuccio di Valderustica, prete Filippo piovano di Venaco, & Bontessurucio de Andrea, Gregorio quondam Benvenuticello, & Angelo de Rulandi de Nebbia, questi & altri più che furono presenti.*

Ego Albertus notarius sacri imperii hanc cartam rogatus fui, & scripsi, firmavi & dedi.

XII.

XII.

Donatio Johannis papæ X. Honesto archiepiscopo Ravennæ.

Anno 921. mense martio.

Ex volum. XXXVIII. *num.* 3. *tabularii archiepiscopatus Ravennæ.*

Ad lib. I. num. 29.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti amen. Domino nostro Johanne summo pontifice, & universali papa in apostolato anno septimo, imperante Domino Berengario serenissimo imperatore anno imperii ejus ....todecimo in mense marcio, indictione nona Rome Lateranense. Quia nobis domino Johanni summo & universali papa de apostolica sacratissima beati Petri apostoli sede petistis vobis Honesto divina favente gratia archiepiscopo sancte nostre Ravennatis ecclesie beati Apolenaris, ut concederemus, & vestris successoribus in perpetuum possidendum. Unde apostolatu nostro beati Petri apostoli patris patronum tantum .... impetrandi via est, quotiens beneficia a sancta nostra Romana ecclesia ejus jura non noceat postulati; sed Roma magis adcrescere possit quam minui. Ideo secut.....a apostolatu hujus sancte nostre universalis ecclesie, sicut dignum & justum recognoscimus ... i patr...... suscipere beneditionem .... dimus & damus atque tradimus seu em.... amu.... hujus sancte nostre Romane ecclesie tibi Honesto sancte nostre ...... po dilecto confratri nostro & per manus .... predicta sancta Ra..... at.... Ecclesia filia hujus sancte nostre Romane ecclesia una..... vestris successoribus in perpetuum possidendum suo jure. Idest concedimus, & a nobis alienamus, & vestris manibus tradimus atque emancipamus vobis, sicut & alii sancti patres nostri tradiderunt & emancipaverunt: ita & nos per hujus nostri precepti paginam emancipationis similiter & confirmationis emancipamus totam massam, que vocatur Campilio una cum omnibus fundoris suis, & cum omnibus juris pertinentiis suis piscationibus quoque & venationibus suis & omnibus sibi subjacentibus vel pertinentibus, constituta territorio Gavellense inter flumen Adicem & flumen Pado. Similiter largimur & confirmamus seu tradimus, atque in perpetuum mancipamus de jure sancte nostre Romane & universalis ecclesie in predicta sancta Ravennate ecclesia, idest totam & integram massam que vocatur Fiscalia cum omnibus similiter fundoris seu & cum omnibus juris sibi pertinentibus, nec non cum omnibus villis & plebibus in ipsa massa constitutis, piscationibus quoque & venationibus suis, similiter cum omni tributo censu atque ....tione temporale & annuale seu districto & cum omnibus, que de predicta massa ad sanctam Romanam ecclesiam pertinent constituta territorio Ferrariense, hoc quidem modo tradimus, & emancipamus à nobis ambas massas in te Honesto archiepiscopo & in tuis successoribus in perpetuum habendo, tenendo, ordinando, disponendo, seu judicandi potestatem habeatis in perpetuum cum tuis successoribus ad jura sancte Ravennatis ecclesie beati Apolenaris, quod sicut supradiximus pure & absolute, & sine omni condictione vobis vestrisque successoribus in perpetuum remisimus atque emancipamus. Si quis de omni clero sive aliqua persona aliqua dignitate decoratus sive privata persona contra hunc titulum nostri privilegii & emancipationis aliquam litem impulerit, sit composíturus & daturus auri optimi libras centum, medietatem camere nostre Lateranensi, & medietatem sancte Ravennati ecclesie beati Apolenaris, & sit excommunicatus a nostra amplissima sede apostolica, & sub anathemate, & pri....timis & sanctorum conciliorum Niceni, Constanti.....ni esses .... & quas .... onorem habere videtur ex eo pri. ... i censuim

. . . .
. . . .

XIII.

Placitum seu sententia Olderici vassi imperatoris de massa Fiscalia pro Honesto archiepiscopo Ravennate.

Anno 921. 9. maii.

Ex archivo Estensi apud Muratorium antiq. medii aevi T. II. col. 969.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Amen. Temporibus domini nostri Johannis Summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri apostoli Domini sede anno VII. sitque imperante domno Berengario piissimo perpetuo augusto pacifico magno imperatore anno x. die VIIII. mensis madii *Ad lib. I. n. 29.*

madii indictione VIIII. in massa, que vocatur Fiscalia. Notitia brevis recordationis ad memoriam retinendam, qualiter domnus Honestus religiosissimus archiepiscopus sancte Ravennatis ecclesie, & domnus Oldericus vassus & missus de domno imperatore, & Walpertus similiter iudex domni imperatoris, & Egervulfus judex domini imperatoris, & Lanfrancus judex domni imperatoris, & Farimundus judex domni imperatoris ..... in istorum & aliorum multorum presentia accessit jamdictus domnus Oldericus vassus & missus de predicto domno imperatore cum jamdicto domno Honesto archiepiscopo, in massa, que vocatur Fiscalia, & proclamavit se domnus Honestus archiepiscopus ante eum, & ante omnes alios, qui in eodem loco erant, de cunctis hominibus de predicta massa Fiscalia, ipsi nolebant servire neque obedire sibi, neque ad sanctam Ravennatem ecclesiam beati Apolenaris, secundum quod a sancta Romana ecclesia & universali data & tradita fuerat predicta massa in prescripta sancta Ravennate ecclesia beati Apolenaris in perpetuum possidenda. Et cum hoc audisset predictus domnus Oldericus vassus & missus domni imperatoris, sic cepit interrogare, & questionare ipsos predictos homines de predicta massa Fiscalia: quare non servitis & non vultis obedire domno Honesto archiepiscopo & sancto Apolenari? Et ipsi responderunt omnes una voce: nos non scimus, quod ista massa sit data & tradita a sancta Romana ecclesia in sanctam Ravennatem ecclesiam, sicut ille dicit: Et sic perlegere fecit prescriptus domnus archiepiscopus precepti paginam, & emancipationis, que facta est & tradita a sancta & universali Romana ecclesia in sanctam Ravennatem ecclesiam de supradicta massa Fiscalie, unde omnes pariter magno timore perterriti confessi sunt. Et laudantes omnes judices, qui in eodem loco erant cum suprascripto domno Olderico, & domno Honesto archiepiscopo juraverunt omnes de tota massa habitantes unusquisque coram cunctis, qui ibi in eodem loco erant, quia ab ipso die in antea numquam amplius adversus sanctam Ravennatem ecclesiam resistere debent, sed semper obedientes existere debent predicte ecclesie sancti Apolenaris & omnibus archiepiscopis de Ravenna in perpetuum, & predicto domno Honesto archiepiscopo. Insuper posuit bannum predictus domnus Oldericus missus domni imperatoris super caput domni Honesti archiepiscopi in centum libras auri, medietatem camere imperatoris, & medietatem camere sancti Apolenaris. Insuper obligaverunt se omnes habitatores de predicta massa in manu predicti domni archiepiscopi, quod si ipsi, vel sui filii & heredes unquam in aliquo tempore adversus sanctam Ravennatem ecclesiam insurrexerint, aut si obedientes aliquo tempore permanserint, qui promiserunt se omnes cum suis filiis & heredibus daturos prescripto Honesto archiepiscopo, suisque successoribus in perpetuum pene nomine auri rupti optimi libras centum & in perpetuum facituri & contenti.

† Signum manus domni Odelrici vassi & missi domni imperatoris

Walpertus judex domni imperatoris interfui & subscripsi.

Egerulfus judex domni imperatoris interfui & subscripsi.

Lanfrancus judex domni imperatoris interfui & subscripsi.

Wallarius judex domni imperatoris interfui & subscripsi.

Ego Petrus in Dei nomine tabellio de Vico Maderio scriptor hujus notitie, jubente ipso domno Olderico misso domni imperatoris interfui & subscripsi.

XIV.

Guilielmi marchionis & domini de Corsica donatio facta monasterio Montis-Christi.

Anno 1018. sed melius anno 936. 6. kal. martii.

Ex codice sancti Michaelis in Burgo Pisarum.

IN nomine Domini amen. Anno dominice incarnationis M. XVIII. indictione nona sexto kalendas martii. Ex hoc publico instrumento sit omnibus manifestum audientibus & legentibus, quia ego dominus Gulielmus marchio & dominus in Corsica, judex Calaritanus, per hanc chartulam inrevocabiliter do & trado omnipotenti Deo & ecclesie sancti Mamiliani insule Montis Christi omnes meas possessiones, que habeo de meo acquisito allodio, & pater meus & mater mea, vel predictorum germanorum meorum in curia de Ampognani Corsice in confinibus de Ampogniano in loco, ubi dicitur *Cassa d' acqua*, scilicet *Nepita*, & *Liperi*, & *l' Ibbataccia* & *la Silvella* & *lo Poggio* prope *Ad lib. II. n. 30.*

prope ipsius Silvelle, & *lo Leccio*, & *Fiumale* & *le Marete*. Et possessionem meam cum confinibus & terminata. Et istas possessiones damus vobis cum casis & casamentis, casalinis, hortis, vineis, castagnetis, terris cultis & non cultis, agrestis & domesticis, silvis sive boschis & massaritiis. Item damus vobis aliam possessionem in loco, ubi dicitur *Monte d'Olmo* cum XV. domos, & cum aliis suis pertinentiis cum suo circulo, domos meas, hortos, vineis, castagnetis, terris cultis & non cultis, agresticis & domesticis. Item damus vobis aliam possessionem, ubi dicitur *Quareso* cum omnibus suis pertinentiis, & eam possessionem cum aquis mola & molana sua omnipotenti Deo & predicte ecclesie pro anima mea & patris mei & predictorum germanorum meorum, do, cedo, & trado & offero. Et sit domno Johanni venerabili abati Montis Christi & monasterio sancti Mamiliani &c. Alii chartula ex parte illius monasterii Montis Christi appropriando & investio. Quam meam donationem & offertionem habeatis & teneatis sine molestia per vos & vestris heredibus &c. Nullus non habeat potestatem contradicere neque molestare & nunquam intentionare monasterium Montis Christi & possessionem predictam intrare. Precipio talem chartam scribere & rogare.

Ego Mariano judice & imperatoris notarius.

Actum in sala in palatio dicto domino marchio presenti Landolphinus filius Guglielmo, Stephanus filius Jacobi, Falcone quondam Barsochii, & Muccio quondam Guidonis & plures boni homines.

XV.

Venditio facta Mathildæ comitissæ de Corsica ab Henrico.

Anno 936.

Ex authentico archivi sancti Michaelis Pisarum.

Ad lib. II. n. 38. IN nomine Domini amen. Nono centesimo trigesimo ..... indictione nona .... Regniante domino nostro Re Simone. Manifestum sit omnibus audientibus & legentibus qualiter venerunt domino Enrico, & de alia parte domina Matelda filia de quondam Domino Neri Dei gratia Comitissa & uxor de Domino *Guielmo lo quale* habitabat ad locum ubi dicitur *a cucovello di lo plebajo di Ampogniano* & isti supra dicti vendiderunt suas possessiones *in piagia* rejacente in loco qui dicitur *Pontigio* justa Poragiam, que sunt terris cultis & incultis, boschis & silvis, id este totum Pontigium cum sua corsura *festo la foce* & ripatico, qui in se remanerunt & retinuerunt & dixerunt. Item vendimus istas possessiones ad vos Domina comitissa Matelda pet nos & pro omnibus heredibus nostris, & pro heredibus vestris usque in perpetuum, & nos promittimus vobis per nos & heredibus nostris non molestare ipsam venditam ut ipsam habeatis & teneatis & possideatis & quidquid facere volueritis faciatis ab ante hodierna die & immerito recipimus a vobis domina Matelda libras LX. & tres boves boni & optimi, & duo napi argentei & unum copertorium de lecto valoris libras VII. sic quod inter nos bene convenimus & tali cartam rogaverunt in manu mei notarii. Actum ad sanctam Luciam *de la bacharacia* testibus domino Ricobono Episcopo Aciensi, Vivarello de Foriano, Guarducio, domino Landolfo de Corba, presbiter Grisso de sancta Lucia & alii plures ibi fuerunt.

Et Manuellus sacri imperii not. scripsit.

Ego presbyter Lanfrancus de comitatu Mediolanensi imperiali auctoritate notarius has cartas exemplavi de uno libro sancti Mamiliani insule montis cristi & scriptas manu domini Manuelli sacri imperii notarii & exemplavi de anno domini MCCCLXI. Indictione XIIII. die VIII. mensis aprilis.

XVI.

Exemplum instrumenti donationis castelli, quod vocatur Mazzano factæ ab Alberico principe & senatore, nec non a Sergio episcopo Nepesino, Constantino, Bertha & Marozza in favorem monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe.

Anno 945. die 14. Januarii.

Ex veteri codice abbatiæ S. Gregorii de Urbe pag. 139.

IN nomine Domini amen. Hoc est exemplum cujusdam publici instrumenti sive transumpti exemplati & renovati per me Nicolaum Celli civem Romanum Dei gratia imperiali auctoritate nota- Ad lib. II. n. 35.

notarium : scripta transumpta & renovata per quondam Falconium scriniarium sancte Romane ecclesie ex quodam publico instrumento scripto per quondam Leonem scriniarium & tabellionem urbis Rome; cujus tenor talis est. In nomine domini Dei & salvatoris nostri Jesu Christi: anno Deo propitio pontificatus domni Martini summi pontificis & universalis secundi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli anno tertio indictione tertia mensis januarii die quartadecima. Quoniam certum est (*& infra*) nos Albericus domini gratia humilis princeps atque omnium Romanorum senator, atque Sergius humilis episcopus sancte Nepesine ecclesie, necnon & Constantinus illustris vir, atque Bertha nobilissima puella uterina, & germani fratres, Marozze quondam Romanorum senatricis filii, nec non & Marozza seu Stephania nobilissima femina germane sorores & consobrine eorum Theodore quondam Romanorum senatricis filie, a presenti n. die pro omnipotentis Dei & Sancti Andree apostoli atque beati Gregorii confessoris Christi atque pontificis : & quotidianis sacrisque vestris orationibus atque substentationibus cenobii & luminariorum concinnatione & veniam delictorum nostrorum. Ut pro intercessione ejusdem sanctis & sacris quotidianis vestris orationibus per hoc futura eterna gaudia cum electis Dei possidere mereamur. Ideo do, donamus, cedimus, tradimus, atque in usu & utilitate monasterii sancti Andree apostoli & sancti Gregorii quod appellatur Clivuscauri offerimus in perpetuum nullo nobis cogente neque contradicente vel suadente aut vim faciente : sed propria spontaneaque nostra voluntate vobis domno Benedicto Christi famulo religioso presbitero & monaco abbate suprascripti venerabilis monasterii sancteque tue congregationi successoribus vestris eidem monasterio servitio commorantibus: introeuntibus: ut superius missum est in usu : & utilitate in perpetuum. Idest castello in integro quod vocatur Mazzano cum casis: & suis edificiis: nec non & fundis: & casalibus sive vocabulis suis & sibi omnibus pertinentiis una cum familiis utriusque sexus inibi nobis pertinentibus : posito territorio Nepesino milliario ab urbe Roma plus minus vicesimo quinto juris cui existit: Nec non & casale in integrum, quod vocatur mons aureus cum olivetis & arboribus omnibus suis terris: campis cum oratorio Salvatoris: & edificiis: sex fontane aque vive : sicuti nostre quondam genetricis, & nostrorum quondam parentum detinuere manibus eumdem casale in integrum potestate : posito foris porta Portuensi juxta murum ejusdem portæ. Verum etiam & due clusure de vinea cum arboribus earum in integrum que infra ejusdem clusure via publica per medium ducit: & cum omnibus, ad eas generaliter & in integrum pertinentibus posito territorio Albanense milliario ab urbe Roma plus minus quintodecimo juris cui existit in fundum qui vocatur Procli: Una quidem clusura, & quem suprascriptas res nobis evenit a quondam nostra genitrice : & a quondam nostris parentibus: Iterumque & donamus & offerimus vobis vinee petias tres in integrum & cum omnibus ad eas pertinentibus positas suprascripto territorio Albanense in fundum qui vocatur Cesamajula sive Piscinula juris cui existens & inter affines ab uno latere vinea de me donatore: & a secundo latere vinee de nos qui supra donatrices : & a tertio latere fossatum in quo decurrit aqua: Unde & omnes exinde moniminas novas & veteres apud nos: nostrosque heredes: & successores ad conservandas : & salvas faciendas pro aliis immobilibus locis: que in eas esse continere videtur: & pro hoc eas vobis minime tribuere potuimus: sed quandocumque eas vobis: vestrisque successoribus necesse fuerit semper eas absque omni mora demonstrare: & ostendere spondimus gratis: absque premio omni tempore: & si in quolibet tempore qualemcumque cartulam exinde vobis : vestrisque successoribus litigando ostensa fuerit cartula illa sine omni robore firmitatis decernimus permanere. Hanc a die presentis donationis cartulam vobis contradidimus: quibus suprascriptis immobilibus locis cum familiis utriusque sexus in eodem castello commorantibus: & cum omnibus eorum pertinentiis : ut superius legitur: eo vero tenore : ut neque vos neque vestri successores, aut qualiscumque magna parvaque persona audeat per libellum aut tertium genus, neque quovis modo suprascriptis locis ab eodem sancto monasterio auferre : neque alienare audeat: & quod non credimus: neque licentiam damus : si alicui exinde cartula quelibet facta fuerit sine omni robore firmitatis eam decernimus permanere: & suprascriptis locis in integris & famulis suprascripti monasterii habeas: teneas: possideas: & in usu : & salario pro substentatione cenobii sint in perpetuum: etiam precepti pontificalis pagina in perpetuum incole monasterio renovandi : & numquam a nos: nec ab heredibus & suc-

ſucceſſoribus noſtris : aut a nobis : ſubmiſſa : magna : parvaque perſona contra vobis : veſtriſque ſucceſſoribus aliquam aliquando habebitis queſtionem : aut calumpniam. Sed in omni tempore ab omni homine : & omni loco ubi vobis : veſtriſque ſucceſſoribus neceſſe fuerit ſtare, nos una cum heredibus : & ſucceſſoribus noſtris : & defendere promittimus vobis: veſtriſque ſucceſſoribus: In qua & jurati dicimus per Deum omnipotentem: ſanƈteque ſedis apoſtolice ſeu ſalutem viri beatiſſimi & apoſtolici domni Martini ſanƈtiſſimi ſecundi pontificis, hec omnia que hujus a die preſentis donationis cartula ſerie teſtus eloquitur inviolabiliter conſervare, atque adimplere promittimus. Si enim quod abſit : & quoquo tempore nos vel heredibus : ac ſucceſſoribus noſtris contra vobis veſtriſque ſucceſſoribus, aut contra hanc a die preſentis donationis cartula: quam ſponte fieri rogavimus agere, aut cauſare preſumpſerimus per quovis modum ingenii quod ſenſum humanum intelligere vel capere poteſt & minime defendere potuerimus aut noluerimus: Tunc non ſolum perjurii reatum incurramus: verum etiam daturi nos promittimus: una cum heredibus: & ſucceſſoribus noſtris : vobis veſtriſque ſucceſſoribus ante omne litis initium pene nomine auri libras ebritias decem : & penam abſolutionis manentem. Hanc a die preſentis donationis cartula ſeriem in ſua nihilominus maneat firmitate, quam ſcribendam rogavimus Leonem ſcriniarium: & tabellionem urbis Rome . In qua & nos qui ſupra ſubtus manu propria ſubſcripſimus, & ſignum ſanƈte crucis fecimus : & teſtes qui ſubſcriberent rogavimus: & vobis qui ſupra contradidimus : in menſe, & inditione tertia.

† Albericus princeps atque omnium Romanorum ſenator huic a die preſentis donationis cartula de ſupraſcriptis immobilibus locis & familiis cum eorum pertinentiis faƈta a me cum meis conſortibus in ſupraſcripto monaſterio: in perpetuum : ſicut ſuperius legitur manu propria ſubſcripſi: & teſtes qui ſubſcriberent rogavi.

† Signum manu ſupraſcripta Marozza nobiliſſima femina donatrice qui ſupra lra † n.

Signum † manu ſupraſcripta Stephania nobiliſſima femina donatrice qui ſupra lra † n.

† Berta nobiliſſima puella huic a die preſentis donationis cartula de ſupraſcriptis immobilibus locis & familiis cum eorum pertinentiis faƈta a me cum ſupraſcriptis conſortibus meis in ſupraſcripro monaſterio in perpetuum ſicut ſuperius legitur manu propria ſubſcripſi: & teſtes qui ſubſcriberent rogavi.

† Sergius Dei gratia epiſcopus ſanƈte Nepeſine eccleſie huic a die preſentis donationis cartule de ſupraſcriptis immobilibus locis & familiis : & eorum pertinentiis faƈta a me cum ſupraſcriptis conſortibus meis in ſupraſcripto monaſterio in perpetuum ſicut ſuperius legitur manu propria ſubſcripſi & teſtes qui ſcriberent rogavi.

† Conſtantinus in Dei nomine nobilis vir huic a die preſentis donationis cartule de ſupraſcriptis immobilibus locis cum familiis & eorum pertinentiis faƈta a me cum ſupraſcriptis conſortibus meis in ſupraſcripto monaſterio in perpetuum ſicut ſuperius legitur manu propria ſubſcripſi : & teſtes qui ſubſcriberent rogavi.

† Georgius ſecundicerius.

† Andreas archiarius:

† Leo ſcriniarius.

† Benediƈtus conſul & dux.

† Johannes nobilis vir omnis in hanc cartulam donationis de ſupraſcriptis immobilibus locis & familiis : & omnibus eorum pertinentiis faƈta a domno Alberico glorioſo principe omnium Romanorum ſenatore: & ejus conſortibus in monaſterio Clivuſcauri in perpetuum : ſicut ſuperius legitur rogati ab eo teſtes ſubſcripſimus, & traditam vidimus.

† Georgius Dei providentia ſecundicerius ſanƈte ſedis apoſtolice in hanc cartulam donationis de ſupraſcriptis omnibus immobilibus locis cum familiis & eorum pertinentiis ab Alberico glorioſo principe, & eorum conſortibus in Benediƈto abbate monaſterii Clivuſcauri ſuiſve ſucceſſoribus in perpetuum ſicut ſuperius legitur ab eis ſubſcriptam traditam vidi.

† Andreas divini reſpeƈtus gratia arcarius ſanƈte ſedis apoſtolice in hanc cartulam donationis de ſupraſcriptis omnibus immobilibus locis cum familiis & eorum pertinentiis faƈta a domno Alberico glorioſo principe & ejus conſortibus in Benediƈto abbate monaſterii Clivuſcauri ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuum ſicut ſuperius legitur rogatus teſtis ſubſcripſi & traditam vidi.

† Leo Dei pietate prothoſcriniarius ſanƈte ſedis apoſtolice in hanc cartulam donationis de ſupraſcriptis immobilibus locis cum familiis & eorum pertinentiis faƈta .... Alberico glorioſo principe omnium Romanorum ſenatore & eorum conſortibus in monaſterio Clivuſcauri

ſuiſ.

ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuum: ſicut ſuperius legitur rogatus ab eis teſtis ſubſcripſi & traditam vidi.

† Benedictus in Dei nomine conſul: & dux in hanc a die preſentis donationis cartulam de ſupraſcriptis omnibus immobilibus locis cum familiis: & cum omnibus eorum pertinentiis facta a domno Alberico glorioſo principe omnium Romanorum ſenatore & omnibus conſortibus in monaſterio Clivuſcauri ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuum ſicut ſuperius legitur rogatus ab eis teſtis ſubſcripſi & traditam vidi.

† Johannes nobili viro in hanc cartulam donationis de ſupraſcriptis immobilibus locis cum familiis & eorum pertinentiis facta ab Alberico glorioſo principe & ejus conſortibus facta ab Alberico glorioſo principe in monaſterio Clivuſcauri in perpetuum ſicut ſuperius legitur: rogatus ab eo teſtis ſubſcripſi & traditam vidi.

† Ego Leo ſcriniarius & tabellio urbis Rome ſcriptor hujus cartule poſt teſtium ſubſcriptiones & traditiones complevi & abſolvi.

† Andreas archarius.

† Leo ſcriniarius.

† Benedictus conſul & dux.

† Joannes nobilis vir omnes in hanc cartulam donationis ſupraſcriptis immobilibus locis & familiaribus & eorum pertinentiis facta a domno Alberico glorioſo principe omnium Romanorum ſenatore & eorum conſortibus in monaſterio Clivuſcauri in perpetuum ſicut ſuperius legitur rogatus ab eis teſtis ſubſcripſimus & traditam vidimus.

Et ego Falconius ſcriniarius ſancte Romane eccleſie, ſicut inveni in quadam cartula que & Thomus cognominabatur ſcripta a Leone ſcriniario, que vetuſtate fere, jam tota conſumpta videbatur, proinde ego antedictus Falconius ſcriniarius ex perceptione domni Anaſtaſii abbatis venerabili monaſterio ſanctorum Andree & Gregorii in Clivoſcauri, ne ex toto corrumperetur, renovare curavi.

† Ego presbiter Romanus prior eccleſie ſanctorum Joannis & Pauli rector Romane fraternitatis huic inſtrumento fideliter exemplato, & in mei preſentia aſcultato meoque decreto & auctoritate publicato, & autenticato me ſubſcribo.

† .... Ego Petrus Nicolai Mathei cauſidicus & nunc camerarius judicum: & advocatorum Urbis habens fidem huic inſtrumento fideliter exemplato: a me viſo & lecto me ſubſcribo.

† Ego Petrus Mandem cauſidicus teſtis me ſubſcribo.

† Ego Paulus: nunc rector judicum & advocatorum Urbis huic inſtrumento fideliter exemplato me ſubſcribo.

† Et ego Joannes Nufrii notarius: & nunc corrector notariorum Urbis habens fidem huic inſtrumento fideliter exemplato me ſubſcribo.

† Et ego Matheus Petri Andree notarius & nunc camerarius notariorum Urbis habens fidem huic inſtrumento fideliter exemplato me ſubſcribo.

† Ego Petrus domini Maximi cauſidicus teſtis me ſubſcribo.

† Ego Jacobus Leonardi Jacobi Rubei teſtis me ſubſcribo.

Leonardus Jacobi Rubei ſancte Romane eccleſie judex & notarius habens poteſtatem a ſede apoſtolica dandi tutores: & curatores: decretum interponendi: teſtes recipiendi: acta prothocolla & inſtrumenta exemplandi: & alia exercendi: ſicut inveni in dicto publico inſtrumento ſcripto olim per dictum Leonem ſcriniarium & tabellionem urbis Rome in quadam carta carticinea jam fere conſumpta: & in multis locis corroſa: in quibus ut ſuperius continentur ſpatia dimiſi ita predicta in hoc inſtrumento ſcripſi: & fideliter exemplatus ſum & quod ſuperius ſcriptum & ſignatum e miliario ab Urbe Roma plus minus quinto decimo: juris cui exiſtens: & ab uno latere & rejacent: & aut: & rogatus: & rogatus: propria manu ſcripſi, & ſignavi: quia in exemplando ea obmiſeram: & etiam decreto: & auctoritate diſcreti viri domni presbiteri Romani: Romane fraternitatis rectoris: & decreto: & auctoritate: quibus ego idem Leonardus judex & notarius fungor ab apoſtolica ſede mihi conceſſis in his interpoſitis dictum inſtrumentum publicavi: & in publicam formam redegi in anno domini milleſimo trecenteſimo primo: tempore domni Bonifacii octavi P. P. indictione quarta decima: menſis maii: die vigeſima tertia, preſentibus his ad hec vocatis. & rogatis teſtibus literatis: ſcilicet domno Petro Nicolai Mathei cauſidico camerario judicum Urbis domno Petro Mandem cauſidico: domno Petro domni Maximi cauſidico: & Jacobo Leonardi Jacobi Rubei notario.

XVII.

XVII.

Concessio Petri archiepiscopi Ravennatis presbytero Johanni monasterii sancti Viti de civitate Fano.

Anno 945. 12. februarii.

Ex autographo chartularii archiepiscopii Ravennatis caps. I. n. 4442.

Ad lib. II. n. 24. IN nomine patris & filii & spiritus sancti anno Deo propitio pontificatus domni Marini summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri sede tertio, sitque regnante domino Hugone piissimo rege anno nonodecimo sede & domino Lothario item regem ejus filio anno quintodecimo die duodecimo mensis februarii indictione tercia Ravenne.

† Petrus episcopus servus servorum Dei divine (*sic*) sancte Ravenn. archiepiscopus. Ideoque nobis Johannes presbyter diebus vite mee, seu uni successori meo, qualem ego eligere aut relinquere voluero & vobis placuerit concedistis nobis monasterium sancti Viti martyris situm in civitate Fano cum omnibus sibi pertinentibus tam infra civitatem, quamque extra civitatem, habendum, tenendum, restaurandum, defensandum, missas, matutina, vel singula Deo officia die noctuque ibiden faciendi, & in omnibus meliorandum si a vobis juste & rationabiliter petivimus, & ab aliis minime detinetur: eo videlicet tempore, ut societate mea predicto Johanni presbytero sit utendo ipso monasterio, & post meum obitum succedatur ipsum monasterium, ut dictum est, unus successor meus presbyter, qualem ego eligero aut relinquere voluero, & die kalendarum februariarum .... dominice rationibus ...... successoribus omni annualiter per predictum monasterium denarios bonos & nobis placabiles sex, & nos habeamus licenciam hunc pactum, aut .... mon.... vel aliquod .... vel cui homini dare vel vendere seu transferre aut opponere per nullam occasionem, vel ingenium, vel argumentum, nisi quod superius ....
....
debeamus sine aliquo dolo. Si vero nos contra hunc pactum hire temptaverimus &c. Quam vero paginam Giorgio notarius sancte vestre Ravennatis ecclesie scribendum jussimus, in qua nos subscripsimus sub die mensis & indictione notata.

† Ego Johannes presbyter & cantor sancte Marie Fanestre ecclesie in hac petitione subscripsi. †

..... huic paginam peticionis de suprascripto monasterio, sicut superius legitur, factam in domo Petro archiepiscopo suisque successoribus a Johanne presbytero, qui me presente relegit rogatus ab eodem testis subscripsi.

...... quondam Petrus huic paginam peticionis de suprascripto monasterio, sicut supra facta, in domo Petro archiepiscopo suisque successoribus a Johanne presbytero, qui me presente subscripsit, & ei relegere rogatus ab eodem testis subscripsi.

.... b. .. quondam Johannis consulis huic paginam peticionis de suprascripto monasterio, sicut supra legitur factam, in domo Petro archiepiscopo suisque successoribus a Johanne presbytero qui me presens sub subscripsit &....

XVIII.

Testamentum Mathildis comitissæ Corsicæ.

Anno 951.

Ex authentico archivi sancti Michaelis in Burgo Pisarum.

IN nomine Domini amen. Nono centesimo quinquagesimo primo indictione VIIII. Manifestum sit omnibus memoriam recordationis facimus, ut pro nullo tempore perjurium non incurrat, qualiter venit domina Matelda uxor Domini quondam Guielmi, qui habitabat ad locum Cucuvelli, quando venit ad obitum mortis sue dixit coram me notario. Ego judico corpus meum apud ecclesiam sancte Marie de Canovaria, & judico ibi meum lectum, & meum mantellum, & meam centuram de argento dicte abacie. Item judico ecclesie sancte .... libras XV. pro uno calice. Item judico ecclesie sancti Nicholay de Campilli libras VII. pro uno paramento. Item judico omnes terras & possessiones quas habeo in *piagia* in loco, qui dicitur *Pontigio*, abbacie sancti Mamiliani insule Montis Christi. Item judico meas tunicas & meas massaricias & XX. capras ad Alamanam servicialem meam, que servivit mihi annis VII. & ista esse mea ultima voluntas. *Ad lib. II. n. 36.*

Actum

Actum in domo dicte domine in loco Cucuvelli testes presbyter Raynuccius de Monte dolmo, presbyter Nigellus de Scata, Johannello Sambuchello, Rosanello *del querceto*, & alii plures ibi fuerunt.

Et Manuellus sacri imperii notarius scripsit.

l a
P r

Ego presbyter Lanfrancus de comitatu Mediolanensi imperiali auctoritate notarius has cartas exemplavi de uno libro sancti Mamiliani insule Montis Christi & scriptas manu domini Manuellis sacri imperii notarii & exemplavi de anno Domini M. CCC. LXI. indictione XIIII. die VIII. mensis aprilis.

XIX.

Donatio Amelrici marchionis & Franchæ ejus conjugis, ecclesiæ sanctæ Mariæ ad fluvium Athesim.

Anno 953. mense augusto.

Ex authentico exemplo Vangaticiensi.

Ad lib. II. n. 41.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Regnantes dominos nostros Berengario & Adelbertus filio ejus reges hic in Italia anno quinto, sub die de mense augusto indictione XI. feliciter. Scola sacerdotum de ecclesia beate Dei genitricis virginis Marie, quam nos ipsis jugalibus in nostro proprio effundamentum edificavimus, que nos habere & possidere visi sumus in loco & fundo, qui vocatur flumen Vedre, ubi nunc presenti tempore Johannes presbiter custos & rector ipsius schole esse videtur. Nos quidem in Dei omnipotentis nomine Amelricus filio bonememorie idemque Amelrici & Francha honorabilibus jugalibus, qui Lege Salicha vivere visi sumus, per hanc presentem paginam offersionis nostre & per Wasonem terre, & ramum arborum, fistucum notatum, atque cultellum, & duos vvantos, totum insimul hac tradere visi sumus & corporalem facimus investituram & traditionem seu offersionis nomine presenti die & hora ad jure ipsius schole propietario nomine habendum. Idest in integrum omnibus casis & rebus illius juris & proprietatis nostre, quod supradictis jugalibus, quem nos habere & possidere visi sumus, qui positi sunt ipsis casis & rebus in loco & fundo Cavezana ab ipsis casis & rebus, tam terris casalinis, & terris cum vineis, & terris aratoreis seu vignis, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, salectis, sacionibus, rivis, ac paludibus, piscationibus, aquis, aquarumque decursibus cum omnia, & ex omnibus de quantum ad jam dictum loco Cavezzana legibus pertinent; nos qui supradicti jugalibus in jam dicta scola Sacerdotum de predicta ecclesia sancte Marie donamus, concedimus, tradimus atque offerimus per remedium anime nostre vel parentum nostrorum. Itemque concedimus, donamus atque offerimus per hanc presentem paginam offersionis nostre a die presenti & ora ad jure ipsius scole proprietario nomine ad habendum idest omnis transitam illa juris proprietatis nostre, quem nos habere, possidere visi sumus, & nobis legibus pertinent, & juris habere in alveo fluvio Athesis, qui vocatur flumen Vedre prope jam dicta ecclesia sancte Marie, cum omnia & ex omnibus, sicut superius legitur, qui supradictis Jugalibus presenti die & ora ad jure ipsius scole per hanc presentem paginam offersionis donamus, tradimus atque offerimus: ut custus & rector, qui ibidem modo est, vel qui pro tempore fuerint talem exinde habeant potestatem de ipsas res atque transitam, sicut supra legitur, ad regendum & gubernandum seu disponendum, sicut de alias res ipsius scole facere visi sunt per potestatem, ut forsitans nobis peccatores, parentumque nostrorum proficiant ad salutem & gaudium sempiternam. Et exinde de ea omnia qualiter superius legitur, nos jam dictis jugalibus nobis exinde nullam reservavimus de ipsis casis & rebus una cum superioribus & inferioribus earum rerum cum ingressibus atque regressibus suis communibus. Et si vero, quod futurum esse non credimus, si aliquid de heredibus ac proheredibus nostris, aut quelibet ulla opposita magna parvaque persona hominum surrexerit aliquando tempore, quod contra hujus nostre paginam offersionis, quam nos nostro bono animo fieri rogavimus, ire quandoque temptaverit, aut ea infrangere voluerint, & probatum fuerit, tunc componant ipsi heredes ac proheredibus nostris vobis vel ad vestros successores, qui pro tempore in ipsa sancta militaverint ecclesia, ipsis predictis casis & rebus & omnia, sicut supra legitur, omnia in duplum, & insuper stipulationis nomine componamus vobis pena que est multa una cum sociante Fisco auri optimi un-

cia una, argentum ponderas duas coactum absolvamus, & de hoc quod repecierint nihil vindicare habeant. Et insuper cum Juda traditore ante tribunal eterni judicis habeant damnationem. Et hec presens pagina offersionis, sicut supra legitur, omnique tempore firma & stabilis, inconvulsa & inrevocabilis permaneat sine omni contradictione hominum cum stipulatione subnixa. Et quia nos ipsis suprascriptis iogalibus hanc membranam simul cum calamo & attramentario & pinna atque cultellum, & duas vvantos totum insimul manibus nostris juxta lege nostra Salicha de terra levavimus: & Ingelbertus notarius tradidimus ad scribendum & testes, in qua hac subter confirmans ad nos rogatos obtulimus ad corroborandum.

Acto in Castro Merlaria feliciter.

Signum †† manibus suprascriptorum Almerici & Francani honorabilis jogalibus, qui hanc paginam fieri rogaverunt, ad omnia suprascripta & eis relectum est.

Signum ††† manibus Fulcherio filius quondam Ilberto & Ildoino filio Bonildrigo, & Eriugo filio ejus, viventes lege Salicha, testibus.

Signum ††† manibus Gariverto, qui Gezo dicitur, & Giselbertus, & Adelfredus germanis filiis Felice, testibus.

Signum ††† manuum Tadaldo, qui Rozo vocatur, & Granso filio bonememorie Everardi testibus.

Ego qui suprascriptum Ingelbertus notarius rogatus, qui hanc paginam scripsi, & post tradita complevi.

Ego Lanfrancus notarius authenticum hujus exempli vidi & legi & in eo continebatur sicut hic legitur & manibus meis exemplavi.

Ego Bonus zeno judex & causidicus & tabellio authenticum hujus exempli vidi & legi & in eo continebatur ut hic.

Ego Gabuardus sacri palatii notarius authenticum hujus exempli, & ita continebatur in illo, sicut in isto legitur exemplo ..... litteras plus minusve scriptas & me subscripsi.

Ego Wilielmus sacri palatii notarius authenticum hujus exempli vidi & legi & in eo continebatur ut hic.

X X.

Donatio Franchæ eidem ecclesiæ sanctæ Mariæ.

Anno 954. *6.* decembris.

Ex apographo authentico Vangaticiensi.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Berengarius & Adelbertus filius ejus gratia Dei reges anno regni eorum Deo propicio v. sexto die mensis decembris indictione XIII. Ideoque basilica sancte Marie genitricis in castro de Adice majore .... fluvio Adece veglo, quod est constructum in propria rex domini Aimelrici oli marchionis & Francha jugalibus ab eis noviter edificata, ubi presbyter Johannes custos & rector constitutus fuerat a quondam .... Francha Lanfranchi & relicta supradicti Almerici, que professa sum ex natione mea lege vivere Langobardorum consentiente & ultimo confirmante Indelmario presbitero & mundoaldus .... ipsius basilice presens presentibus dixit: Quisquis in sanctis ac venerabilibus locis ex suis aliquid contulerit rebus juxta auctoris vocem in hoc seculo centuplum accipiat, insuper quod melius est, vitam possidebit eternam. Ideoque ego suprascripta Franca dono & offero, & perpetualiter habendum in suprascripta basilica pro anima mea, & supradicti quondam Aimelrici, qui fuit vir meus, videlicet sacerdotes & levites seu aliis clericis, qui in eadem basilica sunt vel in antea fuerint, ibidem frequentius Deo servierint faciendum a presenti die earum rerum vel censum, vel de teloneis & piscationibus, quas exinde annue Deus dederit quidquid voluerint pro anima mea & suprascripti quondam Aimelrici viri mei mercedem. Idest casis massariciis sex in loco & fundo Merlaria, & in Altadura, & in Casale. In primis in Merlaria & Casale cum omnibus rebus, que recta & laborata esse videntur per Rainerius Massario filio quondam Rumaldi, alio casale ibi simul se tenente, qui est rectum per heredes quondam Johannes Ferrario. Tertio casale in ipso loco Merlaria, quod rectum fuit per Laurencio Pelosello. Quarto casale in Perariolo, quod rectum fuit per Martino Longolo. Quintus casale in Altadura quod rectum est per Bonellum filium quondam Gisemperti massarii. Sexto deni-

Ad lib. II. n. 43.

denique casale, quod jacet infra villa Casale, quod cernit fines de uno latere terra deserta Sculdaxia, & da uno latere fossato & terra & piscaria de Est, qui a fundo .... & da alio capite terra vigra seo omnibus, que fuerunt juris mei de Gondo. In Altadura & Casale. In primis in Altadura pecias duas de vite, una que dicitur Grimialdola, alia que dicitur .... quod est rectum per heredes Tincarini. Tercio casale tertia petia de vitis, que rectum est per Baruncio Nigro Pigoriozo, & petia una de vite & terra insimul, se tenentem, que vocatur Clusuria Madelgeri, & pecia una de terra, que pertinet Benevia Berti Massario in suprascriptum casale in Casale rectum & laboratum est per heredes Johannes Arzaballe; & in Urbana casale uno, quod est rectum & laboratum esse videtur per Johannes cum vinea, & petia una de terra in ipso loco Urbana, quod rectum & laboratum est per Zenonem, qui dicitur de Baruncio, quas eciam dono vobis sacerdotes vel levite seo ceteros cleros, qui nunc modo ordinati sunt, vel inantea ordinati fuerint in eadem sancta baxilica, utque nos peccatores ad Dominum nostrum Jesum Christum orare debeatis, idest omne telloneum, quod dicitur Trexidura de navibus flumen Adice veclo percurrentibus .... & penxionibus & redibucionibus, piscationibus, venationibus & confinibus reliquos usque in rupta de Adice & de Visinaria decorente remissa de Tartaro per Stafolo decorente in suprascripta rupta de Cadinario tam tolloneum de navibus fluminis Adixe veglo, quam ad tolloneum ad sancta Maria translatum fuit, & piscationibus, & rerum cum omnibus vel quidquid infra predictas fines de jure, quod fuit suprascripti Aimelrici, qui fuit vir meus inventum fuerit pro eo usque in Tartarum, ut dictum est, tam predictis casis massariciis seu teris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis ac stallariis, rivis, rupinis ac paludibus coltis vel incoltis, divisis & indivisis eorum singulis piscationibus & cursibus aquarum, aquarumque decursibus cum molendinis & piscationibus cum predictum telloneum, qui dicitur Trexidura infra jamdictos fines, & cum omnibus utrinque .... pertinet, aut pertinere inventi fuerint, una cum cimiteriis & offersionibus, quibus ad eadem basilica Dominus dederit in integrum facientes de suprascriptis rebus quidquid voluerit pro anima mea, & suprascripti quondam Aimelrici, qui fuit vir meus, mercedem de eadem basilica predicti sacerdotes curam & sollicitudinem habere debeant de officiis & luminaribus, seu sacerdotiis, & si quo tempore predicta basilica opus fuerit ad restaurandum per eorum sacerdotes, qui ab illo die ordinati fuerint ...... melius providere. Que autem suprascriptis casis massariciis meos de locis & fundis Merlaria & Perariolo, & in Altadura atque in Casale seu ..... de Adice veglo, & de predictis ista parte fluminis usque in rupta de Cadinario, & da alia parte fluminis de Visinaria usque in missa de Tartaro, & inde usque in Stafulo, & inde usque in suprascripta rupta de Cadinario & piscaria de Corliano, & silva in simul se tenente, que vocatur Gurgo de Muro, que cernit fines de uno latere Liverno percorrente usque in fossa da Molino, & omnia cum accessionibus & ingressoras eorum, seu cum superioribus & inferioribus suis, sicut superius legitur, & suis choherenciis decernitur, & sunt comprehensi in integrum, & ab hac die do, trado, offero in eadem basilica sancte & semperque virginis Dei genitricis Marie a die presenti & hora in sumptu & usu de predictis sacerdotes & levites, seu ceteros clericos, qui nunc modo ordinati sunt, vel pro tempore ordinati fuerint ibidem, frequenter Deo servierint, faciant ex frugibus earum rerum vel censum, quibus ex predictis casis, massariciis & omnibus rebus communiter Dominus dederit, & de predicta Trexidura, & piscaria & silvis inter jamdictas fines, qualiter superius legitur quidquid volueritis sine omni mea & heredum, ac proheredumque meorumque contradictione & defensione & asque restauratione. Insuper volo, ut homines, qui suprascriptas rex de prelibata baxilica sancte Marie resident, ut a nullum placitum vadant, aut custodias, nisi ad isti sacerdotes, qui modo sunt & in antea ordinati fuerint, & nullum redditum nec erbaticum, nec collecta, nec plubicum faciant, nisi ad castrum restaurandum. Cum ceteris vicinis faciant, nisi ad partem predicte ecclesie; & si eorum hominum, qui suprascriptas res resident, opus fuerint ad placitum ambulandi cum misso da parte predicte ecclesie vadant. Et si ego suprascripta Franca & meos heredes, aut ullam meam summissamque personam vos predicti sacerdotes & levites & ceteros clericos, qui nunc modo sunt, vel in antea ordinati fuerint inquietare aut molestare presumserimus per cocumque ingenio tum per nos subscriptos, quamque & per ullam nostram summissam-

Lib. II. n. 43.

ſamque perſonam, aut ſi apparuerit ullum meum datum aut factum vel in judicio refudatum, vel & quolibet ſcriptum, quod ego ſupraſcripta Franca & meos heredes aut meam ſummiſſamque perſonam in aliam partem dediſſemus aut emixixemus per cocumque ingenio, & dare factum fuerit, tunc ego ſupraſcripta Francha & meos heredes vobis, qui ſupra prefati ſacerdotes veſtroſque ſucceſſores, & pars ſupraſcripte baſilice pena argentum libras C. inſuper caſis & omnibus rebus qualiter ſicut pro tempore fuerit melioratis, aut valuerit ſub extimationes in conſimiles locas. Et ſi, quod abſit, & fieri non credo, ſi princeps aut quelibet magna vel parva perſona, tam per propinquos, quamque & extraneos tam maſculos quam & feminas, qui hanc meam offerſionem in aliquid aut ſuper totum infrangere voluerit, & pars predicte baſilice quiete & pacifice habere non permiſerint, tunc Dominum omnipotentem habeat retributorem, & ante tribunal Chriſti cum Iuda traditore inde ſtet ad judicium in ratione, & cum eo maneat in inferno inferiore, & ſi permittente Deo neminem moleſtacionem tunc faciant ſupraſcripti presbiteri, & diaconi & ceteros clericos, qui modo ordinati ſunt, & in futuris temporibus fuerint in ſupraſcripta baxilica in eorum ſumptu & huſu, & faciant pars predicta baxilica de hec omnia quicquid ſuperius legitur proprietario nomine quicquid voluerint pro anima mea & ſupraſcripto quondam Aimelrico, qui fuit vir meus, mercedem, quia taliter in omnibus mea bona decrevit voluntas. Hanc enim carte offerſionis mee paginam Pemmoni notario & judex dominorum regum tradidi & ſcribere rogavi, in qua etiam ſubter confirmavi teſtibus, quibus obtulit roborandam.

Actum in caſtro Rodigo feliciter.

Signum manus ſupraſcripta Franca, que hanc cartam offerſionis fieri rogavi, & ei relectum eſt.

† Ego Ildemarius presbiter, qui eidem Francham mundualda mea ad omnia ſupraſcripta conſenſu, ut ſupra.

† Signum manibus Martini de Sarzano, Ubaldoario de Rodige, & Vurſo de Vitale, & Vido de Ruſo habitaturis in caſtro Rodigus, qui in hac carta offerſionis ſupraſcripte rogati teſtes.

† Signum manibus Conradi filius Girardi, & Rozoni filius item Rozoni Vaſi Adelgixi lege viventes Langobardorum in hac carta offerſionis teſtes.

† Signum manus Aldini, & Guiterſiri filius Stefani & Lamberti, qui vocatur Lanzo filius quondam Berengarii Vaſi filio Leoni, qui in hac carta offerſionis teſtes.

† Signum manibus Henrici, qui vocatur Grazolino de Bugoſſio, & Gauſelino Vaſo Adelgiſi, & Gregorio Degano, qui in hac carta offerſionis teſtes.

Et ego ſupraſcriptus Pemmo notarius judex donnorum regum ſcriptor hujus cartule offerſionis poſt tradita complevi & dedi. Actum eſt.

Ego Diairenius divina gratia quondam domini Henrici ſereniſſimi imperatoris atque ſacri palatii notarius hoc inſtrumentum autenticum de veteri in novo reduco, & quod in eo ſcriptum inveni, ita in hoc novo deſcribo nec addens, nec minuans, quod ſenſum mutet. In M. CC. VIII. tempore Innocentii pape & nemine imperante in Italia die ultimo exeunte menſe julii indictione XI. Ferrarie.

XXI.

Permutatio caſalis appellati Palumbario, & curtis in Inde, quæ vocatur ſancti Geneſii, inter Conſtantinum abbatem ſancti Laurentii extra muros, & Benedictum abbatem monaſterii ſanctorum Andreæ & Gregorii.

Anno 954.

Ex codice monaſterii S. Gregorii pag. 219.

IN nomine domini Dei ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti Anno Deo propitio pontificatus domni Agapiti ſummi pontificis & univerſalis junioris P. P. in ſacratiſſima ſede beati Petri apoſtoli nono indictione duodecima . . . . venerabilibus locis verbo conveniunt pro utrarumque partium cautela illa potius perpetuitate mandamus que certis intervenientibus ſcripture teſtimoniis roboramus: qui certis inter quatinus oblivione depulſa futuris temporibus nulla rerum incertitudo quelibet jurgiorum ambiguitas generetur. Qua de re placuit atque convenit inter Conſtantinum religioſum presbiterum atque abbatem venerabilis monaſterii ſancti Chriſti martyris levite Laurentii ſitum foris muros hujus civitatis Rome conſentiente ſibi cuncta congregatione ſervorum Dei ſupraſcripti monaſterii in hunc a die preſenti commuta-

Ad Lib. II. n. 44.

mutationis titulum : & e diverso domno Benedicto Domini gratia humili presbitero: & monaco : atque abbate venerabilis monasterii sancti Andree apostoli : & sancti Gregorii confessoris Christi : atque pontificis , qui appellatur Clivuscauri : cunctaque ejus congregatione suprascripti monasterii: unde dedit : atque contradidit suprascripto Constantino religioso presbitero : & monaco : atque abbate suprascripti monasterii sancti Laurentii, qui ponitur foris Romam per commutationis titulum in jus dominiumque suprascripti monasterii sancti Andree: & sancti Gregorii: qui appellatur: Clivuscauri: suisque successoribus in perpetuum: Id est casale uno in integro qui appellatur Palumbario cum terris sementaritiis : campis : pratis : pascuis : cum fontana sua aque vive : cum ecclesia deserta in honore sancte Marie: Dei genitricis: cum monumento suo : quod est cripta rotunda: cultum vel incultum: & cum omnibus ad suprascriptum casale in inde pertinentibus : posito foris portam Appiam milliario ab urbe Roma plus minus octavo : vel nono : & inter affines ab uno latere via carraria pubblica , que pergit ad Albanum: & ab alio latere limite salvineum qui dividit inter subscripto fundo Palumbario & casale . . . . . . redeundo in suprascripta via carraria publica in primo affine , nec non & fundum in Inde qui vocatur Tertium cum terris sementaritiis : campis : pratis : pascuis : cultum vel incultum & cum omnibus ad se generaliter & in inde pertinentibus . Posito foris suprascriptam portam Appiam milliario ab urbe Roma plus minus tertio , & inter affines a duobus lateribus vie carrarie circundatum , & terminis & a tertio: & a quarto latere limites : & terminus: sicut nobis evenit per cartulam donationis a quodam Leandro monaco predictum casale: qui vocatur Palumbario: & fundo suprascripto Tertio in monasterio sancti Laurentii: qui ponitur in clausura pariter & ortua ad olera: & cepe faciendum: & terra sementaritia in loco qui vocatur orto perferie: & cum omnibus quantum ad nostris detinuimus manibus : & inter affines ab uno latere via carraria: a secundo latere pantano , & ortua de monasterio salvatoris domni nostri Jesu Christi: ancillarum Dei, & a tertio: & a quarto latere a monte : & usque in alio monte quem nobis evenit in nostro monasterio per cartulam donationis a quadam Maria nobilissima femina: uxore quondam Gregorii superstite: vel si qui alii affines sunt: vel ab origine fuerunt: & quicquid est in perpetuum : quorum ad vicem compensatione dedit : atque contradidit suprascripto Benedicto religioso abbate : cunctaque ejus congregatione suprascripti monasterii sibi consentiente permutationis titulo in jus dominiumque monasterii sancti Christi martiris levite Laurentii posito foris muros hujus civitatis Romane per suprascriptum Constantinum religiosum presbitero & monaco atque abbate suprascripti monasterii sancti Laurentii. Id est curte una in Inde qui vocatur sancti Genesii : cum terris: campis: pratis: pascuis: ortis: diversis generibus: puteis: fontibus: rivis aque perennis : cultum vel incultum & cum omnibus a suprascripta curte generaliter & in inde pertinentibus: excepto cesina una ad modiorum triginta : quem tenet Theophilaca : posita foris portam sancti Laurentii milliario ab urbe Roma plus minus . . . . . . & inter affines ab uno latere casale qui vocatur Musilenum de suprascripto monasterio sancti Laurentii & fundum Molabarbarum: & ab alio latere casale qui vocatur Pellagianum, & a tertio latere Castaniolum: & a quarto latere casale de Stefano sub Antonio : juris cui existit: Ita ut ab hac die liceat unicuique pactis rerum a se commodatis atque contraditis suprascripta predia sibimet permutata utendi: fruendi: possidendi: donandi: commutandi : vel quicquid voluerint titulo alienandi unaqueque partis liberam potiantur auctoritatem : contra quam permutationem numquam se , successoresque suos monasterii sancti Laurentii adversus semet ipsum movituros aliquam questionem vel repetitionem molestiam: nec in aliquorum refragationem vel repetitionem : vocare professi sunt : invocata Dei omnipotentis trina majestate : sancteque sedis apostolice : domni Agapiti sanctissimi junioris P. P. se fidem successoresque suos contra hujus commutationis cartule modis omnibus servaturos: nec in aliquo contra esse se venturos. Quod si qua pars contra fidem hujus commutationis cartule venire temptaverit: aut quod absit: quisque eorum pulsatus fuerit: aut evictus: tunc dabit pars infidelis parti fidem servanti ante omne litis initium pene nomine auri ebritias libras tres : & post pena absolutionis manente hujus commutationis cartule series in sua maneat firmitate: hujus autem rei due cartule pari tenore cum suprascripti quaque scripsi . Ego Stefanus scriniarius sancte Romane ecclesie ad petitum & consensum personarum suprascriptarum : quas suis signis testiumque a se rogatis sub-

ſubſcriptionibus roboratis: ſingule ſibimet partes contradiderunt: & ſtipulantes de re ſibimet ad omnia que ſuperius tenentur a ſupraſcripta ſpoponderunt allegandi unicuique partis placuerit quoquo tempore ubi ubi vel liberam potiantur auctoritatem. Actum Rome die: anno: pontifice: in menſe: & indictione ſupraſcripta duodecima.

† Conſtantinus gratia Dei humilis abbas venerabilis monaſterii ſancti Chriſti martiris Laurentii qui ponitur foris muros hujus civitatis Rome huic cartule commutationis de ſupraſcriptis immobilibus locis: diverſis terris: campis: pratis: paſcuis: & ortuis: & cum omnibus ad ſe pertinentibus factis a me in Benedicto abbate monaſterii Clivuſcauri & ſuis ſucceſſoribus in perpetuum ſicut ſuperius legitur manu propria ſubſcripſi, & teſtes qui ſubſcriberent rogavi.

† Stefanus indignus presbiter & monacus ſupraſcripto monaſterio huic commutationis cartule de ſupraſcriptis immobilibus locis: diverſis terris: campis: pratis: paſcuis: ortis: cum omnibus ad ſe pertinentibus factis a me in Benedicto abbate monaſterii Clivuſcauri: ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuum: ſicut ſupra legitur manu propria ſubſcripſi & conſenſi.

† Romanus indignus Diaconus: & monacus ſupraſcripti monaſterii huic commutationis cartule de ſupraſcriptis immobilibus locis: diverſis terris: campis: pratis: paſcuis: & ortuis: & cum omnibus ad ſe pertinentibus factis a me in Benedicto abbate monaſterii Clivuſcauri: ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuum ſicut ſuperius legitur manu propria ſubſcripſi & conſenſi.

† Theodorus nobili viro: huic commutationis cartule de ſupraſcriptis immobilibus locis: diverſis terris: campis: pratis: paſcuis: & ortuis: & cum omnibus ad ſe pertinentibus factis a Conſtantino abbate monaſterii ſancti Laurentii conſentiente ſibi cuncta congregatione ſupraſcripti monaſterii in Benedicto abbate monaſterii Clivuſcauri: ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuum ſicut ſuperius legitur rogatus ab eo teſtis ſubſcripſi: & has cartulas ſibi invicem tradentes vidi.

† Benedictus nobili viro hujus commutationis cartule teſtis & in Dei nomine conſul, & dux hujus commutationis cartule teſtis.

† Sergius nobilis viro huic commutationis cartule teſtis ſubſcripſi.

† Adrianus cubiculario Dominico huic commutationis cartule teſtis ſubſcripſi.

Ego Falconius ſcriniarius ſancte Romane eccleſie hec que ſuperius leguntur ex antiquiori Thomo: quam Stefanus ſcriniarius, & tabellio urbis Rome deſcripſerat: compleverat & abſolverat: quia totum emarcuerat: & fere deperierat: rogatu domni Roberti venerabilis abbatis monaſterii ſanctorum Andree & Gregorii de Clivoſcauri, ne ex toto conſummeretur decerpſi: & in hanc paginam transferre curavi.

XXII.

Libellus emphyteuſis Marini abbatis ſanctæ Mariæ in Auregario in territorio Comaclenſi Ingicæ, Johanni, Adraregundæ &c.

Anno *956.* 12. auguſti.

Ex autographo archiepiſcopalis tabularii Ravennatis cap. F. num. 2225.

IN nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Anno Deo propitio pontificatus domini Agapiti ſummi pontificis & univerſalis pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri ſede * ....cimo regnante vero domini Berengarius & Adelberto ejus filio ambobus piiſſimis regibus anno ſexto die duodecimo menſis auguſti ** .... decima. Comiaclo. Petivi ad vobis in Dei nomine dominus Marinus per domini miſericordia venerabilis presbyterum & monachus atque abbas .... ſuperexaltate ſemperque virginis Dei genitricis Marie, quod vocatur in Auregario. Una per conſenſum cunctorum deſervientium .... nomen Ingica filia quondam Leo, qui ic in Cumiaclo cumanere viſa ſum. Sitque Johannes & Adraregunda germane filii mei ..... filiis & nepotibus noſtris, & qualiter ex nobis jamdicti petitoris ſine filii aut nepotes obierit, illi, qui ſuperſtes remanſerint ..... infeutheticario jure ad preſentem diem concediſtis dilargiſtis atque confirmaſtis nobis rem juris veſtre regule.... ideſt omnem pertinentia veſtra in integrum quantaſcumque de jura jamdicti monaſterii veſtri pertinere tam culta vel inculta ..... que vocatur inſula, que eſt prope locum, qui dicitur Botolinus, ſimulque & omnem pertinencia veſtram in integrum quantaſcumque ...... de omnes res ilas, qui eſt poſitas in locum qui vocatur Trecto una cum caſalibus & campis, terris, ſilvis, ſalectis, ſacionalibus ſeo

Ad Lib. III. n. 18.

* h. e. *decimo*.

** Supple: *indictione quarta*-decima.

seo padulibus, necnon piscationibus atque venacionibus & aucupationibus suis & cum omnibus .... ipsa res quomodolibet ..... sula jacentibus constitutas territorio Cumiaclensi plebe sancti Viti, qui vocatur in Insula, que omnia, ut superius legitur, cum suis justis & certis in terra finibus ..... omnes superius nomine petitoris seo filiis & nepotibus nostris, sicut superius legitur, divina gratia in ac lucem jusserit permanere vitam. Concedimus & largimus eam vobis habendum, tenendum, possidendum, defensandum & in omnibus meliorandum, & nostris propriis expensis seo laboribus nobis jamdicti petitoris filiis & nepotibus nostris vobis antedicto abbati vestrisque successoribus indesinenter secundum paginam ec peticionis nostre pensionem nomine per singulis quibusque annis omnem festivitate adsuntio sancte Marie infra indictione pronta omnem pertinentia vestram in integrum quantascumque de jure predicti monasterii vestri pertinet, in locum, qui vocatur Insula, qui est prope locum, qui dicitur Botolinus. Verum etiam & quantascumque vobis pertinet in locum qui vocatur Trecto cum omnibus sibi pertinentibus, sicut superius legitur, idest in argentum denarios tresdecim pensionem, ut dictum est, persolvamus, pro eo quia exinde accepimus calciarie de manibus meis dicti petitoris in manibus vestris denominati abbatis pro restauracionem & luminaria........ ejusdem monasterii vestri calciarie nomine. Idest in argentum solidos mancosos duodecim, & de unumquemque solido mancoso ana den. treginta. Itaut post transitum nostrum, quorum nomina Ingica, sitque Johannis & Adraregunda germane filia mei. Nos toti petitoris seo filiis & nepotibus ..... placuerit munus expletus, tunc ipsa anthedicta res, que superius legitur, cultas, defensatas & in omnibus melioratas, vel quidquid inibi aditum est, melioratumque fuerit ad jus dominiumque jamdicti monasterii vestri sancte Marie, que vocatur in Auregario, cujus est jura & proprietas modis omnibus revertandi dominium & potestatem. Promittentes propterea nunc nullis diebus, nullisque temporibus vite nostre jamdicti petitoris seo filiis & nepotibus meis vobis antedicto abbati, vestrisque successoribus per qualibet ingenium vel argumentum, aut exquisitis occasionibus testus hujus paginam violare, set inviolabiliter modis omnibus conservare, & adimplere promittimus jurantes per divina omnia misteria ..... domini nostri Jesu Christi attestationem. Confirmamus tunc daturi nos promittimus nos superius nominati petitoris seo filiis & nepotibus .... vestrisque successoribus, ante omnes litis initium, aut interpellationem pene nomine auri obrizo uncias tres & post pene solucionem..... in sua firmitate. Quam vero paginam Johannes in Dei nomine consulem & tabellionem civem Ravennatem scribendam rogavimus ..... testibus a nobis rogatis optulimus subscribendam, eorumque presentiam eam nobis unus alterius.... contradimus sub die ..... jam dicta quartadecima. Cumiaclo.

† Signum manus mea jamdicta Ingica filia quondam Leo sitque Johannis & Adraregunda germana filia mei nos jam dicti petitores ad omnia jam dicta, cui relectum est.

Signum † manus Lupicinus, qui vocatur Becchario item teste ad omnia ista, cui relectum est.

Signum † manus Leo, qui vocatur de Andillandi de Laco item teste ad omnia jam dicta, cui relectum est.

Signum † manus Vitalis, qui vocatur Johannes de Agathe item teste ad omnia jamdicta, cui relectum est.

† Martinus filio Petrus vic paginam peticionis de omnibus regibus, sicut superius legitur, rogatus testis ss. & superexcripti calciarii dante & accipiente vidi.

† Marinus filio Donumdei vic painam peticionis de omnibus regibus, sicut superius legitur, rogatus testis subscripsi, & superexscripti calciarii dante & acipiente vidi.

† Johannes in Dei nomine consul & tabellionem civitatis Ravenne scriptor ujus paginam petitionis de omnibus rebus, sicut superius legitur, post roborationem testium atque traditam complevi & absolvit.

Notitia	testium	dictorum idest
Lupicinus	qni vocatur Becchario	teste
Leo	qui vocatur de Andillandi	teste
Vitalis	de Johannis de Agathe	teste
Martinus	filio Petrus	qui vocatur de Agimundo
Marinus	filio Donumdei	qui vocatur de Avolta.

XXIII.

Concessio monasteriorum sancti Eusebii, & sanctæ Mariæ ad Hortum de Ravenna facta a Petro archiepiscopo Ravennate monasterio Palatiolensi.

Anno 957. 22. februarii.

Ex bullario Casinensi T. II. pag. 43.

Ad lib. III. n. 2. IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno Deo propitio, pontificatus domini Johannis summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri sede primo. Sicque regnante dominis Berengario & Adelberto ejus filio piissimis regibus anno septimo, die vigesimo secundo mensis februarii, indictione * quartadecima, Ravenne. Petrus servus servorum Dei divina gratia archiepiscopus Raimbaldo religioso abbati venerabilis cenobii sancte Dei genitricis & virginis Marie siti in insula Palatioli, & per te in eodem monasterio in perpetuo possiden. ecclesiastice contemplationis secta nos permonet illa semper considerare atque disponere, que ad augumentum & diligentiam, seu & refectionis Dei ecclesiarum pertinet statum; & ne quod absit, data negligentia quoquomodo scribatur ad culpam. Igitur cum summa divinitatis potentia sue pietatis arbitrio illud nos ambire quotidie admonet, quod ad perennitatis pervenit censuram, & potissimum seu celeberrimum fore dignoscitur, presentium scilicet sacerdotum omnium sacri ordinis sancte nostre Ravennatis ecclesie religiositas prospicit a nobis exequendum, ut vestrorum omnium consensu hoc privilegium perpetualiter mansurum statuimus, quatinus, miserante domino, viventium & mortuorum venia sit & salus animabus. Pro his igitur divinis opportunitatibus sacerdotes sancte nostre Ravennatis ecclesie, ac clericos, hoc nostro privilegio unitos fore sancivimus, consentientibus vobis omnibus. Ideoque & ego suprascriptus Petrus divina gratia archiepiscopus damus & concedimus seu transferimus, & in perpetuum transactamus in predicto monasterio sancte Dei genitricis & virginis Marie, sito in insula Palatiolo, idest omnem medietatem in integrum de monasterio sancti Eusebii confessoris Christi cum omni medietate de rebus & possessionibus suis, tam in montanis, quam in planitiis seu edificiis, vel ubi ubi habere videtur. Et etiam concedimus vobis denominato monasterio sancte Marie in Palatiolo extra portum . . . . . idest monasterium sancte Marie, quod vocatur ad Hortum, situm in civitate Ravenne in regione sancti Andree apostoli, cum omnibus ad se pertinentibus, vel quantascumque Fredebertus quondam abbas acquisivit ac detinuit per quemcumque modum vel titulum. Quapropter predictas res prefati sancti Eusebii monasterium ideo in supradicto cenobio sancte Marie largiri decrevimus, quia scilicet jam nominati sancti Eusebii monasterium, instantibus periculis & flagellis, ac irruentibus culpis annulatum atque pene demolitum esse cognoscitur, itaut jam ad cenobii normam esse nequeat. Et ne merces atque preces piorum virorum predia superius dicto monasterio largientium attenuaretur, ut a prefatis cenobiis consequantur, ista donantur, quatenus per vestram vigilantiam, & aptam solertiam abbatibus & monachis vel presbyteris, qui in predicto monasterio sancte Marie ordinati, vel aggregati fuerint, utilitates & Dei servitia fideliter & devote totis viribus administrentur. Eo denique modo, ut omni annualiter in die natalitii mei, quod est in festivitate sancti Viti canere debeatis pro me in natali genuinum missas duodecim, & post obitum meum, quando Domino placuerit omni annualiter in die depositionis mee anniversarium cum vigiliis mihi facere debeatis, & missas quinquaginta canere debeatis pro anima mea; ut pro tali collato obsequio veniam consequi mereamur ab auctore summo Deo retributore bonorum operum. Sancimus itaque, ut nullus noster successor pontifex, vel quispiam ex sacerdotibus quibuscumque ordinibus sancte nostre Ravennatis ecclesie aliquid de suprascriptis rebus ab ipso monasterio sancte Marie liceat, ut supra diximus, subtrahere quoquomodo audeat vel auferre per nullum ingenium, vel argumentum. Si quis autem hoc non observaverit incorrupte, & contra hanc nostre largitatis censuram agere tentaverit, trecentorum decem & octo sanctorum patrum Niceni concilii anathematis vinculo vulneretur. Observator autem, qui extiterit, Domini benedictione redundetur. Quam vero paginam privilegii largietatis Georgium notarium sancte Ravennatis ecclesie scribendam jussimus, in qua nos subscripsimus, sub die mensis & indictione suprascripta quintadecima. Ravenne.

* l. quintadecima ut in fine.

XXIV.

XXIV.

Donatio casalis vocati ad Sex-columnas cum suis pertinentiis facta a Balduino comite Benedicto abbati monasterii sanctorum Petri & Martini confessoris de Urbe.

Anno 961. die 20. aprilis.

Ex codice sancti Gregorii de Urbe p. 220.

Ad lib. III. n. 9. IN nomine Domini. Anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis, & universalis duodecimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli sexto, indictione quarta mensis aprilis die vicesimo. Salubriter est & sine dubitatione consilii, ita ut unumquemque suis utilitatibus illa potius studeat lucra sectari, que anime pertinere videntur, ut cum ex hac vita subtractus fuerit, in illa eterna requie invenire mereatur, quia bonum mihi videtur exercere negocium, qui de terrena comparat celestia. Quapropter ego Balduinus glorioso comiti a presenti die sub usufructuum vite mee dono & do, trado & largior atque offero nullum mihi cogente atque contradicente, sed propria spontaneaque mea voluntate vobis domno Benedicto religioso presbitero & monaco atque abbate venerabilis monasterii sanctorum Petri apostolorum & Martini confessoris situm Rome in regione secunda sub Aventino in loco, qui vocatur Orrea, successoribusque tuis in perpetuum pro omnipotentis Dei amore, mercedeque anime mee, & veniam delictorum post discessum meum offero. Idest casale uno, qui vocatur sex columpnas, sive qui alio vocabulo nuncupatur, cum terris, campis, pratis, pascuis, silvis, arboribus fructiferis & infructiferis diversi generis, puteis, fontibus atque cisternis cum aqua, cultum vel incultum, & cum omnibus ad ipso casale generaliter & universis pertinentibus, positum foris porta Appia milliario ab urbe Roma plus sexto vel septimo, sive octavo: inter affines ab uno latere silice traversa, & casale de Leo protoscriniario, & ab alio latere florario juris monasterii Cella nova, & a tertio latere palumbario, in quo est cisterna cum aqua, & exinde recte in cripta majore, ubi sunt oleastri, & exinde per limitem alto majure infra silva recte in arca marmorea antiqua silcinea, ubi stant parietes majores, & recte ab ista marmorea antiqua silcinea pergente in via, que venit de Moreni juxta silva, & veniente in silva transversa, a primo affines juxta casale, qui vocatur de Leone protoscriniario, sicuti evenit per hereditatem a quondam Saffa conjunge mea, & usque modo quieto ordine meis detinent manibus, ita tibi tuisque successoribus post discessum meum trado pro Dei amore, & redemptione anime mee, & de supRascripte Saxie olim conjugem meam pro vestris sacris quotidianis orationibus: unde & moniminas de suprascripto casale, qui apud me meisque heredibus regnarent ad conservandum, & salvas faciendum pro aliis locis, qui ibidem continere videntur, & per hoc tibi minime dare potui. Sed quando tibi tuisque successoribus necesse fuerit semper ostendere & defendere promitto in omni tempore: pro qua etiam prescriptum casale, qui vocatur sex columpnas cum terris, campis, pratis, pascuis, silvis cultum vel incultum, & cum omnibus, ut supra leguntur, a presenti die largita sint pro vestris sacris quotidianis orationibus, ita ut post discessum meum habeatis, teneatis, possideatis, fructificetis, & in usu & utilitatibus vestri monasterii in perpetuum habeatis, & numquam a me neque ab heredibus meis, aut a me submissis, magna parvaque persona contra vobis vestrisque successoribus aliquam movere questionem aut calumpniam, sed in omni tempore ab omni homine & in omni loco ubi vobis vestrisque successoribus necesse fuerit, stare me una cum heredibus meis, & defendere promitto vobis vestrisque successoribus, in qua juratus per Deum omnipotentem sancteque sedis apostolice, seu salutem beatissimi viri & coangelici domni Johannis sanctissimi duodecimi pape hec omnia, que hujus cartule donationis usufructuarie scriptionis eloquitur inviolabiliter conservare atque adimplere promitto. Nam, quod absit, & post meum discessum si aliquis de parentibus meis vel consanguineis contra vobis vestrisque successoribus vel etiam contra hanc cartulam, quam sponte fieri rogavi agere aut causare presumpserit, & cuncta sicuti ego Balduino dictum habeo, ita manere non permiserit, maledictionem a Patre & Filio, & Spiritus sancto in omnibus consequetur, & metum in die judicii ante domini nostri Jesu Christi presentiam rationem ponat. Insuper subjaceat perjurii crimen, & componat auri coctas untias decem, & post soluta pena hec cartula post obitum meum in suam semper maneat firmitatem, quam & scribenda rogavi Stephanum scriniarium

& tabellionem urbis Rome, in quam & ego, qui super, manu propria subscripsi, & testes, qui se subscriberent, rogavi, & vobis, qui super, contradidi in mense & indictione suprascripta quarta.

† Balduinus comes, qui hanc cartulam de suprascripta omnia fieri rogavi, & crucis signum fecit.

† Georgius Dei providentia secundicerii judicum.

† Andreas divini respectus gratia archarius sancte sedis apostolice.

† Theofilactus eminentissimus consul & dativus judex.

† Benedictus Domini nutu dativus judex sacri palatii.

† Demetrius in Dei nomine & dux & .... ac cartula testis rogatus.

Ego Leo Scriniarius sancte Romane ecclesie, sicut inveni in quadam cartula, quam thomum cognominabatur, scripta a Stephano scriniario, quam ipse prior notaverat, atque rogatus absolverat, & quia in nimio vetustate fere vero tota consumpta videbatur esse proinde

Ego antedictus Leo scriniarius ex preceptione donni Ruberti abbatis venerabilis monasterii sanctorum Andree & Gregorii ne ex toto consumeretur, renovare curavi.

XXV.

Præceptum Berengarii II. & Adelberti Italiæ regum pro abbatia Vangaticiensi.

Anno 961. 3. kal. junias.

Ex chartulario Vangaticiensi & ex Muratorio T. V. col. 403.

Ad lib. III. n. 8. IN nomine omnipotentis Dei eterni. Berengarius & Adelbertus divina favente clementia reges. Decet regalem excellentiam, ut votis fidelium suorum aures pietatis sue clementer inclinet, quatenus eos devotiores ac promptiores in suo obsequio reddat. Idcirco omnium sancte Dei ecclesie fidelium nostrorumque presentium scilicet hac futurorum noverit industria, qualiter interventu ac peticione Ugonis marchionis Thuscie nostri dilecti fidelis per hujus nostri precepti paginam prout juste & legaliter possumus venerabilem Martinum Vangadiciensis monasterii abbatem de quadam terra in insula Carpi adjacente, & ad curiam Leniaci pertinente, cujus terminus cernit caput silve ejusdem monasterii usque ad flumen, quod vocatur Tartarum pro Dei amore & animarum nostrarum, nostrorumque parentum tam preteritorum, quam futurorum investivimus una cum terris, pratis, silvis, paludibus, salectis, sacionibus, stallareis, ripis, rupinis, molendinis, piscationibus, pascuis, mercatis, vallibus, planiciebus, aquis, aquarumque decursibus cum omnibus suis pertinentiis, veluti ad curiam Leniaci pertinent in integrum. Ita ut habeat, teneat firmiterque possideat ipse abbas, suique successores & fratres, omnium hominum contradictione vel molestatione remota. Si quis igitur hanc nostram investituram aliquociens infringere vel violare temptaverit, sciat se compositurum auri optimi libras centum medietatem kamere nostre & medietatem prelibato abbati suisque successoribus. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur manibus propriis roborantes anuli nostri impressione insigniri jussimus.

Signa Serenissimorum Berengarii & Adelberti regum.

[monogram]

Hubertus cancellarius ad vicem Widonis episcopi & archicancellarii recognovi & subscripsi.

Data III. kalendas junias anno incarnationis Domini DCCCC. LXI. regni vero domni Berengarii atque Adelberti piissimorum regum XI. indictione IV.

Actum Verone in Dei nomine feliciter. Amen.

XXVI.

Donatio terrarum facta a Leone filio Constantini Benedicto abbati sancti Gregorii de Urbe.

Anno 961. 3. decembris.

Ex codice sancti Gregorii de Urbe p. 166.

IN nomine Domini Dei salvatoris Jhesu Christi. Anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis & univer- *Ad lib. III. n. 10.*

niversalis duodecimi pape in sacratissima beati Petri apostoli sexto indictione quinta mensis decembris die tertia. Quoniam certum est me Leo filius, qui dicitur Constantino, seu Farulia jugalibus hac die cessisse, & cessi atque tradidi, necnon venundavi, nullo mihi cogente, neque contradicente, aut vim faciente, sed propria spontaneaque mea voluntate vobis domno Benedicto reverendo abbati monasterii Clivuscauri tuisque successoribus, vel cui eam vobis largiri aut concedere placuerit, idest omnem portionem meam de terris & plagis, atque portione mea de aquimolis in Turrena, ubicumque habere visus sum in fundum, qui vocatur Anticum territorio Castellano, sicuti mihi evenit per hereditaria parentum meorum per cartulam tertii generis a vestro monasterio, & usque modo meis manibus detineo. Ita tibi tuisque successoribus concedo atque trado & venundo per hanc cessionis & venundationis cartulam, pro qua etiam omnem portionem meam de terris & ripis & plagis & de aquimolum, & cum omnibus, ut supra legitur, accepi ego, qui supra, venditor a te, qui supra, emptore in presentiam subscriptorum testium in argentos mancosos numerantium tres bonos novos Romane monete mihique placabiles in omnem veram decisionem, & ab hodierna die licentiam habeatis potestatem in suprascripta omnia, ut supra legitur, de presenti introeundi, utendi, fruendi, possidendi, vendendi, donandi, commutandi, vel quicquid exinde facere sive peragere volueris in tua tuisque successoribus potestate, & numquam a me, neque ab heredibus meis aut a me submissa persona contra tibi tuisque successoribus aliquam aliquando habeatis questionem aut calumpniam, sed in omni tempore, ab omni homine, & in omni loco ubi ubi tibi, tuisque successoribus necesse fuerit stare me una cum heredibus & successoribus meis, & defendere promitto tibi tuisque successoribus, in qua & juratus dico per Deum omnipotentem, sancteque sedis apostolice salutem viri beatissimi & coangelici domni Johannis sanctissimi duodecimi pape hec omnia, que hujus cessionis venditionis cartule serie textus eloquitur, inviolabiliter conservare atque adimplere promitto. Si enim, quod absit, & quoquo tempore ego vel heredibus meis contra tibi tuisque successoribus, aut contra hanc cessionis, venditionis cartulam, quam sponte fieri rogavi, agere aut causare vel litigare presumpsero, & minime defendere potuero aut noluero, vel amplius tibi tuisque successoribus quesiero, tunc non solum perjurii reatum incurram, verum etiam daturum me promitto una cum heredibus meis tibi tuisque successoribus ante omne litis initium pene nomine suprascripto pretio in duplo, & post penam absolutionis manentem hec cessionis venditionis cartula serie textus in suam nihilominus maneat firmitatem, quam scribendam rogavi Stephanum scriniarium, & tabellionem urbis Rome, in qua & ego qui supra subter manu propria signum sancte Crucis feci.

Testes, qui subscriberent rogavi, & vobis, qui supra contradidi in mense & indictione suprascripta quinta.

† Gregorius nobili viro in hanc cartulam rogatus a suprascripto Leo testis subscripsi, & pretium traditum vidi.

† Ego Franco nobili viro in hanc venditionis cartulam rogatus a suprascripto Leo testis subscripsi, & pretium traditum vidi.

† Nicolaus nobili viro in hanc cessionis venditionis cartula rogatus a suprascripto Leo testis subscripsi & pretium traditum vidi.

† Vobizus nobili viro in hanc cessionis venditionis cartula rogatus a suprascripto Leo testis subscripsi & pretium traditum vidi.

† Theodorus in Dei nomine consul & tabellio urbis Rome in hanc cessionis venditionis cartulam rogatus a suprascripto Leo testis subscripsi, & pretium traditum vidi.

Ego Stephanus scriniarius & tabellio urbis Rome, qui suprascriptor hujus cartule post testium subscriptiones & traditiones factas complevi & absolvi.

XXVII.

Concessio terrarum in fundo Maniano, & portionis de aquimolo in territorio Castellano, quam fecit Mercurius filius quondam Theodori Benedicto abbati sancti Gregorii de Urbe.

Anno 962. 24. aprilis.

Ex eodem codice pag. 177.

IN nomine Domini salvatoris Jhesu Christi. Anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis & universalis duodecimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli septimo, impe- *Ibidem.*

rante domino perpetuo augusto Ottone a Deo coronato magno imperatore anno primo indictione quinta mensis aprilis die vicesimo quarto. Quoniam certum est me Mercurio filius quondam Theodoro seu Aneta jugalibus hac die concessisse, & concessi atque tradidi, necnon venundavi nullo mihi cogente neque contradicente aut vim faciente, sed propria spontaneaque mea voluntate, vobis domno Benedicto abbati venerabilis monasterii sancti Andree apostoli & sancti Gregorii, qui appellatur Clivuscauri, tuisque successoribus, vel cui eam tibi largiri atque concedere placuerit: idest omnem portionem meam mihi in integro competentem de terris sementaritiis quantascumque habeo in fundum, qui vocatur Manianum, & portionem meam de aquimolum, qui fuit in fundum Anticum territorio Castellano, sicuti modo meis detineo manibus, ita tibi tuisque successoribus concedo & venundo, unde recepi pretium in argento denarios triginta bonos optimos mihique placabiles in omnem veram decisionem, & ab hodierna die licentiam habeatis potestatem in suprascripta omnia, ut supra legitur, de presenti introeundi, utendi, fruendi, possidendi, vendendi, donandi, commutandi, vel quicquid exinde facere volueris in tuam vestrisque successoribus sit potestatem, & numquam a me, neque ab heredibus meis, aut a me submissa magna parvaque persona contra vobis vestrisque successoribus, aliquam aliquando habebitis questionem, aut calumpniam, sed in omni tempore ab omni homine & in omni loco ubi ubi vobis vestrisque successoribus necesse fuerit stare me una cum heredibus meis & defendere promitto vobis vestrisque successoribns, in qua & juratus dico per Deum omnipotentem, sancteque sedis apostolice domni Johannis sanctissimi duodecimi pape hec omnia, que hujus cessionis venditionis cartule seriem textus eloquitur, inviolabiliter conservare atque adimplere promitto. Si enim quod absit, & quoquo tempore ego vel heredibus meis contra vobis vestrisque successoribus, aut contra hanc cessionis venditionis cartulam, quam sponte fieri rogavi, agere aut litigare presumpsero, & minime defendere potuero vel noluero, vel amplum pretium vobis vestrisque successoribus quesiero, tunc non solum perjurii reatum incurram, verum etiam daturum me promitto una cum heredibus meis vobis vestrisque successoribus ante omne litis initium pene nomine suprascripto pretio in duplo, & post penam absolutionis manentem hec cessionis venditionis cartula seriem in suam nihilominus maneat firmitatem, quam scribendam rogavi Stephanum scriniarium & tabellionem urbis Rome, in qua & ego, qui supra, subter manu propria signum sancte crucis feci, testes, qui subscriberent, rogavi, & vobis, qui supra, contradidi in mense & indictione suprascripta quinta.

Signum † manu Gregorio testis.
Signum † manu Petri testis.
Signum † manu Leo testis.
Signum † manu Leo testis.
Signum † manu Urso testis.

Ego Stephanus scriniarius & tabellio urbis Rome, qui supra scriptor hujus cartule post testium subscriptiones & traditiones factas complevi & absolvi.

XXVIII.

Alia ab Agatha in favorem Johannis abbatis sancti Gregorii.

Anno 962. 10. novembris.

Ex codice ejusdem abbatiæ p. 170.

IN nomine Domini salvatoris Jhesu Christi. Anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis & universalis in sacratissima sede beati Petri apostoli septimo indictione quinta mensis novembris die decima. Bonum mihi videtur exercere negocium, ut qui de terrena substantia comparat celestia, & rebus transitoriis mereatur eterna: & ideo quoniam certum me Agati olim feminam jugalium a presenti die dono, cedo, trado & largior, simulque offero, nullo mihi cogente neque contradicente aut vim faciente, sed propria spontaneaque mea voluntate vobis domno Johanni religioso abbati venerabilis monasterii sancti Andree apostoli & sancti Gregorii, qui vocatur Clivuscauri tuisque successoribus in perpetuum, pro omnipotentis Dei amore & redemptione anime mee & meorum veniam delictorum, simulque & pro tuis sacris sanctis orationibus, quas die noctuque agere non cessatis. Ideo a die presenti dono, idest omnem portionem meam mihi in inde competentem de domosas & de ortuis atque vineis, necnon de terra sementaritia portionis quatuor, cultum vel incultum, cum introitu & exitu earum a via publica & cum omnibus ad eam pertinentibus *Ibidem.*

tibus positis omnia in territorio Colinense, in fundum, qui vocatur Antico, & in fundum Rusciliano, & in fundum Grofacilano & in fundum Iniano inter consortes aliarum partium de aliis parentibus meis, juris cui existit, sicuti mihi evenit a quondam Johanne seu Sergia genitore & genitrice mea, ita tibi tuisque successoribus cedo, trado & largior in perpetuum, ac a die presentis donationis cartula tibi contradidi, per quam suprascriptam omnem portionem de domosas seu vinea & ortuis atque terris cultum vel incultum cum introitu & exitu earum a via publica, & omnibus ad eam pertinentibus, ut supra legitur, a presenti enim die largior tibi pro tuis sacris sanctis orationibus: & quia si carnalia vobis concedo, spiritualia a vobis recipere expectamus, a presenti die habeatis & teneatis, possideatis, vestroque jure vendicetis ac defendatis, & numquam a me neque ab heredibus meis, aut a me submissa magna parvaque persona contra tibi tuisque successoribus aliquam aliquando habebitis questionem aut calumpniam, sed in omni tempore ab omni homine in omni loco, ubi tibi tuisque successoribus necesse fuerit stare me una cum heredibus & defendere promitto, tibi tuisque successoribus, in qua & juratus dico per Deum omnipotentem, sancteque sedis apostolice domni Johannis summi pontificis hec omnia, que hujus cessionis donationis cartule seriem textus eloquitur inviolabiliter conservare atque adimplere promitto. Nam quod absit, & quoquo tempore si ego vel heredibus meis contra tibi tuisque successoribus, aut contra hanc donationis cartulam, quam sponte fieri rogavi, agere aut causare vel litigare presumpsero per quemvis modum ingenii, tunc non solum perjurii reatum incurrat, verum etiam daturum me promitto una cum heredibus meis tibi tuisque successoribus ante omne litis initium pene nomine auri untias tres ebritias, & post solutam penam hanc donationis cartulam in sua maneat firmitate, quam scribendam rogavi Benedictum scriniarium sancte Romane ecclesie in mense & indictione suprascripta quinta.

Signum † manu suprascripte Agate & donatrice &c.

† Stephano Marengo.
† Petro Ortulano.
† Johanne nepto Johannis cuco.
† Gregorio tessitore.
† Roppo, qui resìdet a Septemviis.

Ego Benedictus scriniarius sancte Romane ecclesie, qui supra scriptor hujus cartule post testium subscriptiones & traditiones factas complevi & absolvi.

XXIX.

Alia a Gregorio & Marozza.

Anno 963. 2. octobris.

Ex eodem p. 167.

IN nomine Domini Dei salvatoris Jhesu Christi. Anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis & universalis duodecimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli octavo imperante domno perpetuo augusto Ottone coronato magno imperatore anno secundo indictione septima mensis octobris die secunda. Quoniam certum est me Gregorio & Marozza ancilla Dei filiis bone memorie Gilioso & Gregoria jugalibus, & Theodora atque Benedicto germanis & consobrinis fratribus hac die cessissemus ac cessimus, atque tradidimus atque venundavimus nullo nobis cogente neque contradicente aut vim faciente, sed propria spontaneaque nostra voluntate vobis domno Johanni humili abbati venerabilis monasterii sancti Andree apostoli & Gregorii, qui vocatur Clivuscauri tuisque successoribus in perpetuum. Id est omnem portionem nostram nobis in integro competentem de terra & plagia ubicumque petiolas jacere videntur cum loco ad aquimolum faciendum ad nostram partem pertinentem positus territorio Castellano in fundo, qui vocatur Anticum inter affines omnia de suprascripto monasterio, sicuti nobis evenit per hereditaria parentum nostrorum, ita vobis vestrisque successoribus concedimus atque tradimus & venundavimus, pro quam etiam suprascriptam omnem portionem nostram de terris & plagiis & de aquimolum cum omnibus ad eam pertinentibus, ut supra legitur, accepimus nos, qui supra, venditores a te, qui supra, emptore in presentiam subscriptorum testium in argentos mancosi numos quinque bonos novos Romane monete, nobisque placabiles in omnem veram decisionem, & ab hodierna die licentiam habeatis potestatem in suprascripta omnem portionem nostram, sicuti superius legitur, de presenti introeundi, fruendi, possidendi, vendendi, donandi, commutandi, vel quicquid exinde facere sive peragere volueris in vestram vestrisque heredibus sit potestatem, & num-

Ad lib. III. n. 12.

numquam a nobis, neque ab heredibus nostris, aut a nobis submissa magna parvaque persona contra tibi tuisque successoribus aliquam aliquando habebitis questionem aut calumpniam, sed in omni tempore ab omni homine & in omni loco ubi ubi vobis vestisque successoribus necesse fuerit stare, nos una cum heredibus nostris & defendere promittimus vobis vestrisque successoribus, in qua & juratus dicimus per Deum omnipotentem sancteque sedis apostolice domni Johannis sanctissimi duodecimi pape seu salutem domni Ottonis magni imperatoris. Hec omnia, que hujus cessionis venditionis cartule seriem textus eloquitur, inviolabiliter conservare, atque adimplere promittimus, si enim, quod absit, & quoquo modo nos vel heredibus nostris contra vobis vestrisque successoribus aut contra hanc cessionis venditionis cartulam, quam sponte fieri rogavimus, agere aut causare vel litigare presumpserimus, per quovis modi ingenio, & minime defendere potuerimus aut noluerimus, vel amplius pretium vobis vestrisque successoribus quesierimus, tunc non solum perjurii reatum incurramus, verum etiam daturi nos promittimus una cum heredibus nostris vobis vestrisque successoribus ante omne litis initium pene nomine suprascripto pretio in duplo, & post penam absolutionis manentem hanc cessionis venditionis cartulam seriem in suam nihilominus maneat firmitatem, quam scribendam rogavimus Stephanum scriniarium & tabellionem urbis Rome, in qua & nos, qui supra, subter manu propria signum sancte Crucis feci, & testes, qui subscriberent, rogavi, & vobis, qui supra contradidi in mense & indictione suprascripta septima.

Signum † manu suprascripto Gregorio.

Signum † manu suprascripta Marozza ancilla Dei germanis & venditoris, qui supra legitur.

Signum † manu suprascripta Theodora.

Signum † crucis manu suprascripto Benedictus item germanis & consobrinis fratribus venditor, qui supra legitur.

† Leo nobili viro in hac cessionis venditionis cartula de suprascripta omnem portionem de terra & plagia ubicumque petiole territorii videntur, & locum ad aquimolum & cum omnibus ad eam pertinentibus in fundum, qui vocatur Anticum, factum a Gregorio & Marozza ancilla Dei, seu Theodora & Benedictus germani consobrini fratribus in Johanne reverendissimo presbitero & abbati & successoribus suis in perpetuum, accepissent a suprascripto Johanne abbate mancosos numero quinque rogatus ab eis receptum pretium traditum vidi.

† Petrus nobili viro, ut supra.

† Sergius nobili viro, ut supra.

† Stephanus nobili viro.

† Petrus nobili viro.

Ego Stephanus scriniarius & tabellio urbis Rome hujus cartule scriptor post testium subscriptiones & traditiones factas complevi & absolvi.

XXX.

Charta emphyteusis factæ Petro quondam Pauli ducis de Traversaria a Petro archiepiscopo Ravennate.

Anno 965. 27. maji.

Ex autographo penes nobilissimum marchionem Bonifacium Rangonium Mutinensem.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno Deo propitio pontificatus domni Leonis summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri sede secundo, sitque imperante domno Ottone magno imperatore in Italia anno quarto die vigesimo septimo mensis madii indictione octava Ravenne. Domino sancto & meritis beatissimo atque apostolico patri patrum domno Petro sancte catholice Ravennatis ecclesie archiepiscopo Petrus filius quondam Pauli ducis de Traversaria seu filiis & nepotibus meis. Facilis impetrandi via est quotiens beneficium a sancta vestra Ravennate ecclesia, quod juri ejus non noceat postulari, sed id semper apostolatui vestro ordinare confidimus. Et quoniam speramus uti vinea integra & casime in integrum de terra laboratoria, quod est in simul per podismum designata turnaturie triginta & sex, que predicta res posita est in fundo, qui vocatur Vedaciano cum arbustis, arboribus fructiferis & infructiferis diversisque generibus agris cultum & incultum, & cum omnibus ab ipsa vinea in integrum & ab ipso casime & ab ipsa terra, quod sunt in simul per podismum designata turnaturie triginta & sex quoquomodo pertinentibus, constituta territorio Liviensi plebe sancte Marie, que vocatur in Aqueductu inter affines sunt fundo Vedaciano, ubi ipse tor-

Ad lib. III. n. 16.

tornaturie triginta & sex, hoc est ab uno latere fundo Colorito, & ab alio latere fundo Vetieto, seu a tertio latere fundum Turicla & Petroniano, atque a quarto latere fundo de Tiberiolo. Que predicta res, que superius legitur, obvenit in sanctam vestram Ravennatem ecclesiam per commutacionis paginam a Dominico presbitero & abbate regule monasterii sancti Apolenaris sito foris murum dudum civitatis Classis juris sancte vestre Ravennatis ecclesie enfiteuticario modo postulamus largiri nos, qui sumus Petrus filius quondam Pauli duci, qui vocabatur de Traversaria seu filiis & nepotibus nostris, donec nos divinitas in hac luce jusserit permanere sub denariis tres pensionis singulis quibusque indictionibus actoribus sancte vestre Ravennatis ecclesie inferre debeamus.

Quam petitionis nostre paginam Georgius notarius sancte vestre Ravennatis ecclesie scribendam rogavimus, in qua nos subscripsimus testibus rogatis &c. sub die mensis & indictione suprascripta octava Ravenne.

† Petrus filius Paulus dux de Traversaria uic pagine peticionis a me facta in sancta Ravennate ecclesia, & testes scribere rogavi. *lib. III. n. 16.*

† Dominicus Consul & capitulacione hac paginam peticionis de omnibus, que superius leguntur, rogatus testis subscripsi.

† Martinus filius quondam Dominicus uic peticionis de omnibus, que superius leguntur, rogatus testis ss.

† Johannes consul pater civitatis huic paginam peticionis de omnibus, sicut superius legitur, rogatus testis subscripsi.

† Johannes consul huic paginam peticionis de omnibus, sicut superius legitur, rogatus testis subscripsi.

† Johannes filius Johannis patris civitatis ex genere ducis huic paginam peticionis de omnibus, sicut superius legitnr, rogatus testis subscripsi.

† Andreas magister militum huic pagine peticionis de omnibus, sicut superius legitur, rogatus testis subscripsi.

XXXI.

Præceptum Ottonis I. imperatoris pro monasterio S. Severi in Classe.

Anno 967. VII. kal. decembris.


Ex autographo Classensi.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator augustus: Omnium sancte Dei ecclesie fidelium ac nostrorum presentium scilicet ac futurorum noverit industria qualiter resedentibus nobiscum venerabilibus Radaldo Aquileensi patriarcha. Petro Ravennati archiepiscopo. Diederico Metensi. Landuardo Mindensi episcopis & de statu ecclesie tranctantibus maxima totius clerici Ravennatis ecclesie & maxime monachorum ex monasterio beati Severi confessoris proclamacio questa est possessionem ecclesie ita a laicis invasam, ut ob famem & nuditatem regula constringi minime valerent ecclesie tecta caderent parietes precipitium imminerent turbines & nimbi altaria & quidquid ad ornatus fuerat cotidie fedarent. Mos enim est quasi hec ita omnem ecclesiam possessionem nudaverat ut pravi & cupidi abbates & rectores unde annualiter viginti librarum precium in obsequium fratrum habere possent per libellos ceterisque inscriptiones adsolvendos decem solidos censualiter laicis traderent ut aut ex nunquam ad ecclesiam in perpetuum deveniret. Quorum peticiones ut dignum est audientes pro Dei amore statuque imperii nostri in qua fas fuerat ex maxima parte predicti beati Severi monasterio possessionem & scripte reddidimus. Ne ergo laborem nostrum impposterum similis ejus evacuet illis concedimus nostram domnicatam insulam exinc usque ad mare a Padareno videlicet flumine usque ad Candiani portum ut utentur ea piscatione & pascuis & precipientes precipimus ac per hunc nostrum auctoritatis preceptum omnino jubemus, ut nullus rex nullus archiepiscopus nullaque ecclesia nullus episcopus nullus marchio nullus comes neque vicecomes nullaque major vel minor persona nullus ejusdem monasterii abbas aut monachus facultatem habeat res ecclesie distribuere per libellos seu per aliqua munimina aut per infiteosin nisi laboratoribus qui propriis manibus terram laborant alicui inscribere ne sicut actenus *Ad lib. III. n. 20.*

nus

nus monachi inibi famulantes Deo occasione ob inopiam regulariter se non posse vivere dicant. Si quis autem hujus nostri precepti tenorem frangere vel violare temptaverit sciat se compositurum auri optimi libras centum, medietatem camere nostre & medietatem predicto monasterio. Quod ut verius credatur diligentiusque in perpetuum observetur ab omnibus manu propria subter firmantes ex anulo nostro veraciter insigniri jussimus.

Signum domni Ottonis Serenissimi Imperatoris.



Loco Sigilli † deperditi in cera viridi.

Ambrosius Cancellarius ad vicem Uberti episcopi & archicancellarii recognovi & ss.

Data VII. kalendas decembris anno dominice incarnacionis DCCCC.LXVII. imperii vero domni Ottonis piissimi cesaris VI. indictione XI. Actum in prefato monasterio in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXII.


Privilegium ejusdem Ottonis pro Gaufredo Ildebrandi.

Anno 967. VII. idus decembris.

Ex autographo tabularii Fontis-boni.

Ad lib. III. n. 21. IN nomine sancte & individue Trinitatis. Otto divina favente clementia imperator augustus. Si quid muneris nostris devotis fidelibus impertimur, promptius eos in nostri obsequio acuimus, & regni nostri statum in hoc proficere credimus. Idcirco omnium sancte Dei ecclesie fidelium ac nostrorum presentium silicet ac futurorum noverit sollertia Adallieid nostram dilectam conjugem imperatrix augusta humiliter nostram exorasse clementiam quatenus cuidam nostro fideli Gaufredo nomine filium quondam Ildebrandi per hujus nostri precepti confirmationem confirmare seu corroborare dignaremur omnes proprietates, jura & familias utriusque sexus usque nunc ab eis juste & legaliter possessas, adquisitas vel adquirendas, omnia quoque instrumenta suum cartarum, cortes videlicet Ivonam positam in comitatu Aretino, cortem Vivaria, cortem de Computo, cortem in Clotiniano, cortem de Sennina in Comitatu Clusino, cortem Paterno & casam majorem seu foresto de Tribleo, quod est in jam dicto comitatu Aretino in massa Verona, & habet ab uno latere forestum quod dicitur Caprile, ab alio latere montem Feltri, a tertio latere Balneum, a quarto latere percurrunt ejus fines usque in petra Verna & Calvane. Que de ipso foresto pertinent una cum portibus & massaritiis, forestum pariter de Corezo in prefato comitatu Aretino, cui adheret ab uno latere locus, qui dicitur Balneo, ab alio terra sancti Donati, ad tertio via que dicitur terra Rubiola, a quarto latere mons, qui dicitur Castrum Sabini, nec non etiam cortem de Cervana una cum eodem campo, qui dicitur Agebiani & alium campum qui dicitur Pastina, & villa que dicitur Nutrinal, & manso unum de Querceto, & Villa Ragiola & cortem de Strignano hujus penti ..... dentes pretaxato Gaufredo per hanc nostre auctoritatis paginam concedimus & confirmamus & penitus corroboramus omnes res, proprietates suas ac familias utriusque sexus hactenus ab eis juste & legaliter possessas adquisitas & acquirendas omnia etiam instrumenta ..... insuper cartas & villas in pretaxatis comitatibus una cum castellis, capellis, servis & ancillis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, salectis, molendinis, montibus, vallibus, planitiebus, cultis & incultis prout juste & legaliter possumus, ut habeat potestatem tenendi, donandi, vendendi, commutandi, alienandi, seu pro anima judicandi, & quicquid decreverit animus exinde faciendi omnium hominum contradictione remota. Recepimus plenius eum cum omnibus prefatis illius possessionibus per hujus pagine devotionem sub nostre defensionis mandiburdum, precipientes ut nullus dux, marchio, comes, vicecomes, seu quislibet regni nostri magna parvaque persona predictum Gaufredum de omnibus suprascriptis rebus disvestire, molestare aut inquietare audeat absque legali judicio. Damus quoque ei licentiam in placito suum adjutorem mittere qualem elegerit suam causam in judicio legali defendendam. Si quis .... nostre confirmationis seu corroborationis preceptum nec non defensionis mandiburdum infringere conatus fuerit sciat se compositurum auri optimi libras centum ..... medietatem camere nostre & medietatem prefato Gaufredo. Quod ut

ut verius ...... credatur diligentiusque ab omnibus observetur, manibus propriis roborantes anulo nostro insigniri jussimus.

Signum domni  Ottonis Serenissimi Imperatoris.

Ambrosius cancellarius ad vicem Huberti episcopi & archicancellarii recognovi & subscripsi.

Locus † Sigilli in cera rubea.

Datum VII. idus decembris anno Dominice incarnationis DCCCC.LXVII. imperii vero domni Ottonis piissimi cesaris VI. indictione XI. Actum Hostia in Dei nomine feliciter.

XXXIII.

Venditio facta Rugerio domino de Corsica.

Anno *963*. sed melius *969*. indictione XII.

Ex codice archivi sancti Michaelis in Burgo Pisarum.

Ad lib. III. n. 11. IN nomine Domini amen. Novicentesimo sexagesimo tercio indictione duodecima. Manifestum sit omnibus audientibus & legentibus, qualiter venit Asinuculo & Nutuccio & Leone filii quondam Biancone de Amondasti coram me notario, & in presentia domini Rugieri Dei gratia domino de Corsica, & ipsi supradicti vendiderunt domino Rugierio, videlicet unas eorum possessiones in loco dicto in flumine de Solo videlicet, ubi dicitur *la Rogiente* qualiter est terminata pro terminis *da piede lo ponto de la Lezia*, & de capite *lo Castellare*, & de latere *la streta a lo Molino* & *lo gargalo di Chasaluna*, que sunt casis, casamentis, terris cultis & incultis, vineis, peris & melis, boschis & silvis, agrestibus & domesticis, & predicta possessione vendiderunt a predicto domino Rugiero pro se & suis heredibus usque in perpetuum, & sic dederunt & concesserunt sine ullo tenore, & in merito venditionis receperunt & habuerunt duos equos infrenati & insellati, ac etiam receperunt septuaginta *pecore* & viginti capras, & decem & octo mezzini grani, & unum asinum bonum, & sic fuerunt bene soluti & contenti de vendita predicta possessionis, & ita manuerunt in bona concordia, & sic rogaverunt me in manu mei notarii ascribere.

Datum *a lo pogio de la corte* in domo dicti venditoris, & testes fuerunt Brunacciolo & Rustino & Rustigone de Ampugnano, & Guiditelo de Amondatis, & Vincreselo de Amondatis, & alii plures fuerunt.

Et ego *Maschiazucio* notarii sacri imperii ac chartam complevi, scripsi, tradidi & dedi.

XXXIV.

Definitio, ut Ferrarienses emphyteutæ archiepiscopi Ravennatis ire debeant ad placitum ejusdem archiepiscopi.

Anno *970*.

Ex chartophylacio Ravennatis archiepiscopatus caps. I. n. 4480.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno Deo propicio pontificatus domni Johannis summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri sede quinto, sicque imperante domino perpetuo augusto Ottone a Deo coronato pacifico magno imperatore, anno regni pietatis ejus in Italia vero nono, & domino Ottone item a Deo coronato imperatore ejus filio anno tercio die sexto mensis.... indictione tertiadecima Ferrariensi. Dum resideret in judicio & in generali placito domnus Heccico comes missus & missus imperialis, simulque cum eo Leucio episcopus sancte Cremonensis ecclesie in mansione Pedeplana ..... que est posita in ipsius burgo Ferrariensi singulorum hominum justitias faciendas, & altercationes deliberandas, residentibus & astantibus cum eis maxima pars populi multitudo bone opinionis & laudabilis fame pariter, corum nomina plura notantur; idest inprimis domnus Petrus archiepiscopus sancte Ravennatis ecclesie, Adelbertus episcopus Bononiensis, Ubertus episcopus Liviensis, Johannes episcopus Corneliensis, Leo episcopus Ferrariensis, & cum eis residebant domnus Paulus dictus de civitate Ravenna, Dudo Saxenas, Dudunus .... Ferrariensis, & Johannes dictus .... cives Ferrarienses, Aldo judex sacri palatii, Guarino & filio Ad lib. III. n. 24.

lio supradicto Guarino, Tarrardus & Arrardus Sigizonis comitis, Romualdus.... germanis ducibus, Romualdo ......dreas de Ammabilis, Deusdedit de Ponte augusti, Petrus consul, qui vocatur de Gregorius, Antoninus qui vocatur Acius, Leo qui vocatur de Andrea, qui dicitur filio Severi, Ursus Dati germanis ducibus .....abodo & alius Petrus tabellius similiter de Ferraria, Petrus filio Romanus consulis, qui vocatur de Teudo, Johannes judice de Caput sandali, & alio Johannes qui vocatur de Ardoino, Johannes qui vocatur Russo ... qui vocatur de Brasida, Petrus de Rainfredus, Martinus, qui vocatur Preconario, & me presente Dominicus tabellius.... de civitate Ravenne & aliis, & ceteris in nostrorum istorum hominum presentia.... tus est supradictus Lieucius episcopus Cremonensis ecclesie da parte pro comitato Ferrariense adversus predictus domnus Petrus archiepiscopus sancte Ravennatensis ecclesie dicens ei: quero tibi commodo habet & detinet Arimanni habitatoribus in locis, que vocantur Curolo & Tammara, & de Caposandali usque in Ferraria, seu & Arimanni, quod habuerunt in castro Ficariole vel infra ipsa plebe sancte Marie, que vocatur Trenta, venire custodire debeat, & ipsius servicium vel ipsam ministrationem quem ad meis antecessoribus, qui istum comitatum Ferrariensem detinuerunt, fecerunt, & vos mihi aliis .... dictis. Ad hec respondens supradictus domnus Petrus archiepiscopus dicens ad eum de ipsis hominibus, qui vos dicitis ad Curolo, & Tammara & de omnibus aliis meis colonis & residentibus habitatoribus in rebus, quod est juris sancte nostre Ravennatis ecclesie, ego de illis habeo contenciones domni Apostolici, quas mihi continent domni Marini sanctissimi pape, & domni Agapiti, & Johannis seu Leonis, nec non modo postea supradicto domno Johannes sanctissimo apostolico, & mihi exinde confirmavit domno Ottones rex, quando in Italia ingressus est, & postea illum coronatus fuit, similiter illum per suum preceptum alia vice confirmavit, ut nullus meus residentes habitatoribus in rebus sancte nostre Ravennatis ecclesie, nec liberos nec servos ad nullius alius placitum perpetere debeat, neque per nullam ministracionem publicam facere, nec tibi supradicto Lieucio episcopus, neque ad istum tuum comitatum Ferrariense, neque ad ullam aliam districionem, nisi ad meum placitum tam illi venire debeat, & in meam districionem stare secundum meam contemcionem & confirmacionem, qui mihi concessa sunt, & eciam tu ipso Lieucio episcopus in eodem placito fuistis, quando meo senior Ottonem imperatorem placitum venit detinere ad sanctum Georgius, & ego illis per legem vincere viso fuit, & in ipsa noticias quem exinde abere viso sum inibi scribere viso fuistis. Hec audiente supradicto domnus Heccico missus & missus imperialis jussit ad supradictum domnus archiepiscopus ipsas suas preceptosas, & suas confirmacionem, quam exinde dicebant abere coram suam presentiam ostendere, & relegere fecisse quia ipso domno misso diligenter volebant ipsas suas sponsionem audire, statimque hoc audiente domnus Petrus archiepiscopus jussit & constituit, & suum missum nomine Sergius presbiterum sancte Ravennatis ecclesie, & direxit illum usque in civitatem Ravenne pro ipsas scripcionem adducendum. Que ita factum, & in die autem tertio seu & stante ipso domno imperialis misso de civitate Ferrariense, venit in vico, qui vocatur Caput sandali reside in placito in mansione de Guilterio propter definicionem faciendam, unde altercacionem abebat supradicti Johannes Evangelista cum Guarino de Ferraria, & cum illo semdebat domnus Paulus dictus de civitate Ravenne, & Guarino de Ferraria, & Guarino filio suo, Romualdus dux, Adelbertus & Sergius germani, seu Romualdo filio supradicto Sergius dux, Petrus subdiaconus sancte Ravennatis ecclesie, & filius quondam Johannis ducis, Paulus de Acio, Andreas de Amabilis, Deusdedit de Ponte augusti, Petrus consul de Gregorius de Ferraria, Leo de Andreas, Dominicus, qui vocatur Siriniioso, Johannes de Arduino... & Leo, qui vocatur Liucio germani .... Johannes judice de ipso loco qui vocatur Caput sandali, Dominicus qui vocatur Guto, seu & aliis ceteris, que longum est ad scribendum & .... constitutus supradicto domno Petro sanctissimo archiepiscopus & apresentavit suas preceptosas & confirmacionem in eodem placito, qui superius dictum est, & ipso domno misso relegere jussit, & volens eum .... que relecte sunt in eodem placito per Georgium presbiter & notarius sancte Ravennatis ecclesie, & in ipsa preceptosas domni Apostolici, & confirmationem domni Johannis relegebant. Quod ...... sidentes in rebus sancte Ravennatis ecclesie ad nullus placitum publicum ire debeant, neque ullam ministracionem publica facere, nisi ad pontifex sancte Ravennatis ecclesie in perpetuum

tuum

tuum ſtare & permanere ..... perlecte fuiſſent ſtatim pro ipſo domno miſſo dixit, quia iſtam contencionem & confirmacionem bone ſunt, & in perpetuum debeant permanere, & ipſo domnus Paulus dictus ſimiliter cepit .... dare & dicere judicamus nos ut ipſas preceptoſas que domni Apoſtolicis conſtituerunt, & privilegii domno imperatore confirmaverunt in ſupraſcripta veſtram ſanctam Ravennatem eccleſiam, & ſtabiliſſimas permaneat de quantacumque inibi relegitur ad jura & dominium ſancte Ravennatis eccleſie.

† Adelbertus epiſcopus Bolonienſi in hoc diudicatum ſubſcripſi.

† Ubertus epiſcopus Livienſi in hoc diudicatum ſubſcripſi.

† Johannes epiſcopus Cornelienſis in hoc diudicatum ſubſcripſi.

† Leo epiſcopus Ferrarienſis hin hoc diudicatum ſubſcripſi.

† Sergius presbiter ſancte Ravennatis eccleſie in hoc diudicatum ſubſcripſi.

† Georgius presbiter notarius ſancte Ravennatis eccleſie in hoc diudicatum ſubſcripſi.

......ſſus domni Ottonis imperatoris in oh diudicatum ſubſcripſi.

.... diudicatum ſubſcripſi.

.... oc diudicatum ſubſcripſi.

.... diudicatum ſubſcripſi.

.... in ho diudicatum ſubſcripſi:

........o de Ferraria in hoc diudicatum ſubſcripſi.

........drea in hoc diudicatum ſubſcripſi.

........de Amabilis in hoc diudicatum ſubſcripſi.

...... de Ponte auguſti in hoc diudicatum ſubſcripſi.

XXXV.

Commutatio bonorum inter Petrum archiepiſcopum Ravennæ, & Georgium abbatem ſancti Stephani junioris de Ravenna.

Anno 970.

Ex autographo tabularii marchionis Bonifacii Rangonii.

Ad lib. I. n. 34. IN nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Anno Deo propitio pontificatus domni Johannis ſummi pontificis ſeu univerſalis pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri ſede ſexto, ſitque imperante domno piiſſimo auguſto Ottone a Deo coronato pacifico magno imperatore anno regni pietatis ejus in Italia vero anno decimo, & domno Ottone item a Deo coronato imperatore ejus filio anno quarto die ...... indictione quartadecima Ravenne. Bonum & licitum eſt omnibus comutantibus &c. Profitens profiteor ego quidem Georgius reverendus diaconus ſancte Ravennatis eccleſie & abbas monaſterii ſancti Stephani, qui vocatur junioris, qui ſit die quinta feria, qui eſt fundatus in civitate Ravenna prope mo...... arbani non longe a ponte cogto (*vel* cooperto) per hujus paginam proferſionis ſponſionis ſimulque comutationis nec non transferſionis ..... tibi preſenti in Chriſti nomine domnus Petrus ſanctiſſimo & *coangelico* ſancte Ravennatis eccleſie archiepiſcopus tuiſque ſucceſſoribus pontificibus in perpetuum dans do & comuto, ſeo trado & transfero de juris ſupraſcripti monaſterii in jura & dominium ſancte veſtre Ravennatis eccleſie in perpetuum, ideſt omnem medietatem in integrum deſuper totum locum in integrum qui vocatur *li Cabali*, cum medietatem in integrum de argere qui vocatur *pogioli*, ubi caſtrum hedificatum eſt, verum etiam cum medietatem in integrum de tumbis & de capannis & de areguis inibi poſitis cum campis ſuis ſeu fontis & lagis atque camporas, & de padulibus nec non de coculuriis, ſitque duabus & butinis, verum etiam & de gurguras, ſeo de coriari & de parcis omnibus, venationibus atque aucupationibus ſeo minzonibus ... & medietatem in integrum de ponto in integrum, qui degit in cabalis cum omnibus ... medietatem de jam dicto ponto, & inſuper duabus partibus in integrum de tota altera cultas vel incultas ſeo vineis & caſamentis, nec non & vacuam & domnicatam & colonicatam, quod extenditur da bumilia ſancte Marie que vocatur in Cabalis uſque ad ipſo pogio qui vocatui Argele, hubi ipſum caſtrum hedificatum eſt cum arbuſtis arboribus cum ingreſſu & egreſſu earum cum pratis paſcuis ſilvis ſalectis ſationalibus arbuſtis arboribus & cum omnibus a ſe vel infra ſe circumcirca ſe ..... & quod obvenit da Imeltruda, que vocatur Imiza relicta quondam Teodaldus, & da Ugo de Berardo ſeo da Ingelramo qui vocatur Ingizo, & Berta conive ſua, ſeo da Johannes ſubdiacono ſancte Ravennatis eccleſie filio & nurus ipſius quondam Theodaldo, ſitque da Berardo filio ſuo aut undique in ibidem nobis obvenit, quas ipſis prenominatis perſonis .... dederunt in ipſo ſancto monaſterio noſtri beati Stephani, qui voca-

vocatur junioris . Et ego suprascripto Georgius diaconus & abbas ipsius monasterii exinde investitus sum ad jura ipsius sancti mei monasterii , unde vero nunc autem placet bona & spontaneam meam voluntatem a presenti die dare comutare seo tranferre de juris ipsius monasterii in jura & dominium sancte nostre Ravennatis ecclesie &c. Pro eo quia vos suprascripto domnus Petrus divina gratiam archiepiscopus dedistis & comutastis de juris sancte vestre Ravennatis ecclesie per aliam paginam comutationis in jura & dominium suprascripti sancti monasterii nostri sancti Stephani , qui vocatur junioris, qui fit die quinta feria , meisque successoribus abbatibus ipsius monasterii in perpetuum similiter a presenti die idest omnem pertinentia in integrum ..... in locum qui vocatur vico de Capeli seo Guilari, & in locum, qui vocatur ponte de Forcula cum terris, vineis &c.

Quam vero paginam Dominicus in Dei nomine & tabelionem hujus sancte Ravennatis ecclesie scribendam rogavimus, & subter manus mea propria firmavimus sub die &c.

XXXVI.

Donatio terrarum facta a Stephania Johanni abbati sancti Gregorii de Urbe.

Anno 972. 18. februarii.

Ex codice sancti Gregorii p. 164.

Ad lib. III. n. 32. IN nomine Domini Dei salvatoris Jesu Christi . Anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis & universalis tertiidecimi in sacratissima sede beati Petri apostoli septimo imperante domno perpetuo augusto Ottone a Deo coronato magno imperatore anno decimo , juniore vero filio ejus anno quinto indictione quinta decima mensis februarii die decima octava . Quoniam certum est me Stephania olim femina habitatrice territorio Castellano in fundum, qui vocatur Maniano , hac presenti die do, dono, cedo , trado & largior atque offero propria mea spontaneaque voluntate dono vobis domno Johanni humili presbitero & monaco atque abbati venerabilis monasterii sancti Andree apostoli & sancti Gregorii , qui vocatur Clivuscauri tuisque successoribus in perpetuum pro amore omnipotentis Dei mercedeque anime mee & veniam delictorum meorum, ut ad eternam vitam aliquantulum veniam merear adipisci, id est domum terraneam scandolitiam una in inde cum ortuo pomato juxta se, & cum omnibus ad eam pertinentibus , atque & omnis mee portionis de vineis seu terris & ortuis quanta mihi contigit in toto territorio Castellano in fundis , qui vocatur Maniano & Rusciliano atque Antiquo & Puzola & Sicimano , sicuti mihi evenit a paterno maternoque jure, aut per cartulam venditionis a mea germana, & usque modo meis detineo manibus, ita tibi tuisque successoribus integriter concedo & dono a die presenti, pro qua etiam mee portionis de supradictis fundis cum omnibus eorum pertinentiis, quanta & ubicumque mihi contingit, ut supra legitur, hac presenti enim die largita sint pro vestris sacris quotidianis orationibus, & quia si carnalia vobis concedimus, spiritualia a vobis recipere expectamus, tamen ut supra dictum est, a presenti die habeatis, teneatis, possideatis atque fruatis & in usu & utilitate vestri monasterii in perpetuum habeatis , pro quibus numquam a me neque ab heredibus meis, aut a me submissa persona magna vel parva contra vobis vestrisque successoribus aliquam exinde movere questionem aut calumpniam , sed in omni tempore ab omni homine & in omni loco ubi tibi tuisque successoribus necesse fuerit stare me una cum heredibus meis & defendere promitto tibi tuisque successoribus , in qua & jurata dico per Deum omnipotentem sancteque sedis apostolice salutem viri beatissimi & apostolici domni Johannis sanctissimi tertii decimi pape, principi a Deo coronato domno Ottoni majori & juniori suprascribti imperatori . Hec omnia , que hujus a die presentis donationis cartulam seriem textus eloquitur inviolabiliter observare atque adimplere promitto . Si enim , quod absit, & quoquo tempore ego vel heredes mei contra vobis vestrisque successoribus, aut contra hanc a die presentis donationis cartulam , quam sponte fieri rogavi, agere vel causare vel litigare presumpsero per quovis ingenio , tunc non solum perjurii reatum incurram, verum etiam daturam promitto una cum heredibus meis tibi tuisque successoribus ante omne litis initium pene nomine auri purissimi untias tres , & post penam absolutionis manentem hanc a die presentis donationis cartulam seriem in suam nihilominus maneat firmitatem , quam scribendam rogavi Albinium scriniarium & tabellionem urbis Rome , in qua

qua & ego, que supra, subter manu propria signum sancte Crucis feci, & testes subscriberent rogavi, & tibi, qui supra, contradidi in mense & indictione suprascripta quintadecima.

† Gregorius nobili viro in hanc a die presentis donationis cartulam, sicuti perlegitur testis subscripsi.

† Pulchro ostiario dominico in hanc a die presentis donationis cartulam testis subscripsi.

† Petrus nobili viro in hanc *&c. ut supra*.

† Raynerio nobili viro in hanc *&c. ut supra*.

† Benedictus nobili viro in hanc *&c. ut supra*.

Ego Albinius scriniarius & tabellio urbis Rome, qui supra scriptor hujus cartule post testium scriptiones & traditiones complevi & absolvi.

XXXVII.


Præceptum Ottonum imperatorum pro monasterio sancti Apollinaris in Classe.

Anno 972. VIII. kal. junii.

Ex autographo Classensi.

Ad lib. III. n. 30. IN nomine sancte, individueque Trinitatis. Otto, itemque Otto divina favente clementia imperatores augusti. Si locis divinis cultibus mancipatis solacium presentis futureque prosperitatis largimur eternis ac temporalibus premiis a Deo remunerari certissime credimus. Quocirca omnium sancte Dei ecclesie fidelium nostrorumque presentium scilicet ac futurorum religiositati manifestum fieri volumus Honestum venerabilem sancte Ravennatis ecclesie archipresulem nostre celsitudinis taliter exorasse excellentiam. Quoniam sancti Apollinaris Christi martyris cenobium, quod dicitur Classis, nostrorum decessorum temporibus tam per cambicionem, quam per emphiteosim ita in dissipatione positum fuit, ut ejusdem monasterii cenobite cunctis necessitariis indigebant: vestris vero tempestatibus, Dei favente pietate, vestrisque sacris subsidiis subvenientibus, ita restauratum nunc cernitur, quod bonis universis habundat. Petimus, ut pro Dei amore, vestrarumque animarum salute, vestra imperiali auctoritate concedere, statuere ac corroborare dignemini, quatinus neque nos, neque ejusdem monasterii abbatem, neque aliquem nostrum successorem fraudulenta cupiditate deceptum, liceat ipsius ecclesie terram cambire, vel per emphiteosim alicui concedere, vel per ordinationem premium aliquod suscipere. Cujus dignis petitionibus adsensum .... volentes consensum domni Johannis summi pontificis, nostrique spiritualis patris, prout juste & legaliter possumus, concedimus, largimur, statuimus, atque per hujus nostri precepti paginam confirmamus & roboramus jam dicte ecclesie sancti Apollinaris omnes suas res & proprietates, ea videlicet ratione, quod deinceps nos, nostrosque successores, aut archiepiscopos Ravennates, aut abbates illius loci terram vel familias utriusque sexus supranominati monasterii minuare, aut servitium aliquod per consecrationem recipere, sive per scriptionem, sive per quodlibet imgenium minime liceat. Precipientes itaque jubemus, ut nullus dux, marchio, episcopus, comes, vicecomes, sculdasio, gastaldio, decanus, aut quelibet nostri regni magna parvaque persona, cenobitas, vel familias inquietare, molestare, vel aliquam scriptionem inde recipere presumat, sed liceat illos quiete & pacifice vivere, Deique servitium, & sancti Apollinaris martiris libere & absolute agere, Dominumque pro nostri, nostrorumque successorum imperii salute exorare, omnium homin um remota impedicione. Si quis vero, quod minime credimus, nefario ausu hujus nostri precepti paginam infringere temptaverit, sciat se compositurum auri optimi libras mille, medietatem kamare nostre, seu nostrorum successorum, & medietatem jam dicte ecclesie sancti Apollinaris. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, propriis manibus roborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signa domnorum imperatorum Ottonis, & item Ottonis serenissimorum augustorum.



Petrus cancellarius ad vicem Huberti episcopi & archicancellarii recognovit & subscripsit.

Datum VIII. kl. junii anno dominice incarnationis DCCCC. LXXII. imperii vero domni Ottonis serenissimi & augusti

XI. &

xi. & item Ottonis v. indictione xv. Actum Ravenne in Dei nomine feliciter. Amen.

Pendet sigillum parvum plumbeum, in cujus antica visitur caput cum epigraphe Aurea Roma: *in postica vero legitur* Otto Iperator Romanor.

XXXVIII.

Donatio terrarum facta a Marozza Johanni abbati sancti Gregorii de Urbe.

Anno 973. 22. januarii.

Ex codice ejusdem monasterii p. 165.

Ad lib. III. n. 32. IN nomine Domini Dei salvatoris Jesu Christi. Anno Deo propitio pontificatus domni Benedicti summi pontificis & universalis sexti pape in sacratissima sede beati Petri apostoli primo, imperatore domno perpetuo augusto Ottone a Deo coronato magno imperatore anno duodecimo, juniore vero filio ejus anno sexto indictione prima mensis januarii die vigesimo secundo. Quoniam certum est nos Marozza olim femina relicta quondam bone memorie Urso a presenti die dono, cedo, trado & largior atque offero nullo mihi cogente, neque contradicente aut vim faciente, sed propria spontaneaque mea voluntate vobis domno Johanni humilis presbiter & monacus atque abbati venerabilis monasterii sancti Andree apostoli & sancti Gregorii, qui vocatur Clivuscauri tuisque successoribus in perpetuum, pro amore omnipotentis Dei & redemptione anime bone memorie Romano presbitero filio meo cla.... muni.... & meorum veniam delictorum, & pro vestris sanctis sacris orationibus, ut pro eo intercessores existatis apud omnipotentem Dominum, ut valeamus.... veniam delictorum: id est omnem portionem meam de terris sementaritiis, quantum mihi contingit .... anello cultum vel incultum territorio Castellano, necnon de petia terra & vinea una in inde cultum vel incultum cum omnibus ad eam pertinentibus positis territorio Nepesino in fundum, qui dicitur Celomanum, inter affines a duobus lateribus de suprascripto venerabili monasterio, & a tertio & quarto latere terra heredum de Johanne tenuntem, & semita que pergit ad castellum omnia juris..... unde, & omnes moniminas de suprascripta terra & vinea cum omnibus ad eam pertinentibus apud me meosque ..... jacent ad conservandas & salvas faciendas pro aliis locis, quod in ea continetur, & pro .... dare potui, sed pro vestrarumque partium cautela salvas facere promitto, & quando tibi tuoque monasterio necesse fuerit, eas ostendere & demonstrare promitto omni tempore gratis absque pretio dominii vestri firmandi causa ...... suprascriptam omnem portionem meam de terris sementaritiis, cultum vel incultum, & petio de terra, & vineam unam in inde cultum vel incultum, quantum mihi ibidem contingit, sicuti supra legitur, a presenti enim die largita sint pro vestris sacris orationibus, & quia si carnalia vobis concedimus, spiritualia a vobis recipere expectamus, tamen, ut supra dictum est, a presenti die habeatis possideatis atque fruatis, & in utilitate vestri monasterii in perpetuum habeatis: promitto namque a me neque ab heredibus meis, aut a me submissa persona magna vel parva contra tibi tuisque successoribus aliquam aliquando movere questionem aut calumpniam, sed in omni tempore ab hominibus & in omni loco vobis vestrisque successoribus necesse fuerit stare me una cum heredibus meis, & defendere promittimus vobis vestrisque successoribus, in quo & jurata dico per Deum omnipotentem, sancteque sedis apostolice salutem viri beatissimi domni Benedicti sanctissimi pape, & a Deo coronato domni Ottoni majoris & minoris imperatorum, hec omnia que hujus a die presentis donationis cartula serie textus eloquitur inviolabiliter conservare atque adimplere promittimus. Si enim, quod absit, & quoquo tempore .... contra vobis vestrisque successoribus, aut contra hanc a die presentis donationis cartula, quam sponte fieri rogavi Albinium, causare vel litigare voluerit per quovis ingenio, tunc non solum perjurii reatum incurram, verum etiam daturam me una cum heredibus meis vobis vestrisque successoribus ante omne litis initium pene nomine auri purissimi untias tres, & post pene absolutionis manentem hanc a die presentis donationis cartula seriem in suam nihilominus maneat firmitatem. Quam scribendam rogavi Albinium scriniarium & tabellionem urbis Rome. In qua & ego, qui supra, subter manu propria signum sancte Crucis feci, & testes, qui subscriberent, rogavi, & vobis, qui supra, contradidi in mense & indictione suprascripta prima.

Signum

Signum † manu suprascripta Marozza olim femina donatrice, que supra....

† Stephanus nobili viro.

† Gregorius um...

† Johannes nobili viro.

† Grisio nobili viro.

† Benedictus nobili viro.

Ego Albinius scriniarius & tabellio urbis Rome, qui supra scriptor hujus cartule, post testium subscriptionem & traditionem factam complevi & absolvi.

XXXIX.

Oblatio bonorum, quam fecit Honestus archiepiscopus Ravennas altari sancti Probi.

Anno 974. mense februario.

Ex authentico tabularii archiepiscopi Ravennatis caps. F. n. 2376.

Ad lib. III. n. 15. IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno Deo propicio pontificatus domni Benedicti summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri sede secundo. Sitque imperante domno Ottone a Deo coronato pacifico magno in Italia anno septimo...... mensis februarii indictione secunda Ravenne. Honestus servus servorum Dei divina gratia archiepiscopus. Ecclesiastice contemplationis facta nos premonet illa semper considerare atque disponere, que ad augmentum & diligentiam seu & perfectionem officiorum secundum ecclesie pertinent statum, & ne quod absit data negligentia quoquo modo scribatur ad culpam. Igitur cum summe divinitatis potentia sue pietatis arbitrio illud nos ambire cotidie ammonet, quod ad perhennitatis censuram pervenit, & potissimum seu celeberrimum fore dinoscitur presentium scilicet sacerdotum omnium sacri ordinis sancte nostre Ravennatis ecclesie religiositas prospiciet a nobis exegendum, ut vestrorum & omnium consensu hoc privilegium perpetualiter mansurum statuimus, quatinus miserante Domino viventium & mortuorum venia sit & salus animarum. Pro his igitur divinis opportunitatibus sacerdotes sancte nostre Ravennatis ecclesie ac clericos hoc nostro privilegio munitos fore sancivimus. Ideoque & ego Honestus Christi misericordia humilis archiepiscopus donamus seu transferimus & in perpetuum transfactamus in sancto ac venerabili altari beati Probi confessoris Christi infra sancte nostre Ravennatis ecclesie, ubi sacrum ejus corpus a nobis collocatum est sub dominio & potestate ambarum scolarum, scilicet cantorum & lectorum. Idest curtem nostram in integrum, que antiquitus vocabatur de Molino, que ante hos dies in desertis redacta fuit, & modo Christo auxiliante noviter roncora facta esse videtur, intra fines ejus ab uno latere fossa, que de flumine procedit, que dicitur Rupta, que est in capite ipsius curtis, ab alio latere fluvius ...sius percurrente, seu a tertio latere paludes, a quarto autem latere pontem longus cum terris & vineis, campis, pratis &c. immo etiam & concedimus tres salinas, quarum una ex his non est incolomis, que predicta salina cum vasis & morariis seu alita sua & cum omnibus earum pertinentibus constitute in fundamento novo de Gaurione. Insuper etiam & statuimus, ut cottidianis diebus missas celebrare debeant pro venia delictorum predecessoris nostri Petri archiepiscopi, seu & pro animabus omnium fidelium defunctorum, & in die anniversarii ejus & nostri omni annualiter anno ternas missas canere debeant pro anima ipsius Petri archiepiscopi antecessoris nostri & nostra unusquisque ex ipsis canonicis, qui ibidem in illis temporibus ordinati sint vel fuerint, ut pro tali collato obsequio nostra exiguitas veniam consequi mereatur ab omnipotenti Deo retributore bonorum operum sancivimus. Itaque ut nullus ex his canonicis licentiam habeant jamdicta res, aut prefata salina quoquo modo dare aut alienare, vel etiam aliquam scriptionem facere per nullum ingenium vel argumentum, set more salario habere debeant sub tali conditione, sicut supra dictum est. Si quis autem, quod non credimus, contra hanc nostram largitatem censuram agere temptaverit, trecentorum decem & octo sanctorum patrum Niceni concilii anathematis vinculo obligetur. Observator autem, qui extiterit, Domini benedictione redundetur. Quam vero paginam privilegii donationis Deusdedit notario sancte nostre Ravennatis ecclesie scribendam jussimus, in qua nos subscripsimus sub die mensis & indictione suprascripta secunda. Ravenne.

☧. Honestus Dei nutu sancte Ravennatis ecclesie archiepiscopus mitis, oblatorque suprataxate rei exiguus ad omnia largiens confirmansque subscripsi.

† Petrus archidiaconus in hac donatione consensi & ss.

† Constantinus archipresbyter in hac donatione consensi & ss. An-

Andreas presbyter ſancte Ravennatis eccleſie in hac donatione conſenſi & ss.

Dominicus presbyter ſancte Ravennatis eccleſie in hac donatione conſenſi & ss.

Georgius ſancte Ravennaris eccleſie diaconus in hac donatione conſenſi & ss.

Conſtantinus ſancte Ravennatis eccleſie diaconus huic pagine donationis conſenſi & ss.

Romualdus ſancte Ravennatis eccleſie levitarum infimus huic donacionis pagine conſenſi & ss.

Petrus ſubdiaconus ſancte Ravennatis eccleſie huic donacioni conſenſi & ss.

Johannes ſubdiaconus ſancte Ravennatis eccleſie huic donationi conſenſi & ss.

Sergius ſubdiaconus ſancte Ravennatis eccleſie huic donationi conſenſi & ſubſcripſi.

Paulus ſubdiaconus ſancte Ravennatis eccleſie huic donacioni conſenſi & ss.

Ego Gualandinus Dei gratia Ravennas tabellio, quod vidi & legi in authentico privilegio domini Oneſti archiepiſcopi ſcripto a Deusdedit notario ſancte Ravennatis eccleſie nihil addens vel minuens preter litteram vel ſillabam in hoc exemplum ss.

X L.

Donatio facta a Gregorio presbytero Johanni abbati ſancti Gregorii de Urbe.

Anno 974. 8. martii.

Ex codice ejuſdem monaſterii pag. 169.

Ad lib. III. n. 32. IN nomine Domini ſalvatoris Jheſu Chriſti. Anno Deo propitio pontificatus domni Benedicti ſummi pontificis & univerſalis ſeptimi pape in ſacratiſſima ſede beati Petri apoſtoli primo, imperante domno Ottone a Deo coronato magno imperatore anno ſeptimo indictione ſecunda menſis martii die octava. Bonum mihi videtur exercere negotium, qui de terrena ſubſtantia comparat celeſtia, & de rebus tranſitoriis mereatur eterna: & ideo quoniam certum eſt me Gregorius Dei gratia presbiter filio quondam Caſperom.... a preſenti die dono, cedo, trado & largior atque offero propria & ſpontaneaque mea voluntate vobis domno Johanni religioſo presbytero & monaco atque abbati venerabilis monaſterii ſancti Andree apoſtoli & ſancti Gregorii, qui appellatur Clivuſcauri, tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum pro omnipotentis Dei amore & redemptione anime mee, & meorum omnium veniam delictorum. Item & pro veſtris ſacris ſanctis orationibus, quas die noctuque agere non ceſſatis, & ideo dono vobis, ideſt omnem portionem meam mihi in inde competentem de caſis & ortuis ſeu vineis, & terris in fundum, qui vocatur Ruſciliano excepto ordines ſeptem de vinea ipſius locum, quam donavit a Johannes privigno meo. Item & dono vobis totam portionem meam de terris ſementaritiis, que ſunt in fundo Antiquo cum omnibus quanto ad ipſe me portionis generaliter & inde pertinentibus poſitis in territorio Nepeſino & Caſtellano in .... locum, qui vocatur Calcata, juris cui exiſtens, ſicuti mihi evenit per hereditaria parentum meorum, ſive per quemcumque modum, & nunc meis detineo manibus, ita tibi concedo, trado & largior in perpetuum hanc a die preſentis donationis cartula tibi contradidi, pro qua etiam ſupraſcripte portionis mee de caſis, ortuis, vineis, terris vel omnibus ſuis pertinentiis, ſicuti ſupra legitur, a preſenti die habeatis, teneatis, poſſideatis, veſtro jure vendicetis ac defendatis, & numquam a me neque a ſucceſſoribus aut a conſanguineis meis, aut a me ſubmiſſa perſona contra tibi tuiſque ſucceſſoribus aliquam aliquando habebitis queſtionem vel calumpniam, ſed in omni tempore ab omni homine pro ſupraſcripta portione mea ſecuri atque quieti permaneatis in perpetuum, in qua & juratus dico per Deum omnipotentem, ſancteque ſedis apoſtolice domni Benedicti ſummi pontificis, ſeu ſalutem domni Ottonis imperatoris, hec omnia, que hujus a die preſentis donationis cartulam ſeriem textus eloquitur, inviolabiliter conſervare atque adimplere promitto: nam quod abſit & quolibet tempore ſi ego aut conſanguineis meis vel quelibet perſona hominum contra hec, que ſupra notata ſunt vel adſcripta leguntur, contra agere ſumpſero, & cuncta, que ſupra miſſum eſt, non obſervaverint, tunc non ſolum perjurii reatum incurrat, verum etiam daturum me promitto una cum ſucceſſoribus meis & defendere promitto tibi tuiſque ſucceſſoribus ante omne litis initium pene nomine auri untias tres ebritias, & poſt ſolutionem pene hec cartula in ſuam maneat firmitatem, quam ſcribendam rogavi Stephanum ſcriniarium ſancte Romane eccleſie in menſe & indictione ſupraſcripta ſecunda.

Signum † manu ſupraſcripto Gregorio presbitero, qui hanc cartulam fieri

ri rogavi, qui supra legitur.

† Johannes de Agata testes.

† Leo, qui vocatur Azzone testis.

† Benedicto, qui vocatur de Rosa testis.

† Leo filio suo testis.

† Urso, qui vocatur de Pelegrino testis.

Ego Stephanus scriniarius sancte Romane ecclesie, qui supra scriptor hujus cartule post testium subscriptiones & traditiones factas complevi & absolvi.

XLI.

Donatio templi de Septem-soliis minoris facta a Stephano filio quondam Ildebrandi consulis & ducis eidem Johanni abbati.

Anno 975. 22. julii.

Ex codice ejusdem monasterii p. 251.

Ad lib. III. n. 33. IN nomine Domini Dei salvatoris nostri Jesu Christi. Anno Deo propitio pontificatus domni Benedicti summi pontificis & universalis septimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli primo, imperante domno Ottone piissimo perpetuo augusto anno ejus octavo indictione tertia mense julio die vigesima secunda. Ad compunctionem cordis psalmista nos admonet dicens: Quis est homo, qui vivit & non videbit mortem? propterea bonum mihi videtur exercere negocium, qui de terrena substantia comparat celestia, & de rebus transitoriis mereatur eterna, & ideo quoniam certum est me Stefano illustri viro filius quondam Ildebrando consul & dux hac die cessisse & cessi, atque dono, do, cedo, trado, largior atque offero nullo mihi penitus cogente neque contradicente aut vim faciente, sed propria & spontaneaque mea voluntate vobis domno Johanni religioso abbati venerabilis monasterii sancti Andree apostoli & sancti Gregorii quondam Clivuscauri, & per te in eodem venerabili monasterio tuisque successoribus in perpetuum pro omnipotentis Dei amore & redemptione anime nostre, & pro vestris sacris sanctis orationibus, quas die noctuque agere non cessatis. Id est illud meum templum, quod Septem solia minor dicitur, ut ab hac die vestre sit potestati & voluntati pro tuitione turris vestre, que Septem solia major dicitur, ad destruendum & suptus deprimendum quantum vobis placuerit. Nec non & omnes cryptas, quas habeo in porticu, qui vocatur μωdrῶmrωγγ supra dicta Septem solia, in uno tenente conjunctas videlicet numero triginta & octo, & inferiora & superiora sua cum terra vacante, & vellaria ante se cum introitu & exitu earum a via publica, & cum omni usu & utilitate, & cum omnibus ad eas pertinentibus, posita Rome regione secunda prope Septem viis, & inter affines a primo latere suprascripta Septem solia, a secundo latere ortum, quod est supra cryptas, que sunt ante monasterium vestrum, & menia palatii, ubi dicitur balneum imperatoris, a tertio latere crypte de heredibus Johannis, qui dicebatur de papa de Septem viis, a quarto latere via publica juxta circum, qui ducit ad arcum triumphale vestri juris, sicuti mihi evenit a suprascripto genitore meo, & nunc meis detineo manibus, ita tibi concedo, offero & largior in perpetuum ad opus & utilitatem vestri suprascripti monasterii, quia si carnalia relinquimus, spiritualia a vobis recipere expectamus, unde a presenti die habeas, teneas, possideas, & vestro jure vindicetis ac defendatis ad opus & utilitatem suprascripti monasterii, & numquam a me neque ab heredibus & successoribus meis, aut a me submissa magna parvaque persona contra vobis, vestrisque successoribus aliquam aliquando promoveo questionem, aut requisitionis litis calumpniam, sed in omni tempore ab omni homine & in omni loco vobis vestrisque successoribus si necesse fuerit stare me una cum heredibus meis promitto. In qua & juratus dico per Dominum omnipotentem, sancteque sedis apostolice domni Benedicti sanctissimi septimi pape, seu salutem domni Ottonis magni imperatoris, hec omnia, que hujus donationis cartula seriem textus eloquitur inviolabiliter conservare atque adimplere promitto: nam quod absit, & quoquo tempore si ego vel heredibus meis contra vobis vestrisque successoribus, aut contra hanc cessionis, donationisque cartula, quam sponte fieri rogavi, agere aut causare sive litigare vel in judicium provocare, aut alicui potestati vel judicibus proclamavero in aliquod facere presumpsero, de hec omnia, que supra notata vel ascripta esse videntur, tunc non solum perjurii reatum incurrat, verum etiam daturum me promitto una cum heredibus meis vobis vestrisque successoribus ante omne litis initium pene nomine auri ebritias libras sex, & post penam absolutionis maneat hec cessionis donationisque

nisque cartula in suam maneat firmitatem, quam scribendam rogavi Stephanum scriniarium tabellionem urbis Rome, in qua & ego, qui supra subter manu propria sancte Crucis signum feci, testes, qui subscriberent, rogavi, & vobis, qui supra, contradidi in mense & indictione suprascripta tertia.

† Stefanus illustris in hanc plenariam donationem, ut supra legitur, manu propria subscripsi, & testes, qui subscriberent, rogavi.

† Benedictus nobili viro in hanc plenariam donationem, sicut supra legitur, rogatus scripsi.

† Johannes nobili viro a Stefanus rogatus scripsi.

† Benedictus domne Berte rogatus scripsi.

† Gregorius nobile viro rogatus scripsi.

✠ Benedictus patritius a Stefanus rogatus scripsi.

Ego Stefanus scriniarius tabellio urbis Rome transcriptor hujus cartule post testium subscriptiones & traditiones factas complevi & absolvi.

XLII.

Charta emphyteusis pro monasterio sanctæ Mariæ de Urano.

Anno 976.

Ex autographo chartarii archiepiscopi Ravennæ. Caps. F. n. 2381.

Ad lib. III. n. 37. IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno Deo propitio pontificatus domni Benedicti summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati petri sede quarto s. . . . . .nono domino sancto & meritis beatissimo atque apostolico patri patrum domno Honesto sanctissimo sancte catholice Ravennatis ecclesie archiepiscopo Johannes venerabilis abbas regule monasterii sancte Marie in Uriano . . . . successoribus tuis abbatibus . . . . ecclesia quod de jure postular . . . ., sed id semper apostolatui vestro ordinare confidimus q.... speramus. Videlicet curte ... que vocatur Campogallani cum casalibus & appendicibus suis .... ab uno latere fluvius ....-. & ab alio ..... diviano seu ...... cum terris vineis campis pratis pascuis silvis saletis sationalibus vel omnibus ejsdem pertinentibus constitutis territorio Pupiliensi plebe ipsius Popiliensis. ...juris sancte vestre Rav. ecclesie .. enfiteuticario modo postulamus lar. .. mini cuiquam ..... monaster. sce...... in Uriano & quinque successoribus meis, qui in predicto monasterio ordinati fuerint . . . . donec nos divinitas in hac luce jusserit permanere sub ... misse unum & .... singulis quibusque inde actoribus sancte . . . . mei ina. . . . . que successores & fratres predicte abbatie canere debeamus pro remedio anime vestre da die depositionis vestre usque in dies treginta missa centum in singulos annos. Cum vero conditione pr. . . . ut . . . . & me. . . . debet adjudicare. Nichilque de omni expensa quam inibi fecerimus ab actoribus sancte vestre Raven. ecclesie in superius affixa pensione quoquo modo reputari . . . . debeamus nullumque tardietate aut neglectum . . . . verum facere debeamus secundum nominatam pensionem omni martio mense infra indictione sine aliqua excusatione aut dilatatione actoribus sancte vestre Rav. ecclesie persolvere debemus & ne cuiquam presentis precepti . . . . in alio . . . . relinquere per nullum ingenium vel argumentum sed nec aliquando adversus sanctam vestram benefatricem nostram Ravenn. ecclesiam cuiquam contra justitiam tractare aut agere nisi pro propria causa si con. . . . quod si in aliqua tardietate aut neglectu vel controversia inventos fuerimus extra agere de his que superius affixis conditionibus non solum de hoc precepto recaderimus verum etiam daturos non promittimus parti. . . . . pene nomine auri obrizo uncias sex, & si non persolverimus multotiens dictam pensionem infra biennium ut leges censeunt tunc post pene solutionem licentia sit actoribus sancte vestre Rav. ecclesie nos exinde expellere qua .... post transitum nostrum quotiens & quando Domino placuerit totiens dictas res cum omnibus que inibi a nobis aucta facta meliorataque fuerint ad jus dominiumque sancte vestre Ravennatis cui est proprietas revertatur ecclesie. Quam paginam sancte vestre Rav. ecclesie scribendam rogavimus in qua nos subscripsimus quamque in archivo sancte vestre Rav. ecclesie stipulatione & sponsione pro futuris temporibus tradimus recondendam sub die mense & indictione predicta quarta.

† Johannes abbas mon. sancte Marie in Uriano in ac petitione a me facta ss. & testes scribere rogavi.

† Tho.

† Thomas presbyter Leonidatius huic paginam peticionis rogatus testes ss.

† Michael filio de Anetri in ac peticione rogatus tt. ss.

† Johannes filio quondam Leontius in ac peticione rogatus testis ss.

XLIII.

Donatio Constantini nobilis viri Johanni abbati sancti Gregorii de Urbe.

Anno 980. 10. octobris.

Ex codice ejusdem monasterii p. 168.

Ad lib. IV. n. 16. IN nomine Domini Dei salvatoris Jesu Christi. Anno Deo propitio pontificatus domni Benedicti summi pontificis & universalis septimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli sexto imperante domno Ottone a Deo coronato pacifico imperatore anno tertiodecimo indictione nona mensis octobris die decima. Bonum mihi videtur exercere negocium, qui de terrena comparat celestia: & ideo quoniam certum est me Constantino nobili viro presente & consentiente in hoc mihi . . . . . . conjuge mea, a presenti die sub usufructu dierum vite mee, dono, cedo, trado & largior simulque offero, nullo mihi cogente neque contradicente aut vim faciente, sed propria spontaneaque mea voluntate vobis Johanni Domini gratia humilis presbiter & monacus atque abbas venerabilis monasterii sancti Andree apostoli & sancti Gregorii, qui appellatur Clivuscauri successoribusque tuis post discessum meum in perpetuum pro omnipotentis Dei amore mercedeque anime mee & meorum veniam delictorum, & pro vestris sacris sanctis orationibus, quas die noctuque agere non cessatis aliquantulum invenire veniam mereamur: id est omnem portionem mihi in inde competentem de fundo in inde, qui vocatur Habezano cum portione de terris cultis & incultis, vacuum & planum & cum omnibus ad ipsam portionem meam de suprascripto fundo in inde, qui vocatur Abezano generaliter, & in inde pertinentibus, sicut exitur predicto fundo usque ad aquam torrentem, qui vocatur Turrena, inter affines a totum fundum in inde ab uno latere Lucimano, a secundo latere fossatum aquarum, a tertio latere Manianum juris suprascripto monasterio, & a quarto latere jam dicta Turrena. Hec omnia quantum infra suprascriptos affines mihi donavit pro redemptione anime sue, simulque pro meum fidelissimum servicium Crescentius hom . . . . qui dicebatur a Flamine olim seniore meo, & usque modo meis detinuit manibus. Ita ego omnia in inde ubicumque mihi pertinet sive in monte, sive in plagia, sive in plano, sive ubicumque petiolas jacere videntur usque ad palmo terre mihi pertinentis omnia in inde concedo & largior vobis vestrisque successoribus in perpetuum a presenti enim die post meum discessum largita sint pro vestris sacris orationibus, ita ut ab hac die in antea in vestram sit potestatem suprascripto omnia, ut supra legitur, a presenti die habeas, teneas, possideas, vestro jure vendices ac defendas, & in usu & utilitate vestri monasterii in perpetuum habeatis, pro quibus numquam a me neque ab heredibus meis, aut a me submissa magna parvaque persona contra vobis vestrisque successoribus aliquam aliquando habebitis questionem aut calumpniam, sed in omni tempore ab omni homine & in omni loco ubi vobis vestrisque successoribus necesse fuerit stare me una cum heredibus meis, & defendere promitto vobis vestrisque successoribus, in qua & juratus dico per Deum omnipotentem sancteque sedis apostolice domni Benedicti sanctissimi, pape seu salutem domni Ottonis, hec omnia que hujus a die presentis donationis cartula seriem textus eloquitur inviolabiliter conservare atque adimplere promitto. Nam quod absit & quoquo tempore si post meum discessum aliquis de filiis & filiabus. vel consanguineis meis quamlibet contrarium fecerit, & sicuti ego ordinavi ita perficere non dimiserit, maledictionem Dei patris omnipotentis incurrat. Insuper qui contra hanc cartulam venire temptaverit, primum subjaceat perjurii crimine, & compositurus existat in suprascripto monasterio auri ebritias libras duas, & post soluta pena hec perpetualis donationis cartula in suam maneat firmitatem, quam scribendam rogavi Stephanum scriniarium sancte Romane ecclesie, in qua & ego qui supra subter subscripsi, & testes, qui subscriberent, rogavi, & vobis qui supra contradidi in mense & indictione suprascripta nona.

Signum † manu suprascripto Crescentio nobili viro, & rogatore, qui supra legitur . . . . .

Signum † manu . . . . qui in hanc cartulam donationis consensi, & signum sancte Crucis feci, que supra legitur.

† Benedictus de flume.

† Crescentius.
† Crescentius nobili viro.
† Beliso.
† Stephanus ferrarius.

Ego Stephanus scriniarius sancte Romane ecclesie, qui supra scriptor hujus cartule post testium subscriptiones & traditiones factas complevi & absolvi.

XLIV.

Donatio Rugerii domini Corsicæ, & Pantasileæ ejus uxoris quorundam latifundiorum monasterio Montis-Christi.

Anno 981. 7. martii.

Ex codice sancti Michaelis in Burgo Pisarum.

Ad lib. III. n. 11. IN nomine Domini amen. Anno a nativitate Domini nongentesimo octuagesimo primo indictione VIIII. die VII. martii. Ex hoc publico instrumento sit omnibus manifestum audientibus & legentibus, quod ego dominus Rugerius Dei gratia dominus de tota Corsica, quia per hanc chartulam inrevocabiliter inter vivos do, & trado & offero simul cum uxore mea Pantasilea omnipotenti Deo & ecclesie sancti Mamiliani insule Montis Christi solum hoc pro remedio animarum nostrarum & antecessorum in manu domni Mauri abbatis monasterii sancti Mamiliani insule Montis Christi omnes meas possessiones, quas habeo in loco ubi dicitur lo *Reggente* in flumine de Solo, qualiter est terminata per terminis *da piede lo ponto della Lezia* & da capite *lo Castellare* & de latere *la strata a lo molino*, & *lo gargalo de Chasaluna* que sunt casis & casamentis, molendina, terris cultis & non cultis, vineis, peris & melis cum omnibus arboribus fructiferis & non fructiferis, & silvis agrestis & domesticis. Item damus vobis *lo piano dello Cerchio* quomodo circundatum est per suos confines. Et hanc meam donationem & offertionem habeatis & teneatis sine molestia per vos, & per vestros successores. Quod nullus non habeat potestatem contradicere, neque molestare & numquam intentionare monasterium Montis Christi & possessionem supradictam intrare & contendere. Et supradictus abbas possit facere de supradictis possessionibus tamquam de propriis dicti monasterii Montis Christi. Dictus dominus Rugerius rogavit me Landulfus imperiali auctoritate notarius rogatus fui & rogavi.

Actum in ecclesia sancti Salvatoris *de l'Aquajo*. Testes Ambrosius episcopus Aleriensis, & dominus Andreas quondam Ruberti de Costis, & Johannes quondam Basilii de Musileo Casinche, & Alberto quondam Petri de Amandaschis & alios plures bonos homines rogatos.

Ego Fregolinus de Pero plebis Tavarie notarius sacri imperii hanc chartulam copulavi & scripsi & *trasi de una charta membrana* scripta *de mano del sopradicto notaro* Landulfus. *Come trovai*, *così* scripsi neque jungens, neque carens. Cum bona fide feci *salvo se fosse sillaba o parola. E questo abbio facto a li preghi di don Paulo abate di sancto Mamiliano* insule Montis Christi presentibus testibus *Francesco de Saja*, *& Jacopo*, *& Mariano tutti di Filetta. Et questo fu nell' anno del Signore* M. CCC. LVI. die VIII. augusti *nel castellazzo di Casincha*. Signum meum apposui consuetum.

XLV.

Altera ejusdem Rugerii facta eidem monasterio.

Anno 1039. sed rectius circa annum 981. 10. augusti.

Ex eodem codice Pisano.

IN nomine Domini amen. Anno Dominice incarnationis M. XXXVIIII. die X. augusti. Per infrascriptum publicum strumentum sit omnibus audientibus & legentibus quomodo & qualiter venit domino Ruggeri comes in presentia me notario infrascripto sanus mentis & corporis sui, pro remedio & salute anime sue, & parentum suorum dono & concedo *a lo dicto* monasterio sancti Mamiliani insule Montis Christi, terre que sunt prope allodio & dovicie de suprascripto domino comes Ruggerii: hoc est Arnosa *co'l poccio arenoso*, & plano Brincecoli, & *lo podio de le Mortelle* quomodo sunt terminata *da via publica*, *& mette a la Bertolaccia & descende* per Senone usque in petra rossa, *& mette in gargalo Cocciapanio*, *& drinetro* sancti Marcelli, & *mette in mare*. Et l'*altri* latere Savagene & *mette a la Ficarese*, & *mette in mare* salvo reservato infra *detto circolo* & *dovico* sancti Laurentii, & *lo dovico* de sancto Vito de Gorgono, *come* determinati sunt, & manifesti sunt in concessione *Ad lib. III. n. 11.*

ne facta per dicto domino comes a dicto monasterio. Dedit & concessit dictas possessiones cum terris cultis & non cultis, buschis, silvis, in revocando pro se & suis heredibus omnem rationem, quod habere potuissent in dictis possessionibus; facit plenam ratificationem pro se & suis heredibus usque in perpetuum donec &c. testibus infrascriptis. Et dictus dominus comes juravit ad sancta Dei evangelia per se & suos heredes de non venire *con* charta, sine charta, vel cum ingenio contra scripturam suprascripte possessiones. Et facit plenam refutationem in manu dicti abbatis Montis Christi. Dictus abbas potest facere de suprascripte possessiones tamquam de propriis dicti monasterii Montis Christi. Domino Ruggeri comes rogavi me presbiter Landolfus imperiali auctoritate notarius rogatus fui & rogavi.

Actum in ecclesia sancte Marie de Canovaria. Testes Johannes & Marinus Bosus, Ambrosius Asimucello, & alii plures homines rogati.

XLVI.

Donatio bonorum & ecclesiarum facta ab Hugone Thusciæ marchione monasterio sancti Michaelis de castro Marturi.

Anno 970. ut notæ chronicæ præferunt, sed ad annum 1000. retrahenda juxta Grandium. Ponitur tamen sub anno 986. a Puccinellio.

Ex Puccinellii chronico abbatiæ Florentinæ p. 223.

Ad lib. VI. n. 2. IN nomine Dei & salvatoris nostri Jesu christi regnante domino nostro Otto Dei gratia imperator augustus anno imperii ejus VIIII. & filio eidem Otto itemque imperator anno imperii ejus tertio IIII. idus julii indictione XIII. Manifestus sum ego Ugo marchio lege vivente Salicha filio bone memorie Uberti, qui fuit marchio, quia per hanc cartulam offersionis pro anima mea, & remedium anime de genitore meo & de genitrice mea, offero in ecclesia sancti Michaelis archangeli, quod est monasterio, qui est positus intus castello Marturi, tota curte illa mea domnicata, que est in loco & fundo Antoniano, que est infra comitatu Mutinense cum ecclesia sancti Salvatoris, & sancta Maria in Arziclo sita in eadem curte simul cum ripas duo ejusdem curtis: una dicitur ripa de Galera, alia ripa de Concamo cum omne telloneum & redditum ejusdem ripe, simul cum ponte * Laino, simul * Lavinio.
cum villis una consistente Villerano, alia villa & insula, que dicitur Gaibana, simulque duo aqua de posta, que vocatur Uttrica, & Maleta, & Gradaria, & camporas, & padules cum fossis & .... missionibus suis, vel Guittinas ipsarum padulibus & piscareis universis, que sunt posite in fundo, qui vocatur Campo-lungo per singulis locis, & in fundo, qui vocatur Burbuliaco per singulis locis, & in fundo, qui vocatur Villa-magna per singulis locis, & in fundo, qui dicitur Curniolo per singulis locis, & in fundo, qui vocatur Grotacio per singulis locis, & in fundo, qui vocatur Palazolo & suis locis, & in campo, qui vocatur de Vendrecha, sive per totam Laivinum, & in fundo, qui vocatur Rota-scura per singulis locis cum ceteris aquis, piscareis, & cucullareis, & terra illa que dicitur Severatico, que recta fuit per Vualfredo castaldio, & curte & castello de Torregno de intus & foris, sive in aquis sive in terris de suis fictis quoad suprascripta casa & curte domnicata, & a predicto castello sunt pertinentibus vel aspicientibus, & villa & curte mea illa domnicata, que dicitur Doni cum omnia & in omnibus & integris curtis & ecclesiis, simulque & cappellis, sortis, terris, domnicatis, & vineis & universis pertinentiis & adjacentiis supradicte ville de Doni, & pertinentibus atque castello illo cum omnibus subjectis suis, qui nominatur Pojolo, atque castello illo cum omnibus subjectis suis, qui dicitur Vinta, similiter cum duobus mansis in Cartiano, qui detinent filii Petri, atque una cum ipsa curte de Rivaria una cum VIII. mansis, seu terris & vineis & domnicatis rebus meis illis, quem ab eadem curte est pertinente, atque curte & castello meo illo, qui dicitur Ignasio cum omnibus subjectis suis & pertinentiis & adjacentiis suorum, & Castello-novo cum suis pertinentiis, atque curte & castello meo illo & cum omnibus pertinentiis suis & adjacentiis illarum, qui nominatur Galisterna, quantacumque vel qualiscumque ab ipsa curte & castello per infra plebe de casis pertinere dignoscitur, ideo tam casis & rebus domnicatis, quam & de casis & rebus massaritiis, sive aldionariis, tributareis cum fundamentis & omnibus edificiis suis vel universis fabricis suis omnia & in omnibus, que superius leguntur, ipsius ecclesie & monasterio sancti Michaelis archangeli

geli jure proprietario omnia sunt in potestate Bolonus abbas suisque successoribus omnia, que superius leguntur, sic permaneat jure proprietario de supradicto monasterio habendi, possidendi, tenendi, imperandi, laborare faciendi & usufructuandi, aut cui vos eadem pars de supradicto monasterio dederitis vel habere constitueritis, omnia, que superius leguntur..... permaneant potestatem, & quis de his omnibus, que superius leguntur, minuere aut subtrahere vel fraudare temptaverit, deleat eum omnipotens Dominus nomen ejus de libro viventium & cum justis non scribatur; fiat particeps cum Datan & Abyron, quos terra deglutivit vivos; fiant socii illorum cum Anania & Saphira, qui fraudaverunt pecuniam Domini sui; sint particeps cum Juda Scariothis, qui per cupiditatem vendidit Dominum, & sit cum illo ad infernum inferiori, & cum justis non scribantur, & sint separati de consortio & nomine justorum, & in die judicii non resurgant in memoriam illorum, & sic complacuit animo nostro & in tali ordine hanc cartulam Bernardo notario domini imperatoris scribere rogavit.

Acta hec in Luca. Feliciter.

Ugo marchio hanc cartulam offersionis sicut superius legitur, fieri rogavi.

† Sichefridus judex domini imperatoris &c.

† Johannes judex domini imperatoris &c.

† Gottifredus judex domini imperatoris &c.

† Gerardus judex domini imperatoris &c.

XLVII.

Charta emphyteusis Martini abbatis sancti Apollinaris in Classe.

Anno probabiliter 987. 29. octobris.

Ex autographo Classensi.

Ad lib. V. n. 6. .... pe in sacratissima beati petri sede secundo die vigesimo nono mense octubre indictionem quintadecima Pensauro. Petimus da vobis dom. Martinus gracia dei & abbas de monasterio sancti Apolenaris quod est erectum in civitate Classe cum cunctis presbiteris atque monachis. Uti nobis Placidus qui vocatur Buse... ... &... germano meo, & Rotilda jugale mea seo filiis & filie & nepotibus e neptenis petitionis nostre quam manibus nostris subscripsimus ... tibus roborare. Concessistis nobis rem juris & proprietatis pro dicto ipso monasterio & sitam in teritorio Pensorensis omnem medietatem in integrum de fundo Trisale, qui..... pertinentiis omnibus vestris detenere visi estis, que modo detinet Pincardo filio de Dominicus...... omnibus suis & laborandum a jure vestro abentes ipsas supradictas res una cum casis & solum.... arzeris & canalis seo vineis teris silvis salectis canetis olivetis arbustis & arboribus .... fructiferis vel infructiferis diversisque generibus agri cultum vel incultum omnem ..... medietatem de ipso fundo Trisele pertinere percurrente, sicut superius legitur una cum ingressibus ......constituto in teritorio Pensorensis, & ideo fecistis vos supradicto dom. Martino.... de suprascripto monesterio sancto Apolenaris ista cartam ensitheosis de suprascriptis terris..... suprascripto Placido & Rotilda jugale mea dedimus calciariis ipsa res, quas in territorio ......in plebe sancto Christophorius ipsa res & quantumcumque modo detinet.... & liborandum de me suprascripto Placido & de Rotilda jugale mea, qui supra in fundo mont... in logo qui dicitur Fontanella, & in logo, qui vocatur sancto Antimo abendum, tenendum..... melioramdum & ordinandum vos suprascripto dom. aba Martinus vel vestrisque subcessoribus in perpetuum ...... pensionem de omni ea persolvendum .... inde pertinet, & insuper dedimus ego suprascriptus Placidus & Rotilda jugale mea calciariis solidos treinta cum suis justis & certis in terra finibus, vel si quis.... quoque..... per peticionis cartam jura nobis concesistis a nos Placidus & Rotilda jugale mea seo filiis & filie e nepotibus e neptenis at abendum, tenendum, & intrandum liborandum & fruendum sicitatam mea ut inferere debeamus in domnici solucionibus.... item in mense marcio de ipsa suprascripta medietatem de fundo Trisale pensionem de libras decem. Unde pro majore firmitate vestra seo usq.... dominorum que omnium omnique superius atque inferius & scripta legum & inplere & observare spondimus nos suprascripti nominati petitoris quisque seo filiis & filie & nepotibus e neptenis si verum non observaverimus sicut superius judicavimus ante omnis litis inicium vel interpellationem.... pene nomine auro ebrizo libra una & vos suprascripto domnus Martinus abba monasterio suprascripto sancto Apolenaris vel vestris

vestris posterisque successoribus, & pos pene solucionem manentem.....

....ista cartula peticionis in sua . . firmitatem. Quam vero a me presente . . . . Pensorensis sub die mensis & indictionem suprascriptam Pensauro.

† Placidus in ac cartula peticionis a me facta manu mea scripsi & testes scribere rogavit.

Placidus petitore de omnia sicut superius legitur manu mea scripsi.

Johannes in ac petitionis sicut superius legitur rogatus testis ss.

. . . . os de genere duci in ac petitionis sicut superius legitur rogatus testis ss.

. . . . ello in ac petitionis, sicut superius legitur rogatus testis ss.

Johannes consul . . . .

Notitia testium idest. . . . .

. . . .

. . . .

Et ego suprascriptus tabellio cartulam scripsi complevi & obsolvi.

XLVIII.

Donatio, quam fecit Petronia monasterio Classensi sancti Severi de villa Sclovæ in territorio Foro-popiliensi.

Anno 988. 7. martii.

Ex autographo Classensi.

Ad lib. V. n. 8. † IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno Deo propitio pontificatus domini Johannis summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri apostoli Domini sede tercio die septimo mense martio indictione prima. Ravennæ. Domino sancto & merito ac ter beatissimo seu & venerabilis monasterii sancti Severi pontificis & confessoris Christi, qui est situm infra murum dudum civitatis Classis, in co nunc Deo inibi protegente donnus Bonizo gratia Dei presbiter & monachus atque abbas ipsius monasterii regule preesse videtur. Nos quidem in Christi nomine Petronia relicta quondam Johannis Lovandricus filia quondam bone memorie Apolinaris, qui vocabatur de Paoni donatrice vestra pro oblatione, & inluminatione seu pro eterna remuneratione beatissime anime mee & de quondam parentum meorum. Presens presenti salutem. Magnus doni est titulo, ubi causam largietatis nullus potest agnoscere, sed affirmamus tantum muneris sufficiat animus largientis clementia. Sancta sanctarum scripturarum nos ratio premonet, illa semper considerare atque disponere que pro animarum meritis celestis retributione & benedictione merear promerere. Credo in me sine dubio, & in evangelica ratio premonet subsequi lectionibus, ut in hoc seculo centuplum, & in futuro eterne vite beatitudinis merear esse participes. Qua de re & ego quorum supra Petronia donatrice vestra pro oblatione, & illuminatione anime mee & de quondam parentorum meorum prono animo ac spontanea voluntate nullius me penitus cogentes neque compellentes aut suadentes vel vim inferentes sed meis propriis deliberationis arbitrio dans do & dono & transfero, & in perpetuum transacto & da mea jura meoque dominium meisque liberis & heredibus alieno & transcribo seu subduco, & in jus & dominium vestrum suprascripto Bonizo presbiter & monachus atque abbas regule monasterii sancti Severi tuisque successoribus & pro te in eodem monasterio sancti Severi tuisque successoribus more salarium permanendum in perpetuum. Idest omnes res & pertinentia mea principalis in integrum quantascumque mihi pertinere in fundum qui Mumero dicitur, & in corpore massa Saviliana que vocatur Sclavo cum terris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, salectis, sationalibus, arbustis, arboribus & cum omnibus ad easdem pertinentibus, ut superius legitur, constitutas territorio Popliense plebe autem Rubta cum omnibus ad easdem pertinentibus, ut superius legitur. Eo quod supra dixit pro oblatione & illuminatione anime mee & de quondam parentorum meorum. Ut in omnibus liceat tibi a presenti die aut quandocumque volueris inibi introire & preoccupare atque ingredere ex potestatem sine ullo alicujus obstaculo vel impedimento tamquam per legitimam & meam corporalem traditionem, & per hanc paginam donationis & transfertionis a me in te facta atque traditam quamque etiam per istum meum missum nomen ejus Guterius filius quondam Dominicus Siriniosus, quoniam de meis manibus in tuis mittimus in presentia testium qui hic subter subscripturi sunt, qui vobis de suprascriptis rebus que superius leguntur corporaliter tibi tradat atque investiat in mea vice secundum quod supra legitur. Quieto tramite habeatis, teneatis, & possideatis, utendi, fruendi, & ordinandi & disponendi more salarium in perpetuum permanendum. Ita tamen ut tu suprascripto

Boni-

Bonizo presbiter, monachus atque abbas monasterii sancti Severi vel tuis successoribus mihi suprascripta Petronia diebus vite mee dare mihi debeatis omni anno de grano modium unum & de faba quartarium unum, & de sigala quartarium unum, & de vino cungias sex. In civitate Ravenne in mansione nostra plenum dominium de legibus sorciaris effectum contra quam etiam donatione me a presenti die, ut superius legitur, polliceor nunquam me in posterum vel heredes successoresque meos aliquam aliquando esse venturos non per me neque per aliquacumque opposita feticia procuratoria vestra persona, & non adeundo judicium & non supplicandum principibus neque per ecclesiasticas interpellationes aut per regalem vel per imperialem potestatem, neque pro ullo modo vel largitione contraire, quod sensus humanus arguere potest, quod absit, & auferre voluit, quod legibus cautum est, ut quod semel in sancto & venerabili monasterio donatum vel cessum fuerit, nullus revocetur. Unde pro majore firmitate hujus donationis me a presenti die, ut superius legitur pro quo juratas voces dicimus per Dominum omnipotentem sedemque sanctam apostolicam & vitam sanctorum dominorum nostrorum adtestatio confirmamus, quia daturam me esse promitto ego suprascripta Petronia relicta quondam Johannis Lovandricus filia Apolenaris, qui vocabatur de Paoni una cum meis filiis & heredibus tibi dicto domno Bonizo presbiter & monachus atque abbas monasterii sancti Severi tuisque successoribus ante omne litis initium aut interpellationem pene nomine auri obrizo uncias duas, & post pene solutionem manente hac pagina donationis transfertionis in sua firmitate. Quam vero paginam Lazarus in dei nomine tabellio hujus civitatis Ravenne scribendam rogavimus in qua & nos subtus manus nostras proprias firmavimus, testibusque a me rogatis obtulimus subscribendam, eorumque presentia eam vobis qui supra contradidimus sub die & mense & indictione suprascripta prima Ravenne.

Signum † manus mea suprascripta Petronia relicta quondam Johannis Lovandricus jam dicta donatrice & transfertrice ad omnia supradicta.

Signum † Petrus filius Petrus negotiatore huic pagine donationis transfertionis de omnibus, sicut superius legitur, rogatus testis subscripsi.

Signum † Constantinus filio Constantinus huic pagine donationis transfertionis de omnibus, sicut superius legitur, rogatus testis ss.

† Martinus filio quondam Martinus negotiatore huic pagine donationis transfertionis de omnibus, sicut superius legitur, rogatus testis subscripsi.

† Eleutherius filio quondam Dominicus huic pagine donationis transfertionis de omnibus, sicut superius legitur, rogatus testis subscripsi.

† Notitia	testium	idest
Petrus	ut supra filius	Petrus negotiator.
Constantinus	ut supra filius	Constantinus de Cupe.
Martinus	ut supra filius	Martinus neg.
Eleuterius	ut supra filius	Dominicus.
Dominicus	ut supra filius	Dominicus Siriniosus.

† Lazarus in dei nomine tabellio hujus civitatis Ravenne scriptor hujus pagine donationis transfertionis de omnibus, sicut superius legitur, post roborationem testium contradicta complevi & absolvi.

Quæ sequuntur ex apographis transcripta sunt.

Et ego Hugo dei gratia imperialis aule notarius suprascriptum instrumentum scriptum per manum Lazari Ravenne tabellionis, & autenticatum de antiquissima scriptura vidi & legi & exemplavi de verbo ad verbum nihil per fraudem addens aut minuens vel immutans, sed bona fide ac veracitate transcribens rogatu domni Almerici abbatis & domni Rodulfi prioris & aliorum fratrum sancti Severi, & collecta ratione per chronicam inveni ipsum autenticum instrumentum factum fuisse anno ab incarnatione Domini nongentesimo octogesimo octavo die septimo mensis martii indictione prima Ravenne & ipsum instrumentum auctenticum exemplavi & transcripsi, & auscultavi & autenticavi manu mea sub anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo octavo die quarto exeunte martii indictione prima Ravenne, & omnia supradicta scripsi, ut supra legitur.

† Ego Bonfilius dei gratia Rav. tabell. ad hujus exempli paginam cum authentico legendam, audiendam, & auscultandam cum quampluribus, qui subscripti sunt, tabellionibus interfui, & ideo ipsam approbando me testem subscribo sub annis Domini mill. ducentesimo vigesimo octavo tempore, quo major adheramus societatis tabellionum Ravenne die veneris VII. intrante mense aprilis indictione prima Ravenne.

† Ego Misius dei gratia Rav. tabellio videns

videns & legens autenticum in hoc exemplo &c. anno Domini M. CC. XXVIII. die veneris VII. intrante mense aprilis indict. prima Rav.

† Ego Paulus Dei gra. rav. tabell. videns & legens autenticum in hoc exemplo &c. anno Domini M. CC. XXVIII. die vener. intr. mens. april. indict. prima Rav.

† Ego Johannes Dei gratia ab imperiali culmine constitutus seu Rav. tabellio & nunc communis Rav. notarius videns & legens autenticum in hoc exemplo &c. anno a Nativ. Dom. M.CC.XXVIII. die veneris septimo intrante mense aprilis indict. prima Ravenne.

† Ego Garottolus Dei gratia Rav. ac Romanæ coronæ notarius videns & legens autenticum in hoc exemplo scripsi sub anno Domini millesimo CC. XXVIII. die VII. intrante mense aprilis indictione prima in Palatio Communis Ravenne.

† Ego Guido Dei gratia imperialis notarius & Rav. tabellio videns & legens autenticum hoc exemplo subscripsi sub anno Domini M. CC. XXVIII. tempore imperante vero domino Friderico die veneris VII. intrante mense april. indictione prima Rav.

† Et ego Poppus Dei gratia Imperialis aule notarius videns, legens & auscultans hoc exemplum cum authentico reviso nihil videns mutatum nisi forsan punctum metulam vel sillabam subscripsi sub annis Domini M. CC. XXVIII. die veneris VII. intrantis aprilis indictione prima Ravenne.

XLIX.

Donatio Constantiæ nobilissimæ feminæ Johanni abbati sancti Gregorii de Urbe.

Anno *992. 26.* aprilis.

Ex codice monasterii sancti Gregorii p. CC. XXIII.

Ad lib. V. n. 16. IN nomine Domini Dei salvatoris nostri Jesu Christi. Anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis & universalis quintidecimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli sexto indictione quinta mense aprilis die vigesimo sexto. Quoniam certum est me Constantia nobilissima femina jugalium consentiente in hoc mihi Johanne illustrem virum viro meo a presente die dono, cedo, trado & largior, simulque offero sub usufructu dierum vite mee nullo mihi cogente vel contradicentem aut vim facientem, sed propria & spontaneaque mea voluntate vobis domno Johanni Christi famulus presbiter & monachus atque abbas venerabilis monasterii sancti Andree apostoli & sancti Gregorii, qui vocatur Clivusscauri tuisque successoribus in perpetuum pro omnipotentis Dei amore & salute anime mee & meorum veniam delictorum, simulque & pro vestris sacris sanctis orationibus, quas die noctuque agere non cessatis, ut aliquantulum invenire veniam merear, & inde dono vobis, id est omnem portionem meam in inde de casale, qui appellatur Moreni, cum portione de terris sementaritiis, campis, pratis, pascuis, silvis, scoropetis, cultum vel incultum, & cum omnibus ad ipsam portionem meam in inde pertinentibus positis foris portam sancti Johannis miliario ab urbe Roma plus minus in predicto loco, qui vocatur Moreni, inter consortes aliarum portionum de germanis meis. Item & concedo vobis omnem portionem meam de filum saline in inde cum introitu & exitu suo in commune, & cum omnibus ad ipsam portionem pertinentibus situm foris portam Portuensem in campo majore in pedica, qui vocatur Vetar, inter consortes aliarum portionum juris, cui existens, sicuti mihi evenit ex hereditaria quondam parentum meorum, & nunc meis detineo manibus, ita tibi tuisque successoribus concedo & largior in perpetuum, pro qua etiam suprascripta portionis mee de curte, qui vocatur Morreni, sive filum Saline in inde, & cum omnibus eorum pertinentiis, ut supra legitur, a presenti die concedo vobis, ut dictum est, pro salute anime mee: item & pro vestris sacris sanctis orationibus, quas pro salute omnium Christianorum agere non cessatis: & quia si vobis carnalia concedimus spiritualia recipere expectamus, a presenti die habeatis, teneatis, possideatis vestro jure vendicetis ac defendatis & in perpetuum habeatis, & non sit vobis neque vestris successoribus licentia suprascriptas res neque vendere, neque donare, vel pro quovis modis ab ipso monasterio auferre vel alienare, sed omni tempore in usu & salario existat in perpetuum, & numquam a me neque ab heredibus meis, aut a me submissa magna parvaque persona, contra vobis vestrisque successoribus aliquam aliquando habebitis questionem aut calumpniam, sed in omni tempore ab omni homine

in omni loco ubi vobis vestrisque successoribus necesse fuerit stare me una cum heredibus meis & defendere promitto vobis, vestrisque successoribus. In qua & juratus dico per Deum omnipotentem sancteque sedis apostolice domni Johannis sanctissimi pape hec omnia, que hujus a die presentis donationis cartula usufructuaria seriem textus eloquitur inviolabiliter conservare atque adimplere promitto. Nam quod absit, & si post meum discessum quelibet de filiis ve filiabus meis, sive de germanis & consanguineis meis quamlibet contentionem aut requisitionem fecerit contra vobis vestrisque succesſoribus, aut contra hanc cartulam, quam sponte fieri rogavi, ut sicuti ego ordinavi, ita agere & perficere non dimiserint, tunc componant in suprascripto monasterio auri ebritias libram unam, & post soluta pena hec cartula in suam maneat firmitatem perpetualiter, quam scribendam rogavi Leonem scriniarium sancte Romane ecclesie in mense & indictione suprascripta quinta.

† Johannes dux in hanc a die presentis donationis cartula usufructuaria de suprascripta omnia, ut supra legitur, consensi, & manu propria subscripsi.

Signum † manu suprascripta Constantia nobilissima femina & rogatrice, qui supra Leonis.

† Johannes gratia Domini dativus judex.

† Leo Dei pietate prothoscriniarius sancte sedis apostolice.

† Udelberco, qui vocatur Lupizzo.

† Leo filio de Honizo Cabal...

† Petrus, qui vocatur Falcainaro.

Ego Leo Leonis scriniarius sancte Romane ecclesie, qui suprascriptor hujus cartule post testium subscriptiones & traditiones factas complevi & absolvi.

L.

Gregorio presbytero locantur bona ab eodem Johanne abbate.

Anno 992. I. Julii.

Ex eodem codice pag. CC. XXIV.

Ad lib. V. n. 16. IN nomine Domini Dei salvatoris Jesu Christi. Anno Deo propitio domni nostri Johannis summi pontificis & universalis quintidecimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli septimo indictione quinta mense julio die prima. Quisquis actionibus venerabilium locorum preesse dinoscitur incunctanter, ut utilitatibus proficiat, cum summa diligentia procurare festinet: placuit igitur cum Christi auxilio, atque convenit inter Johanne religioso presbytero & monaco atque coangelico abbate venerabilis monasterii sancti Andree apostoli & sancti Gregorii confesſoris Christi, qui appellatur Clivusscauri, in hoc cum eo consentiente cunctas catervas monacorum presbyterorum ejusdem venerabilis monasterii, & ex diverso Gregorius religioso presbitero & disertus medicus, ut cum Domini adjutorio suscipere debeat a suprascripto Johanne religioso presbitero & monaco atque abbate, vel a cuncta caterva presbiterorum monacorum ejusdem venerabilis monasterii sibi consentientium, sicut & ..... suprascripto Gregorio religioso presbitero & discretus medicus conductionis prefati monasterii: id est eam videlicet portionem, qua Constantia bone memorie olim filia Stephani, qui cognominabatur de Imizza, quem idem prefata Constantia in prefato monasterio pro sue anime indulgentiam dimissam largiri, sicut est portionem in inde, videlicet casale qui vocatur Moreni, in quo sunt terris sementaritiis, campis, pascuis, silvis, salectis, arboribus pomiferis, fructiferis vel infructiferis, diversi generis scorzopetis, cryptis, edificiis, parietinis adjunctis adjacentibusque suis, cultum vel incultum, vacuum & plenum, & cum introitu & exitu suo, & cum omnibus ad eas pertinentibus positis patrimonio Appia territorio Albanensi, miliario ab urbe Roma plus minus decimo juxta curtem Moreni, & inter affines a duobus lateribus casale de Ildibrando & Stefanus illustrissimis viris & germanis fratribus, a tertio latere casale de Sergio, qui dicitur de Palatio, & a quarto latere terra & silva de prefato monasterio, qui vocatur Tribus columpnis juris suprascripti vestri monasterii, itaut suo studio, suorumque labore portionem in inde de casale, qui vocatur Moreni, & omnia sua pertinentia, ut supra continet, jam sepius nominatus Gregorius presbiter & medicus in omnibus tenere & possidere debeant, & ad meliorem faciendum Deo juvante ad cultum perducat, ipso, succesſoresque suos profuturum usque in tertium gradum, tertium heredem, tertiam personam, tertiam generationem hoc ipso suprascripto filios here-

re-

redes nepotesque, succeſsoresque suos ex filiis legitimis procreatis: quod si vero filiis .... minime fuerint, unam etiam extraneam personam, cui voluerit relinquendi habeat licentiam, excepto piis locis vel publicis numero militum seu bando: reservata dumtaxat in omnibus proprietate suprascripti venerabilis monasterii, pro quibus nempe suprascripta portione de casale, qui vocatur Moreni, qui fuerat de Constantia bone memorie, in quo sunt terris sementaritiis, campis, pascuis & silvis, salectis, arboribus pomiferis, fructiferis, infructiferis, diversi generis scoropetis, criptis, edificiis, parietinis adjunctis adjacentibusque suis, cultum vel incultum, vacuum & plenum, cum introitu & exitu suo, & cum omnibus, ut supra legitur, dare atque inferre debeant suprascripto Gregorio religioso presbitero & medicus heredes succesoresque suos rationibus in suprascripto monasterio singulis quibusve annis sine aliqua mora vel dilatione pensionis nomine denarios argento monetatos quales pro tempus incapoierit nummos quinque. Completa vero suprascripta tertia generatione, ut supra legitur, tunc suprascripta portio de casale, qui vocatur Moreni, cum omnibus suis pertinentiis, sicut supra per ordinem scripta est, sicut fuerit melioratas ad jus suprascripto monasterio, cujus & est proprietas, modis omnibus revertatur, ut quisquis ejusdem curam gesserit eorum locanda, quibus maluerit, liberam habeat sine aliqua ambiguitate licentiam, de qua re & de quibus omnibus jurantes dicunt utreque partes per Deum omnipotentem, sancteque sedis apostolice domni Johannis sanctissimi quintidecimi pape: hec omnia, que hujus pactis conventionisque cartule seriem textus eloquitur, inviolabiliter conservare atque adimplere promitto, quod si quisquam eorum contra hujus cartule conventionisque seriem in toto partemve, & per quovis modis venire temptaverit: tunc dicta pars non solum perjurii reatum incurrat, verum etiam daturum se succesoresque suos promittant pars contrarie partis fidem servantis ante omne litis initium pene nomine auri optimi libram unam, & post penam absolutionis manentem hanc cartulam placitis seriem in suam nihilominus maneat firmitatem. Has autem duas uniformes uno tenore conscriptas mihi Johanni scriniario sancte Romane ecclesie scribendas pariter dictaverunt, easque propriis manibus roboratas testibus ad se rogatis obtulerunt scribendas, & sibi invicem tradiderunt stipulatas & sponsione solemniptate interpositas. Actum Rome die anno pontificatu & .... & in mense & indictione suprascripta quinta.

† Gregorius presbiter & medicus.
† Leo Scazabrone.
† Andrea.
† Leo de Sergio muto.
† Wido exiguus pictor.
† Leo filio Calojanni.

Ego Johannes scriniarius sancte Romane ecclesie, qui suprascriptor hujus cartule post testium subscriptiones & traditiones factas complevi & absolvi.

L I.

Petitio ejusdem Gregorii pro altera locatione.

Iisdem anno & die.

Ex eodem codice p. CC. XXVI.

IN nomine Domini Dei salvatoris Jesu Christi. A vobis peto domno Johanne religioso presbitero & monaco atque coangelico abbate venerabilis monasterii sancti Andree apostoli & sancti Gregorii confessoris Christi, qui appellatur Clivusscauri, seu & a cuncta caterva presbiterorum monacorum Dei ejusdem venerabilis monasterii sibi consentiente, uti mihi Gregorius religioso presbitero & disertus medicus, heredes successoresque meos licentiam habeamus ad supplendum inferius conscriptos annos, quatinus cum Christi auxilio committere jubeatis libellario nomine: id est eam videlicet portionem, que fuit de Constantia bone memorie olim filia Stephani, qui cognominatur de Imiza, quem idem ipsa prefata Constantia in prefato monasterio pro sue anime indulgentia dimissa largiri, sicuti est portio in inde, videlicet casale, qui vocatur Moreni, in quo sunt terris sementaritiis, campis, pascuis & silvis, salectis, arboribus pomiferis, fructiferis, diversi generis scoropetis, criptis, edificiis, parietinis adjunctis adjacentibusque suis, cultum & incultum, vacuum & plenum, cum introitu & exitu suo, & cum omnibus ad eas pertinentibus positis patrimonio Appie territorio Albanensi miliario ab urbe Roma plus minus decimo juxta curtem Moreni, & inter affines a duobus lateribus casale, quod & Ildebrandus & Stefanus illustrissimi viri & germanis fra- Ad lib. V. n. 16

tribus, & a tertio latere de Sergio, qui vocatur de Palatio, & a quarto latere terra & silva de prefato monasterio, qui vocatur Tribus columpnas, sicut est affines lapideo, qui dividit inter ipsam portionem & prefato casale, qui vocatur Tribus columpnas juris vestri dominii ...... prefati dominii, ad tenendum, colendum, meliorandumque in omnibus a die kalendarum juliarum presenti quinta indictione, & usque in pridias kalendas easdem, videlicet in annos viginti & novem complendum & removendum gratis omni tempore, quia nunc a quibus vos mihi precepistis proinde de proprio nostro vobis tribuimus argenti libras sex bonas optimas, justoque pesante, sibique placabiles, ita sane ut prestet exinde rationibus pars nostra vestrisque partis suprascripti dominii & vestri monasterii singulis quibusque annis sine aliqua mora vel dilatione pensionis nomine denarios argenteos monetatos quales per tempore incapoierit numis quinque &c. Si qua vero pars contra fides eorum libellorum venire temptaverit, det pars infidelis partis fidem servantis ante omne litis initium pene nomine auri optimi libram unam: & post penam absolutionis remanente, hos libellos seriem in suam nihilominus maneat firmitatem: unde peto, ut unum ex duobus libellis uno tenore conscriptos per manum Johannis scriniarii sancte Romane ecclesie una cum vestra roboratione nobis contradere dignetis, ut dum consecuti fuerimus, agamus Deo & vobis maximas gratias. Anno Deo propitio pontificatu domni Johannis sanctissimi quintidecimi pape sedente anno septimo in mense & indictione suprascripta quinta.

Johannes Domini gratia humilis abbas huic libello a se facto manu propria subscripsi.

† Benedictus presbiter & monacus huic libello cartule consensi, & manu propria subscripsi.

† Rodolfus presbiter & monacus huic libello cartule consensi & manu propria subscripsi.

† Wido exiguus pictor testis.

† Leo Scazabrone testis.

✠ Andrea cognato Stefano de Augusto testis.

† Leo filio Calojannis monopodi testis.

† Leo de Sergio muto teste.

Ego Johannes scriniarius sancte Romane ecclesie, qui suprascriptor hujus cartule per testium subscriptionem & traditionem factam complevi & absolvi.

LII.

Charta emphyteusis bonorum monasterii seu capellæ SS. Marci, Marcelli & Feliculæ juxta parietem abbatiæ Classensis.

Anno 992. 3. septembris.

Ex autographo chartarii archiepiscopatus Ravennatis capf. G. n. 2916.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno Deo propitio pontificatus domni Johannis sumi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri sede septimo die tertio mensis septembris indictione quinta Ravenne. Johannes servus servorum Dei sancte Ravennatis ecclesie divina gratia archiepiscopus. Uti nobis Savino sitque Leo de Urso germano, Dominico de Anarea, Martino, qui vocatur de Fossa Ursaria seu filiis nostris libellario nomine concedistis nobis rem juris monasterii vestri sanctorum Marci, Marcelli seu Felicule scitum juxta parietem sancti Apollinaris in Classe, quod vestris detinetis manibus, idest omnes sortes & pensiones quantascumque a manibus notris tenere & laborare videmur juris monasterii vestri in fundo Fosa Ursaria, & in Roncadelle, & in Casasa majore, & Vinee majoris cum vineis, terris, campis, pratis, pascuis, silvis, salectis, sacionalibus, & cum omnibus eisdem pertinentibus constitutis territorio Liviense plebe sancti Martini in Bariscani una cum suis justis & certis in terra finibus. Hec omnia habendum, tenendum, cultandum, pastinandum, supersedendum, defensandum & meliorandum in annis advenientibus viginti & novem ad renovandum salva sanatione domus dandum. Ita sane, ut inferamus domus rationibus vobis vestrisque successoribus, hoc est terraticum de omni labore majore medium quintum, minuto modium sextum, lino mannam sextam, vino amphoram tertiam, arbore secta ponciam duas vices, pizolo semel inciso postea sit nobis col.. cesso exenium vero per unumquemque annum, grano ariale quartarium unum, pullum unum deductum .... labore de vino seu de lino unum cum ipso exenio usque hic civitatem Ravenne in domo vestra majorem quidem domum vestram, adque vestra

Ad lib. V. n. 16.

vestra dominatione cum honore & hobedientia suscipere debeamus, susceptionem eis facere, & brachium canapis solvere, de vino cungium unum sine fraude adque dolo. Et qualis ex nobis petitoribus unus super alium de ipsa re insurserit adque cumrumperit, sit compositurus solidos viginti. Si quis vero pars inde contra hunc libellum ire temptaverimus ante pene finitum tempus, sicut superius legitur, de parte partis fidem servantis ante omnem litis initium, aut interpellationem pene nomine auri uncias duas, & post pene solucionem maneat hic libellus in sua firmitate, quem vero libellum uno tinore conscriptum Deusdedit notarius sancte nostre Ravennatis ecclesie scribendum rogavimus, in qua nos signum sancte crucis fecimus sub die mensis, & indictione suprascripta quinta. Ravenne.

††† Signum †††† manus Savino & Leonis & Ursonis germani & Martini cum aliis.

LIII.

Donatio bonorum facta ab Hugone duce & marchione Thusciæ abbatiæ Vangaticiensi.

Anno 993. IV. kal. junii.

Ex veteribus authenticis Vangaticiensibus.

Ad lib. V. n. 17. IN nomine Domini nostri Jesu Christi anno ab ejus incarnatione nongentesimo nonagesimo tertio IIII. kalendas junii indictione sexta. Divine gratie munere & superne virtutis auxilio a faucibus demoniace potestatis eripuit nos misericors Dominus & eterne patrie gaudiis faciens coheredes, sedulis amonitionibus crebrisque nos preceptis informat: unde est illud: Venite ad me omnes, qui laboratis & honerati estis, & ego vos requiescere faciam. Et ne quis de via ad eum perveniendi, vel qualiter ab eo recipiendi esset facultas, dubitaret, quod promisit, ipse certam ostendit formam cum dixit: Dimittite & dimittetur vobis; date & dabitur vobis. Idem tamen hoc quod docuit, ne segniter quis ageret, hortatur ipse alibi cum dixit: Vigilate, quia nescitis diem neque horam. Hanc scilicet vocem locutionis debemus frequentissime meditari, quatenus semper pre oculis mentis habeatur. Oportet denique singulos, qui se omnipotentis Dei misericordia hujusmodi divitias, vel quibuscumque temporalibus adjumentis consolatos ex his, qua accepit ab eo quantumlibet, illi cum gratiarum actione conferre, a quo sibi noscit cuncta que habet, esse concessa, & regnum Dei tantum valet, quantum habet. Quod ut credi posset, Dominicis instruimur documentis, quia muliere duo minuta devote offerente plus ceteris Salvator asseruit obtulisse. Unde ego in Dei nomine Ugo gratia Dei gloriosus dux, & marchio filius bone memorie Uberti, qui fuit item marchio, obtumum duxi pro anime mee remedio, & pro remedio anime predicti quondam Uberti genitoris mei, seu pro remedio anime Guille genitricis mee, seu pro remedio omnium parentum meorum ordinare & confirmare per hanc paginam offersionis videor in te Martine abbatem, idest ecclesia Dei & beate Marie virginis, que est juris proprietatis mee, posita in loco & fine, ubi dicitur in capite de flumine Veclo, dare & tradere ad monasterium ibidem faciendum & construendum seu edificandum, & regulam ibi secundum doctrinam beati Benedicti abbatis tenendum jam dictam ecclesiam sancte Marie tradidit atque offeruit. Ecclesiam vero ipsam cum omnibus predictis casis & rebus, sicut superius legitur, ad predictam ecclesiam pertinentibus cum fundamentis & edificiis vel universi fabricis suis, seu curtis, horturas, terris, vineis, olivetis, castanetis, quercetis, silvis, virgaretis, pratis, pascuis, cultis rebus vel incultis, venationibus seu piscationibus, omni & ex omnibus in integrum quantas ad predictam ecclesiam sancte Marie predictus Amelrigo marchio offeruit seu tradidit, cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & gressuras suas, tibi quidem suprascripto Martino abbati, posterisque successoribus suis, monasterium faciendum & construendum seu edificandum pro anime mee remedio dare & tradere videor. Itaut ab hac die in antea tibi quidem supradicto Martino abbati, posterisque successoribus tuis predictam ecclesiam cum predictis rebus, sicut superius legitur, sumere liceat potestatem habendi, tenendi, imperandi, gubernandi, laborare faciendi, & usufructuandi, & in ipsa Dei ecclesia sancte Marie per vos, aut vestram dispositionem officiandi & luminaria atque incensum & Missarum seu psalmorum debita die noctuque ibi canere seu facere, & pro

pro me & pro parentibus meis ibidem orare debeatis. Et si ego, aut quicumque de heredibus meis aliquo tempore supradictas res ad supradictam ecclesiam pertinenagere, aut causare, vel intentionare, seu minuere, aut retollere, vel subtrahere, aut contradicere per quodlibet ingenium presumpserit, tunc sciat se compositurus ipsi quibus facere presumpserit penam aurum obtumum libras centum. Et si fuerit ullus homo post meum obitum & decessum masculus vel femina, aut ulla potestas predictas res predicte ecclesie monasterio sunt attinentes, aut in antea ibidem pertinentes fuerint, subtrahere vel alienare sive pro beneficio aut quacumque traditione, sive occasione tollere, vel minuere, aut molestare quocumque ingenio presumpserit, tunc sit ille maledictus a Deo patre omnipotente, filio & spiritu sancto, & a trecentis decem & octo sanctis patribus, qui legem Dei constituerunt, & ab omnibus sanctis. Habeat partem simul cum Juda traditore, & deglutiat eos terra, sicut deglutivit Dathan & Abiron: quia sic complacuit animo meo, quia in tali ordine hanc cartulam offersionis & traditionis Johannem notarium domni imperatoris scribere rogavi.

Actum Pisa. Feliciter.

Ugo marchio subscripsi.

Signum domni Amadei & Teuderici seu Acilini lege viventes Salica testes.

Leo judex domni imperatoris subscripsi.

Ego Conradus testis subscripsi.

Ego Gosbertus rogatus testis subscripsi.

Ego Lambertus rogatus testis subscripsi.

Ego Johannes notarius domni imperatoris hanc cartulam offersionis post traditam complevi & dedi.

LIV.

Conventio inter Johannem abbatem sancti Gregorii de Urbe, & inter Ildebrandum & Stephanum fratres pro castello noviter ædificando.

Anno 994. 24. martii.

Ex codice Gregoriani monasterii p. CC. XXVI.

Ad lib. V. n. 23. IN nomine Domini Dei Salvatoris Jhesu Christi. Anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis & universalis quintidecimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli nono indictione septima mense martio die vicesima. Quisquis actionibus venerabilium locorum preesse dinoscitur incumctanter, ut eorum utilitatibus proficiat, cum summa diligentia procurare festinet, placuit cum Christi auxilio, atque convenit inter Johannem humili religioso presbitero, monaco atque abbate venerabilis monasterii sanctorum Andree & Gregorii confessoris, qui appellatur Clivusscauri, presente & consentiente in hoc sibi cuncta congregatione monachorum Dei fratrum eidem venerabili monasterio, & e diverso Ilibrando seu Stefano illustrissimis germanis fratribus, ut cum Domini adjutorio suscipere debeant a suprascripto Johanne humili ac religioso presbitero & monaco atque abbate de suprascripto venerabili monasterio vel cuncta sua congregatione sibi consentiente, sicut suscepit conductionis monasterii: id est octo in inde untie de monumentum & de cortivum subtus se, sicut muratum est ad castellum noviter edificandum & conciandum, & a manu .... kaudum cum octo in inde untie de casale in inde, sicuti fuit de Stefano quondam uom... qui vocatur de Imizza genitore vestro, & cum omnibus ad suprascriptum monumentum vel casale pertinentibus positis foris portam Appiam miliario ab urbe Roma plus minus .... in loco qui vocatur Mandra Camellaria inter consortes aliarum partiarum, ita ipsorum studio, eorumque labore suprascriptis octo in inde untiis de monumentum ad castellum edificandum, & octo in inde untie de casale & cum omnibus ad eos pertinentibus, ut supra legitur, in omnibus tenere & possidere debeant, & ad meliorem faciendum Domino juvante cultum perducant ipsi heredesque ipsorum profuturum usque in tertium gradum, tertiam personam, tertiam generationem, hoc est ipsi seu alii filii legitimi procreati, quod si vero filii aut nepotes minime fuerint, uni etiam exteranee persone, cui voluerint, relinquendi habeatis licentiam, excepto piis locis vel publicum numero militum, seu bando, servata dumtaxat in omnibus proprietate, pro quam etiam suprascriptis octo in inde untie de monumentum prope castellum, seu etiam octo in inde untie de casale, & cum omnibus ad se pertinentibus, ut superius legitur, dare atque inferre debeant suprascripto Ildebrando seu Stefano illustrissimi viri heredesque ipsorum rationibus in suprascripto

pto monasterio singulis quibusque annis sine aliqua mora vel dilatione pensionis nomine in vigilia sancti Andree sextario de oleo numero novos, que per tempora jerunt .... completa vero tertia generatione, ut supra legitur, hanc suprascripte in inde octo untie de monumentum prope castellum, & octo in inde untie de casale in inde, & cum omni sua melioratione ad jus redeant in suprascripto monasterio ven..... modis omnibus revertatur, ut quidquid ejusdem venerabilis monasterii curam gesserint iterum locandi, quibus maluerint, liberam habeant sine aliqua ambiguitate licentiam, de qua re, & de quibus omnibus suprascriptis jurantes dicunt utrasque partes per Deum omnipotentem sancteque sedis apostolice, hec omnia, que hujus placiti conventionis cartula seriem textus eloquitur, inviolabiliter conservare atque adimplere promitto, quod si quisquam eorum contra hujus placiti conventionis cartula seriem in totum partem vel quolibet modo venire temptaverit, det pars infidelis parti fidem servanti ante omne litis initium pene nomine auri purissimi libram unam, & post penam absolutionis manente hanc placiti cartulam in suam maneat firmitatem. Has autem duo uniformes uno tenore conseriptas per manum Petrus scriniarius sancte Romane ecclesie scribendam pariter dictaverunt, easque propriis manibus roborantes sub stipulatione, sponsione, sollempnitate interpositis. Actum Rome die anno pontificatu in mense & indictione suprascripta septima.

† Ildaprando illustrissimo viro.
† Stefanus indignus monacus.
† Crescentius.
† Georgius.
† Franco.

Ego Petrus scriniarius sancte Romane ecclesie, qui suprascriptor hujus cartule post testium subscriptiones & traditiones factas complevi & absolvi.

L V.

Donatio domus intra civitatem Leonianam eidem facta a Maria Rosa & a Petro.

Anno 994. julii.

Ex eodem codice p. CC. LXIX.

Ad lib. V. n. 23. IN nomine Domini Salvatoris Jhesu Christi. Anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis & universalis quintidecimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli nono indictione septima mense julio die quintadecima. Quoniam certum est nos Maria femina, que vocatur Rosa, seu Petrus vir genitore suo a presenti die sub usufructu dierum vite nostre donamus, cedimus, tradimus & largimur simulque offerimus nullo nobis cogente, neque contradicente aut vim faciente, sed propria & spontaneaque nostre voluntatis vobis Johannes humilis abbas venerabilis monasterii sancti Andree apostoli & sancti Gregorii, qui appellatur Clivusscauri, tuisque successoribus in perpetuum pro omnipotentis Dei amore & redemptione anime nostre & nostrorum omnium veniam delictorum, simulque & pro vestris sacris sanctisque orationibus, quas die noctuque agere non cessatis: & ideo a die presentis sub usufructuum dierum vite nostre donamus: idest domum terraneam scandalitia cartagnivea in inde cum inferiora & superiora sua a solo usque ad summo alto cum introytu & exitu suo a via publica & cum omnibus ad eam pertinentibus positis intro civitate nova, que vocatur Leoniana, juxta sanctum Martinum, inter affines domus ab uno latere domus de Petro & de Marco, a secundo latere domus de monasterio sancti Sylvestri, a tertio latere terra vacan.. de Johannes, qui vocatur Furella, a quarto latere via publica, juris, cui existit, sicut nobis evenit per nostrum conquisitum, ita tibi tuisque successoribus concedimus & largimur sub eo tenore, & si unum ante alium de nobis de hoc seculo migraverit, ille qui supervixerit, habeat vita sua diebus, hanc a die presentis donationis cartulam tibi contradidi, pro quam etiam suprascriptam domum terraneam scandalitia in inde cum introitu & exitu suo a via publica & cum omnibus ad eam pertinentibus, ut supra legitur, a presenti enim die largior tibi pro tuis sacris sanctis orationibus, & quia si carnalia vobis concedo, spiritualia a vobis recipere expectamus, a presenti die habeatis, teneatis, possideatis vestro jure vindices ac defendas venundari, commutare vel quicquid exinde facere sive peragere volueritis, in tuam tuisque successoribus sit potestatem, & numquam a nobis, neque ab heredibus nostris, aut a nobis submissa magna parvaque persona contra tibi tuisque successoribus aliquam aliquando habebitis questionem aut calumpniam, sed in omni tempore ab omni

omni homine, in omni loco ubi tibi tuisque successoribus necesse fuerit, stare nos una cum heredibus nostris ad defendere promittimus tibi tuisque successoribus, in qua & juratus diximus per Dominum omnipotentem sanctæque sedis apostolice domni Johannis sanctissimi pape hec omnia, que hujus cessionis donationis cartula seriem textus eloquitur inviolabiliter conservare atque adimplere promittimus. Nam quod absit, & quove tempore nos vel heredes nostri contra tibi tuisque successoribus aut contra hanc donationis cartulam, quam sponte fieri rogamus, agere aut causare vel litigare presumpsero per quemvis modum ingenii, tunc non solum perjurii reatum incurrat, verum daturi nos promittimus una cum heredibus nostris tibi tuisque successoribus ante omne litis initium pene nomine auri untias duas ebritias, & post solutam penam hanc donationis in sua maneat firmitate, quam scribendam rogavimus Benedictum scriniarium sancte Romane ecclesie in mense & indictione supradicta septima.

Signum †† manu suprascripta Maria, que vocatur Rosa, atque Petrus atque donatoris, que supra.

† Benedictus nobili viro filio de Benedictus, qui vocatur Paze.

† Martino sito de cubicello Dominico.

Leo, qui dicitur Paze.

Ego Benedictus scriniarius sancte Romane ecclesie, qui supra scriptor hujus cartule post testium subscriptiones factas complevi & absolvi.

LVI.

Donatio, venditio & permutatio Constantiæ nobilissimæ feminæ facta eidem Johanni abbati.

Anno 995. I. januarii.

Ex eodem codice p. LIII.

Ad lib. V. n. 25. IN nomine Domini Dei salvatoris Jesu Christi. Anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis & universalis quintodecimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli decimo indictione nona mense januarii die prima. Quotiens affuerit ad commutationum tantum firmitate substat, quantum legum ratione venditionis forma testatur: & ideo quoniam certum est me Constantiam nobilissimam feminam jugalem filiam, que dicitur Franco, seu Theodoram, que dicitur jugalem, una per consensum & voluntatem de Duello nobili viro & viro meo hac die cessisse & cessi atque tradidi, necnon & commutari nullo me penitus cogente, neque contradicente aut vim faciente, sed propria spontaneaque mea voluntate vobis domno Johanni viro venerabili & presbitero & monaco atque pro divina protegente clementia coangelico abbati venerabilis monasterii sanctorum Andree atque Gregorii, qui dicitur Clivusscauri, & per te namque in tota congregatione presbiterorum & monacorum de subscripto monasterio vestrisque successoribus, & cui vobis largiri & concedere placuerit, id est sex in inde untias, que est medietas mea de casale, quod vocatur Casanobula, cum sex untiis de terris sementaritiis, & sex untiis de pratis, cum silvis, salectis, arboribus pomiferis, fructiferis vel infructiferis diversi generis, puteis, fontibus, & rivis aque perennis, edificiis, criptis & parietinis, arenariis, contiguis, adjunctis, adjacentibusque suis montibus & collibus, cultum vel incultum, vacuum & plenum, & cum omnibus ad eam pertinentibus positis foris portam beati Petri apostoli, miliario ab urbe Roma plus minus octavo in locum, qui vocatur Mola rupta, quod est inter affines a tribus lateribus casale de suprascripto monasterio, & a quarto latere casale, quod fuit de Sergio, qui dicebatur Micino, juris cujus existit, quomodo mihi evenit per hereditatem parentum meorum, ita tibi eas concedo & committo: unde & hanc cessionis & commutationis cartulam tibi contradidi, pro qua & nostra medietate, que est sex in inde untiarum de casale, quod vocatur Casanobula, cum sex untiis de terris sementaritiis, & sex untiis de prato cum silvis, salectis, arboribus pomiferis, fructiferis vel infructiferis diversi generis, puteis, fontibus & rivis aque perhennis, edificiis, criptis, & parietinis, arenariis contiguis, adjunctis, adjacentibusque suis, cultum vel incultum, vacuum & plenum, ut supra legitur, ac hujus vicem recompensationis recepi a suprascripto monasterio in inde medietatem de casalibus duobus, uno quod vocatur Flangini, quod & Campi nominatur, alio vero quod vocatur Forani cum eorum pertinentiis de presenti introeundi, utendi, fruendi, possidendi, vendendi, donandi, commutandi, vel quicquid ex inde facere sive peragere volueris, in

tua

tua tuorumque successorum sit potestate, & numquam a me neque ab heredibus meis, aut a submissa magna parvaque persona aliquam aliquando habebitis questionem aut calumpniam, etiam si tibi tuisque successoribus necesse fuerit stare me una cum heredibus meis & defendere promitto ab omni homine in omni tempore, in quo & juratus dico per Deum omnipotentem sancteque sedis apostolice, seu salutem viri beatissimi & apostolici domni Johannis sanctissimi quintidecimi pape. Hec omnia, que hujus cessionis commutationis cartule series textus eloquitur, inviolabiliter conservare atque adimplere promitto. Si namque quod absit & quoquo tempore ego vel heredes mei contra te tuosque successores, aut contra hanc cessionis commutationis cartulam, quam sponte fieri rogavi, agere aut causare presumpsero per cujusvismodi ingenium quod sensum humanum intelligere vel capere potest, tunc non solum perjurii reatum incurram, verumetiam daturam me promitto una cum heredibus meis, tibi tuisque successoribus ante omne litis initium pene nominis auri libras duas purissimi, & post solutam penam hujus cartule series in suam nihilominus maneat firmitatem, scribendam rogavi Benedictum scriniarium sancte Romane ecclesie, in qua & ego subtus signum sancte Crucis feci in mense & indictione suprascripta nona.

Signum † manu suprascripte Constantie nobilissime femine jugalis & venditricis.

† Johannes ṽro vocor testis.

† Johannes nobili viro, qui vocor testis.

† Caro nobili viro testis.

† Johannes de Copia testis.

† Arnolfo ṽh testis.

† Teuzo de Calasia testis.

Ego Benedictus exiguus scriniarius sancte Romane ecclesie scriptor hujus cartule post testium subscriptiones complevi & absolvi.

LVII.

Donatio Hugonis marchionis facta abbatiæ Vangaticiensi.

Anno 996. VI. kl. januarii.

Ex tabulario Vangaticiensi.

Ad lib. V. n. 29. IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejusdem DCCCC. XCVI. sexto kalendas * januarii indictione VIII. Divine gratie munere &c. (*ut supra in altera anni 995.*) Unde ego in Dei nomine Ugo marchio lege vivente Salica filio bone memorie Uberti, qui fuit marchio & Saligo, optimum duxi pro anime mee remedio offerre Deo & ecclesie & monasterio beate sancte Marie semper virginis quæ est constructa in loco qui dicitur Vangadicia, idest casis & curtis seu rebus meis illis. Ipsa casa & curte domnicata cum castello & ecclesia inibi consistente, quam habeo in loco & finibus, ubi dicitur Merlaria, cum mni sua jurisdictione; & illa secunda casa & curte illa domnicata cum castello & ecclesia inibi consistente, quam habeo in loco & finibus, ubi dicitur Montagnana, una cum omni sua pertinentia; & illa tertia casa & curte illa domnicata cum castello & ecclesia seu ripis & porticis inibi consistenti, quam habeo in loco & finibus Lendenarie. Quarta casa & curte illa domnicata cum castello & ecclesia inibi consistenti, quam habeo in loco Manigio & cum omnibus suis pertinentiis, sive cum omnibus casis & rebus tam domnicatis quam etiam massaritiis ejusdem curtis, & castellis sive & ecclesiis sibi pertinentibus cum integris omnibus casis & rebus meis illis quas habeo in loco & finibus ecclesie Longula, in Rudicho, Conclum, Valli, Villa-Maniana & in Villa-Arcueta. His vero predictis curtis & castellis sive ecclesiis, simulque rebus domnicatis & massaritiis eisdem curtis pertinentibus, sive predictis casis & rebus, qualiter supra legitur, tam domnicatis quam & massaritiis cum fundamentis & omne edificium vel universis fabricis seu curtis, hortaliis, terris, vineis, olivetis, castanetis, quercetis, silvis, virgultis, pratis, pascuis, cultis rebus vel incultis, montibus, alpibus, planiciebus, molendinis, piscareis, piscationibus sive ripis & portoris omnia & ex omnibus casis, rebus, domnicatis & massaritiis, quantas ubique & in quolibet locis vel vocabulis ad predictis casis & curtis domnicatis, sive ad predictis castellis & ecclesiis sunt pertinentibus vel aspicientibus, vel quantas mihi de jam dictis casis & rebus pertinentibus in singulis denominatis locis & vocabulis superius dictis invenitur, tunc vel in eorum finium & mihi pro quocumque ordine erunt pertinentes in integrum una cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & ingressuris earum, ubi Deo, & prefate ecclesie monasterii bea-

* *junii.*

te Marie semper virginis offerre providi, taliter volo & instituo, ut qui in dicto monasterio pro tempore fuerit, & illi monachi qui ibi fuerint omni tempore pro anime mee remedio orare, Missas canere & facere debeant. Similiter volo atque instituo, ut ille abbas, qui in ipsum monasterium ordinatus fuerit, & illi monachi, qui ibi fuerint, non habeant potestatem, neque licentiam ex omnibus prefatis casis & rebus, ut supra legitur, nec vendere, neque donare, neque commutare, neque libellum facere debeant, neque per nullum ingenium atque argumentum alienare debeant; sed sic in omni tempore ad jura proprietatis de prescripto monasterio haberi & detineri debeant, quia sic in omnibus mea decrevit voluntas. Insuper ego, qui supra Ugo marchio ad pars ipsius ecclesie monasterii sancte Marie de omnibus, que supra leguntur, legitimam facio investituram & traditionem per cultellum & .... seu ramum arborum & vasonem terre seu festucum nodatum, me exinde foris expulit & exutum fecit, & ipsi monasterio beate Marie ad proprietatem, sicut supra legitur, ad habendum reliqui. Si quis vero, quod facturum esse non credo, si ego ipse, qui supra, Ugo marchio aut ulla opposita persona contra hanc offersionis cartulam ire temptaverimus, aut eam per qualecumque ingenium irrumpere vel retollere vel minuere de omnia, que supra leguntur, quesierimus, inferamus ad pars prescripte ecclesie monasterio sancte Marie mulctam quod est pena aurum optimum libras quatuor millia, argentum ponderis decem millia. Tale volo atque instituo ego qui supra Ugo marchio usque dum Dominus mihi vitam concesserit in omnibus, que superius legitur, in mea sit potestate. Et si forsitan Dominus omnipotens mihi filium aut filiam de legitimo matrimonio dederit, in eorum sit potestate & de eorum filiis & filie qui de legitimo matrimonio nati fuerint, omnibus suprascriptis rebus, quot superius legitur, in eorum sit potestate. Et si forsitan ego qui supra, Ugo marchio sine filio aut filia legitima mortuus fuero, aut ipsi filio meo aut filia legitimo matrimonio sine filio aut filia legitima mortui fuerint, omnibus prefatis rebus, qualiter supra legitur, ad jure proprietario nomine de ipso monasterio sancte Marie deveniant. Et qui his omnibus, que superius legitur, minuere aut subtrahere vel fraudari aut alienari aut delere voluerit, deleat omnipotens Deus nomen ejus de libro viventium, & cum justis non scribatur. Fiat particeps cum Datan & Abiron, quos cooperuit terra os suum, & deglutivit eos. Fiat socium cum Anania & Saphira, qui fraudaverunt pecuniam Domini sui. Sit depressus cum Simone mago, qui gratiam sancti Spiritus venundare voluit. Sit particeps cum Juda Scariote, qui propter cupiditatem vendidit Dominum & magistrum. Sit separatus a consortio omnium justorum, & in die judicii non resurgat in numero illorum, preter illos, quos superius anteposuit, & qui erepti erunt & vendicare non valemus. Sed ut presens hec cartula offersionis diuturnis temporibus firma & stabilis permaneat inconvulsa cum stipulatione subnixa, atramentario, penna & pergamena manibus meis de terra levavi, & notario domni imperatoris ad scribendum tradidi & scribere rogavi testibus roborantibus.

Ego, qui supra, Ugo marchio per hanc offersionis paginam dare volo atque instituo ipsa terra, ubi ipsum monasterium sancte Marie edificatum est, cum prefato monasterio, quod est in prefato loco Vangadicia, & cum omnibus casis & curtis seu casalis atque ecclesiis sive rebus tam domnicatis quam massaritiis, quod superius legitur, nec sint in potestate illius persone masculi vel femine neque de ulla ecclesia, nisi in potestate de illo abbate, qui ibi pro tempore ordinatus fuerit, & de illi monaci, qui in ipsum sanctum locum congregati fuerint in prefato monasterio cum omnibus, quod superius legitur, in eorum sint potestate habendi & fruendi, sicut supra legitur, preter illis, quos superius anteposuit, quia sic complacuit animo meo.

Actum in prescripto loco sancte Marie.

Ego qui supra Ugo marchio ss.

Sigifredus judex domni imperatoris authentico illo vidi & legi, unde hunc exemplum facta est.

Ego qui supra Johannes notarius & & judex domni imperatoris authentico illo vidi & legi cum dicta exempla facta est ibi & hic ss.

Ego Teupertus judex domni imperatoris authentico illo vidi & legi & exemplar facta est ibi & hic ss.

LVIII.

LVIII.

Oblatio bonorum, quam fecit eidem abbatiæ Gualdrada soror Hugonis marchionis & ducis.

Anno 997. VIII. kl. decembris.

Ex eodem archivo.

Ad lib. V. n. 38. IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Regnante domino nostro Ottone gratia Dei imperatore augusto filio bone memorie Ottonis imperatoris nepos itemque Ottonis imperatoris anno imperii ejus in Italia II. VIII. kalend. decembris indictione XI. Manifesta sum ego Gualdrada lege vivente Salica filia bone memorie Uberti, qui fuit marchio, quia secundum legem meam Salicam, atramentarium, pinnam & pergamenam manibus meis de terra elevavi, & Alfeo notario domini imperatoris ad scribendum tradidi per guasonem terre, & fistucum nodatum seu ramum arboris, atque per cultellum & guantonem seu andilaginem. Et sic per hanc cartulam juxta legem meam Salicam, vendo, dono, trado, cedo, atque transfundo, & remitto in potestate tua Ugo gratia Dei marchio germano meo filio suprascripti Uberti marchionis, id est casa & curte mea illa domnicata seu castello, quam habeo in loco, & finibus, ubi dicitur Vangadicia, cum omnibus casis & rebus sive ripa juxta fluvium Adese, cui coheret ei ex una parte suprascriptum fluvium Adese, ex alia parte coheret ei terra ecclesie sancti Zenonis, ex tertia parte coheret ei rivus, qui dicitur Viba, ex quarta igitur parte coheret ei terra ecclesie monasterio sancte Marie de Vangadicia. Hec autem suprascripta casa & curte domnicata seu castello cum predictis casis & cassinis seu casalinis atque molinis sive ripa, seu rebus tam domnicatis quam etiam & massariciis ad eandem casam, & curtem domnicatam pertinentibus vel aspicientibus totas insuper amembratas cum fundamentis, & omnibus edificiis vel universis fabricis suis curtis, ortaliis, terris, vineis, olivetis, castanetis, quercetis, silvis, virgaretis, pratis, pascuis, cultis rebus, vel incultis quantas ubique in quibuslibet locis, vel vocabulis, omnia & ex omnibus rebus in integrum cum inferioribus & superioribus suis seu cum accessionibus, & ingressuras suas tibi eas vendo, dono, trado, concedo, atque transfundo, & in potestate tua emitto tibi suprascripto Ugo marchio de jure meo in jure dominationis tue, ut habeas tu & heredes ac proheredes tui, ut habeatis & teneatis atque possideatis & faciatis quidquid volueritis sine omni mea & heredum ac proheredum meorum contradictione vel repetitione. Et suprascripta mea venditione & traditione, quam tibi venundavi, recepi a te pretium butericum aureum unum in prefinito & deliberato pretio. Et dum ipsum pretium pre manibus accepissem, tunc ego suprascripta Gualdrada ex ipsa curte domnicata seu castello atque rebus foris guerpuivi & exitum feci, & te intromisi, & legitimam & corporalem investituram feci, ut habeatis & faciatis exinde jure proprietario nomine vos vel ille homo, cui vos eas dederitis vel habere decreveritis, quidquid volueritis. Et si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego suprascripta Gualdrada vel ullus de heredibus meis tibi suprascripto Ugo marchio emptori vel tuis heredibus ac pro heredibus, aut cui vos eas dederitis vel habere decreveritis. Et si non vobis eas aliquo tempore in aliquod exinde intentionaverimus, nos vel ille homo, cui nos eas dedissemus aut dederimus, pro quodlibet ingenium, vel quod absit, si ego suprascripta Gualdrada aut aliquis de heredibus, ac proheredibus meis contra hanc cartulam venditionis & traditionis mee venire temptaverimus aut infringere vel disrumpere quesierimus per quemcumque ordinem. Et si non exinde auctores dare volueritis vobis eas ab omni homine defendere non potuerimus, & non defensaverimus, spondimus nos vobis componere aurum obtumum libras X. argenti pondera C. & suprascripta casa & curte domnicata, seu predictum castellum atque rebus in duplum inferamus quidem loco sub estimatione qualiter tunc fuerint & multum supra adeo quod repetere & vendicare non valeamus nec vendicemus, sed presens cartula in diutinis temporibus firma & stabilis permaneat semper cum stipulatione subnixa. Sic tamen si nos exinde auctores nec defensores querere nec dare voluerimus aut non potuerimus, licentiam habeatis absque nostra persona, si vestra fuerit voluntas, exinde causas agendi, responsum reddendi, finem imponendi modis omnibus vobis eas defensandi cum cartula ista vel quoquo modo aut qualiter juxta legem melius potueritis. Quia in tali ordine hanc cartulam venditionis & traditionis mee feci, & Al-

feo notario domni imperatoris ad fcribendum tradidi, & fcribere rogavi, & teftibus obtuli ad roborandum.

Actum Pifa feliciter.

Signum † manibus fuprafcripte Gualdrade, que hanc cartulam venditionis & traditionis fieri rogavit.

Signum ††† manuum Ricardi filio bone memorie Caroli & Ogeri & Conftantii lege viventes Salica teftes & precium dantes viderunt.

Signum †† manuum Archinibaldi & Adelelmi lege viventes Salica teftes & pretium dantes viderunt.

Teupertus judex domni imperatoris fubfcripfit.

Sigefredus judex domni imperatoris fubfcripfit.

Eribertus judex domni imperatoris fubfcripfit.

Johannes judex domni imperatoris fubfcripfit.

Alfeo notarius domni imperatoris poft traditam complevi & dedi anno Domini nongentefimo nonagefimo feptimo.

LIX.

Ejufdem Hugonis donatio bonorum fupradictæ abbatiæ.

Anno 997. VIII. kl. decem.

Ex veteri authentico chartularii fancti Michaelis de Muriano.

Ad lib. V. n. 38. IN nomine domini noftri jhefu crifti dei eterni regnante donno noftro Oto gratia dei imperatore augufto filio b. m. Otonis imperatoris & nepos itemque Otonis imperatore. Anno imperii ejus in italia fecundo octavo kalendas decembris indictione XI. Conftat me Ugo gratia Dei marchio lege vivente Saliga. filio b. m. Uberti qui fuit marchio. Simili lege vivente Saliga. quia fecundum lege mea faliga. Atramentario. pinna. & pergamena manibus meis de terra ellevavi & alfeo notario dom. imperator. ad fcribendum tradidi & per Guafonem terre & fiftucum nodatum feu ramum arborum. atque per coltellum & Guattonem. Seo andilaginem fic per hanc cartam juxta lege mea falliga per anime mee remedium & per remedium anima fuprafcripti quidem Uberti marchio Genitori meus. Seo per remedium anima Gualdrade Germana mea filia fuprafcripti b. m. Uberti marchio. hoffero. dono. cedo. hac trado. omnipotenti deo & ecclefie monafterio beate fancte marie femper virginis, que eft fundata in loco & finibus ubi dicitur vangadicia prope fluvio adeffe qui dicitur veclo. Id eft cafa & curte mea illa domnicata feo Caftello quod habeo in fuprafcripto loco & finibus ubi dicitur vangadicia cum omnibus cafis feu cafalinis atque molinis feu ripa jufta fuprafcripto fluvio adeffe fcive rebus tam domnicatas quam & maffaritiis ad eadem cafa & curte domnicata feo & caftello pertinentibus quam mihi per cartula fcripta ex manibus fuptafcripti alfei not. dom. imperatoris ex comparatione obvenit. ad fuprafcripta Gualdrada germana mea lege vivente falliga. Cafa & curte domnicata. feu & Caftello. Vero ipfa curte predictis cafis & cafinis feo cafalinis atque molinis. five ripa totas. Infimul amembratas. tam domnicatis quam maffariciis ad eadem cafa & curte domnicatas feo caftello pertinentibus cum fundamentis & omnem hedificiis, vel univerfis fabricis fuis, feo curtis, ortalias, terris, vineis, olivetis, caftanietis, quercietis, filvis, virgareis, pratis, pafcuis, cultis rebus vel incultis & qualiter mihi a fuprafcripta Gualdrada germana mea lege vivente falliga pro memorata carta ex comparatione obvenit, & in carta ipfa continere dinofcitur, in integrum una cum ipfa carta, offero, dono, cedo, trado omnipotenti deo & fuprafcripte ecclefie monafterio fancte marie. Item offero dono cedo ac trado omnipotenti deo & predicte ecclefie monafterio beate fancte marie. Id eft omnibus cafis feo & caffinis feo cafalinis & rebus juris meis illis qui fupra Ugo marchio quantas abeo in loco & fundo nuncupate valle Almmerigi juxta valle que dicitur fancti Georgii. Rebus vero ipfis tam cafis domnicatis, quamque & maffari ciis cum fundamentis & omnem hedificiis vel univerfis fabricis fuarum, feu curtis ortis terris vineis olivis filvis virgareis pratis pafcuis cultis rebus vel incultis omnia & ex omnibus cafis & cafinis feo & cafalinis & domnicatis quamque & maffariciis quantam in predicto loco valle almerici jufta valle que dicitur fancti Georgii vel meis finibus habere & poffidere vifus fum in integrum cum inferioribus & fuperioribus fuarum feo cum acceffionibus & ingreffores fuarum offero dono cedo & trado omnipotenti deo & fuprafcripte ecclefie monafterio beate fancte marie. Atque offerro dono cedo trado omnipotenti deo & predicte ecclefie & monafterio beate fancte marie.

marie. Ideſt uno lago qui eſt piſcaria juris meo illo qui ſupra Ugo marchio quem habeo in loco qui vocatur danarolo prope fundo qui dicitur ſancta Anaſtaſa, lago vero ipſo qui eſt piſcaria cum omni conciatura ſua, quicquid a ſupraſcripto lago qui eſt piſcaria eſt pertenentes in integrum offerro dono cedo trado omnipotentis deo & predicte ecclesie monaſterio beate ſancte marie. Ut abeas teneas atque poſſideas & facias exinde ad partem ſuprascripte ecclesie monaſterio beate ſancte marie jure proprietario nomine quicquid voluerit ſcinea omni mea heredum hac proheredum mearum contraditione vel repetitione. Et ego ipſe qui ſupra Ugo marchio ad pars ipſius ecclesie monaſterio ſancte marie coram teſtibus legittima fecit tradicionem & corporalem veſtituram & me exinde foris Guerpivi & exitum fecit & a parte ſuprascripte ecclesie monaſterio beate ſancte marie ad proprietatem habendum reliquid, abſque omni mea & heredum ac proheredum meorum contraditione vel repetitione. Et ſi quis vero quod futurum eſſe non credo. Si ego ipſe qui ſupra Ugo marchio quod abſit aut ullus de heredibus ac proheredibus meis contra hanc cartula offerſionis, hire quandoque temptaverim. Aut eam per covis ingenium infrangere temptaverim tunc inferamus ad partem predicte ecclesie monaſterio beate ſancte marie multa que eſt pena aurum optimum libras decem. Argentum ponderas viginti, pro ſuprascriptis caſis & rebus in duplum infer quidem loco ſub extimatione quales tunc fuerint, & quod repetere & vindicare non valeamus ſet preſens carta offerſionis diuturnis temporibus firmam & ſtabilem inviolata permaneat inconvulſa cum ſtipulatione ſubnixa, & que alfeo notario donni imperatoris ad ſcribendum tradidit & ſcribere rogavi & teſtibus obtulit ad roborandum. Actum Piſa.

† Ugo marchio ss.

Signus ††† Ricardi filio b. m. caroli & Ogerii & Conſtanci lege vivente ſalliga teſt.

Signum †† domnus Archimbaldi & Adelelmi lege vivente ſalliga teſt.

Teupertus judex donni imperatoris ſcripſi.

Keribertus judex donni imperatoris ſcripſi.

Johannes judex donni imperatoris ſcripſi.

Sigifredus Judex donni imperatoris ſcripſi.

Alfeo notarius donni Imperatoris.

Et ego Lanfrancus divina gratia ſacri palatii Ficariolenſis notarius hoc inſtrumentum de vetero in novum tranſcripſi, nec addens, nec minuens me ſciente ita exemplavi. In Mill. c. Non. ſecundo indictione x. tempore Celeſtini pape & Henrici imperatoris die IIII. exeunte menſe decembris.

L X.

Ejuſdem oblatio latifundiorum & eccleſiarum Bolonio abbati ſancti Michaelis de caſtro Marturi.

Anno 998. VIII. kl. auguſti.

Ex Puccinellii chronico abbatiæ Florentinæ p. CC. XXV.

IN nomine Domini Dei eterni. Regnante domino noſtro Otto gratia Dei imperator auguſtus filio bone memorie Ottonis imperatoris nepus bone memorie imperatoris item Ottonis anno imperii ejus in Italia tertio VIII. kal. auguſti indictione XI. Divine gratie munere ſuperne virtutis auxilio a faucibus demoniace poteſtatis erutis, ut nos miſericors Dominus eterne patrie gaudiis faciat coheredes, ſedulis admonitionibus crebriſque preceptis informat. Unde eſt illud: Venite ad me omnes &c. Unde ego in Dei nomine Ugo dux & marchio, lege vivente Salica, filius bone memorie Uberti, qui fuit ſimiliter marchio lege vivente Salica, in Dei omnipotentis & miſericordiſſimi nomine pro anime mee parentumque meorum & imperatorum, omniumque chriſtianorum vivorum ſive defunctorum remedium, eccleſiam edificavi in honorem ſancti Michaelis archangeli in monte & podio, qui dicitur Caſtello de Marturi, & hanc eccleſiam ad optimum ſtatum religionis ducere cupiens, monaſterium monachorum juxta regulam ſancti Benedicti in Domino ſervientium ſtatuere decerno & confirmo; eo vero ordine vel ſtatu, ut a modo in antea jamdicta eccleſia monaſtice dictionis perenniter delegata permaneat, & cum omni ſua poſſeſſione monaſterium monachorum ibi in Domino ſervientium omni tempore fiat, quatenus in eodem ſacroſancto loco uſque in perpetuum abbas cum monachis regulariter vivant, & Dei ſervitium ſecundum predicti patris normam die noctuque

Ad lib. VI. n. 2.

que inibi faciant, & pro animabus nostris, parentumque nostrorum sive religiosorum imperatorum preteritorum, presentium & futurorum, & omnium christianorum assidue intercedant: Per hanc itaque cartam offersionis, & hoc scriptum firmitatis dono, concedo, trado & offero omnipotenti Deo & eidem beatissimo Michaeli archangelo, necnon & beatissime Marie virgini, & sanctissimo Johanni evangeliste, beatoque Nicolao confessore, & tibi Bolonio venerabili abbati, ibi perenniter regulariter succedentibus. In primis videlicet offero fundamentum illud una cum ipso monte & poio seu castello & vinea, seu ecclesiis, videlicet sancte Crucis, & sancti Benedicti sunt edificate, in quo ipsa prenominata ecclesia & monasterium positum esse videtur. Tamen decernimus castellum illud & poium cum casis & edificiis super se & infra se habentem, sic de uno latere ab oriente decurrit fossatum, qui vadit in fluvio Elsa, & in summitate ipsius fossati a meridie revertitur per summitatem poii, qui est super ipsum castellum, & revertitur usque ad pontem, qui est in ipso flumine Elsa, & sicut ipse fluvius conjungitur prenominato fossato; hoc autem fundamentum cum ipso suprascripto monte & poio seu castello, atque prenominatis ecclesiis cum casis & omnibus rebus infra se & super se habentem cum fundamentis & omnia edificia suorum, vel universis fabricis suis, qualiter superius legitur, in integrum cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus suis & ingressuras suas Deo & ipse ecclesie monasterio sancti Michaelis archangeli, & tibi Bolonio abbati offerre previdi, & insuper offero tibi Domino & suprascripto monasterio beati Michaelis archangeli, idest CCX. inter casis & cassinis, seu casalinis atque sortis & rebus massaritiis meis illis, quas habeo in suprascripto loco Marturi vel in eis finibus. Una ex illis mansis regitur per Urso... alia Petrus Cellerarius; tertia per Teuzo massario filius Guidi; quarta per Urso de Marsa; & insuper concedo omnem Teloneum sive curaturam de ipso ponte; quinta retinet Petrus Ollacius; sexta Bonizo Mancarone. Due ex ipsis casis detinet Urso de Quercia, alia detinent filii Pipini, alia regitur per Martino filius Petri; undecima detinet Sasso filius Dominici; duodecima & decimatertia detinet Gherizo: duo ex ipsis in Galugnano cum ecclesia sancti Ansani, que recte fuerunt per ....imizo de Elsa; & tres manse de ecclesia sancte Crucis, una detinet Petrus presbiter, & alia Johannes ... tertia Johannes de Gavignano. Manso uno in Paterno ... detinet Martinus Mimulo, alio quem detinet Petrus filius Martini .... de colle Murello. Alio manso detinet Johannes filius Petri de Silva, alia detinet Stephanus de Castellone; manso uno detinent Andreas, & Amizo, & Teuzo filii Petri; alio manso detinet Petrus Battebicco; alio quem detinet Johannes de Castellone; alia detinet Teuzo de colle Morello; alia detinet Andreas de Colle. Manse duo detinet Rozo de Fabriciano; manso uno detinet ....., alio detinet Urso de Angilione; alio detinet Petrus Scario; alio detinet Anselmus de Ursino; alia mansa detinet Martinus presbyter; manso uno detinet Albertus Concius, alio manso detinet Corsulo, alia detinet Erilod. ... manso uno detinet Johannes Lanaticus. In Lignano manse septem, una regitur per Petrum Lombardum, alia per Rainaldum, tertia per Petrum filium Amizi, quarta per Domnino filius Martini, quinta per Teuzo filius Barocci, sexta per Bonizo, septima per Bonizo filius Marie: duodecima manse in Cassiano, duo retinet Rarimbaldo, tertia Petrus, quarta regitur per Leo filius Tachi, quinta per Baroccio, sexta per .... septima per Urso de Laterene, octava per Johannem filius Maiolfi, nona per Petrus filius Litardi, decima regitur per Petrus filius Leonis, undecima per Gisallio, duodecima per Azo massario. Manso uno detinet Vitalis filius Sicchi. In Anellano, ubi dicitur Curteboni manse duo, una detinet Sigizo de Lugi, manso uno in monte, manse tres, quas detinet Petrus filius Zoppi. Manso uno detinet Petrus filius Zaigi, alio detinet Johannes de Oliveto, alia detinet Urso de Forcofoli. Manse due detinet Martinus filius Sicchi. Manso uno detinet Petrus filius Lugizi, alio detinet Baroccio filius Ramli, alio detinet Ingizo de Valle. Manse uno detinet Venerio de Padule, alio detinet Johannes de Padoale. In Gaugnano manso uno, quem detinet Petrus Amizo. In Sulignano manso uno, quem detinet Majzo. In Ciuziano manse duo, quos detinent Bonizo, & Ildizo de Fusco, alio in Campo majore, quem detinet Maizo. In Colle manso uno, quem detinent Andreas & Alfredus, manse duo, quos detinet Petrus Bucca Martello. In Tenzano manse duo quos detinet Sigizo, alium quem detinet Johannes filius Ursi;

Ursi; alia detinet Fendo cum domnicato & ecclesia sancti Fabiani: manse quatuor Moronto & Ildizo detinent, manso uno detinet Goro, manso uno detinet Teuzo. In Veci manso uno, quem detinet Benedictus presbyter. In Aerone manso uno, quem detinet Petrus, alia regitur per Benedictum. In Rodano manso uno, quem detinet Johannes clericus. Samud de Monte detinet manso uno, alia in Taguli, quem detinet Ildizo, aliam quem detinent Rodulfus filius Ildi & Homicio; manso uno detinet Andreas filius Ursi, alia detinet Dominicus filius Leonis, alia detinet Morunto; manso uno detinet Ursus filius Altiprandi, manso uno detinet Giso filius Teuzi; manse quinque, quas detinent Elias presbyter & Ubertus cum fratribus suis. In Seittini manso uno, quem detinet Urso, alium, quem detinet Bonizo presbyter; manse due, quas detinent Petrus & Urso. In Suri manso uno, quem detinet Andreas. Adsertino manso uno, quem detinet Petrus. In Corna manso uno, quem detinet Benedictus. In Cignano cum ecclesia sancti Petri mansas tres. In Lillano manso uno, quem detinet Bonizo Martini, alia quam detinet Gubertus clericus; manse duo, quos detinent Andreas filius Petri albi, & Johannes de Mandria. In Buzaione manso uno, quem detinet Leo de Capraria, alio quem detinet Petrus filius Martini, alio quem detinet Amizo. In Seri manso uno, quem detinet Petrus clericus filius Roizi. In Colle manso uno, quem detinet Petrus. In Valle manso uno, quem detinet Petrus; ecclesia sancti Donati; manso uno in Cirpiano, Martinus filius Stefani manso uno. In Saugnano manso uno, quem detinet Mauranto, alio quem detinet Petrus filius Gisi, alio quem detinet .... undo, alia quam detinet Andreas filius Johannis. In Surignano manse tres; manso uno in Saverse. In Cispiano manse due, alio quem detinet Petrus filius Gisi, & alio quem detinet Giso filius Petri. In Aquosa manso, quem detinet Johannes de Zocori, manso uno quem detinet Urso. De Ame manso uno, quem detinet Petrus filius Amalperti, alio quem detinet Bonizo de Ame, alio quem detinet Urso filius Petri. Ad Ulmi manso uno. In Orzale manso uno. In Leugnano manso uno. In Villanova manso uno, alio in Saffiprandi. In Mazzano manse duo, manso uno quem detinet Leo Scario. In villa Gajo manso uno, quem detinet Trizo. In Zajano manso uno, quem detinet Romanuli. In Villale manso uno, quem detinet Ferizo, manse duo quas detinet Bonizo filius Umberti, Erizo de Joboli, alia quam detinet Leo de Pino, alia quam detinet Petrus de Monte Pontado, alia quam detinet Petrus filius Ursi. In Lene manse quinq; manso uno quem detinet Teuprando. In Tuscanula manso uno, quem detinet Andreas Muschita, alia quam detinet Bonizo filius Starizi, alia quam detinet Guinizo & Bellino. In Suviano manso uno, quem detinet Teuzo, alio quem detinet Petrus de Succiano, alio quem detinet Dominicus. In .... ano manso uno, quem detinet Johannes Olario, alio quem detinet Urso & Roso, alio quem detinet Veneri. In Luco manso uno, quem detinet Barocio, alio quem detinet Domitucello, alio quem detinet Johannes Centinuto, manse due quas detinet Petrus Bifarello, alio quem detinet Johannes Forbitore, alio quem detinet Teuzo filius Johannis clerici, alia quam detinet Petrus de Fonte. In Montesancto manse duo, quas detinent Stephanus & Petrus Erlemisio, alio quem detinet Marco Ullario, alia quam detinet Johannes Russo. Manse tres in Luco cum ecclesia sancti Martini, una cum medietate de illa ecclesia, cui vocabulum est sancti Donati, que est fundata in loco & finibus Lucardo, una cum integris triginta & tres inter casis & cassinis seu casalinis, atque rebus domnicatis, ac massaritiis, quas habeo in supradicto loco Lucardo, vel in ejus finibus ad predicta ecclesia sancti Donati sunt pertinentes. Similiter & masia, quam detinet Micheli de Gudusuli in corticella de Panzano, manse septem cum domnicato de ipsa curte, quem detinet Teuzo filius Litifredi. In Ficinule manse sex. In Ceddi manse tres, quas detinet Petrus filius Johannis. In Castagneto mansa una. In Castello mansa una, quam detinet Petrus Buccamartello. In Burro mansa una. In Olena mansa una. In Patrignone mansa una. In Querceto Bonoruli manse tres. In Gugnano mansa una, quam detinet Gumpulo & habet pendices tres, una quam detinet Dominicus filius Andree, alia Garruccio filius Azi, tertia detinet Petrus filius Donati. In Serille mansa una. In Marcario manse due. In Eruce mansa una. In Villule mansa una. In Bacilfi mansa una, quam detinet Teuzo filius Roffredi. In Salicione mansa una, quam detinet Petrus presbyter. In Cavalle manse due, una detinet filius Liuzi, alia Petrus,

trus. In Vergnano mansa una, quam detinet filius Guofredi. In Colonica mansa una quam detinet filius Guidi. In Luco mansa una, que dicitur Berte cum pendiciis suis; alie due, quas detinent Petrus Bisalello cum filiis suis. In Bibiano mansa una. In Fundignano mansa una, quam detinent filii Stephani. In Stabilise mansa una. In Plantignano mansa una. In Anclano curte Quissenradi manse tres. In castello de Calcione mansiones due. In castello de Papaiano de intus ipsa pars, que fuit Guinizi filius Ugonis, & alia pars in ipso castello Papaiano cum omni pertinentia de intus & foris, que fuit Azi filius Petri Nigri. In Spandule mansa una. In Framonte mansa una. In Sapina manse tres. In Rosignano manse due. In Antula mansa una. In colle Garzario & Maciole & Saline manse quatuor. In Colle longo mansa una. In Viciano mansa una. In curte Freda manse tres. In Sparpaialla manse quinque. In Mugnano manse quatuor. In Gabiano manse due. In Cagnano mansa una. In Panzano mansa una. In Gregnano mansa una. In colle Petroso mansa una. In Qualdo manse due, quas detinet filius Lucco. In Casule manse nove. In Sartiano manse due. Alifuli manse tres. In Pini mansa una, quam detinent filii Gerardi. In Paterno manse due, quam detinet filius Johannis, Petrus filius Lupi de Pacilse mansa una. In Arginne mansa una. In Monte Rapponi manse sex. In Meugnano manse novem. In Alene manse novem. Infra plebem sancte Hierusalem de Lucardo in villa, que dicitur Albagnano, & Roncognano manse due, que recte sunt per Giso, & Quarno & Armillo. Similiter infra ipsam plebem terra Valisana in loco, qui dicitur Valle manse due, que fuerunt recte per Rofredum & Petrum nepotem ejus. Tertia mansa que est in eadem plebe in loco qui dicitur Valli juxta villa, que nuncupatur Fabbrica, & est recta per Alberto filius Teuzi. In Ascianno mansa una, ubi dicitur Ulpajo, que recta fuit per Azo Massario. Scacari mansa una, quam detinet filius Pini. In Meugnano in loco, qui dicitur Citrine mansa una, quam detinent Rainzo & Azo filius Petri. Insuper offero & trado curte mea de Untugnano cum ecclesia sancti Salvatoris, que ibi est edificata, cum omni pertinentia & ripe de Castello novo, & decemno & Aqua, que dicitur Utrica & Meleto cum ceteris aquis pertinentibus ad suprascripta curte, seu etiam terra illa, que dicitur Severatico, que fuit recta per Gualfredo castaldo, & ipsa pars de Castello Tugnano de intus & de foris sive de aquis, sive de terris cum suis fauciis, seu ubicumque & qualicumque ad ipsam curtem domnicatam, sive de predictis castellis sibi pertinentibus, sive pro meo conquisito, vel hereditate paterna, quam & materna per qualicumque ordine de meo jure infra ipsis locis jam nominatis curtis seu castellis de earum pertinentiis inveniri potest, una cum casis & cassinis seu casalinis atque rebus domnicatis & massaritiis infra descriptis locis & vocabulis superius dictis esse inveniuntur. Tamen nominative casa una & res una, que detinet Lambertus presbyter, secunda que detinet Amizo filius Ursi, tertia detinet Dominicus, mansa quarta detinet Baruncello, quinta detinet Urso Bestiaculo, sexta detinet Albertus Scancio, septima que detinet Johannes, octava que detinet alter Johannes, nona que detinet filius Pini, decima que detinet Bonizo Risarello cum alia mansa, duodecima detinet Petrus, decimatertia detinet Johannes Bisulco, decimaquarta detinet Stephanus mas... In Oppito manse tres. Azaulnule mansa una. In Finuchieto manse quatuor. In Campo Romuli manse due. In Surignano manse tres. In Castagnito manse due. In Calino manse due & domnicato qui simul sunt xxx. inter casis, cassinis & casalinis, seu sortibus & domnicatis. Hec autem omnia, que superius leguntur, sicut mihi per hereditatem paternam, aut maternam seu per conquisitum evenit omnia in omnibus, quantum ad ipsam curtem de Marturi, vel de Untignano seu de aliis mansis & ecclesiis pertinentes esse invenitur. Sicut ego ad meum domnicatum habeo & teneo cum omnibus pensionibus, redditibus sive decimis cum omnibus domnicatis cum casis, rebus & massaritiis cum fundamentis & omnibus fundamentis vel fabricis suarum, seu curtis, ortaliis, terris, vineis, olivetis, castagnetis, quercetis, silvis, pratis, pascuis, cultis rebus vel incultis sive mobile, sive immobile omnia & in omnibus quantas ubique & in quibuslibet locis vel vocabulis ad suprascriptis casis & casalinis, seu sortis & rebus, que superius leguntur, sunt pertinentes vel aspicientes, vel suprascripti & domnicati homines exinde ad manus suas habere & detinere videntur in integrum omnia transacto nomine, sicut superius legitur, cum inferioribus & superioribus suarum, seu cum accessionibus & ingressuras earum, una cum omnibus servis & ancillis,

quas

quas mihi pertinent de curte mea illa domnicata de Cenzano, Deo & ipsi ecclesie & monasterio beati Michaelis archangeli, necnon & beatissime Dei genitrici virgini Marie & sanctissimo Johanni evangeliste, sanctoque Nicolao confessori, & tibi Bolonio venerabili abbati ibi religiose succedentibus offero, trado & concedo eo videlicet ordine, ut ab hodierno die in antea in ipsa Dei ecclesia & monasterio te abbatem, te patrem cum monachis & presbyteris seu cum ceteris ..... secundum regulam sancti Benedicti eligere seu ordinare, atque confirmare volo & omnibus suprascriptis ..... rebus cum domnicatis, quam & massaritiis atque ecclesiis & jamdictis servis & ancillis, que superius leguntur ..... & monasterio ejusque rectoribus, qui ibi pro tempore fuerint sine potestatem eas habendi, tenendi, imperandi ...... & usufructuandi, & ut abbatibus & fratribus ibi Deo servientibus ad temporale victum vel usu deserviant, ut sit ..... anime mee, parentumque meorum, necnon & imperatorum omnium christianorum vivorum ac defunctorum, & diurna & nocturna officia, misse & orationes, psalmos, hymnos, luminaria & incensum, largitates bone, & elemosine, hospitalitates ...... Dei servitium atque observatio sacratissime regule sancti Benedicti sint mihi atque religiosissimis imperatoribus, posterisque vestris, & omnibus christianis ad salutem & indulgentiam nostrorum omnium peccatorum; atque ad defensionem animarum & corporum usque in finem seculi, & post finem seculi vitam eternam a Deo mereamur accipere. Hoc etiam simili modo statuo, promitto atque ordino, ut ipsum monasterium & omnia ejus bona tam presentia, quam futura, & ipsos fratres, qui ibidem pro tempore ordinati sive positi fuerint, simulque cum abbate, qui ibi regulariter electus fuerit, Deo servierint cum recta & bona fide, omni tempore debeant substentare, protegere, defendere atque adjuvare, & meo studio ac sollicitudine in predicto loco factus justitie & cultum religionis omni tempore volo & desidero retinere, & restaurare, ac stabilem reddere. Similiter volo atque instituo, & firmiter observandum esse censeo, ut res ipsius monasterii tam que modo habet, aut in antea cum Dei adjutorio habuerit nullo modo ab abbate, qui pro tempore ibi fuerit, vel a priore, vel a monachis, vel a quibuscumque personis non sint in potestate vendere, donare, commutare, neque per libellum, neque per nullum argumentum, neque per feum, neque per nullum ingenium alienare, nec dare, neque minuare, nisi per ...... rabili & evitabili utilitate & perspicua melioratione sacri loci. Quod si, quod absit, aliter factum fuerit & claruerit, nullius momenti vel stabilitatis sit, sed sint, redigantur ad utilitatem ipsius ecclesie & monasterii, & subsidium fratrum ibi Deo servientium. In ordinatione autem abbatis illud ante omnia statuo & observare decerno, ut nullus ibi abbas, nisi canonice & regulariter ordinetur. Quod si forte indignus, quod absit, vel interventu pecunie esset per simonicam heresim promotus fuerit, mox sine mora dejiciatur, & alter, qui dignus sit, subrogetur, & qui consentiens in hoc per conscientiam fuerit, quam infra constituemus anathemate & pene subdatur, & quocumque tempore abbas, qui ibi fuerit de hoc seculo migraverit, non sit in potestatem illius persone hominum masculi vel femine, nec episcopi, neque regis, neque marchionis, nec comitis, sed nec ullius persone ibi abbatem mittere aut eligere, sed sit in potestate ipsius congregationis, si in ipsa congregatione idoneum inveniri potuerit, secundum preceptum regule sancti Benedicti sibi abbatem eligant. Et si, quod absit, in ipsa congregatione minime inveniri potuerit, sit in providentia illius congregationis de altero monasterio cum timore Dei & observatione regule sibi abbatem eligere. Unde ego Ugo dux & marchio, ut supra legitur, lege vivente Salica de omnibus, que superius leguntur, supra sacrosanctum altare beati Michaelis archangeli, & in manibus tuis, venerabilis abbas Boloni, legitimam facio investituram & traditionem per cultellum & fistucum nodatum, & quantonem seu quasonem terre, atque ramum arboris me exinde foris expuli querpim & absitum feci, & ipsi ecclesie & monasterio ad proprietatem, sicut superius legitur, ad habendum reliqui, & quod facturum etiam non credo, si ego qui supra Ugo marchio vel ullus de heredibus ac pro heredibus meis, seu quelibet opposita persona contra hanc cartulam mee offersionis ire quandoque temtaverimus, aut per quolibet ingenium irrumpere, aut infringere, vel retollere, vel minuere de omnibus, que superius leguntur, juramus per nosmetipsos, aut per submissam personam, cui nos eam dedissemus, aut dederimus per quodlibet ingenium & eam ad partem supradicti monasterii ab omnibus hominibus defendere non potuerimus, & non defensaverimus,

mus, spondimus atque promittimus ad partem predicti monasterii componere suprascriptis omnibus casis & rebus, que superius leguntur, in duplum infer quidem loco sub extimatione quales tunc fuerint. Et insuper inferamus ad partem predicti monasterii suis rectoribus, mulcta, quod est pena aurum optimum libras mille, & argentum pondera decem millia. Si quis autem de his omnibus, que superius leguntur, minuere, subtrahere vel defraudare temptaverit, aut alienare vel delere voluerit, deleat omnipotens Dominus nomen ejus de libro viventium, & cum justis non scribantur, fiant particeps cum Dathan & Abiron, quos deglutivit terra, fiant socii cum Anania & Saphira, qui fraudaverunt pecuniam Domini sui. Sint deprehensi cum Simone mago, qui gratiam Spiritus sancti venundare voluit, sint participes cum Juda Ischariothe, qui per cupiditatem vendidit Dominum & magistrum, sint separati a consortio omnium justorum, & in die judicii in numero illorum non resurgant, quia sic decrevit in omnibus mea voluntas. Et ut presens hanc cartulam offersionis mee diuturnis temporibus firma & stabilis permaneat semper inconvulsa cum stipulatione subnixa, atramentario, penna & pergamena manibus meis de terra levavi, & Johanni notario & judici domini imperatoris ad scribendum tradidi & scribere rogavi, testibusque obtuli roborandum.

Actum in supradicto castello de Marturi.

Ego autem supradictus Ugo dux & marchio hec omnia, que firmitatis mee & ordinationis pagina continet, tam pro mercede anime mee, quam etiam omnium christianorum scribere rogavi, & stabilem esse desidero. Ideoque peto & supplico Domnum Apostolicum, per quem modo regitur apostolica beati Petri sedes, quam & illos, quos imperpetuum eamdem sedem canonice recturi sunt, ut me vivente sive defuncto pro amore Dei & honore beati Petri, cui ad nostra tradita est potestas regendi sue ecclesie, ut hanc meam ordinationem, & supradictum monasterium, & omnia ejus bona, que modo habet, aut in antea habebit, apostolica tuitione semper sit firma & tuta. Sed & imperialem potestatem fusis precibus pro anime sue & salutem imperii sui deposco, tam qui modo est, quam qui in antea Deo annuente futurus erit, ut ipsum monasterium & res ipsius ab eis semper perfruantur, ne a pravis hominibus bona illius diripiantur.

† Ego Ugo dux & marchio hanc cartam ordinationis & offersionis manu mea confirmo.

Signa manus Rineri filius bone memorie Berardi, & Petri seu Gulielmi germani filiorum Petri, & Bonifacii seu Berardi germani filiorum bone memorie Bezi lege vivente Salica rogati testes.

Signa manus Rodulfi comes Roselense filii bone memorie Ildibrandi, & Teudici comes Volterrense filii bone memorie Gerardi rogati testes.

Teupertus judex domni imperatoris &c.

Gerardus judex domni imperatoris &c.

Petrus judex domni imperatoris &c.

Sigifredus judex domni imperatoris &c.

Ego Johannes notarius & judex domini imperatoris post tradita complevi & dedi.

LXI.

Juramentum præstitum a Petro abbate Classensi sancti Apollinaris Gerberto archiepiscopo Ravennati.

Anno 998. 30. novembris.

Ex authentico archivi Classensis.

EXemplum instrumenti, cujus tenor talis est. In nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno Deo propitio pontificatus donni Gregorii quinti, & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri apostoli sede tertio atque imperante donno Ottone tertio juniore anno tertio die trigesimo mensis novembris indictione decima. Ravenne. Pastoralis ac pontificis donni & sanctissimi & beatissimi Gerberti archiepiscopi sancte Ravennatis ecclesie, & investitor meo providentia atque respectio, qui licet mihi indigno famulo suo nullis suffragantibus meritis sue laudis, sueque pietatis clementia, sicut & omnibus suis subjectis mihi largiflua sue misericordie viscera clementer impendere respirante illi divina virtute dignatus est super me affluentem sue pietatis misericordie exhibere, & me licet indignum & in meritum in cenobio sancti Apolenaris Christi martiris ad conservandam sancti Benedicti regulam, & ad custodiendam secundum meam intelligentiam & possibilitatem gratia operante divina constituere me abbatem dignatus est. Idcirco ego Petrus presbiter & monachus & electus a congregatione monaste-

Ad lib. V. I n. 13.

nasterii sancti Apolenaris, quod vocatur ad Classem, promitto per hoc sanctum altare, & sanctas ibidem conditas reliquias, & hec sancta Dei quatuor evangelia quia ab hac hora in antea fidelis sum, & ero omnibus diebus vite mee sancte domine mee Ravennati ecclesie, & tibi donno meo Gerberto archiepiscopo ecclesie sancte Ravennatis per rectam fidem tuisque successoribus in perpetuum, & omnem jussionem, voluntatem seu consuetudinem sancte Ravennatis ecclesie polliceor secundum me um posse completurum esse, & cum inimicis vestris numquam ad damnitatem sancte Ravennatis ecclesie, & vestram infidelitatem me sociabo, sed totis viribus meis contra illos stabo pro vestra fidelitate, & quicquid ab illis scire potuero aut per me, aut per meum missum nunciare vobis, aut vestris fidelibus studebo cito, ut potuero & bene polliceor, ut numquam diebus vite mee aut ad papam, aut ad majorem vel coequalem patriarcham, aut ad imperatorem, aut regem, aut aliquam personam majorem, vel minorem vadam, aut missum mittam contra sanctam vestram dominam meam Ravennatem ecclesiam, aut contra vestram successorumque vestrorum voluntatem agens per nullum ingenium, sine vestra vel vestrorum successorum licentia. In festivitatibus quoque sanctorum martirum Apollenaris & Vitalis omni anno ad synodum secundum antiquam consuetudinem occurrere promitto, excepta causa infirmitatis & itineris. Et de rebus monasterii sancti Apolenaris, in quo me ordinare disponitis, ad nullam minorationem ab hac hora in antea aliquam scripturam aut cartam facere presumam, nisi tantum per libellos aut henphyteusim bona renovanda, sicut per nostros antecessores firmiter sunt, seu prout melius potuero. Res ejusdem monasterii & possessiones omnes ad meliorationem renovabo, & ea loca, que ad pensionem data sunt completa hereditate contrahentium insalario jure, prout valuero administrandas fruges recolligere totis viribus repromitto, quod ut vere ab omnibus credatur, & in futuro tempore a me observetur, manu propria scripsi.

Ego Petrus monachus, & presbyter & abbas monasterii sancti Apolenaris in Classe in hac promissione manu propria scripsi.

Et ego Artusinus notarius exemplavi.

LXII.

Admonitio Leonis archiepiscopi Ravennatis ad Durantem monachum vel ad socios ejus eremitas.

Anno 999.

Ex Mabillonii Sec. V. p. 870. *& ex Ughellii Ital. Sac. T. II. col.* 355.

INcipit admonitio Leonis Ravennatis archiepiscopi ad Durantem monachum, vel ad ceteros, qui cum eo sunt, eremitas. *Ad lib. VI. n. 21.*

Cum hesterno die mihi consilium peteres, ego in itinere positus, ut nosti, tibi respondere non valui. Nunc autem pauca de plurimis tue caritati mandari curavi: obsecro te tamen, perpende diligenter, quod dico. Cur seculum dimisisti? & istam arctam & angustam vitam arripuisti, & abbatem super te elegisti, ut non tuo, sed alieno arbitrio vivendo imitares Dominum tuum dicendo: Non veni voluntatem meam facere, sed ejus qui misit me, nisi ut eum imitando partem cum eo & cum Sanctis ejus habere in eternis gaudiis merearis? Cur modo illa oblitus es, & in eis, que promisisti, usque in finem perdurare non procuras? Cur non audis apostolum Johannem clamantem: Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam? Considera quod primus homo non servando obedientiam perdidit nos, secundus Deus & homo per obedientiam redemit nos. Quare vis eam dimittere, cum nullum bonum extra eam nec fuit, nec erit, ne esse poterit in eternum? Longum est, si omnes Sanctos novi & veteris testamenti replicare voluero, quomodo per obedientiam salvati sunt. Sufficiat tibi, ut scias, & certus sis, quod nullus sine ipsa salvetnr, nec poterit aliquando, maxime cum hanc coram Deo & Sanctis ejus te esse serAaturum spoponderas. Nam, ut nosti, in baptismo tria promittimus, abrenuntiare diabolo, & pompis ejus, & operibus illius. In monachatu promittimus stabilitatem, & conversionem morum, & obedientiam. In primo, non per nos, sed per interpositam personam facimus, & in quantum ætas permittit, reluctamus, contemnimus, ne ad id perveniamus: postea tamen diligimus, & in ea usque ad mortem perseveramus. In ista secunda promissione, non vi, sed in-

tegro sensu, & meditando, amando, & legendo coram Deo & omnibus Sanctis promittimus, scribimus, & Deo sponte offerimus. Perpende obsecro quid dicere Domino possimus, si quod per alios in pueritia non sponte promittimus .... sponte corrumpimus: præsertim cum beatus Benedictus terribiliter arguat: Quod si quis aliter fecerit, a Deo se damnandum sciat, quem irridet. Non dicit judicandum, sed damnandum, quia facilius poterat de prima promissione, quam per alios facit, se excusare quam de secunda. Et quoniam plurimi non intelligentes sano sensu Regulam sancti Benedicti, nec cognoscentes virtutem verborum, que in ea scripta sunt, putant melius facere, si eam dimittant, & postea nec illam, nec aliam tenent, & vacui remanent, & sine fructo apud Dominum inveniuntur. „ Adverte tamen quis aliquando potuit facere, quoniam ibi dicit: ut ubicumque ambulat, aut stat, aut sedet monachus, in terram defixis aspectibus, reum se omni hora de peccatis suis existimet, jam tremendo judicio præsentari sciat; & omnes cogitationes supervenientes abbati suo non celet, & usque ad interrogationem non loquatur. “ Taceam de aliis sententiis, que omnes plene sunt mysteriis: sed istas tres considera, quis aliquando facere & adimplere potuit. Confundantur stulti, sileant, reprehendant se, qui putant majora facere, cum ista, ut credo, nullus adimplebit, nisi ipse beatus, aut quis similis Benedicto fuit. Unde beatus Gregorius, postquam de ejus virtutibus locutus est, admirans de ejus Regula ait: „ Inter reliquas virtutes, quibus beatus Benedictus claruit in mundo, scripsit monachorum regulam, discretione precipuam, sermoneque luculentam: ut si quis vitam ejus vel mores imitari aliquis voluerit, in ejus constitutionis regula invenire poterit, quia ita docuit, qualiter vixit. “ Certe quamvis parva tibi videatur beati Benedicti Regula, non parva beato Gregorio apparebat, quam tantis præconiis laudavit; & scimus, quia postquam omnibus signis, virtutibusque universis, spiritu prophetie se illustratum agnosceret, ab eodem Spiritu-Sancto edoctus, cum se de hac luce, revelante Deo, sciebat esse transiturum, ad petitionem discipuli sui Mauri hanc Regulam suis beatis manibus describens, eique tradidit, ut perfecte sciret qualiter se suosque discipulos imbueret: admonitionem in prologo ipsius Regulæ ita incipit, quasi singulariter ad illum. „ Ausculta, o fili, præcepta magistri & inclina aurem tuam, & admonitionem pii patris libenter excipe, & efficaciter comple. “ post hæc, specialiter ad omnes conversus adjecit, & quæ sequuntur. Nam tantæ discretionis est, ut nullus ita infirmus est, qui ex ea non possit habere quod sibi sufficiat; nullus sanus, nec fortis, qui non sibi habeat, quod laboret diebus vitæ suæ. Et hoc est summum bonum, quod in arbitrio abbatis posuit, unde monachus securus possit esse, si se sub imperio abbatis ponat: & adjecit hæc facientibus vitam æternam. Et iterum: „ Illa merces a Domino compensabitur, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, “ Audisti laborem, considera repromissionem: sufficiat tibi carissime. Si ultra vadis, errabis. Audi scripturam: „ Hac via ambula, te neque ad dexteram, neque ad sinistram convertas, viriliter inhærendo. “ Comple ista in monasterio: purifica te prius ibi ab omnibus vitiis, conculca superbiam, interfice vanam gloriam, abscinde iram, projice tristitiam, eradica avaritiam, occide luxuriam, conculca ventris ingluviem: firmet te humilitas, caritas, patientia, longanimitas, mansuetudo, obedientia, castitas, continentia, tolerantia cum spe certa & firma. Sed fortasse mens vestra titubat, quod nunc carnales vos Dominus salvare non posset. At valde contrarium est aliquem de prædictis cogitare vel dicere. Si Abel cum odio Cain sanctus effectus est, & Noe inter tot millia malos audivit a Domino, te solum inveni justum coram me; & Abraham de Hur Chaldæorum electus apparuit, & Loth cum de Sodomis abstraheretur justus inventus est, testante Apostolo: Justum Loth oppressum a nefandorum injuriis. Conversatione & aspectu justus erat apud eos habitans, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. Perpende, Loth inter malos laudatur, in monte reprobatur: qualis fuit in Sodoma, Apostolus laudat, qualis in monte, omnes vituperant. Continentiam, quam habuit inter Sodomitas, Angelica visio & locutio demonstrat: incestum, quod fecit in monte, Propheta non tacuit, cum ejus filiis usque in septimam generationem, ne intrarent in ecclesiam prohibuit. Nam si facta patrum veteris Testamenti non tibi placuerint, placeant saltem patres novi Testamenti. Certe Nero imperator sceleratissimus omnium imperatorum fuit: tamen Petrus usque ad ultimum vitæ suæ in ea civitate,

te, qua manebat, perduravit, & nihil ei impietas nocuit, immo profuit. Sic crudelitas Decii divo Laurentio, pertinacia Diocletiani Sebastiano, & aliorum multorum Sanctorum .... malitia inimicorum non obfuit, sed profuit. Sed ne mihi objicias, quia illi pagani martyres eos fecerunt; isti christiani nos non ita persequuntur. Unde quæso verte oculos tuos ad Libertinum quanta post mortem Honorati magistri sui a suo pessimo abbate perpessus est: attamen non fugit, neque decessit, sed eum portando in patientia sua in monasterio perduravit. Quid de Nonnoso præposito, cujus laudes beatus Gregorius in Dialogorum libro manifestat? Qui etsi trium patrum virtutes esset imitatus, tamen sub asperrimo patre degebat. Et ut scias, quod boni inter malos crescunt, rosas inter spinas crescere scimus, triticum inter aristas, oleum inter murtas, & Dominus zizaniam separare a tritico prohibet; sed ait: „ Sinite utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizaniam & alligate fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. " Hæc est spes electorum, qui malos non fugiendo, sed patiendo tolerant. Vis quærere justos? vade in cœlum, ibi solum invenies justos. In hoc seculo peccatores cum impiis semper inventi fuerunt & sunt, & maxima pars est iniquorum, quoniam semper plus paleæ quam frumenta fuerunt: tamen frumenta inter ea remanserunt, paleæ foras projectæ sunt. Tu si frumentum te esse cognoscis, ita cum palea usquequo venia .... & iterum: „ Beati eritis cum maledixerint vobis homines & persecuti vos fuerint. " Noli discedere, neque aufugere de carcere Domini. Et quid aliud est monasterium nisi carcer? unde non licet monacho, nec passu pedum sine licentia exire. Quantum alius ei dat, manducat; quantum alius dat, vestitur; quantum alius permittit, dormit; etiam nec loqui valet, nisi quantum ei permittitur, nec suam voluntatem in aliquo propriam audet facere. Noli, carissime, negligere. De isto carcere, immo camino, in quo, sicut tres pueri, Dominum videre poteris. Nam si ista, ut diximus jam, cum perfecte complesti, & ad majora te vis extendere, ut Apostolus dicit: „ Quæ retro sunt obliviscens, ad ea quæ priora sunt extendens mentem; " adhibe consilium abbatis & fratrum & cum eorum consilio & licentia, immo & obedientia, & eorum orationibus incipe, & cum caritate & pace perfice: ut si corpus separaveris ab eis, mente tamen & amore cum eis perseveres: quatenus & juxta promissionem tuam stabilitatem teneas, ne vagando discurrere videaris; sic & in conversionem morum tuorum, ut diximus, extirpata superbia, humilitatem in te fundatam, & omnibus vitiis in te mortificatis, & virtutibus adornatus, moribus tuis pravis abjectis, & bonis moribus instructus, non tuo arbitrio, sed alieno consilio & licentia, illam viam aggrediaris, ut tuæ professionis executor effectus ad æternam patriam pertingere merearis. Quoniam valde cavendum est, qui promittit beati Benedicti Regulam, & postea superbiendo contemnit, ne iram ejus incurrat & unde gratiam Dei habere poterat, per eam in illius iram deveniat. Certe si puer, qui sine ejus licentia de monasterio ad patris domum est reversus, post mortem illius, nec corpus ejus terra recipiebat, sed abominando eum de sepulcro foris projiciebat, quousque Benedicti gratiam non habuit: Quod valde cavendum esse scitote. Et sanctimoniales, quibus non jubendo, sed quasi minitando mandavit dicens: „ Si non corrigitis linguam vestram, excommunico vos; " & mortuæ & sepultæ, nec salutaris hostia, quæ pro eis offerebatur, eis proderat, sed oberat; quoniam quando suæ puellæ pro eis oblationem presbytero offerebant, & a diacono clamatum erat, ut qui non communicaret, locum daret; visum erat, quod de sepulcris exissent, & inter excommunicatos partem habebant, nisi postquam ille Beatus manu sua oblationem dans, quam pro eis Domino offerre deberent; & sic a Deo receptæ, amplius de sepulcris non sunt visæ foras exire. Pave & cave, carissime, & diligenter observa, ne sine Benedicti licentia vadas, & ejus iram incurras: quia si adhuc positus in terra, in cœlo ligabat & solvebat; multo magis cum Domino in cœlo positus, majora & fortiora facere poterit. Quapropter ab ejus præceptis noli discedere; non te seducat diabolus, ut majora facias: quia dico tibi & veraciter dico, si nudus pedibus incedas, & parva tunica vestiaris, æquarisque pauperibus in silva jejunando, per nares te in ligno suspendas, similis Benedicto non eris, nec illa tria capitula, quæ ediximus, implebis, quoniam ipse Beatus in Regula scripsit: „ Officina ubi hæc operantur, claustra sunt monasterii, & stabilitas in congregatione. " Tene istum si vis partici-

ticipare cum Benedicto. Dimitte apocryphorum dicta, quæ ab ecclesiasticis viris non solum imitando, verum etiam legendo prohibita sunt. Si sic divus Augustinus, præcipuus doctor, & Cœlestinus pontifex ea vituperarunt, ut canonibus inter apocrypha ea deputarent; nunc nullus sano sensu nec legere, nec sequi absque sue anime periculo poterit. Tu vero, carissime, noli sequi reprobatum; sed imitare regulam electam, ab electo divo Benedicto editam, a sancto pioque Spiritu-sancto dictatam, & a præclaro doctore pontifice summo amatam, laudatam, & a perfectis viris imitatam, quæ sectatores suos ad cœlorum regnum perducit. Interea de vobis audivi, quod silere non debeo, quoniam nuper conversum, ut a monasterio recedat, & vobiscum veniat seducitis, immo recipitis. Cujus figura in veteri Testamento demonstratur, cum præceptum sit, ut qui formidolosus esset & timidus, & non esset fortis, non exiret cum fratribus ad pugnandum. Et hoc exemplum beatissimus Euthymius in sancto Saba tenuit: quia quamvis jam a Deo eum electum agnosceret, ut etiam inter ignem de clibano illæsus exiret; & nec in vestimentis vel in capillis aliquam ustionem haberet, post ista & alia perfectionis opera, quæ in prædicto sancto Saba cognoverat, multis precibus ab eo constrictus, ut eum ad eremum secum adduceret, respondit magnus Dei Euthymius & ait illi: „ Oportet te, fili, inter fratres adhuc laborando mores tuos „ componere, non ad pugnandum in deserto recedere; “ & sub duobus abbatibus eum in monasterio probandum reliquit. Et post diutinam probationem eum secum tulit, & postea iterum ad fratres confortandos & regendos eum mandavit, quod Domino adjuvante complevit. Hæc pauca, carissime, vestræ caritati mandare curavi, ut hæc meditans, sicut miles Christi contra tentamenta dæmonum viriliter accingaris: quatenus tuam professionem adimplens, & illos ea imbuens, ad æternam patriam pervenire merearis, ut vivas, & regnes in secula.

LXIII.

Præceptum Ottonis III. imperatoris pro Leone archiepiscopo Ravennate.

Anno 999. v. kl. octobris.


Ex autographo archivi parthenonis sanctæ Christinæ de Bononia. Caps. P. n. 3.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. OTTO superna favente clementia Romanorum imperator augustus. Si locis divino cultui mancipatis proprietates, pertinentias & legum instituta augere, defendere & confirmare studuerimus id non solum humana laude predicandum, verum etiam divina remuneratione nobis recompensandum credimus & vere scimus. Quapropter agnoscant omnes fideles nostri presentes atque futuri, qualiter nos pro Dei omnipotentis amore, animeque nostre absolutione, nec non interventu ac petitione domni Leonis sancte Ravennatis ecclesie venerabilis archiepiscopi . . . sue sancte sedi per hanc nostram preceptalem paginam confirmamus & firmissime corroboramus omnes illos pertinentes episcopatus, monasteria, ecclesias, civitates & castella, ac omnes res que unquam, per cartas antiquas, privilegia atque precepta ad eamdem sacrosanctam Ravennatem ecclesiam pertinuerunt. Insuper ea que in nostri diadematis temporibus, vel antea a Johanne papa, seu a Gregorio papa ad ipsam ecclesiam sunt oblata, & perpetualiter donata, & a nobis confirmata, videlicet comitatum Feretranum cum episcopatu suo & cum monasterio sancti Salvatoris in ipso comitatu posito. Comitatum Cesenate cum castro vetere & novo & turribus ac omnibus sibi pertinentibus. Comitatum Ficoclensem cum ripa & episcopatu suo. Episcopatum Regiensem cum dono & consecratione, sicut nos ipsi sede per preceptum nostrum in perpetuum confirmavimus & tradidimus, simulque comitatum Decimanum, comitatum Traversarie, comitatum Imulensem & Cumaclensem cum ripa & piscariis suis. Comitatum Ferrarie cum ripa & piscariis suis. Massam, que vocatur Fiscalia cum Corna Cervina. Monasterium sancte Marie in Pompusia, monasterium sancti Illarii in Galiata cum omni districtione, placitoque suo. Nec non districtum Ravenne cum portis & ripa,

Ad lib. VI. n. 31.

ripa, muris, publicaliis, omnibus teloneis, moneta, & omnem potestatem in ...... infra & extra civitatem Ravenne. Insuper de portu Volane cum piscariis suis usque ad portum Cervie. Monasterium sancti Thome apostoli & sancte Eufemie infra civitatem Ariminensem cum omnibus pertinentiis eorum, seu omnes res quascumque diaconus Petrus filius Martini ducis per cartulam donationis in sanctam Ravennatem ecclesiam tradidit. Et quascumque Ingelrada comitissa detinuit, sicuti avus noster in placito Petro Ravennati archiepiscopo legaliter investivit, & in perpetuum confirmavit. Itemque omnes res & possessiones quas Lambertus cum uxore & filiis suis habuerunt a mari usque ad Alpes, a fluvio Peno usque ad Folia, sicut nos in prefata ecclesia olim tradidimus, quo.. inimici rei publice & sancte Ravennatis ecclesie aperte factis .... atque hec ... na in omnibus sicut jam confirmavimus & olim confirmata fuerunt prefato Leoni archiepiscopo & suis successoribus in perpetuum stabilimus. Unde imperiali statuimus edicto, ut si aliquis dux, marchio, comes, vicecomes seu ulla imperii nostri magna parvaque persona eandem Ravennatem ecclesiam divestierit, seu molestaverit, centum libras auri coacti componat, medietatem camere nostre, & medietatem prescripto archiepiscopo Ravennati & suis successoribus. Quod ut verius credatur, hanc paginam manu propria roborantes sigillari precepimus.

Signum domni Ottonis cæsaris invictissimi.



Heribertus cancellarius vice Petri Cumani episcopi recognovit.

Data v. kalendas octobris anno Dominice incarnationis DCCCC. XC. VIIII. indictione XII. Anno tertii Ottonis regni XVI. imperii IIII.

Acta ROMÆ. Feliciter.

Extat funiculus sericus violacei coloris, ex quo plumbeum sigillum pendebat.

LXIV.

Præceptum ejusdem pro monasterio sancti Laurentii in Campo.

Anno 1001. nonis martii.


Ex Muratorii antiquit. medii ævi T. V. col. 489.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Otho Dei gratia Romanorum imperator augustus. Imperatorie felicitatis est, ecclesiis amissa jura restituere, & de his, que ad presens possident, securitatis ac libertatis eis in futurum munus concedere, ut dum remotis jurgium litibus in summa pace quiescunt, pro imperii statu, totiusque gentis salute sponso suo Deo vivo & vero supplicare liberius possint. Quapropter noverit omnium sancte ecclesie fidelium universitas, qualiter per interventum domni spiritualis patris nostri Silvestri secundi pape, tibi Petro venerabili abbati monasterii sancti Laurentii in Campo, de eadem abbatia cum omni integritate sua per hanc nostre preceptionis paginam confirmationem concedimus, & per te tuisque successoribus abbatibus in perpetuum confirmamus, ea scilicet pactione, ut omnia que more .... salario ad utilitatem monasterii & heremi substentationem in presenti haberi videris, de hinc quiete & secure possideas, idest omnia, que in circuitu ejusdem monasterii sita esse videntur inter fluvium Saxanum & Rivumfrigidum usque ad terram sancti Apollinaris in Classe, & Ancudenam cum omnibus ad se pertinentibus: Cella sancti Petri in Bulgaria cum castello suo & curte deque illius tota .... Cella sanctorum Philippi & Jacobi cum castello suo, quod dicitur Cavallaria: Cella sancti Adriani cum castella de Cajo a strata publica ad fluvium Metaurum: Cella sancti Martini in Bretoli cum omnibus ad se pertinentibus: Cella sancti Johannis majoris in Fano constituta. Hec omnia cum omnibus ad se pertinentibus nostra imperiali auctoritate licet tibi intromittere, & ad usum monasterii & tuorum fratrum deinceps perpetuo possidere. Et non sit tibi fas, neque ullis tuis successoribus abbatibus de omnibus supradictis quicquam aliquam partem, aut emphiteutam seu quacumque scriptione transcribere vel ordinare, nisi more Ad lib. VII. n. 17.

colo-

colonico ad fruges annuatim persolvendas. Cetera vero, que male sunt transcripta, & secundum Justinianam legem non sunt ordinata, vel adventitiis emphiteuticis scriptionibus a monasterio eodem sunt alienata, sancimus, ut potestati tue investias, & predicta preceptione intromittas, idest corte Vetilago cum omnibus ad se pertinentibus: Cellam sancti Geruntii in Guanze cum omnibus ad se pertinentibus: Cellam sancti Savini in Pratalia cum corte & omni pertinentia sua; cortemque sive loca, que vocantur Metivo cum omnibus ad se pertinentibus: & locum, qui vocatur Aroveta cum ecclesia in eodem loco constituta, & cum omnibus ad se pertinentibus: Cellam sancti Donati & cellam sancti Severi cum cortibus & omnibus appartenentiis suis. Hec omnia & cetera quecumque ad jus ejusdem monasterii pertinere videntur, irritis omnibus scriptionibus eorum, eidem venerabili loco restituimus per hanc nostram inviolabilem constitutionem. Decernimus etiam, ut nullus imperator, rex, dux, marchio, princeps, comes, vicecomes de his omnibus possessionibus, quas superius diximus, alicui mortalium aliquid donare, vel in beneficium attribuere presumat, neque alicui archiepiscopatui, aut episcopatui id monasterium subjiciat, sed semper sub solo jure & dominio sancte Romane ecclesie perpetuo consistat. Insuper pro remedio anime mee, meorumque parentum, tibi tuisque successoribus abbatibus in perpetuum de nostra imperiali munificentia concedimus, ut de omnibus castellis, massis, cortibus, villis atque cunctis possessionibus ad idem tuum monasterium pertinentibus, nullum fodrum alicui magne, parveque persone dehinc persolvatur, sed tibi tuisque successoribus & fodrum colligere & districtionem in omnibus supradictis possessionibus tenere, liceat. Quod ut verius credatur, & ab omnibus observetur, manu nostra propria firmavimus, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum domni Ottonis serenissimi augusti.



Loco sigilli deperditi.

Heribertus cancellarius vice Petri Cumani recognovit.

Datum nonis martii anno incarnationis Dominice millesimo primo indictione decima quarta. Anno vero tertii Othonis regnantis XVII. imperii....

Actum Perusie.

LXV.


Aliud ejusdem Ottonis pro abbatia Pomposiana.

Anno 1001. 2. kl. aprilis.

Ex autographo archivi sancti Benedicti de Ferraria.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto superna favente clementia Romanorum imperator augustus. Omnium fidelium nostrorum tam presentium, quam futurorum noverit universitas, quod nos pro Dei omnipotentis amore, animeque nostre remedio, ac petitione domni Wilelmi Deo amabilis heremitæ monasterio sancte Mariæ, quod dicitur in Pomposia, nostra imperiali auctoritate confirmamus omnia, quæ illo pertinent in quocumque loco maneant in terris, vineis, silvis, piscariis, pascuis & ceteris pertinentiis. Statuimus itaque & precipimus firmiter concedentes, ut nemo ibidem ponatur in abbatem, nisi quem heremitæ ibidem Deo militantes eligant, communi consilio fratrum eligitur. Si quis hoc præceptum fregerit, componat centum libras auri cocti meditatem camere nostre, & medietatem predictis fratribus eremitis. Quod ut verius credatur hanc paginam manu propria roborantes sigillare præcepimus. *Ad lib VII. n. xl.*

Signum domni Ottonis cæsaris invictissimi.



Heribertus cancellarius vice Petri Comani episcopi recognovit.

Data II. kal. aprilis anno Dominicæ incarnationis millesimo primo indict. XIIII. anno II. Ottonis regni XVII. imper. V. Actum Ravennæ feliciter. Amen.

LXVI.

LXVI.

Placitum habitum pro eadem abbatia a Silvestro papa II. & ab Ottone III. imp. in monasterio sancti Apollinaris in Classe.

Anno 1001. 4. aprilis.

Ex archivo Rangonio editum a V. Cl. Gorio in Symbol. liter. T. V. p. 1.

Ad lib. VII. n. 5. IN Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Deo propitio pontificatus Domini nostri Silvestri Summi Pontificis & universalis Pape in Apostolica sacratissima Beati Petri Apostoli Domini Sede secundo. Sicque imperante Domino nostro Piissimo Perpetuo Augusto Ottone, a Deo coronato, Pacifico, Magno Imperatore in Italia vero anno V. die quarto mensis aprilis indictione quartadecima, infra claustra monasterii sancti Apollinaris, qui vocatur in Classe. Ea enim, que gesta esse videntur, prolixis temporibus memoriter retineri non possunt: ideo scripture vinculi anotari equum est. Igitur cum Christi auxilio dum residerent predicti domni Silvestri summi Pontifici & universali Pape una cum eo Domno Ottone Serenissimus Romanorum Imperator Augustus in predicta claustra monasterii sancti Apollinaris, qui vocatur in Classe, justitiam faciendam & altercationes deliberandas, residentibus & astantibus cum eis Episcopis, Abbatibus, Diaconibus, Monachis, & Eremitis, Clericis, Comitibus, Judicibus atque Consulibus & aliorum sublimium, quorum nomina hec sunt. Idest in primis domnus Petrus gratia Dei Episcopus sancte Cumiensis Ecclesie, Otbertus Episcopus sancte Veronensis Ecclesie, Leo prudentissimus Episcopus sancte Vercellensis Ecclesie & Logotheta sacri Palatii, Dominicus Episcopus Sutriensis Ecclesie, Sergius Episcopus sancte Cesinensis Ecclesie, Odilo Abbas monasterii sancti Petri Cluniacensis, Andreas abbas monasterii sancti Salvatoris Ticinensis, Robertus Oblacionarius sancte summe sedis Apostolice Romane Ecclesie, Fredericus Presbiter sancte Romane Ecclesie Cardinale, Gisilbertus, qui vocatur Bonizo Presbiter & Monachus sancti Salvatoris Ticinensis, Anastasius Abbas monasterii sancte Marie Selavanensis Provincie, Giribaldus abbas monasterii sancte Cristine Ticinensis, Arderardus Abbas monasterii sancti Apollinaris in Classe, Bonizo Abbas monasterii sancti Severi, Romualdus Abbas & Eremita, Guillielmus Presbiter & Eremita, Johannes Presbiter & Eremita, & alius Johannes monachus similiter & Eremita, Bonifacio Eremita, Baldericus Clericus & Capellanus Imperatoris, Guazo Diaconus similiter Capellanus Domni Imperatoris Ottoni, Poppo item Capellanus, Constantinus Archidiaconus sancte Ravennatis Ecclesie, Guarinus presbiter ejusdem sancte Ravennatis, Morenatius Subdiaconus ejusdem, Petrus Clericus & Notarius sancte Ravennatis Ecclesie, Petrus sacrosancti Palatii Lateranensis Comes, Arardus Comes, Tarvaldus, qui vocatur Paulus, Judex & ex genere Ducum, Petrus Judex sacrosancti Palatii, Judex & advocator sancte Ravennatis Ecclesie, & alius Petrus Judex filius quondam Pauli ex genere Ducum, qui vocatur de Traversaria, Andreas Judex, qui vocatur Utile, & alio Andrea Dativo, qui vocatur de Severo, Johannes Dativus Calciapelle, Almericus filius quondam Johannis Ducis, Paulus filius quondam Petri de Traversaria, & alius Paulus filius Petri de Traversaria, Petrus filius Johannis Ducis, Petrus de Adelberto, Johannes Consul, qui vocatur de Guanchilo, Gofredus de Bagno, Tetbertus de Atiliano, Apollinaris, qui vocatur Habertus, filius quondam Deusdedit Consulis de Ponte Augusti, Mauritius Negotiator, filius quondam Johannis de Teuda, Bonizo de Leucio, Liuzo negociator filius quondam Vitalis negotiatoris, qui vocatur de Marino, Rainardus Ticinensis & advocator supradicti Abbatis sancti Salvatoris, Johannes filius quondam Johannis de Andrea de Amabili, Andreas Tabellio ex genere Consulum, Lazarius Tabellio, Johannes qui vocatur de Vera & Vicedomini sancte Ravennatis Ecclesie, Adalbertus de Usicia & me presentem Constantinus in Dei nomine Tabellio hujus civitatis Ravenne, & alii plures, quos longum est ad scribendum.

In istorum omnium suprascriptorum presentia relecta est cartula petitionis, quas petivit quondam Constantinus Presbiter & Abbas monasterii sancte Marie, qui vocatur in Pomposia, ad quondam Domnus Johannes sanctissimo Archiepiscopo sancte Ravennatis Ecclesie de supradicto monasterio sancte Marie & de monasterio sancti Vitalis martiris in ipsius insula posito cum omnibus ad ipsi

monasterii pertinentibus, sitas in territorio Comiaclensis, a summo usque ad expletam roborationem testium. Et cum relecta ejus ter interrogavit supradictus Petrus sacro sancti Palatii Judex & Advocatus sancte Ravennatis Ecclesie predicte Andreas Abbati monasterii sancti Salvatoris Ticinensis una cum supradicto Advocatore suo nomine Rainaldus ex genere Longobardorum, si aliquid diceret, ipsam cartulam petitionis an non. Et ipse Abbas pariter cum supradicto Advocatore suo dixerunt: Laudamus eam, quia bona est, & volumus, ut sit firmam & stabilem in perpetuum, statimque adprehendiderunt in manibus suis virgam, & miserunt in manu supradicto Petro Judex sacro sancti Palatii, & Advocatus sancte Ravennatis Ecclesie & dixerunt: Ecce refutamus tibi invice sancte Ravennatis Ecclesie ipsum monasterium sancte Marie, qui vocatur in Pomposia, & monasterium sancti Vitalis martiris in ipsa Insula posito, & omnibus rebus, que in ipsa carta petitionis relegitur, ut habeant sancta Ravennas Ecclesia, ipsum monasterium sancte Marie, qui vocatur in Pomposia, & sancti Vitalis martiris in perpetuum. Et spopondit se ipse supradictus Andreas Abbas supradicti monasterii sancti Salvatoris una cum Advocatore suo nomine Rainardus ex genere Longobardorum: Si umquam in tempore ille aut sui successoribus, aut sua summissa persona, de ipso monasterio sancte Marie, quo vocatur in Pomposia, & sancti Vitalis martiris, secundum quod relegitur in ipsa cartula petitionis, se intromiserit, aut agere, vel contendere presumpserit: sciat se compositurus auri optimi libras decem ad sanctam Ravennatem Ecclesiam, suisque Archiepiscopis, & hanc refutationem & sponsionem in sua firmitate permaneat. Et similiter interrogatus est Georgius Episcopus sancte Comiaclensis Ecclesie cum Advocatore suo nomine supradicto Andreas ex genere Consulis & Tabellio, & Albericus Episcopus sancte Adrianensis Ecclesie cum Advocatore suo nomine Apollinaris, qui vocatur Ubertus de Ponte Augusti, a prefato Petro Judex sacri palatii, & Advocatus sancte Ravennatis Ecclesie, si aliquid vellent dicere de ipsa carta petitionis de supradictis monasteriis sancte Marie & sancti Vitalis, que in eorum presentia relecta est. Et ipsi Episcopi pariter cum Advocatoribus suis dixerunt. Laudamus eam, quia bona est, & volumus ut sit firmam & stabilem in perpetuum. Et spoponderunt se predicti Episcopi cum supradictis Advocatoribus suis, ut si umquam in tempore illi aut illorum successorum vel illorum summissa persona de prefatis monasteriis cum omnibus sibi pertinentibus contra voluntatem Archiepiscopi sancte Ravennatis Ecclesie auri optimi pro unusquisque libras decem; & hanc sponsionem & laudationem in suam firmitatem permaneat. Hec audiente prenominato Domnus Petrus sacrosancti Palatii Judex & sancte Ravennatis Ecclesie Advocatus dixit: Deprecor vos omnes, qui hoc auditis & videtis pro futuro testimonio. Hoc factum est sub die, mense, & indictione supradict a quartadecima in ista Claustra monasterii sancti Apollinaris, qui vocatur in Classe.

✠ Ego Silvester Sancte Catholice & Apostolice Ecclesie Romane Presul huic refutacioni & sponsioni, ut supra legitur, presui & subscripsi.

✠ Octo Servus Apostolorum subscripsi.

✠ Ego Rodbertus sancte catholice & Apostolice Ecclesie Romane Diaconus & Oblacionarius interfui.

✠ Ego Dominicus gratia Dei sancte Sutrine Ecclesie Episcopus interfui & subscripsi.

✠ Ego Petrus Cumanus Episcopus subscripsi.

✠ Otbertus Veronensis Episcopus interfuit.

✠ Georgius Episcopus sancte Comaclensis Ecclesie interfuit.

✠ Ego Andreas Abbas monasterii sancti Salvatoris interfui.

✠ Ego Arderatus Presbiter & monachus & abbas sancti Apollinaris interfuit.

✠ Ursus presbiter & monachus & Abbas monasterii sancti Andree Apostoli, qui vocatur majoris, interfuit.

✠ Romualdus Monachus interfuit.

✠ Constantinus in Dei nomine Tabellio Civitatis Ravenne, & Dei gratia sacri Palatii Judex huic refutationi & sponsioni interfui & subscripsi.

✠ Ego Petrus Deo annuente Dativus huic refutationi & sponsioni interfui & subscripsi.

. . . . . . & Logotheta Palacii affuit, voluit, laudavit, decrevit & in eternum valere precepit.

Andreas Christi misericordia Tabellio interfuit & subscripsit.

.... in Dei nomine Tabellio civitatis Ravenne scriptor hujus refutationis & sponsionis, de omnibus sicut supra legitur post roborationem Judicum & testium ..... absolvi.

LXVII.

LXVII.

Præceptum Ottonis III, pro monasterio sancti Apollinaris in Classe.

Anno 1001. VI. kl. maji.

Ex autographo ejusdem monasterii.

Ad lib. VII. n. 15. IN nomine sancte & individue Trinitatis. Otto divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Si nostrorum fidelium petitionibus aures nostre serenitatis accomodaverimus, promptiores ac devotiores eos in nostro obsequio fore nullatenus titubamus. Omnium sancte Dei igitur ecclesie nostrorum fidelium presentium scilicet ac futurorum noverit solertia Hardesadum presbiterum & monachum atque abbatem Ravennatem monasterii sancti Appolinaris, quod ascerunt fundatum dudum in civitate cognominata Classis, nostrumque devotissimum fidelem, nostram in omnibus exorasse celsitudinem, quatinus pro Dei amore, animeque nostre perpetua salute corroboraremus, atque firmaremus, & ex nostra benignissima largitione concederemus & deliberaremus in perpetuum confirmandum per hoc nostri precepti atque pragmatici scripti inviolabilem paginam omnes res ac possessiones quascumque prefata ecclesia prelibati monasterii quibuscumque cautionibus vel deliberationibus visum est possidere in integrum, cujus sacris petitionibus justisque desideriis devote & libenter annuentes & ascensum prebentes corroboravimus atque confirmavimus ex nostro jure & dominio in ejus jus & dominium transfundimus, videlicet quecumque conjacent res monasterii tam in monarchia, quam per singula loca nostri regni. In comitatu Fanensi & Pensaurensi, seu Ariminensi. Villam que dicitur Sala cum suis appendiciis in integrum, & titulum ecclesie ipsius monasterii in latere parietis situm in honorem sancte Felicule, & sanctorum martirum Marci & Marcelliani & Aecclesiam sancte Dei genitricis Marie in predicta villa & corticella Sale, & Aecclesiam sancti Martini que nominatur in Aqualonga. Hec omnia in integrum cum omnibus suis pertinentiis & coherentiis atque subjacensiis, cui pretaxate Sale sunt coherentes undique secum. Primo latere fluvius, qui dicitur Pisciatellus; secundo lateri Vedreta, limes & Paverianus; tertio lateri limes, qui dicitur Arzer, percurrens a Paveriano usque in stratellam, & rivus, qui vocatur de Fabrica, definiens ac derivens usque in mare, & ipsum litus maris quantulumcumque inibi pertinere videtur in integrum. Concedimus etiam Salam novam in integrum cum omnibus appendiciis suis & quidquid regale est Castaneto, & in Bulgaria & in Branchis. Iterum concedimus, ut liceat sibi facere in civitate, que dicitur Phano, posterulam in pupblico muro in loco illo, ubi propriam terram infra & extra habeant, & juxta murum, qui vocatur dapenna, Aecclesiam edificare. Concedimus etiam & precipientes statuimus, ut nullus Dux aut Archiepiscopus, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdatio, Gastaldio vel aliquis publicus exactor in aliquibus prediis & possessionibus per quecumque nostri regni loca conjacentibus & residentibus, aut hominibus supra sedentibus vel inhabitantibus, Theloneum aut aliquam publicam functionem per alicujus tituli districtionem audeat exigere, vel exquirere, nec aliquam invasionem vel diminurationem aut temerariam presumpcionem vel depredationem quoquomodo agere vel inferre presumendo pertemptet. Si quis igitur hanc nostre semper & ubique inviolande cautionis, firmationis, deliberationis, & concessionis, & voluntarie distributionis paginam, quod absit, quoquomodo temerario ausu infringere conatus fuerit, sciet se compositurum centum libras auri aut mille medietatem camere nostre & medietatem prelibato monasterio sancti Apollinaris. Quod ut melius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manibus propriis presentem paginam roborantes nostri sigilli impressionem inferius jussimus insigniri.

Signum domni Ottonis serenissimi imperatoris augusti. [monogram: O S]

Heribertus cancellarius vice Petri Cumani episcopi & archicancellarii recognovi.

Data VI. kal. anno dominice incarnationis millesimo primo indictione decima quarta, anno vero tertii Ottonis regnantis V. imperii autem XVII. Actum Ravenna feliciter. amen.

Pendet sigillum plumbeum, in cujus antica parte conspicitur caput Augusti cum epigraphe AUREA. ROMA. *in postica tan-*

tantum legitur ODDO. IMRATOR. ROMANOR.

LXVIII.

Leonis archiepiscopi Ravennatis libellus emphyteusis Bonizoni abbati Palatiolensi.

Anno 1001. 4. junii.

Ex Mabillonii de re diplomatica lib. V. p. 446.

Ad lib. VII. n. 16. IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno Deo propitio pontificatus domni Silvestri summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri sede tertio, sicque imperante domno Ottone a Deo coronato, pacifico, magno imperatore in Italia anno quinto, die secundo mensis junii, indictione quarta decima. Ravenne. Leo servus servorum Dei divina gratia archiepiscopus, Bonizoni venerabili presbytero & monacho atque abbate monasterii sancte Marie in Palatiolo, tuisque successoribus in perpetuum. Petitioni vestre, que habentur in subditis libenter acquomodamus ad sensum, ob hoc quia nec munificentia deperit, nec percipientibus in perpetuum, quod datur, adquiritur. Et quoniam sperastis, uti cupas duas vini cum superioribus & inferioribus suis, cum portione curtis de portione potei, vel cum ingresso & egresso, & cum omnibus earum pertinentibus const. in hac civitate Ravenn. in pariete domus ecclesie Gothorum in extra fines ipsarum, & duabus partibus possidet Johanne & Petro de Raberto de Arimino germanis, seu a tertiola vinea possidet Paulo de Romano & Hermenfredo germanis, atque a quartola curticella juris monasterii sancti Johannis evangeliste que predicte res juris sancte Ravenn. ecclesie enfiteuticario modo postulastis largiri, si minime cuiquam per enfiteusin antea sunt largita. Vos, qui si Bonizoni venerabili presbytero & monacho atque abbati monasterii sancte marie in Palatiolo, tuisque successoribus abbatibus in perpetuum, donec vos divinitas in hac luce jussi permanere, sub denariis quatuor pensi singulis quibusque indictionibus actoribus sancte nostre Ravenn. ecclesie inferre debeatis, ea vero conditione prefixa, ut eas cupas vestris propriis expensis, seu laboribus restaurare, defensare & meliorare Deo debeatis adjutore, nihilque de omni expensa, quam inibi feceritis ab actoribus sancte nostre Ravenn. ecclesie in superius affixa pensi d..... modo reputari debeatis, nullamque.... dicta neg.... tam ad inferendum ream pensi, quamque ad meliorationem pro dictis cupis facere debeatis: sed ante nominatam pensi omni martio mense infra ind. sine aliqua excusatione aut dilatatione actoribus sancte nostre Ravenn. ecclesie persolvere debeatis. Et ne cuiquam presens preceptum, aut ixtas cupas alicui homini dare, vel vendere, seu transferre, aut oponere, vel commutare, aut in alio venerabili loco relinquere audeatis per nullum ingenium vel argumentum: sed nec aliquando adversus sanctam nostram benefatricem vestram Ravenn. ecclesiam cuiquam contra justitiam tractare, aut agere, nisi propria causa, si contigerit per justitiam tantummodo ventilare audeatis. Quod si in aliqua tardietate aut neglectu, vel controversia inventi fueritis extra agere de his que superius affixis conditionibus, non solum de hoc precepto recadeatis, verum etiam daturi eritis parti sancte nostre Ravenn. ecclesie ante omne litis initium, aut interpellationem pene nomine auri obrisi, uncias duas, & si non persolveritis multociens dictam pensi infra biennium, ut leges censeunt; tunc post pene solutionem licentia sit actoribus sancte nostre Ravenn. ecclesie vos exinde expellere, & qualiter previderint, ordinare. Quam preceptionis nostre paginam Deusdedit notario sancte nostre Ravenn. ecclesie scribendum jussimus, in qua nos subscripsimus sub die mensis & indictione ixta quarta decima. Ravenne.

† Legimus. †.

LXIX.

Præceptum Ottonis III. pro abbatia Prataliæ in alpibus Arretinis.


Anno 1002. 3. januarii.

Ex tabulario monasterii Fontis-boni.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Otto servus apostolorum imperator augustus Romanorum. Si precibus Christo famulantium nostra pietas annuat hinc nobis victoria celitus aucta corporis atque salus anime quoque gaudium crescent. Quapropter notum esse volumus omnibus nostris fidelibus presentibus silicet Ad lib. VII. n. 21.

cet & futuris, qualiter interventu Theuzonis monachi nostri fidelis pro remedio nostre anime largimur atque concedimus, prout juste & legaliter possumus monasterio sancte Marie & sancti Benedicti, quod est situm in alpe, que dicitur Pratalia, juxta rivum nomine Bidentem ad radicem montis nomine Acuti, qui dividit Thusciam & Romaniam mansos VI. de jure nostri regni, mansum videlicet unum qui vulgo dicitur Nibli de Soci, quem Hugo marchio per libellum dederat predicto monasterio. Alterum vero mansum, qui dicitur Theuzonis Bruscati, quem marchio similiter per libellum habuit concessum. Mansum quoque de Sexta, unde marchio libellum fecerat Winizoni castaldio. Item mansum de Vetrina, quem Leoni marchio per libellum dederat cum tribus mansis de Caprena. Mansum etiam de Linaro, unde libellum habuit Bonizo. Mansum quoque de Tejano, quem Winizo habet per libellum cum parte illius vinee, quam habet Tuizo per libellum. Prescriptos igitur mansos & partem vinee de regni nostri jure ac dominio donamus, atque transfundimus in jus atque dominium predicti monasterii de Pratalia sancte Marie ad Bidentem & sancti Benedicti cum omnibus eorum pertinentiis que dici vel nominari possunt cum terris, campis, casis, vineis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, & omnibus rebus mobilibus & immobilibus tali tenore, ut predictus Theuzo monachus rector monasterii, suique successores abbates habeant in . . . potestatem ad utilitatem ipsius monasterii faciendi quicquid lex Dei precipit. Precipientes itaque jubemus ut nullus dux, marchio, comes, vicecomes, episcopus, castaldio, vel aliqua nostri regni magna parvave persona predictum rectorem ipsius monasterii seu successores ejus abbates de omnibus que suprascripta sunt, disvestire aut inquietare sine legali judicio presumat. Si quis igitur hujus nostri precepti violator extiterit, sciat se compositurum auri optimi libras centum medietatem camere nostre & medietatem prefato monasterio. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, hanc nostre donationis paginam nostra bulla sigillari jussimus.

Signum domni OTTONIS invictissimi tertii imperatoris.



Heribertus cancellarius ad vicem Petri Cumani episcopi & archicancellarii recognovi.

Data III. idus januarii anno Dominice incarnationis M. II. indictione XV. anno autem domini Ottonis invictissimi tertii imperatoris regnantis quidem XVIII. imperantis VI. Actum Paterno feliciter.

LXX.

Donatio, quam fecit Hugo marchio Massæ & dominus Corsicæ monasterio Montis-Christi.

Anno 1002. III. nonas aprilis.

Ex codice archivi sancti Michaelis in Burgo Pisarum.

IN nomine Domini. amen. Ex hoc publico strumento sit omnibus audientibus & legentibus. Hoc est exemplum de quadam chartula, qualis tenor talis est. Quoniam quidem ego dominus Ugonus dei gratia marchio Masse, domino de Corsica & judex Calaritanus coram me *Nicholajo* Johannis imperiali auctoritate notario coram subscriptis testibus dedit, & concessit, atque tradidit & donavit sanus mente & corpore pro remedio & salute anime sue & parentum suorum inrevocabiliter inter vivos Deo, & domno Placido abbati monasterii sancti Mamiliani insule Montis Christi, una possessionem terrarum, que est propria dictam in plagia posita in loco, quod dicitur *a le Prunice* cum terris cultis & non cultis, buschis & silvis terminata ex omni latere cum via publica. Item dedit aliam possessionem terre dictus dominus marchio dicto domino abbati in loco dicto *a le Codule* cum terris cultis & discultis, buschis & silvis, & terminis ubi positis. Item aliam possessionem terrarum in loco ubi dicitur *a la Renula* cum suis pertinentiis & confinibus, ac terris cultis & incultis, buschis & silvis, ita quod dictus abbas possit de dictis terris *a le Prunice*, *a le Codule* & *a la Renula* tamquam de re propria sua facere, quam intra donationem, concessionem & traditionem di-

Ad lib. X. n. 21.

ctus

ctus dominus marchio dedit, & concessit & firmavit, uti omni tempore sibi in ipsa propria ecclesia vel abbatia Montis Christi firma sit, de medietate persistat, & quem ortabunt dictus dominus marchio me pro predicto *Nicolajo* notarius scribere rogatus.

Actum in castro Calari in presentia dicti domini marchionis, presentibus domino Mariano Gontini, Ravino medico, & domino Bartholomeo di bos & alii plures rogatis testibus. Anno Dominice incarnationis M. II. indictione XV. tertio nonas aprilis.

Ego Nicolaus Johannis imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui, & a dicto domino marchio rogato scribere publice scripsi & affirmavi.

Ego Johannes suprascripto predicta exemplavi de actis Montis Christi.

LXXI.

Reinerius & Berardus, atque Icta & Gisla eorum conjuges remotis monialibus ex Fontebona in agro Senensi monachos introducunt.

Anno 1003. mense januario.

Ex codice instrumentorum Uberti Benvoglientii.

Ad lib. VII. n. 33. IN nomine sancte & individue Trinitatis. Manifesti sumus nos Reinerius & Berardus germani Saligi filii bone memorie item Berardi, qui fuit Saligo ex gente Francorum, & Icta conjuge ejusdem Rodulphi, filia bone memorie Ferolfi, & Gisla conjux ejusdem Berardi, filia bone memorie Rodulfi, per presentem diximus: Vita & mors in manu Dei est. Sed melius est homini metum mortis vivere, quam in spe vivendi, & morte subitanea prevenire. Etiam recordantes nos, quia larga est misericordia Domini, propterea quicquid in sanctis & venerabilibus locis ex suis aliquid contulerit rebus, juxta auctoris vocem, in hoc seculo centuplum accipiet, insuper quod melius est, vitam possidebit eternam. Ideo, qui suprascripti germani jugalibus manifesti sumus, quia volumus reconciliare & ordinare in ordine monachorum ecclesia nostra, cui vocabulo est sancti Salvatoris & sancti Alexandri, quod ibidem fuit monasterio Puellarum, qui parentibus nostris edificaverunt eum, quod est posito in vocabulo & loco Campi, ubi dicitur Fontebona, super fluvio Coja infra comitato Senense. Idcirco pro amore Dei omnipotentis, & remissionem peccatorum meorum, & remissionem Berardi & Ermingarde genitoris & genitrice nostra, ut pio Domino largiente veniam consequi mereamur, donamus adque tradimus a suprascripto monasterio ipsa terra, ubi ipso monasterio est edificatum, cum integro donicato & integra silva, que dicitur Cetoraja, & alia silva, sicut ab omni circuito est, quia de una parte decurrit eis fossato, qui dicitur Lavanderia, & de alio latere fossato Marmorajo, & de subto fluvio Coja, tam de ista parte Coja, quam de illa, que ad suprascripta est pertinentes, & desuper finitis sere & termine, & infra ipso circuito est ecclesia sancti Martini cum donnicato & cum suis pertinentiis & cum casis & rebus massariciis, qui ibi sunt positi in supradicto Campo, mansa una cum casa super se habentes, qui regitur per Salomone. Alia manta absa, qui regitur per Alberto presbitero. Tertia, qui regitur per Petrus. Quarta casa & sorte, qui regitur per Dominico. Quinta, qui regitur per Johanni. Sexta per Bezo. Septima per Boninzo. Octava absa, que detinet Teuzo presbitero. Nona, que detinet Urso in scopitulo. Decima, que detinet Dominico. Undecima Stephano presbitero. Duodecima predicto presbitero. Tertiadecima, que detinet Lamberto. Quartadecima, que Azo presbitero. Quintadecima, que detinet Dominico Barello. Sextadecima in Gellino putido absa. Septimadecima in colle Genculi, que detinet Petrus. Octavadecima in Cessina, que detinet Urso. Nonadecima in monte Tulli, que detinet Martino. Vicessima in Sextano, que detinet Dominico. Vicesima prima in Piscinule, que detinet Ado. Vicesima secunda in Ferrale absa. Vigesima tertia super Peritulo absa, seo in loco & vocabulo Casprino. Ecclesia sancti Angeli cum donicato & cum molendino & cum suis pertinentiis, & aqueductum predicti molendini, quocumque loco in futurum necesse fuerit, concedimus. Nam alia omnia suprascripta ecclesia & donicata & molendino cum casis & rebus massariciis quatuor: una qui regitur per Bonizo: alia qui regitur per Guido: tertia qui regitur per Dominico Turdello: quarta qui regitur per Prando Massario una cum integra decimatione nostra donicata de omnibus rebus curtis nostris; seo & servis quatuor ad predicto monasterio donamus & tradimus, ac predictis ecclesiis cum

cum donicatis & cum rebus massaritiis, & cum silvis & rebus, sicut jam dicti & nominati & circumdati, & atermina-ti cum omnibus eorum pertinentiis & nostris arvis qua cultis cum curtis, or-tis, terris, vineis, silvis, rivis, pratis & pascuis, cum olivetis & castanietis, cum fontibus & puteis, & piscariis atque mo-lendinis, cum predictis servis: nomina eorum Petrus & Ugo cum omnia & in omnibus, sicut superius legitur; totum adque integrum donamus, adque conce-dimus, & secundum lege nostra Saliga confirmamus per fistucum nodatum & cul-tellum plecatum, vvantone seo ramis ar-boribus adque vvasoni & adigilaginem tradimus ad ipsum sanctum loco de jure nostro in jure donationis ipsius prefati monasterii domini Salvatoris, qui nos in monachorum ordinem reconciliamus, in ea videlicet rationem, ut dum nos pre-fati germani Rodulfi, Bernardi & Icta, Gisla jugalibus in oc seculo advivere me-ruerimus, in nostra sit potestate & regi-mine gubernandi, struendi & meliorandi, nam non vendendi nec donandi, nec a-lienandi, nisi de aversa parte sit potestas defendendi. Et post nostrum decessum de-veniat ipso monasterio in potestate & regimen de eredibus & anc proeredibus nostris. Sed volumus adque concedimus, ut ipsi monachi, qui ad ipsum monaste-rium sunt ordinati regulariter vivant. Et si ipsi monachi regulariter vivere no-luerint, tunc habeamus licentiam nos su-prascriptorum & nostris heredibus ac pro-heredibus, illis foris ejicere, & alteris introducere meliores, qui ipsum ordinem melius custodiant. Ipso monachos in alias potestas non se mittere debea, nec com-mendare, nisi in nos germanis & nostris filiis heredibus & anc proheredibus si nos vel nostri heredibus licentiam non dede-rimus. Sed qualiter de nos germanis & jugalibus, vel nostris filiis heredibus & anc proheredibus, vel omnia, sicut supe-rius legitur, conservare noluerit de ipso monasterio & de suis pertinentiis, ina-nis & vacuus permanea, & reveniat in potestatem ad illum conservatore ipsum monasterio, & ipsi monachi, qui conser-vaverit omnia, sicut superius legitur. Nam & ipsam electionem & ordinatio-nem sine licentia & consensu nostro & de heredibus & anc proheredibus nostris stabiliter esse non debeat. In eo ordine, ut non habeat licentiam, vel potestatem nos, nec nostris heredibus & anc prohe-redibus de ipsis rebus de predicto mona-sterio nec vendere, nec donare, nec alie-nare, nec per ullo ingenio, nec per scri-ptionem in aversa parte de ipso mona-sterio abstraere, nisi de aversa parte jure ipsius monasterii defendere & manburdi-re. Et ipse abbas de ipso monasterio nec debeat monasterii habea potestatem per ullum argumentum ingenii in aversa par-te dare, nec alienare ad dannietate ipsius monasterii; set omnique tempore per nos vel pro nostris parentibus orationes, nul-la alia laborationem, nec alium censum, nec superposita faciat, nisi per singulos annos in dedicationem ejusdem monaste-rii ad nos suprascriptorum germanis ju-galibus vel ad nostris heredibus ac pro-heredibus ibidem ad ipsum monasterio do-ne in pensionem denarios duodecim. Et si ipse abbas, aut suis posteris successo-res predictam pensionem non dederit, & dare neglexerit in primo & secundo, vel usque in septimo anno: tunc dent postea ipsam pensionem insimul. Quod dictum est, si tunc ipsam pensionem dare negle-xerit, compona ipse abbas nos germanis & jugalibus & nostri heredibus ac pro-heredibus aurum libras tres, & postea abea ipsum monasterio, ut superius legi-tur, omnia adimpleta. Et si quis vero, quod futuro esse non credimus, & si nos suprascriptorum germanis & jugalibus, aut ullus heredibus ac proheredibus, seo quaslibet alia aposita vel extranea perso-na, qui contra prefato fulgenti monaste-rio, qui nos propter nomen Domini & reverentiam domini Salvatoris reconci-liavimus, inrumpere aut infrangere ten-taverit, aut in ordine monachorum non conservaverit, quod Deus non permittat absi: tunc primis omnium ira Dei & ipsius sancti loci exitatus occurra, & a limina sanctorum excommunicatus appa-reat, & illa sententia recipiat, quem Ju-da Scariot, qui Dominum tradidit, & cum Dathan & Abiron, qui terra vivo decrutivit, & sit consortio cum antichri-sto, excommunicatus sit ad trecento & decem octo sancti Patri, qui canones constituunt; & non in ea in dextera, set in sinistra parte cum peccatore & impii puniatur. Et insuper componere promit-timus nos suprascripti germanis & ju-galibus cum filiis, heredibus & anc proheredibus a pars predicto monaste-rio, si omnia, que superius legi-tur, & decrevi facere, non permise-rimus habere & detinere & ordinare, si-cut superius legitur, mulcta quod penam de auro optimo libras centum, argenti ponderas duocenti. Ecce qualem fuit no-stro desiderio, & oc voluntas Deo opi-tulante adimplere festinavimus. Et ec tra-ditio omnique tempore firma & inviola-

ta

ta permanea cum omni firmitatem, & ſtipulatione ſubnixa, & pargamena cum atramentario de terra levavimus: tibi Johanni notario domni imperatoris ad ſcribendum tradidimus e ſcrivere rogavimus, in quod ſubtus confirmans, teſtibus obtulit roboranda.

Actum comitato Senenſe. Facto unc ſcriptum dotis in anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo tertio menſe genuario indictione xv. feliciter.

Signum manum ſuprafcriptorum germanis & jugalibus, qui unc ſcriptum dotis, ſicut ſuperius legitur, ſcrivere rogaverunt.

Signum manu Petroni Saligo filio bone memorie Berardi, qui Bonizo vocatus eſt teſtes.

Signum manum Ardimanni filio Cilaldi rogatus teſtes.

Signum Uberti filio Mariovu, lege vivente Longobardorum, teſtes.

Signum manum Wilelmi Saligo filio Rodulfi rogatus teſtes.

Signum manum Petroni filio bone memorie .... rogatus teſtes.

Signum Ugi Saligo filio de ſupraſcripto Rodulfo rogatus teſtes.

Signum manum Petroni filio bone memorie Rolandi, qui Roizo vocatus fuit, rogatus teſtes.

Ego Arduinus notarius rogatus teſtes.

Johanni notarius domni Imperatoris, qui ex roito ejuſdem ſupraſcriptorum germanis & jugalibus ſcripſi unc ſcriptum dotis, & poſt tradita complevi & dedi.

LXXII.

Conceſſio fundi Lizani facta Petro abbati Uranenſi & ſex ejus ſucceſſoribus a Frederico archiepiſcopo Ravennate.

Anno 1003. 7. aprilis.

Ex apographo ejuſdem, ut videtur, ſeculi, tabularii archiepiſcopii Ravennatis Capſ. L. n. 4. 984.

Adlib. VI. n. 34. IN nomine patris & filii & ſpiritus ſancti anno deo propitio pontificatus donni Silveſtri ſummi pontificis univerſalis pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri ſede quinto die ſeptimo menſis aprilis indictione prima Ravenne. Domino ſancto & meritis beatiſſimo atque apoſtolico patri patrum donnus Frederico ſanctiſſimo ſancte catholice ravennatis ecclesie archiepiſcopus Petro venerabili abbati monaſterii ſancte Marie que vocatur in urano, omnibus diebus vite mee & poſt meum obitum ſex ſucceſſoribus meis abbatibus unum poſt unum uti fundum Lizano, qui vocatur pruneta excepto prato noſtro domnicatum qui vocatur major quem ad veſtris reſervatis manibus conſtitutus territorio Pupulienſi plebe ſancte marie que vocatur in caſtro Ceſubeo intra afines ejus hoc eſt ab uno latere fundum qui vocatur teſelletus & ab alio latere poſſidet Johannes qui vocatur de caſa lapidea cum fratre ſuo petro, ſeu a tertio latere fundum Gracinianum, & fundum Beleni atque a quarto latere laco piſcatorio henfiteoticario modo poſtulamus largiſtis nos qui ſupra petro venerabili abbati monaſterii ſancte marie, que vocatur in urano, diebus vite mee & poſt meum obitum ſex ſucceſſoribus meis abbatibus, unum poſt unum donec nos divinitas in hac luce juſſerit permanere ſub denariis ſex titulo penſionem ſingulis quibuſque indictionibus inferre debeamus, ea vero condicione prefixa ut ſupra ſcriptum fundum ſicut ſuperius legitur veſtris propriis expenſis ſeu laboribus cultare laborare & meliorare Deo debeamus adiutorem. nichilque de omni expenſam quam inibi fecerimus ab actoribus ſancte veſtre ravennatis ecclesie in ſuperius adfixam penſionem quoquo modo reputari debeamus nullamque tarditatem aut neglectum tam inferendam ſupraſcriptam penſionem quamque ad meliorationem predictarum rerum facere debeamus, ſet ante nominatam penſionem marcii menſe infra indictionem ſine aliqua excuſatione aut dilactatione actoribus ſancte veſtre Ravennatis ecclesie perſolvere debeamus & nec quicquam preſens preceptum aut ſupraſcriptam rem alicui homini dare vel vendere ſeu transferre aut opponere ideſt comutuare aut in alico venerabili loco relinquere audeamus per ullum ingenium vel argumentum ſet nec aliquando adverſus ſanctam veſtram benefatricem noſtram Ravennatem ecclesiam cuiquam contra juſtitiam tractare aut agere niſi propria cauſa ſi contigerit per juſtitiam tantumodo veltilare audeamus. Quod ſi in aliqua tarditate aut neglectu vel controverſia inventi fuerimus, extra agere de iis que ſuperius affixis conditionibus non ſolum de hoc precepto recadamus verum etiam daturi erimus parti ſancte veſtre Ravennatis ecclesie ante omne litis initium aut interpellationem pene nomine auri uncias duas. Et ſi non perſolverimus multotiens dictam

dictam pensionem infra biennium ut leges censeunt, tunc post pena soluta tunc licentia sit actoribus sancte vestre ravennatis ecclesie nos inde expellere & quomodolibet providerint ordinare, sed & post transitum nostrum, quorum si quando domino placuerit tociens dictam rem cum omnibus que inibi a nobis augta facta meliorataque fuerint ad jus dominiumque sancte vestre Ravennatis, cujus est proprietas, revertatur ecclesie. Quam preceptionis vestre paginam Onestus notarius sancte ravennatis ecclesie scribendum rogavimus, in qua nos subscripsimus sub die mensis & indictione supradicta prima Ravenne.

Ego Ambrosius dei gratia Ravenne tabellio scripsi hoc exemplum, sicut superius legitur.

LXXIII.

Johannes & Gregorius abbates sancti Gregorii de Urbe locant Sogualdo nobili viro castellum Vetulum.

Anno 1003. 1. julii.

Ex codice ejusdem monasterii sancti Gregorii p. C. LXX.

Adlib. VII. n. 34. IN nomine Domini Dei salvatoris nostri Jhesu Christi. Anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis & universalis septimi decimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli primo indictione prima mensis julii die quarta. Quisquis actionibus venerabilium locorum preesse dinoscitur, incunctanter eorum utilitatibus, ut proficiat, summa diligentia procurare festinet. Placuit igitur cum Christi auxilio atque convenit inter Johannem religioso abbate, seu Gregorio item juniorem abbatem venerabilis monasterii sanctorum Andree apostoli & sancti Gregorii, qui vocatur Clivusscauri, consentiente ab eis cuncta congregatione suprascripti monasterii, & e diverso Sogualdo nobili viro habitatore civitatis Nepesine com Domini adjutorio suscipere debeant a suprascripto Johanne seu Gregorio abbate, vel a cuncta congregatione ejus monacis sibi consentientibus, sicut & suscipit predicto Sogualdo conductionis monasterii, id est castellum unum in inde, quod vocatur Vetulum, cum casis & apendicibus suis cum introitu & exitu suo per terram suprascripto monasterio, & cum omnibus ad ipsum castellum in inde pertinentibus positis territorio Nepesino in fundum, qui vocatur Celiniano, & inter affines ad totum ipsum Castellum, ab uno latere fontana, que vocatur Formellum, que est ante ipsum Castellum, a secundo latere incipiente a capite cava emittit in aquam, que vocatur Fistella, qui pergit in fossatum, & per ipso fossatum pergente in aquam, que vocatur *la Teregia*, & a tertio sive a quarto latere predicta aqua que vocatur *la Teregia*, infra hos vero affines concedimus tibi predictum Castellum in inde, excepto alie domosas, & terra, que antea tibi per cartulam dedimus, juris suprascripti monasterii, ita ut suo studio suoque labore suprascripto Sogualdo Castellum ipsum in inde, ut supra legitur, in omnibus tenere & possidere debeat, & ad meliorem faciendum Domino juvante ad cultum perducat ipso heredesque suos . . . . in tertium gradum, tertiam personam, tertium heredem, tertiam generationem, hoc est ipso suprascripto seu filiis nepotesque suis & filiis legitimis procreatis. Quod si vero filii & nepotes minime fuerint, uni etiam extranee persone, cui voluerit, relinquendi habeat licentiam, excepto piis locis, vel publicis numero militum seu bando, retenta dumtaxat in omnibus proprietate jamdicti monasterii, pro qua & supradictum Castellum nostrum in inde, quod vocatur Vetulum, cum casis & apendicibus suis, & omnibus pertinentibus, ut supra legitur, dare atque inferre debeat suprascripto Sogualdo heredibusque suis rationibus in suprascripto monasterio singulis quibusque annis sine aliqua mora vel dilatione pensionis nomine in mense decembris triginta paria funi canapinea: & si per totum mensem decembris data & persoluta non fuerit, in octavas duplum detur. Completa vero tertia generatione, ut supra legitur, tunc suprascriptum castellum in inde cum omnibus suis meliorationibus & pertinentiis ad jus suprascripti monasterii, cujus est proprietas in inde modis omnibus revertatur, ut quicquid eumdem monasterium curam gesserit, locandi, quibus maluerit, liberam habeat sine aliqua ambiguitate licentiam, de qua re & de quibus omnibus suprascriptis & jurantes dicunt utreque partes per Deum omnipotentem sancteque sedis apostolice domni Johannis sanctissimi pape, hec omnia, que hujus placiti conventionis cartule seriem textus eloquitur, inviolabiliter conservare, atque adimplere promittunt. Quod si quisquam eorum con-

contra hujus cartule seriem in toto partemve ejus quolibet modo venire temptaverit, tunc non solum perjurii reatum incurrat, verum etiam daturum se heredes successoresque suos promittunt pars parti fidem servanti ante omne litis initium pene nomine auri ebtitias libras duas, & post soluta pena hujus cartule in suam maneat firmitatem. Has autem duas uniformes uno tenore conscriptas per manum Leonem scriniarium sancte Romane ecclesie scribendam pariter ditaverunt, easque propriis manibus roborantes testibus ab eis rogatis obtulerunt subscribendam, & sibi invicem tradiderunt sub stipulatione & sponsione soluta interposita. Actum Rome die anno pontificatu in mense & indictione suprascripta prima.

† Segualdo nobili viro.

† Benedictus nobili viro, qui vocatur de Abbatissa.

† Riccardo a sancto Petro in vincula.

† Petrus qui Cozzaldo vocatur de civitate Nepesina.

Ego Leo scriniarius sancte Romane ecclesie, qui supra scriptor hujus cartule post testium subscriptiones & traditiones factas complevi & absolvi.

LXXIV.

Farolfus comes donat bona in Valle de Castro divo Romualdo.

Anno 1005. licet exemplum proferat annum 785.

Ex authentico chartularii sancti Blasii de Fabriano.

Ad lib VII. n. 42. IN Dei nomine amen. Hoc est exemplum sive transumptum cujusdam publici instrumenti rogati manu condam ser lamberti tabelii notarii predefuncti: Cujus quidem tenor talis est. Videlicet. In nomine domini nostri Jesu Christi ab ejusdem incarnatione anni sunt septecentum octanta & quinque indictione optava: & regnante Carolo imperatore romanorum. Ideoque ego Farolfus comite, filius guidus comite: cogitante de dei misericordia pro redemptione anime mee & parentibus meis qui mortui sunt & fratribus meis & meorumque parentum & consanguinibus meis: sed quando veniemus in die judicii ante tribunal cristi ut digni esse mereamur accipere. Et plus dono & trado atque concedo ad proprietatem tibi dompnus Romualdus monachus & heremita servus servorum Dei ad opus dei & sancti salvatoris & beate marie virginis de monasterio quod est edificato e locho qui dicitur valle de castro in comitato camerino, id est ipsam terram & montanee qui nominantur val de castro: infra hos fines: a primo vadit per viam asenariam & pergit in plano nequili & vadit per viam *alla serra della sporta* & pergit in plano vite: & vadit ad aquam de arella, & vadit per caput *delle chartechiete* usque ad fontem civitelle: & mergit *alla chlusa*, & vadit in monte martino usque in plano forchaluparie & revertit in prima senaita: omnia infra hos confines jacentis do & concedo tibi Romualdus monachus & heremitus servus servorum dei ad opus dei & sancti Salvatoris de monasterio predicto cum omnia que infra se aut super se: & cum omnia in omnibus sicut supradictum est dabo tibi dopnus Romualdus servus servorum dei & a predicto monasterio ad habendum & ad tenendum & omnia in omnibus quidquid vos volueritis facere: & ideo promitto vobis vel vestris successoribus predicta datione firma tenere ab omnibus hominibus jure proprietatis defendere & concedo quid . . . . , ... istare potueritis ad opus dei & pro predicto monasterio aut ecclesia . . . . aut silvis aut aquis aut aquimolis aut molendinis . . . . ad proprietatem sicut supradicta datione dicta est: & ideo promicto per me & per meos heredes aut successores tibi dompnus Romualdus servus dei & ad predicto monasterio vel vestris successoribus predictam dationem aut concessionem firmam tenere & ab omnibus hominibus jure proprietatis defendere & si quod absit eam frangere studiose voluerimus aut contra omnes homines voluerimus vel non potuerimus defendere promitto tibi dompus Romualdus servus servorum dei posterisque successoribus de predicto monasterio nomine pene componere in sede romana quatuor mile bisantiis de auro bono & optimo & post pena data & soluta carta ista firma manente & insuper fiat maledictus a deo patre omnipotente & a Jhesu christo filium ejus & spiritu sancto & a beata virgo maria cum omnibus sanctis sicut fuit datan & abiron & herode & pilatus & juda traditore, vivos penitentiam non agat, mortuos seppultura non accipiat & in die judicii non resurgat. Fiat amen. Et ego dompnus Romualdus servus ser-

vorum

vorum dei promicto pro me & servis meis aut successoribus de predicto monasterio habere memoriam in nostris orationibus tibi Farolfus comite & totis consanguinibus tuis in missis & salteriis & in orationibus beneficiis que deus permictit facere in predicto monasterio ut habeatis societatem sicut unus monacus de nostro monasterio & tu promisisti nobis dare partem & societatem de omnia bona que deus permictit tibi facere in vita tua. Fiat amen. Signum manus predictus qui hac cartula proprietatis fieri rogavi. Ego dompnus Guarinus monacus rogatus est. Ego dompnus Johannes monachus rogatus est. Ego dompnus gregorius monacus rogatus est. Ego moricus comite rogatus est. Ego Gumbertus rogatus est. Ego albertus de monte rogatus est. Isti rogati sunt testis. Ego Lambertus tabellius coaudivi & percepi & rogatus sum & mea manu scripsi & complevi. Et ego contulus bernardi imperiali auctoritate predicta inveni legi & percepi in quodam instrumento publico scripto manu magistri Lamberti notarii nil addens vel minuens studiose quod sensus mutet vel intellectus forte punctum vel copula & una cum magistro viviano boneventure notario studiose & fideliter legimus & auscultavimus & de licentia auctoritate & consensu domni jacobi ugazonis de miniat. judicis communis fabriani scripsi exemplavi publicavi meoque solito signo signavi & suam auctoritatem interposuit & decretum : sub annis domini M. CCC. XXXIII. indictione quinta decima tempore domni Johannis pape XXII. die IIII. mensis februarii. Actum in palatio communis predicti : presentibus Rainaldo mactei, michaele becholi, viviano bonaventure testibus ad hec vocatis & rogatis obmisso signo.

Et ego Domitius ser nicolai ventorini de fabriano publicus pontificali auctoritate notarius, predictum exemplum sive scriptum transumpti prout in ejus originali transumpto inveni ita hic fideliter & per ordinem transcripsi & exemplavi obmissis die & mense propter temporis longitudinem quia in dicto instrumento legi non potest. Ideo obmissi nil addens vel minuens fraudolenter preter forte punctum vel sillabam per errorem : primo eo auscultato & concordare reperto cum dicto transumpto una cum ser augustino magistri antonii & ser alberto bernardi notario cum quibus auscultavi & concordare reperi sub annis domini millesimo quingentesimo vigesimo primo indictione nona, tempore sanctissimi in christo patris & domini domini leonis divina providentia pape decimi die vero XVI. mensis martii dicti anni : de mandato igitur licentia & auctoritate eximii legum doctoris domini baptiste vitorini de asculo pretoris fabriani pro tribunali sedentis in quadam fenestra lapidea sita in palatio pretorio quod situm est in dicta terra . . . . juxta res hospitalis sancte marie . . . . plateam & alia latera: suam & magnifici communis fabriani auctoritatem & decretum interponentis dando licentiam subscribendi & fidem adhibendi prout originali : presentibus ciutio johannis nicolai & ser bartholomeo perulo de fabriano testibus vocatis & rogatis.

Et ego augustinus magistri antonii de fabriano publicus & imperiali auctoritate notarius auscultationi supradicti exempli sive copie & interpositioni auctoritatis & decreti supradicti domini potestatis una cum suprascripto ser domitio venturino & infrascripto ser alberto bernardini notariis publicis de fabriano cum quibus auscultavi interfui & quia cum originali concordare inveni & rogatus me subscribere istius exempli sive copie fidem ad fidem omnium premissorum de mandato licentia dicti domini potestatis me subscripsci nomine signoque meo solito roboravi.

Et ego Robertus notarius de fabriano publicus & apostolica auctoritate notarius auscultationi supradicti exempli sive copie & interpositioni auctoritatis & decreti &c. *ut supra*.

LXXV.

Charta emphyteusis aquæ de Dorseno facta a monachis sancti Gregorii de Urbe Gregorio presbytero.

Anno 1005. 20. maji.

Ex codice membranaceo ejusdem monasterii p. C. LXXVI.

IN nomine Domini Dei salvatoris Jhesu Christi. A vobis petimus domno Johanne vir venerabilis presbiter & monacus atque per . . . . perceptione de venerabili monasterio sancti Andree & Gregorii, qui appellatur Clivuscauri, & consentiente . . . . eo cuncta congregatione monachorum ejusdem monasterii, ut nobis Gregorius presbitero seu Ubi- *Ad lib. VII. n. 44.*

so ...... germanis fratribus seu Ursulo viris colono de suprascripto venerabili monasterio heredibus successoribusque nostris ad supplendum inferius conscriptos annos, quatinus cum Christi auxilio committereque jubeatis libellario nomine, id est omnem portionem nostram nobis in inde competentem de aqua de Dorseno de aquimolum molentem unum in inde a noviter facientem cum omni vestro expendio vestraque laboratione cum introytu & exitu suo, & cum omnibus ad suprascriptam portionem nostram nobis inde competentem, & de aquimolum molentem unum generaliter in inde pertinentibus, vel infra se habentibus positis territorio Calcata in fundum, qui vocatur Antico, inter affines omnia juris suprascripti venerabilis monasterii ad tenendum, colendum, fruendum & aquimolum a noviter faciendum cum omni vestro expendio, meliorandumque in omnibus a die kalendarum majarum presentis tertie indictionis & usque in predictas kalendas easdem vicesima in annis continuis decem & novem complendi & renovandi in alios tantos annos decem & novem, unde recepistis da nos qui supra libellarii in argenteos denarios triginta, quando renovare debemus pro renovatura dare debebimus in argentos untias tres, ita sane, & ut prestet exinde rationibus pars nostram vestreque partis suprascripti dominii singulis quibusque annis sine aliqua mora vel dilatione pensionis nomine denarios bonos qualescumque per tempora incapoierint nummi septem, hoc vero tenore & placito, ut non habeamus licentiam nos qui supra libellarii hunc libellum vel quod in eum continet ad nullam extraneam personam vendere aut per quovis modis cedere, nisi fortasse nobis necesse est venundare non habeamus licentiam, nisi ad vos qui supra dominos vel ad vestros successores in pretium quantum juste apretiatum fuerit minus viginti denariis, & si autem emere nolueritis, tunc licentiam habeamus venundare, cui voluerimus, ad talem hominem quem subscriptam pensionem vobis annuam persolvat; spondentes vos qui supra donatores, si vobis opus fuerit, stare & defendere promittimus omni insurgenti persona omni in tempore gratis. Si qua vero pars contra fidem eorum libellorum venire temptaverit, det pars infidelis parti fidem servanti ante omne litis initium pene nomine auri untias tres ebrisias, & post penam absolutionis manentem hos libellos seriem in suam nihilominus maneat firmitatem: unde petimus, ut unum ex duobus libellis uno tenore conscriptos per manum Johannis scriniarii sancte Romane ecclesie una cum vestra roboratione nobis contradere dignetis, ut dum consecuti fuerimus, agamus Deo & vobis maximas gratias. Anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis & universalis septimidecimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli secundo indictione tertia mensis madii die vicesima.

Signum † manu Ubizu v̄h seu Ursulo & rogatore hujus locationis.

† Theodoro vm̄ qui vocatur capuus collo testis.

† Beno vm̄ sartore de nastasia testis.

✠ Johannes vm̄, qui vocatur testis.

Ego Johannes scriniarius sancte Romane ecclesie, qui supra scriptor hujus cartule post testium subscriptionem & traditionem factas complevi & absolvi.

LXXVI.

Ruppo vir nobilis donat terras Johanni abbati & monasterio sancti Gregorii de Urbe.

Anno 1006. 1. julii.

Ex eodem codice p. C.LXXI.

IN nomine Domini Dei salvatoris nostri Jhesu Christi. Anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis & universalis octavi decimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli tertio indictione quarta mensis julii die prima. Quoniam certum est me Ruppo nobili viro, atque fidei commissario quondam Franco rom̄f a presenti die dono, cedo, trado & irrevocabiliter largior, simulque offero nullo mihi cogente vel contradicente aut vim faciente, sed propria & spontaneaque mea voluntate vobis domno Johanni Domini gratia humilis abbas venerabilis monasterii sancti Andree apostoli & sancti Gregorii, quod appellatur Clivuscauri, tuisque successoribus in perpetuum pro omnipotentis Dei amore & redemptione anime quondam Franco rom̄f, simulque & pro vestris sacris orationibus, quas die noctuque agere non cessatis, & ideo dono tibi, idest terre sementaritie petium unum in inde cum arboribus infra se pratalia uno, & cum introitu & exitu suo a via publica, & cum omnibus ad eam pertinentibus positis in territorio in Calca- *Ad lib. VII. n. 51*

Calca-

Calcata in fundum, qui vocatur Roscanellum, inter affines a tribus lateribus terra dominica, a quarto latere via publica juris, cujus existit, sicuti mihi evenit per fidei commissum quondam Franco, dono tibi tuisque successoribus, & do, trado & largior pro sua anima hanc donationis cartulam tibi contradidi, pro quam etiam terra sementaritia petium unum in inde cum arboribus .... & cum introitu & exitu suo a via publica & cum omnibus ad eam pertinentibus, ut supra legitur, a presenti enim die largior tibi, & pro tuis sacris orationibus, quia si carnalia vobis concedimus, spiritualia a vobis recipere expectamus, a presenti die habeatis, teneatis, possideatis, tuo jure vendices, hanc defendas, venundare, donare, commutare vel quicquid exinde facere sive peragere volueris, in tuam tuorumque successorum sit potestatem, & numquam a me, neque ab heredibus meis, aut a me submissa magna parvaque persona contra tibi tuisque successoribus aliquam aliquando habebitis questionem aut calumpniam, sed in omni tempore ab omni homine in omni loco, ubi tibi tuisque successoribus necesse fuerit, stare me una cum heredibus meis & defendere promitto tibi tuisque successoribus, in qua & juratus dico per Deum omnipotentem sancteque sedis apostolice domni Johannis sanctissimi pape, hec omnia, que hujus donationis cartula seriem textus eloquitur, inviolabiliter conservare atque adimplere promitto: nam quod absit, & si contra hec, que supra notata sunt, vel ascripta leguntur contra agere presumpsero, & cuncta que supra missa sunt, non observavero, tunc non solum perjurii reatum incurrat, verumetiam daturum me promitto una cum heredibus meis tibi tuisque successoribus ante omne litis initium pene nomine auri untias tres ebritias, & post penam absolutionis manentem hanc cartulam dominorum in suam maneat firmitatem. Quam scribendam rogavi Benedictum scriniarium sancte Romane ecclesie in mense & indictione suprascripta quarta.

Signum † manu suprascripti Roppo nobili viro, qui hanc donationis cartulam fieri rogavi.

† Bonizzo nobili viro.

† Petrus Capuano manu propria.

† Demetrus nobili viro.

S S S S Landulfo opifex.

† Inbene nobili viro.

Ego Benedictus scriniarius sancte Romane ecclesie, qui supra scriptor hujus cartule post testium subscriptiones & traditiones factas complevi & absolvi.

LXXVII.

Adelbertus & Geritruda offerunt bona monasterio sancti Victoris de Clusis in agro Camerinensi.

Anno 1007. mense martio.

Ex autographo archivi sanctæ Catharinæ de Fabriano.

IN nomine domini. Et factu est in ani domini ab incarnacione domini nostri Jehsu Cristi quod sunt anni domini mille septe mense marciu per indicione sesta. Ideoque ego Adelbertus filius quondam ...... & geritruda coniviege de suprascriptus Adelbertus & ego geritruda per consensu & voluntate de suprascriptus virum meum & nos anbi insimul comuniter nostra bona propria voluntate secundum nostra legem langobardorum dedimus & tradedimus tibi domno amico abbas & a tuisque supcessoribus usque in perpetuum procter dei timore & remedium & indubliencia de anime nostre, ut aliquis de peccatis nostris minuare dinneris in die judicii, propterea dedimus & tradimus vos suprascriptus abas & ac tuisque supcessoribusque de ipsa monasteriu de victurianum sunt preordinati, ide est aliquis de res nostra que est posita infra territorius castellum pretosum in locum qui dicitur *la ceresgola pecoraricia*, & est posita ipsa res infra loca vel finaite finis a primo latere fine fluviu sentino, a secundum latere fine inter *li sasi* perveniente in *lu carpenu*, a tercio latere fine ipsi via que pergit *da la pala borea*, a quarto latere fine *lu fossatu* qui venit *da la cesregola* perveniente in fluvio Sentino qui est primo latere infra istis suprascriptis lateribus vel finaite finis quod est ipsa mea partione de ipsa clusa & de ipsa terra quanta me pertinet vel pertinere debet cum pomis & arboribus suis cum omnia que infra se vel supra se abentes.... ut ab odiernum die firmiter valeatis abere & posidere & facere quod volueritis usque in perpetuum. In tali autem ordine expondemus nos suprascripti datores quod sit contra jam ista cartula pro salute anime nostre agere vel causare contendere disrumpere infrangere vel retollere exminuare vel falsare presumserimus pro qualive ingenium

Ad lib. VIII. n. 4.

nium vel argumentum & da omnis omine non defensaverimus cum estimatione tere ipsa res duppla & meliorata restituamus in ipso loco cum omnia que infra se vel supra se abentes in integrum, quam vero cartula ego Sigaldus scabinus & notarius scripsit.

✠ Sinnum manus de suprascriptus Adelbertus & Geritruda ambi communiter insimul datori qui ista cartula scrivere rogavimus.

† Sinnum manum de Berto rogatus teste sumus manu ss.

† Sinnum manus de atrianus rogatus teste sumus manu ss.

† Sinnum manus de Adamo rogatus teste sumus manu ss.

Post roboracione omnium testibus ego qui supra Sigualdu scabinus & notarius scripsi complevit inclausit.

LXXVIII.

Institutio parthenonis sancti Salvatoris de Valle in ducatu Spoletano.

Anno 1008. 12. julii.

Ex autographo supradicti archivi sanctae Catharinae.

Ad lib. VII. n. 12. IN anni Domini ab incarnacione Domini nostri Jesu christi, qui sunt mille opto & die duodecimo mense julii per indiccione quinta. Ideoque ego Gepo filius quondam Actoni bonam meam & propriam voluntatem secundum meam legem ..... dono & trado atque concedo omnia integra mea porcione de ..... in honorem sancto Salvatore, quod est in fundo Valle, que dicitur infra ducatu Spoletino infra territorio posito in castellu Pretosum, autem ego suprascriptus permeditamus & coitamus consilium, quod simus ad sapientes, atque quomodo in die ire justi judicii .... in pena evadere potuissemus, ut ad eterna gaudia pervenire potuissemus, sed nullus melius elemosinarum virtutu invenimus, qua de nostris propriis reibus monasterium construissemus, & ibi ancillarum Dei coadunassemus, quia incensanter pro animabus nostris & pro anima de Raco & de ..... & de Actoi genitore meu, & de anima genitrice mea & de Aufredu avunculu meu, vel qui de mea igeneracione nati sunt vel nascituri, concedo & trado do ego Gepo tibi Inga filia quondam Gelzo, & ac tuasque supcessore inde & abbatissa constituessemus in nonore patris & filium & spiritus sancti & in ordine ancille ancillarum Dei, volumus non sit suigeptum, neque su episcopo, neque su aliu monasteriu, & ibi nulu judicentur vel dominentur, nisi ego & meis eredi, & si eredes non abeo, sit super dominium de Mainfredu igermanum meum vel de suis eredis, & ibi nullu judiciu faciet, nisi co santa regula coortatur, & si ipsa abatipsa de ipsu scriptum monasterium mortua fuerit, & aliqua intentione inter eas venerit, ut una pars contenda una & alia altera provideant ea, ipsique in ipso tempore fuerit de mea igeneratione per Dei summi amore, ut quale pars melius contenderit in ejus petitione ordinetur abatipsa secundum norma beati Benedicti & regula sanctorum patrum conservandam, & insuper dono & trado & concedo atque transacto super elimentum vita earum de res mea, que est in fundo Valle, ubi ipsa ecclesia edificata est, de terra culta aleitima messura modioro sex, ubi in ipso fundo vos suprascripta Inga predere volueritis, abeatis in integrum cum pomis & arboribus suis, & cum omnia infra se vel supra se abentes in integrum, & ipsa mea porcione de ipsa ecclesia beatu sanctu Salvatore Valle, quomodo super leitur, cum reliquiis & altariis, & muris & tectis & cellis & quanta interiu esterius ibidem pertine, quomodo suprascriptum est, cum troito & exto suo, unde permeditamus & coitamus & volumus ut nullum de pensione aut nullum tributum esiat, nisi sancta oratione pro animabus mea, & de ipsi, qualiter superius legitur. Est in tali ordine expondeo & opbligavimus ego suprascriptus Gepo & meis eredis tibi suprascripta Inga filia quondam Gezoni & ac tueque successores si nos suprascriptus Gepo vel meis eredis vel pro eredibus meis si ut supra jam dictum est causacione imponere presunserimus, aut de ipsa ecclesia aut de suprascripta res qualiter suprascriptum est nobis agere vel causare, contendere, retollere vel exinde livere presumpserimus, aut causacione imponere presumpserimus, sive per cartula anteriore sive posteriore ......

. . . .

. . . .

. . . . . . &c.

LXXIX.

LXXIX.

Helempertus episcopus Arretinus donat mansos abbatiæ de Pratalia.

Anno 1008. mense septembri.

Ex autographo archivi Fontis-boni.

Ad lib. VIII. n. 11. IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo octavo mense septembris indictione septima. Manifestus sum ego Helmpertus sancte Aretine ecclesie episcopus, quia pro Dei timore & remedio anime nostre & antecessorum nostrorum vel successorum & omnium ibi benefacentium in ecclesia beate Marie matris Christi ac perpetue virginis, simulque omnium Sanctorum, que defundamento construximus & consecravimus in loco nostri episcopii, cui nomen est Pratalia, juxta rivum nomine Biventem ad radices montis Acuti, qui dividit Thusciam & Romaniam, in qua ecclesia ordinavimus Sigizonem abbatem, qui cum ceteris fratribus pro nobis & antecessorum successorumve & omnium christianorum vivorum & defunctorum valeant Deum orare, donamus & offerimus suprascripte ecclesie in perpetuum decem mansos de curte Orgia in Casentino pro anima antecessoris nostri beate memorie episcopi Heverardi, cujus fuit hereditas. Insuper offerimus atque donamus altari prefate ecclesie totum beneficium in integrum, quod fuit Lamberti fratris Gebizonis in villa, que dicitur Peza, que vulgo cognominatur Gajo de Peza in integrum, nec non integrum agrum de Offiniana villa, que similiter vulgo nominatur Gajo de Offiniano, quod similiter fuit beneficium prelibati Lamberti militis. Donamus quoque eidem altari unum mansum apud castrum Marcianum, quod vocatur de Linaro, & alterum mansum de monte Fatuculo, quem tenet Johannes Schario, concedimus ibidem cum vinea nova, quam nos ipsi plantare fecimus & cum adjacente terra ipsi vinee ad protelandam, hoc est extendendam ipsam vineam usque in rivum. Ad hec offerimus ipsi predicte ecclesie omnes runcos, qui modo sunt & fient in aliquo loco & omnem terram cultam nemoris, & foresti, quod est juxta Prataliam, sed & terram quinque modio apud Cesam terram, videlicet quam dedit vicedominus Berardus sancto Donato, similiter terram quinque modiorum apud Cortonam nomine Pratum pastorarium usque ad quinque modia, atque dedimus prefate sancte Dei ecclesie unam petiam de terra in suburbio Aretine civitatis cum casa & vinea, ac orto quo regitur per Martino annegato, & mansos tres, concedimus unum mansum quidem in Ventrina, secundum & tertium in Trigina, & omnem terram vel vineam quam Rodingus presbyter & sui filii abuerunt in villa, que nominatur Contra ex parte sancti Donati antequam fieri monachi, donamus campum unum ad vineam plantandam nominate campum Bononis abentem ab uno latere viam publicam, ex altero cainaldum, idest sepem altissimam, ex tertio vineam, que dicitur campo majo; ex quarto terram dictam Wiatildi prope Partinam, que est etiam duodecim sextariorum, similiter in plebe de Biblena in villa supradicta Offiniana mansum unum cum omnibus casis suis quotquot abet illum, videlicet mansum unum, quem de suo beneficio Hugo filius cujusdam Robizonis, qui sumpsit monachalem habitum in predicta ecclesia, que erectus est per ..... nomine Johannes ursitati cum omnibus suis pertinentiis, & mansum unum ex villa, que dicitur Peza in integrum, sicut tenent Johannes & Alprandus eorumque consortes, concedimus prescripte ecclesie cum omni nona parte vini vel cujuscumque rugio, quam Deus nobis dederit tam apud Marcianum castellum, quam apud Biblenam & Orgia & Socanam & montem Fatuculum & Clotinianum & Vivarium. Omnia que superius nominavimus ad prescriptam ecclesiam offerimus adque donamus in integrum cum terris, vineis, pratis, campis, pascuis, silvis, aquis, aquarum decursibus cum domibus ortis, salinis scalarum & cum omnibus at predicta loca vel res pertinentibus, que dici vel nominari possunt, sicut tenuit Leo abbas & Teuzo grammaticus tali ratione, ut Sigizo abbas suique successores abeant inde potestatem faciendi vel renovandi libellos ac breves ad honorem & utilitatem ipsius ecclesie sancte Marie & sancti Benedicti eo pacto & ea lege, ut ipsum monasterium cum omnibus suis pertinentiis semper sit sub regimine episcopi sancti Donati, & quod fierit non credimus, si ego Elmpertus episcopus aut unus de posteris & successoribus nostris, aut aliqua apposita persona nostra omnia, que predicto monasterio dedimus tollere vel minuere presumpserimus, tunc componere promitto Helempertus episcopus

cum

cum meis posteris vel successoribus tibi Sigizoni abbati tuisque successoribus abbatibus penam puri auri DC. libras. Super omnia hec obtestamur & conjuramus omnes nostros successores episcopos & fideles nostros per Patrem & Filium & Sanctum Spiritum & per adventum Domini nostri Jesu Christi ad judicandos vivos & mortuos, & ne in illo tremendo Dei judicio cum Sathana & membris ejus mittantur in stagnum sulfuris & igni eterni, ut nunquam quicquam predicto cenobio orinuad de omnibus suprascriptis que ei donavimus, ut sit ibi laus omnipotentis Dei & omnium Sanctorum ejus semper, amen. Hac oratio pro omnibus vivis & defunctis fidelibus, quod si quis fecerit aliquam lesionem vel minurationem omnium, que nos donavimus predicto monasterio sancte Marie & sancti Benedicti Deo omnipotenti, quem contempsit, & omnibus Sanctis ejus, quos spoliat, inde rationem reddat, unde hec charta offertionis a nobis facta est Helmperto episcopo, & precepimus Hugoni notario ut eam scribere. In comitatu Aretino.

Helmpertus episcopus subscripsi.

Willelmus archidiaconus subscripsi.

Johannes diaconus & cancellarius consensi & subscripsi.

Boso diaconus & vicedominus consensi & subscripsi.

Ingizo presbyter consensi & subscripsi.

Gerardus diaconus subscripsi.

Lutardus judex domni imperatoris & avocato ipsius ecclesie subscripsi.

Ego Rodolfo rogatus teste subscripsi.

Signo manus Berardi, qui & Bezo clamatus, filius Grifoni rogati testes.

Signo manus Bonizi filius Johanni rogatus teste.

Ego Agristus rogatus me subscripsi.

Ego Hugo notarius scripsi & complevi.

LXXX.

Præceptum Henrici II. regis pro abbatia Classensi sancti Apollinaris.

Anno 1009. VII. kl. maji.

Ex autographo Classensi.

Ad lib. VIII. n. 28. IN nomine sancte & individue Trinitatis. Heinricus divina favente clementia rex. Si nostrorum fidelium petitionibus aures nostre serenitatis accommodaverimus promptiores ac devotiores eos in nostro obsequio fore nullatenus titubamus. Omnium sancte dei igitur ecclesie nostrorumque fidelium presentium scilicet ac futurorum noverit sollertia Bonum presbiterum & monacum atque abbatem Ravennatem monasterii sancti Apollinaris, quod asserunt fundatum dudum in civitate cognominata Classis, nostrumque devotissimum fidelem nostram in omnibus exorasse celsitudinem, quatenus pro Dei amore, animeque nostre perpetua salute corroboraremus atque firmaremus & ex nostra benignissima largitione condideremus & deliberaremus in perpetuum confirmandam per hec nostri precepti atque pragmatici scripti inviolabilem paginam omnes res & possessiones quascumque prefata ecclesia prelibati monasterii quibuscumque cautionibus vel deliberationibus visum est possidere in integrum. Cujus sacris petitionibus justisque desideriis devote & libenter annuentes & assensum prebentes corroboramus atque confirmamus & ex nostro jure & dominio in ejus jus & dominium transfundimus, videlicet quecumque conjacent monasterii tam in Monarchia, quamque per singula loca nostri regni. In comitatu Fanensi & Pensauriensi, seu Ariminensi villam, que dicitur Sala cum suis appendiciis in integrum, & titulum ecclesie ipsius monasterii in latere parietis situm in honore sancte Felicule & sanctorum martirum Marci & Marcelliani & ecclesiam sancte Marie dei genetricis in predicta villa & cortecella Sale, & ecclesiam sancti Martini, que nominatur Aqualonga. Hec omnia in integrum cum omnibus suis pertinentiis & coherentiis atque subjacentiis cui pretaxate Sale coherentes undique sunt, a primo latere fluvius, qui dicitur Pisciatellus, secundo lateri Vedreta & Paverianus, tertio lateri limes, qui dicitur Arzer percurrens a Paveriano usque in stratellam, & rivus, qui vocatur de Fabrica definens & derivans usque in mare, & ipsum littus maris quantulucumque inibi pertinere videtur in integrum. Concendimus etiam Salam novam in integrum cum omnibus appendiciis suis, & quidquid regale est in Castaneto & Bulgaria & Branchisi. Iterum concedimus, ut liceat sibi in civitate facere, que dicitur Phano, posterulam in publico muro in loco illo, ubi propriam terram infra & extra habeant, & juxta murum, qui vocatur da penna, ecclesiam edificare. Concedimus etiam precipientesque statuimus, ut nullus dux aut archiepiscopus, mar-

marchio, comes, vicecomes, sculdatio, gastaldio, aut aliquis publicus exactor in aliquibus prediis & possessionibus per quecumque nostri regni loca conjacentibus & residentibus, aut hominibus suprasedentibus vel inhabitantibus theloneum, aut aliquam publicam functionem per alicujus tituli districtionem audeat exigere vel exquirere, nec aliquam invasionem vel diminurationem, aut temerariam presumptionem quoquomodo agere vel inferre presumendo pertemptet. Si quis igitur hanc nostre semper & ubique inviolande cautionis, definitionis, deliberationis, & concessionis & voluntarie distributionis paginam, quod absit, quoquomodo temerario ausu infringere conatus fuerit, sciat se compositurum centum libras auri aut mille, medietatem camere nostre & medietatem prelibato monasterio sancti Apollinaris. Quod ut melius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria presentem paginam roborantes nostri sigilli impressione inferius jussimus insigniri.

Signum domni [monogram] Heinrici regis invictissimi.

Eberhardus cancellarius vice Willigisi archicappellani recognovi.

Data VII. kalendas maji indictione septima anno dominice incarnationis millesimo VIIII. anno vero domni Heinrici secundi regnantis VII. Actum Niven. .... Feliciter amen.

LXXXI.

Donatio Helemperti episcopi Arretini monasterio Pratalienst.

Anno 1009. mense novembri.

Ex autographo Fontis-boni.

Ad lib. VIII. n. 28. IN Dei nomine anno Dominice incarnationis millesimo nono mense novembER indictione octava. Manifestus sum ego Helempertus episcopus excellentissime sancte Arretine ecclesie qualiter pro Dei timore & amore & redemptione anime mee remedio & anima bone memorie Heverardi episcopi, qui fuit anterior episcopo, & anima de nostris posterioris episcopi, ut Dominus inde nobis in bonibus partibus mercede retribuat, judico & trado in perpetuum jure in monasterio sancte Marie Matris Christi ex integro unum mansum cum casis infra se abente ille que sunt posite infra plebem sancte Marie sito Partina in casale Ventrina & in campo Preiti & in Cericulo & in Sexta & per altera vocabula vel casalia aut ubicumque esse invenitur, sicut est recta per Petrus Martini, & Urso Linze, & Leo eorum consortibus. Ideo in suprascriptis casis & rebus cum terris & vineis & pratis cultum vel incultum, tam de cultivis quam de agrestis, simulque alpes suprascriptas omnia & in omnibus, sicut supra legitur, ego Helempertus episcopo in praenominato monasterio donamus & tradimus, ac pro nostra, nostrorumque antecessorum successorumve, & omnium ibi benefacentium salute & peccatorum indulientia valean Deo orare, & quod fieri non credimus, si ego Helempertus episcopus aut ullus de posteris vel successoribus nostris, aut aliqua aposita persona nostra omnia que in suprascripto monasterio donamus, tollere vel minuare presumpserimus, & si ab omni homine a parte ipsius non defensaverimus suprascripto monasterio, tunc componere promitto ego qui supra Helempertus episcopus cum meis posteris successoribusve in praenominato monasterio pena per aurum libras triginta, super hec omnia octestamur & conjuramus omnis nostrorum successores episcopis per patrem & filium & Spiritum sanctum &c. *ut in alia anni antecedentis.*

In comitato Aretino.

† Helmpertus episcopus subscripsi.

Signo manus Confredi rogatus testes.

Signo manus Farolfi de Partina rogatus testes.

Ego Franco rogatus subscripsi.

Ego Hugo notarius scripsi & complevi.

LXXXII.

Bertus donat bona monasterio sancti Benedicti de Victoriano, seu sancti Victoris de Clusis.

Anno 1010. mense aprili.

Ex autographo archivi sancti Blasii de Fabriano.

Ad lib. VIII. n. 44. IN nomine Domini. Et factum est in anni ab incarnatione Domini nostri Jesu christi, quod sunt anni Domini millesimo decimo & die mense aprelis per indiccione optava. Indeoque ego Berto filiu quondam Baroccio bona mea propria voluntate secundum mea lege langubardorum pro amore Dei & pro remedio & salute anima mea dono & trado & transacto in ipsum monasterium vocabulu sanctus Benedictu, quod edificatu est in loco, qui dicitur Victurianu & tibi domno Acto abbate, qui est custos de ipsu monasterium & ad tuis & posteris supcessoribus usque in perpetuum, id est aliquid de res mea que est positu infra ducatu Spoletanu infra territoriu Castellu Pretosum in locum, qui dicitur *le mela pastene*, & est posita ipsa res infra lateribus sinaite finis a primo latere fine terra de Vitale, & a secundum & a tertio latere fine terra de Ugo, a quarto latere fine terra de ipsu datore infra isti suprascripti lateribus vel sinaite finis, quod est ipsa res a bona & optima mensura modiora duo .... cum omnia que infra se vel supra se abentes in integrum itaut ab odierno die firmiter valeatis abere & possidere cum tuisque posteris successoribus & facere quod volueritis, in tali autem ordine espondimus & obligavimus ego supradictus datore & meis eredis, quod si contra ista cartula salute anima mea agere aut causare, contendere, disrumpere, infrangere, vel retollere, minuare vel falsare presumpserimus pro qualive ingenium & argumentum & da omnis omine non defensaverimus cum extimatione de ipsa res duppla & meliorata restituamur in ipso loco tibi supradicto domno acto abate e attuisque posteris ipsa res suprascripta in ipsu monasteriu . . . . jura ... est cum omnia que infra se vel supra se abentes in integrum.... *&c.*

† Sinu manu de suprascripto Berto qui ista cartula salute anima mea scrivere rogavi m. m. subscripsi.

† Sinu manu de.... q. bonizo.. rogatus teste m. m. ss.

† Sinu manu de ugo q. berto rogatus teste m.m. ss.

† Sinu manu de Bo.......... rogatus teste m.m. ss.

Post roboracione omnium testium ego quidem quirigus de....... notarius scripsi complevi & inclausit.

LXXXIII.

Rodulphus ecclesiæ Pratalienси, quam ædificavit, donat bona.

Anno 1010. mense aprili.

Ex autographo archivi Fontis-boni.

IN Dei nomine amen. Sunt anni ab incarnatione domini nostri Jesu christi millesimo decimo mense abreli indictio octava feliciter. Manifestus sum ego rodolfo filio vighiza que ex fundamento edificavi meo privilegio ecclesia sancte marie que est edificate in loco qui dicitur pratalia ut dominus noster bona anima mea mihi retribuad propterea inni ipsa sancta Dei ecclesia dono cedo trado & confirmo jam dicta ecclesia integre sue petie de terra que sunt infrascripte posite infra e plebe sancte marie sito bujano ..... & de casale flerina una de ipse petie de terra innovocabulo ficalo de una parte terra sancte trinitatis de alia parte terra .... de tertia parte est terra petrus filio marie de quarta parte est terra ipsius sancte marie est mensurata a perticas legitimas de pedi duodena bone circuitus sunt pertices viginti alia suprascripta petia de terra innavocabulo campo martini per desingnate locas de due parti est terra de filii marie de tertia parte est terra sancte trinitatis de quarta parte est via plubica est mensurata a perticas legitimas de pedi duodena bone circuitus sunt pertices triinta & quatuur omnia quod superius legitur tibi que supra ecclesia sancta abeatis & possideatis tam tu quam & a tuis rectores qui ibi in nipsa sancta dei ecclesia serviant pro redemptione anime me quare nos ab odierna die a suprascripta mea donatione & offersione abeatis & possideatis suprascripta tu jam dicta ecclesia quam & tuos rectores in ipsa sancta dei ecclesia serviturit neque a me nec a nulluis de filiis nec deredibus meis nulla exinde abeatis molestia & si in naliquo Ibidem.

tem-

tempore sumserimus molestare vel ab onne omine non defensaverimus aut defensare non potuerimus tunc conponere promitto ego qui supra rodolfo cum meis filiis heredibus tibi jam dicta ecclesia & ad illo sacerdotes qui ibi pro tempore servierit pena omnia suprascripta mea donatione in duplum componere promitto insuper ac me donatione & offersione omni tempore firmo & stabilen permane senper pro redemptione anima mea que vero carta hac donatione & offertionis a me fato qualiter supra legitur johannes notarius scribere rogavi.

† Singno ....

† Singno ma suprascripto rodolfu vinditor in nac cartula judicato manu sua scribere rogavi.

† Singno manus rutihisi manusuascribe rogavi.

† Singno manu azo filio teutio manu sua scribere rogavi.

Singno manu rodolfo filio ruza manu sua scribere rogavi.

Ego Johannes notarius ancartula judicato scripsi complevi feliciter.

LXXXIV.

Dominicus conducit a Johanne abbate & a monachis sancti Gregorii de Urbe domum positam in regione Urbis tertia.

Anno 1011. 20. junii.

Ex codice ejusdem monasterii p. CC. LXX.

Ad lib. VIII. n. 54. IN nomine Domini Jhesu Christi. Anno Deo propitio pontificatus domni Sergii summi pontificis & universalis quartus papa in sacratissima sede beati Petri apostoli secundo indictione nona mense junio die vicesima. Quisquis actionibus venerabilium locorum preesse dinoscitur incunctanter eorum utilitatibus, ut proficiat, summa diligentia procurare festinet. Placuit igitur cum Christi auxilio atque convenit inter Johannes religioso abbati venerabilis monasterii sancti Andree apostoli, & sancti Gregorii, qui appellatur Clivuscauri consentiente sibi cuncta congregatione monacorum presbiterorum Dei suprascripti venerabilis monasterii, & e diverso Dominico viro & cum Domini adjutorio suscipere debeat a supradicto Johannes abbate vel a cuncta ejus congregatione monacorum Dei supradicti venerabilis monasterii sibi consentientibus, sicut & suscepit supradicto Dominico viro conductionis eidem venerabili monasterio, id est domum soleratam in inde cum cripta sinino cooperta sub se cum inferiora & superiora sua a solo usque ad summo tecto cum modico corticella ante se extendentem usque in via publica, & cum omnibus ad eam pertinentibus cum introitu & exitu suo usque in via publica, & cum omnibus ad se . . . . positis Rome regione tertia, in locum, qui vocatur sancto Pastore, sive arcum pietatis, inter affines ab uno latere corte & domus de Stephania de Sergio Piccheo, a secundo vel a tertio latere domus de Johannes presbitero, & a quarto latere via publica juris supradicti venerabilis monasterii, itaut suo studio suoque labore supradicto Dominico ad dictam domum seu modicam corticellam in omnibus debere & tenere & possideat, & ad meliorem faciendum Deo juvante ad cultum reducat ipso heredesque suos & futurum usque in tertium gradum, tertiam personam, tertiam heredem, tertiam generationem, hoc est ipso supradicto seu & & filios, nepotesque suos ex filiis legitimis procreatis, quod si vero filii aut nepotes minime fuerint, uni etiam extranee persone, cui voluerint, relinquendi habeant licentiam, excepto piis locis vel publicis numero militum seu bando, servata dumtaxat in omnibus proprietate supradicto monasterio, per quem etiam suprascriptam domum soleratam in inde cum cripta sinino coopertam sub se, seu etiam modica corticella cum introitu & exitu suo a via publica & cum omnibus ad ea pertinentibus, ut supra continetur, dare atque inferre debeat supradicto Dominico heredesque suos rationibus in supradicto venerabili monasterio singulis quibusque annis sine aliqua mora vel dilatione pensionis nomine in festivitate sancti Andree apostoli denarios bonos optimos quales ipso tempore per caput fuerit nummum unum. Completa vero tertia generatione, ut supra legitur, tunc suprascripta domus seu corticella cum omnibus suis meliorationibus ad jus suprascripto venerabili monasterio, cujus est proprietas, in inde modis omnibus revertatur, ut quicquid eidem venerabili monasterio curam gesserit, iterum locandi quibus maluerit, liberam habeat sine aliqua ambiguitate licentiam: de qua re & de quibus omnibus suprascriptis jurantes dicunt utrasque partes per Domi-

num omnipotentem, sanĉteque sedis apostolice domni Sergii pape sanctissimi hec omnia, que hujus cartula placiti seriem textus eloquitur, inviolabiliter conservare, atque adimplere promittunt, quod si quisquam eorum contra hujus cartule seriem in toto partemve ejus quolibet modo venire temptaverit, tunc non solum perjurii reatum incurrant: verumetiam daturos se successoresque suos promittunt pars partis fidem servantis ante omne litis initium pene nomine auri purissimi untias tres & post penam absolutionis manentem hujus cartula placiti in suam maneat firmitatem, has autem duas uniformes uno tenore conscriptas cartula mihi Sergio scriniario sancte Romane ecclesie scribendam pariter dictaverunt, easque propriis manibus roborantes testibus ab eis rogatis obtulerunt subscribendam, & sibi invicem tradiderunt sub stipulatione & sponsione sollempniter interposita. Actum Rome die, anno, pontificatu in mense & indictione nona.

† Johannes indignus abbas.

† Benedictus presbiter & monacus.

† Placidus indignus presbiter & monacus.

† Beno de Luiolta.

† Johannes filius de Johannes toto.

† Johannes testore, qui marquisano vocatur.

Ego Ingizo scriniarius sancte Romane ecclesie, qui supra scriptor hujus cartule post testium subscriptiones & traditiones factas complevi & absolvi.

LXXXV.

Donatio bonorum facta monasterio sancti Victoris de Clusis.

Anno 1012. mense majo.

Ex autographo sancti Blasii de Fabriano.

Ad lib. IX. n. 14. IN nomine Domini dei ab incarnatione Domini nostri jhesu christi quod sunt anni mile duodecimo & die mense madio per indictione duodecima antum pago castellano. Ideoquen ego berea ..... filius quondam maiemfredo & lupo de maiemfredo & ingizo & alcuvinus filii quondam arduvino cum nostra propria & ac spontanea & bogna voluntate secundum nostra lege langobardoru odiernu die concedimus & tradimus adque transfactamus in illo monasteriu de beatu benedicto quod vocatur sanctu victori & concedimus tibi giso anba & antuis successoribus .... va a possidendo pro anima de arduino jenitores nostro ideo concedimus & tradimus ut superius leitur aliquis de res juris proprietates nostra que est possita, & nominata in ducato spoletino territorio casstellano & in fundo de larciano in iste does loca que dicitur valle dommica & valle forcula lateribus ejus de issa res, a primo latere terra de gozo & a secundu latere planude tessar ..... a tercio latere aqua viva a quarto latere plaja de cillia infra istu confini & lateribus quo est..... ptima de pede XII. inter *de lo vocabule* modiori duo cun terri & cun pomis & silvis & cum omnia que infra se abentes in integris abendi e tenendi & valeatis possidere cum cujuscumque sortibus licentia & potestate abeatis vos vero giso anba cum tui successoribus & issta cartula concessionis ...... res introire & ingredere & possidere & facere omnia que vobis a jura de *isso monisterio* ..... cujus res proprietates & cuncta que superius legitur unde nos supradicti benefactori oracione pro anima de maienfredo genitore nostro de beato sancto benedicto & si nos cui donatores vobis aut vestris successoribus cartula concessione infringere aut causare aut corrumpere & minuare voluerimus, aut da omne omine defendere non potuerimus aut no voluerimus si ut per cartula anteriore aut posteriore aut per qualivet injenio vel argumentu contradicere vel contrare ...... nos non potuerimus aut non voluerimus .... dunpla ...... cujus proprietas est & a giso anbas & a suis successoribus &c.

Hactenus exscribere valuimus non absque maxima difficultate. Cetera consulto relinquimus exscribenda, ne potius divinando in errores labamur.

Sinu manu de suprascripti donatori & donatrice qui ista cartula fieri rogavit.

Nomina testium evanida sunt.

Post roboratione omnibus testibus ego bonezo notarius que supra scripta sunt complevit & inclausit.

LXXXVI.

LXXXVI.

Accius donat Gisoni abbati ejusdem monasterii jura in ecclesias beatæ Marinæ de Larciano, & sancti Petri.

Anno 1012. mense augusto.

Ex autographo sanctæ Catharinæ de Fabriano.

Ad lib. IX. n. 14. IN nomine Domini. E factum est in ani domini ab incarnacione quod sunt anni domini mille duodecimo & die mensis augustu per indiccione...... Ideoque ego Accio filius quondam domnellum bona mea propria voluntate..... & a presenti die trado tibi domnum Giso monaghus & abba & custos...... ctus qui edificatus est in nonore monasterii in locu qui dicitur Victurianum pro timore dei & remedium & induliencia de anima mea dono & trado aque transacto tibi antedictum Giso, monahus & aba & ad ipsum supra jam dictu monasteriu beatu sanctu Victore idest omnia ipsa res mea que mihi oveni da Domnellum qui fuit igenitore meu & a Domnella que fuit igenitrice mea & est posita ipsa res infra ducatu spoletinum infra territoriu castellu Pretosu, & est posita ipsa res infra loca vel finaite finis vel vocabula in locum qui dicitur..... seu & in musianum seu & in larcianum seu & in varianum seu & in casulana, sive..... turianus eum in nalie loca vel vocabula in montibus vel in planiebus ubicumque ivenire potueritis de ipsa res mea licentia & potestate abetis tu suprascriptus Giso monahus & aba & successores usque in perpetuum licentia & potestate abeatis ibidem intragire & habere possidere facere quiquit volueritis ad jura de ipsum monasteriu conservandum & est posita ipsa res cum isti suprascriptis vocabuli cu ipsa mea porcione de beata sancta Marina que edificata est fundo larciano & ipsa mea porcione de beatu sanctu Petru qui edificatu est in locum qui.... ecilli & est ipse in dicte ecclesie ipsa mea porcione que de ipse ecclesie mihi pertinet cum casis & terris.

Ego qui supra Sigualdus scabinus & notarius scripsi complevi & clausit.

LXXXVII.

Petrus eidem abbati Gisoni offert bona.

Anno 1012. mense decembri.

Ex autographo archivi sancti Blasii de Fabriano.

IN nomine Domini ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi sunt anni mille duodecimo & de mense decembri per indictione undecima in Castello. Ideoquem ego petru filiu quondam ursi bona mea voluntate pro redemcione anime mee do atque concedo tibi giso abbas vel a tuisque successoribus & in ipsa ecclesia beati sancti benedicti, quod edificato est in ipso loco, qui vocatur Victorianu, justa fluvio sentino, posita est ipsa res meam in ducatu Spoletino territorio Castellano in loco, qui dicitur ipse *planade delmatano* a vocabulo *a la isula*, & est infra loca desinate, a primo latere fini via publica, a secundo latere fini terra roberti, a tertio latere de pede fini fluvio Castellano, a quarto latere fini rigu qui pergi de suptu rufanu perveniente in ipso fluvio Castellano, infra ipsi scriptis lateribus de terra modiorum unu & sestaria ses cum omnia infra se vel super se abente & insuper do & concedo in ipsa villa *de dalmatano* tres tallie da cercora in integrum & concedo in ipsu monasteriu sci Benedicti & ibi Giso abbas vel a tuisque successoribus in tali ordine espondeo ego vel meis eredibus tibi gizo abbas vel a tuisque successoribus quod in ipsa ista res vobis tollere aut contendere aut minuare voluerimus, aut da qualive omine defendere non potuerimus aut non voluerimus, quod si ista res tibi Giso abbas vel a tuis successoribus duppla restituam. Que vero cartula.... *&c.* *Ad lib. IX. n. 14.*

Ego Petrus nomine scripsi.

† Signum manu de supradicto concereditore qui anc cartula fierit rogavit.

† Ego Johannes in an cartula rogatus testis.

† Ego Petri Supponi in an cartula rogatus testes.

† Ego Johannes rogatus testis.

Pos roboratione omnium testibus complevit & clausit.

LXXXVIII.

LXXXVIII.

Placitum in causa vertente inter monasterium sancti Zachariæ Venetiarum & abbatiam Vangaticiensem.

Anno 1013. mense majo.

Ex Muratorii antiqu. Esten. P. I. p. 88.

Ad lib. IX. n. 20. DUm in Dei nomine in comitatu Patavensi & in judiciaria Montisillicana in predicto loco Montisilice in mansione publica juxta viam in judicio resideret domnus Azo & Ugo germanis marchiones & Thodello comes istius comitatus Patavensis ad singulorum hominum justicias faciendas ac deliberandas, residentibus cum eis Prando & Sinderero & Rotefrido & Ymino & Turisendo & Thezo & Baruzo judices domnorum Rex, Bernardo & Rainerio filius quondam Alberici & Yngo de Agna & Warimberto & Alberto &c. & reliqui plures. Ibique in eorum veniens presentia Deusde presbiter, adque Petrus item presbiter officiales beatissimi sancti Zacharie prophete monasterio non multum longe a palacio de Rialto in civitate Venecie, una cum Johanne Millani advocatore eorum & parti jam dicti monasterii sancti Zacharie. Ceperunt dicere & interpellare nos Lodiberto judicem una cum domno Martino abbate monasterii sancte Marie virginis, quod dicitur da Petra, supra ripam Adicem, una cum predicto Lodiverto judice advocato suo a parte jam dicte ecclesie beati Petri apostoli, que constructa est in loco Montesilice, & est subjecta a predicto monasterio sancte Marie: qui nos malo ordine & contra legem detinuissemus medietatem de curte, que nominatur Pedriolo, que est ipsa predicta curte nominative in fine Montisilice in loco, qui dicitur a monte Vignalisicco, non multum longe da fluvio Vighenzone, una cum terris, casis &c. Et nos dedimus eis responsum, quod nos malo ordine, & contra legem eam non detinuissemus, sed supradicta medietate de predicta curte cum predictis omnibus rebus ad se pertinentibus per XL. annos ad proprium habemus possessum. Et tunc ibi locum interrogati fuimus, si nos probare potuerimus, & nos dedimus eis responsum, quod hoc nomine approbare potuerimus. In eodem judicio interrogati fuerunt predicto Lodiberto judex una cum domno Martino abbate a parte ipsius ecclesie beati Petri apostoli, si nobis per testes, aut in quo sito loco approbare potuissemus, quod infra XL. annos ad proprium a parte predicte ecclesie beati Petri apostoli quesiti fuimus. Et ipsi dederunt responsum, quod hoc approbare non potuissent. Et tunc ibi locum per judicum judicium, & nos Deusde presbiter & Petrus item presbiter una cum Johanne Millani advocato nostro, & a parte monasterio sancti Zacharie, quod XL. annos ad proprium pars predicti monasterii possessum habemus. Et sic eis dedimus judicium jurandi & posuit ejus fidejussorem domnus Todello comes. Ecce nos predictus Deusde presbiter & Petrus item presbiter cum jam dicto advocato nostro, & a parte jam dicto monasterio sancti Zacharie cum nostris XII. sacramentalibus ad sancta Dei evangelia ipsum sacramentum faciendum. Dum vero jurasset Johannes Millani advocato a parte predicto monasterio cum Vitale & Azili sacramentalibus suis &c. quod a parte predicto monasterio per XL. annos ad proprium possessum habemus, & si quislibet adversum nos exinde aliquid dicere vult, parati sumus cum eis inde ad rationem standum & legitime finiendum. Et quod plus est, querimus nos predicti, ut dicat iste domnus Martinus abbas una cum Lodiverto judex advocato suo, qui hic ad presens est, jam dicta medietate de predicta curte que nominatur Pedriolo &c. a parte predicto monasterio sancti Zacharie contradicere aut subtrahere volunt, vel a parte ipsius monasterio proprii sunt, ac esse debent cum lege aut non. Cum ipsi taliter retulissent, ad hec respondens domnus Martinus abbas una cum Lodiverto judex advocato suo, dixerunt & professi sunt, quod predicta medietate de predicta curte &c. vobis non contradicimus, nec contradicere querimus, quod cum lege non possumus &c. eo quod proprii sunt de predicto monasterio sancti Zacharie, & proprii esse debent cum lege. Insuper obligaverunt se domnus Martinus &c. Finita est causa, & hanc notitiam pro securitate ejusdem Deusde presbitero, & Petro item presbitero cum Johanne Millani advocato suo fieri ammonuerunt.

Quidem & ego Johannes notarius ex jussione domni Azonis & Ugone marchionis, & domni Todelli comitis & judicum ammonitione scripsi. Anno vero domni Henrici regis hic in Italia decimo die mense madio indictione undecima.

Adel-

Adelbertus, qui Azo vocatur, manibus meis subscripsi.
Ugo marchio m. m. subscripsi.
Gisprandus judex sacri palacii interfui.
Sondererius judex sacri palacii interfui.
Rotefredus judex sacri palacii interfui.
Ego Ymo sacri palacii judex interfui.
Turisendo judex interfuit.
Baruzo judex Domnorum interfuit.

LXXXIX.

Placitum in causa vertente inter Silvestrum abbatem sancti Gregorii, & Adelelmum abbatem sancti Bonifacii de Urbe pro Mandria Camellaria.

Anno 1013. 12. maji.

Ex codice monasterii sancti Gregorii p. CC. XXII.

Ad lib. IX. n. 22. IN nomine Domini Dei salvatoris Jhesu Christi. Anno Deo propitio pontificatus domni Benedicti summi & universalis pontificis octavi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli primo indictione undecima mense madio die duodecima. Quia mens humana omnia memorie .... minime valet quicquid acta vel .... scripturis testimoniis roboretur, ut quando amplius orta fuerit intentio, & litis calumpnia per hanc paginam totius litis amoveant questionem: & ideo hanc brevem memoratoriam..... inter abbatem venerabilis monasterii sanctorum Andree & Gregorii, qui appellatur Clivuscauri, ejusque alme congregationis, & Adelelmum abbatem venerabilis monasterii sancti Christi martyris Bonifatii & congregati .... in loco qui appellatur Babentivas, qua de re ut prefati sumus Johannes abbas suprascripti monasterii sancti Gregorii consentiente sua congregatione concesserat per emphiteosim......... Aliprandum & Stefanum germanos, qui dicebatur de Imizza locum unum in inde, qui vocatur Mandria Camellaria cum terris circa se ad mansionandum & populandum, homines que ibi ad congregandum, simulque construendum castellum, scilicet ratione, ut omni tempore ipsum locum habendi & detinendi insimul, & in tribus partibus dividendum, sicut continet in promissionis cartula, que ipsi germani a suprascripto monasterio fecerat, quod totum hoc minime adimplerunt, sed tamen ex parte fecerunt, nam tres mansiusculas cum pauco muro in superiori gyro vix facere voluerunt, in inferiori vero gyro nil peregerunt, quoniam ipsi per promissionis cartulam hoc spoponderunt, quod si adimplere, quod supra dictum est, non possent, absque ulla intentione ipsum locum in factum monasterii reverteretur: deinde placitum dilatum multis temporibus usque ad exitum vite sue. Euntes autem Johannes abbas causa visitationis a prefato Stefano simul cum Aliprando suo germano intimare cepit de supradicto loco, qualiter facere vellet .... quomodo ipsum locum, ut promiserat, minime laboraverat: tandem inito consilio suprascriptis germanis ipsum refutaverunt locum a Johanne abbate cum omnibus suis pertinentiis vel adjacentiis, sed ipsum tertio generi minime reddiderunt, eo quod nesciebat quid esset factum tantum, pro nihilo ducentibus ab eadem hora monachis ipsius monasterii sancti Gregorii ipsum locum illorum tenuerunt manibus. Hec autem multorum annorum peractum est, nunc vero insurgentibus monachis suprascripti monasterii sancti Bonifatii una cum Adelelmo illorum abbate acuti ingenio replicare ceperunt, qualiter suprascripto Stefano ipsum habere locum per emphiteosim cartula, & in illorum monasterio per cartulam concesserit, ceperunt altercari, & contentionem facere, & placitum convocare suprascripto Sylvestro abbate. Venientibus quoque ex utraque parte in suprascripto monasterio sancti Gregorii cum judices & nobiliores homines, & in tertiis per ordinem intimarunt & narrare ceperunt, qualiter vel quomodo de eorum locis esset factum, ad hec inquisitio suprascripto Sylvestro abbate ostendit eis unam promissionis cartulam, quem suprascriptis germanis in monasterio sancti Gregorii fecerant..... .... relegebat omnem tenorem & placitum, que inter eis actum fuerat. Cum talia viderent judices, ceperunt dicere contra Silvestrum abbatem, potest hoc approbari? Quibus Silvester abbas respondit: possumus per scriniarium, qui ea conscripserat, quia scio vivus & sanus est. Deinde constituerunt, & inter eis promissionem & pactum fecerunt, ut supra cartula approbare potuisset per scriniarium, qui eam conscripsit, statim suprascripto Adelelmo abbate ipsum locum refutaret, & amplius non litigaret. Alia die veniente similiter simul coadunati in ipsum

ipſum monaſterium cum judices & nobiliores homines, videlicet Gregorius de Ripa primicerius; Petrus, & alio Petrus de Pulcro dativorum judicibus; Aimo abbate monaſterii ſancte Marie, qui ponitur in Aventino; Dominicus abbas ſancte Priſce; Benedictus Domini gratia ſcriniarius a ſancto Theodoro; Berardo & Gumbizzo germanis uvet.... filio Berardo; Leo, qui vocatur Calbo; Creſcentius & Benedictus qui dicitur Scantione germanis, ceteriſque plurimis, ante iſtorum omnium preſentiam poſiti ſunt ſancta Chriſti quatuor evangelia in medium. Tunc judicaverunt judices, ut advocatum monaſterii ſancti Bonifatii dicere de aſco & ſcriniario juraret, ut ipſam cartulam bonam & veridicam eſſe, & nullam fallaciam in ſe habere, ſed talem eſſe quales ſupraſcripti germani rogaverunt, & illorum manibus firmaverunt, ſtatim erexit ſe ſcriniarius, & ipſam cartulam poſuit ſupra evangelium, & ſicuti judices judicaverunt, ita facere & confirmare voluit: tunc advocatus ſancti Bonifatii ſeceſſit, noluit jurare eo quod ſciebat ſuum abbatem rectum non habere: tunc abbas ſancti Bonifatii talia dicere cepit. Cartula quidem promiſſionis per omnia bona eſt, ſed omnia, que ibidem ſcripta ſunt, optime Stefano & Aldibrando germanis adimplere curaverunt: nam manſiones ibi conſtruxerunt, & homines ad manendum venire fecerunt: ſed ſenior Rome iſtius civitatis deſtruere juſſit. Ad hec Silveſter abbas talia dixit: de hoc tibi teſtimonia dabo, quando ...... duas vel tres manſiunculas in eo loco minime fecerunt, neque homines ad habitandum ibidem, excepto duobus latronibus conducere potuerunt: ſed quidem germanis cum talia viderent, ut caſtellum ibidem minime eſſe poterat, & homines ad habitandum ducere non poterant, deſtruxerunt ipſas manſiunculas, & lignamen, qui ex ea fuerat, uſque in domum illorum perducere fecerat. Mox judices talia intelligentes dixerunt, pro duobus modis cartulas ſancti Bonifacii evacuare judicamus, quoniam hoc lex jubet, ut nullus res eccleſie alteri eccleſie omnino tradatur: ſimiliter & hoc quod promiſerunt ſupraſcripti germani minime adimplere valuerunt: & hoc per omnia confirmamus, veraciterque judicamus, ut promiſſio firma & ſtabilis in evum permaneat, & dictum locum cum ſuis omnibus pertinentiis monaſterii ſancti Gregorii in perpetuum habere abſque ulla contradictione vel dilatione. Iterumque judicamus, ut eis, qui hoc litigium excitaverunt, penam quod in promiſſionis cartula ſcripta eſt, hoc eſt libra auri, in monaſterio ſancti Gregorii componatur. Sic namque finitum, & cum tanta auctoritas ab eis promulgatum eſſet pro futuris temporibus, hec ſupradicta omnia inſinuanda juſſerunt hanc notitiam & memorialis componere brevem ſub tali conſtitutione, ut ſi ulterius ipſo vel ſuos ſucceſſores ſupraſcriptum locum adverſus prefatum monaſterium ſancti Gregorii quodlibet litigium promovere auderent, duas auri optimi libras componerent, & quod in lite proponerent, ammitterent. Et inſuper hec notitiam brevem omni tempore firma permaneat. Unde pro futura memoria, futuroque teſtimonio & cautela ſupraſcriptus Petrus & alio Petrus de Pulcro dativorum judicibus hec notitia brevis ſcribere perceperunt mihi Stefanus ſcriniarius ſancte Romane eccleſie in menſe & indictione ſupraſcripta undecima.

† Petrus Dei nutu judex.

† Ego Petrus Domini gratia dativus judex ſupraſcripto Berardo.

† Johannes, qui de presbiter vocatur.

Ego Stefanus ſcriniarius ſancte Romane eccleſie & ſcriptor hujus notitie brevis facte complevi & abſolvi.

X C.

VVillelmi epiſcopi Arretini donatio bonorum facta abbatiæ Prataliæ.

Anno 1013. menſe junio.

Ex autographo archivi Fontis-boni.

IN nomine Domini noſtri Geſu Chriſti anno ab incarnationis ejus tertio decimo poſt mille in menſe junio indictione undecima feliciter. Manifeſtus ſum ego Willelmus gratia Dei ..... epiſcopus ſancte Aretine eccleſie quia pro Dei timore, & amore redemptionis anime mee, & anima bone memorie Elpertus epiſcopus, & pro anima illorum, qui in monaſterium ſancte Marie juſta rivo biventte benefecerunt, concedimus eſce in perpetuum manſuros ei monaſterio beate marie matris Chriſti & perpetue virginis, ſimulque omnium ſanctorum, in quo monaſterio donamus & in perpetuum concedimus ex integra caſa & terra & vinea illa, que eſt poſita infra territorio de plebe ſancte Marie ſito partina in caſale *Ad lib. IX. n. 21.*

le Contra in a vocabulo Prato, ſicut ex antea recta & tenuta fuit per Dominico presbiter, & modo regere videtur per Omizo presbiter, & Petrus & Lugo germanos, & per Donello presbiter de omnia ſuprascripta caſa & terra in ſupradicto caſale Contra, & in Camiliano, & in Marciano vel per alias loca & per aliis caſaliis vel a vocabuli, aut ubicumque & in qualibet loco de ipſa res eſſet, invenitur ...... terris, pratis, campis, ſilvis, vel reliquis pumiferis, aquis, rivis & paſcuis cultum vel incultum, diviſum vel indiviſum omnia & in omnibus, ſicut ſuperius habetur, & autem ſupradicta terra & vinea judicamus & tradimus ſupradicto monaſterio tali vero tenore, ut Sigizo abbas ſuiſque ſucceſſoris abeat exinde faciendi vel renovandi libellos ac breves at onore & auctoritate ipſius eccleſie...... ea lege ut predictum monaſterium ſemper ſit ſub regimine epiſcopis ſancti Donati, & quot fieri non credo, ſi ego Willelmo epiſcopus, aut ullus de poſteris vel ſucceſſoribus meis contra hoc ſcriptum & noſtram donationem intemrumpere, tentare aut disfacere preſumpſerimus, & ſi .... fuerit a ſupradicto monaſterio non defenſaverimus, tunc componere ego ſupradicto Willelmo epiſcopus cum meis poſteris ſucceſſoribus in predicto monaſterio integra ſupradicta caſa & omnia, ſicut ſupra legitur, ſicut in tempore fuerit meliorata ibidem in propinquo, & in conſimilem loca in duplo compromitto & inſuper de auro libras una. Super ec & omnia octeſtamur & conjuramus omnes noſtros ſucceſſores epiſcopos & fideles ſancti Donati per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum *&c. ut in aliis epiſcopi Elemperti ad annos* 1008. 1009.

Actum Aritii feliciter.
Willelmus epiſcopus ss.
Wido ſubdiaconus & cantor ss.
Gerardus diaconus & canonicus ss.
Signo manibus Farolfo filio quondam Tendelaſi, qui Teuzo fuit clamatus, & Ramberto filio quondam Joanni, & Alberto filio quondam Arnoſo rogatis teſtis & manibus pro ſe ſuſcrivere rogaverunt.
Gerardus cancellarius ss.
Ego Azzono ſcripſi & complevi.

XCI.

Placitum pro monaſterio ſancti Severi in Claſſe.

Anno 1013. 27. auguſti.

Ex autographo Claſſenſi.

IN nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Anno deo propitio pontificatus domni noſtri Benedicti ſummi pontificis & huniverſalis pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri apoſtoli Domini ſede ſecundo, ſitque regnante domno Einrico rege invictiſſimo in Italia anno deſimo die vieſimo ſeptimo menſis auguſti indictione undecima RAVENNE. Divalium & antiquarum legum in inſtitutionibus normiter repetitur ſancitum, ut quicumque ad legalis calculi.... examen perveniunt, oportet .... ne longevis temporibus mora & intervallo adhibitis oblivioni mandentur, que legaliter finita ſunt, & denuo non repetantur, aut lites iterato limine replicentur fraudolente dolo inrefragabilia & munita permaneant, ut in libro legitur Novellarum negotia jam finita nullo modo volumus refricari, & in libro codicum cauſas juſtas legitimis tranſactionibus finitas etiam ab imperiali reſcripto reſuſcitari non oportet. Igitur cum chriſti auſilio dum reſideret domnus Johannes judex, qui dicitur calcians pellem, in curte ſancti Pullionis martiris, & ibi cum eo bone opinionis & laudabilis fame viri, quorum nomina ſunt hec, Vitalis electus abbas monaſterii ſancti Severi pontificis, Petrus filius quondam Adelberti ducis & Albertus filius quondam Sergii ducis, & Natalis filius Johannis, qui vocatur Menfredus, & Silveſter presbiter de territorio ariminenſe, & Hubaldus presbiter ipſius territorii, & Johannes, qui vocatur capudſudum, & Johannes, qui vocatur de farneta, & Conſtantinus, qui vocatur de Cupis, & Johannes qui vocatur Ruffus, & Urſo clericus filius ejus, & Barontius filius quondam Rottardi, & Johannes, qui vocatur de Aimanno, & Martinus, qui vocatur de Venerio presbitero, & alii, quorum nomina memoriter retineri nequeo. In iſtorum preſentia & me preſente Martino tabellione Ravennate queſivit Romualdus filius quondam Johannis de Conſtantino una cum adjutore nomine Conſtantino, qui vocatur de Subcupis, di-

Ad lib IX. n. 22.

dicens, quero ad istam presentiam Vitalem electum abbatem monasterii sancti Severi unam petiam terre positam in duobus fundis, quorum vocabula sunt due masine de Vangaditia, que est infra ista latera, idest ab uno latere flumen quod vacatur Pantium, & alio latere terra, quas detinent heredes quondam Mauritii a jure monasterii sancti Severi in Vangaditia, & terra, quam possideo ego ipse Romualdus a jure ipsius monasterii in fundo, qui vocatur due masine, seu tertio latere plaudes sancti Apolinaris in Classe, atque a quarto latere jura ipsius monasterii sancti Severi. Et que michi pertinet ex versione meorum parentum, & per meum conquisitum, & ego eam habui & detinui, & ipse Vitalis electus abbas per vim eam intromisit & michi contendit. Ad hec respondit predictus abbas cum advocatore suo nomine Eleuterio dicens, non est verum, quod ipsa petia terre posita in duobus fundis, quorum vocabula sunt due masine de Vangaditia, & que est infra ista latera, que tu dicis tibi pertinere ex versione tuorum parentum, vel per tuum conquisitum, aut con eam habuisses & detinuisses, & ego per vim eam intromisissem, & tibi contendam, unde tibi legibus emendare debeam. Tunc dominus Johannes judex jamdictus jussit ambas partes sub districto fidejussore obligandas in primis pars querentium, idest suprascriptus Romualdus dedit fidejussorem per manum executoris nomine Baruncii filii quondam Rottoardi, & levavit eum Petrus, qui vocatur Adelberto in obligatu solidorum viginti, postea vero pars respondentium suprascriptus Eleuterius advocator ipsius abbatis dedit fidejussorem, & levavit eum Albertus, qui vocatur de Sergio, in obligatu similiter solidorum viginti. Denuo vero replicate sunt lites litigantes litigaverunt per omnia, sicut jam superius dictum est, quesivit suprascriptus Romualdus simul cum advocatore suo Constantino nomine, qui vocatur de Subcupis, adversum predictum Vitalem electum abbatem monasterii sancti Severi dicens, sicut jam dixi, & iterum dico unam petiam terre positas in duobus fundis, quorum vocabula sunt due masine de Vangaditia, que est infra ista latera, idest ab uno latere flumen, qui vocatur Pantium, & ab alio terra, quas detinent heredes quondam Mauritii a jure suprascripti monasterii sancti Severi in Vangaticia, & terra quam detineo ego ipse Romualdus a jure ipsius monesterii in fundo, qui vocatur due masine, seu a tertio latere paludes sancti Apolinaris, qui vocatur in Classe, a quarto latere jura suprascripti monasterii sancti Severi, & que michi pertinet ex versione meorum parentum, & per meum conquisitum, & ego eam habui & detinui, & ipse Vitalis electus abbas per vim eam intromisit, & michi contendit. Et iterum respondit suprascriptus abbas cum suo advocatore nomine Eleuterio dicens, non est verum, quod ipsa petia terre, quam tu dicis esse infra suprascripta latera tibi pertinere ex versione tuorum parentum, vel per tuum conquisitum cum eam habuisses & tenuisses, & ego per vim illam intromisissem & tibi contendam, unde tibi legibus emendare debeam. Deinde predictus dominus Johannes judex interrogavit jamdictum Romualdum, si potuisset hoc probare, quod adversum eumdem abbatem dicebat, & statim ipse Romualdus cum adjutoribus suis exivit ex eodem placito querens consilium si hoc probare potuisset, an non, & subito reversus in placitu, interrogato ab ipso judice si hoc probare potuisset, an non, & professus est hoc probare non potuisset neque per cartas, neque per testes tunc, nec unquam in antea. Et ipse Johannes judex talia audiens dixit ad eumdem Romualdum postquam hoc probare non potes, neque per cartas, neque per testes modo, nec umquam in antea, perge ad sancta Dei evangelia & jura de a suprascripto si ausus es, ut tuum requiras . . . . & ille dixit non audeo jurare, dixitque ei judex, quare non, respondit ille, quia timeo me perjurare, ne anima mea incurrat periculum, & interrogavit judex jamdictum Eleuterium advocatorem ipsius abbatis, si transactum auderet facere sacramentum, & ait illi Eleuterius certe audeo, & facere paratus sum, quo audito dominus Johannes judex judicare cepit dicens, postquam ipse Romualdus hoc, quod dixit probare non potest, neque per cartas, neque per testes modo, nec umquam in antea, & jurare non audet, & advocator ipsius abbatis jurare paratus est, quod ipse Romualdus verum non querit, judico ego, ut ille Romualdus perdat inde per omnia suam actionem, & sit inde tacitus & contentus cum suis filiis & heredibus in perpetuum, & ipse abbas sit inde securus & quietus cum suis successoribus in perpetuum, hac altercatione remota. Mox suprascriptus Romualdus adpreendit virgam manibus suis, & misit illam in manum suprascripti Vitalis electi abbatis & Eleuterii advocatoris ejus dicens, ego spon-

pondeo & obligo me, si umquam in tempore aliquam requisitionem vel molestationem, aut causationem fecero contra se vel contra tuos successores per me, vel per meos filios, vel per a me summissam vel summittendam personam pro ipsa petia terre, que superius legitur, de qua nunc inter nos fuit contentio, quia compositurum me promitto, meosque filios & heredes tibi tuisque successoribus de bonis denariis libras quinquaginta exeptis scilicet duabus tornaturiis, & forma una, que sunt infra predicta latera, quas per vestrum largitum, & a jure monasterii vestri . . . . & ipse abbas cum suo advocatore ita accipiens, & omnes ibi adstantes pro futuro testimonio rogavit.

☧. Johannes divino lumine dactivus hoc judicato, ut superius legitur, judicans ss.

† Albertus dux in oc judicato ss.

† Petrus dux in hoc judicato ss.

† Natalis Dei pietate ducis in oc judicato ss.

† Eleuterius in oc judicato ss.

† Pascasi in oc judicato ss.

XCII.

Bulla Benedicti papæ VIII. pro monasterio sancti Sepulcri in loco Noceati.

Anno 1013. mense decembri.

Ex autographo monasterii Fontis-boni.

Ad lib. IX. n. 18. ☧. BENEDICTUS EPs SERWS SERVORUM Di DILECTo IN XPo FILIo Roderico, qui Bonizzo vocari videtur, abbati monasterii sci sepulcri ac sci quactuor evangelistarum, qui situm est in castro Felicitatis in loco qui nociati, tuisque successoribus in perpetuum. Quoniam si quis ad onorem Dei & sca Dei monasteria ordinamus mercede inde in futurum a deo nos recepturos non dubitamus. Idcirco nos quibus ecclesiarum dei curam commissa est ecclesiam predictam inposterum provideatis de rebus sce nostre romane ecclesie privilegium nostre auctoritatis constituere ratum duximus arbitramur etenim ad future utilitatis fructum plurimum valere. quod contra insectatione tirannorum & quorumlibet pravorum vires videtur habere. auctoritate igitur apostolicum constituimus privilegium de ea que inferius continet pro remedium anime nostre nostrorumque successorum pontificum & pro substentatione fratrum & susceptione inopum & peregrinorum & congregatis in cristi laudibus quia mercedem in futurum a deo nos recepturos non dubitamus proinde concedo vobis vestrisque successoribus in perpetuum. idest corte que constantiorum & sarganina & nobule & balzoso & campo domnico & campo de puzo & flavelle totum in numerum sicuti sce nostre romane ecclesie pertinere videtur posita infra castrum felicitatis quanta infra ipsis vocabulis sita esse videtur juris sce nostre romane cui deo auctore deservimus ecclesie vobis vestrisque successoribus in perpetuum detinendum & perfruendum concedimus vestris precibus inclinatis a presenti duodecima indictione nostra auctoritate libera atque secura habeatis addeatis possideatis hab omni extranea potestate itaut nullus dux princeps comes aut vicecomes vel magna parvaque persona potestatem ibi exerceat vel vim facere ibidem presumat ita sane ut singulis quibusque in indictionibus pensionem auctionarii sce nostre Romane ecclesie duos aureos solidos difficultate postposita persolvatis. statuentes itaque apostolica auctoritate sub divini judicii obstentatione & anathematis interdictione ut nulli umquam successorum nostrorum pontificum vel magna parvaque persona sicut supra scriptum est contra hoc nostrum privilegium venire audeat. Si quis autem quod non obtamus temerario ausum contra hec venire atemptaverit & sicuti a nostra apostolica auctoritate concessum & confirmatum est permanere non dimiserit sciat se maledictum & anathematis in vinculo a patre & filio & spiritu sancto innodatum & in eternis incendiis cum juda traditore domini nostri jesu christi abeat portionem. At vero qui pio intuitu custos & observator hujus nostri apostolici privilegii extiterit benedictionis gratiam a justo judice domino deo nostro consequi mereatur & vitam eternam particeps effici mereatur in secula seculorum amen. Scriptum per manu Sergii notarii regionarii scriniarii sce Romane ecclesie in mense & indictione suprascripta duodecima.

✠ BENE VALETE ss.

In nomine Domini datum per manus azzoni episcopi sce ostiensis ecclesie & bibliothecario sce apostolice sedis an-

no deo propitio pontificatus domni benedicti summi pontifici & univer. octavi papa in sacratissima sede beati petri secundo in mense decembrio indictione suprascripta duodecima.





XCIII.

Donatio Gerardi & Sergii nobilium virorum Johanni abbati & monasterio sancti Gregorii de Urbe, cui donationi Benedictus Papa subscripsit.

Anno 1014. 5. martii.

Ex codice ejusdem monasterii p. LVII.

Ad lib IX. n. 30. IN nomine Domini Dei salvatoris nostri Jesu Christi. Anno deo propitio pontificatus domni Benedicti summi pontificis & universalis octavi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli secundo imperante domino piissimo perpetuo augusto Henrico a Deo coronato magno & pacifico imperatore anno primo indictione duodecima mensis martii die quinta. Decet autem bone fidei solo verbo sufficere, sed aliquando solet tempus longinquitatis extendere, &non valet, quod conventum vel gestum fuerit serio memoriter retineri. Ob hoc namque necesse est quicquid inter partes convenitur, scriptura notari ut quandoque fortasse si expedit, aut ostensa fuerit omnem totius litis amoveat questionem. Et ideo quoniam certum est nos Gerardum & Sergium nobiles viros fratresque germanos hac decisisse & decisimus atque tradidimus, nec non & per omnia in omnibus deliberavimus & diffinivimus simulque refutavimus nullo nos cogente neque contradicente aut vim faciente, sed propria spontaneaque nostra voluntate vobis domno Johanni gratia dei religioso presbitero & monaco atque coangelico abbati venerabilis monasterii beati Andree apostoli & sancti Gregorii, quod appellatur clivusscauri, successoribusque tuis in perpetuum, idest fundum unum in inde, quod dicitur Cesamora cum omni integritate sua una cum finibus, terminis, limitibusque suis, terris, campis, pratis, pascuis, silvis, salectis, arboribus pomiferis, fructiferis vel infructiferis diversi generis, puteis, fontibus, rivis aque perennis, edificiis, parietinis, criptis, arenariis, montibus & collibus, plagis & planitiis, cultum vel incultum, vacuum & planum, & cum omnibus a suprascripto fundo uno in inde, quod vocatur Cesamora, generaliter & in inde pertinentibus positis foris portam sancti Pancratii via Aurelia, & juxta unum casale, quod dicitur Mola rupta. Affines vero ejus sicuti nunc modo sunt & ab origine fuerunt, & ex omnibus lateribus terra tui monasterii: hic namque suprascriptus fundus in inde, qui vocatur Cesamora, & omnia ejus pertinentia per cartulam tertii generis concessus est nobis ab iniquo Silvestro abbate vestri monasterii: unde tu quide abbas cum tuis monacis multas interpellationes supra nos fecisti, eoque ipse iniquus & sceleratus Silvester abbatia caruit atque refutavit, sed diabolica fraude deceptus post renuntiatam abbatiam ipsos emphiteos nobis precatus est, sed falsa stipulatione, quasi dum esset abbas, deprecaturus fuisset. Ideo refutamus & renuntiamus vobis, ut dictum est, hereditatem eorum presentia domni presulis, & subscriptorum judicis & testium. Cartulas autem emphiteoticarias inanes & vacuas per omnia esse constituimus, nullumque habere in se robur firmitatis, eo quod per eas legibus nullo modo querere valemus, quoniam injuste & contra legem eas accepisse confitemur: unde & hanc refutationem refutationisque cartulam tibi contradidimus, ut nullo in tempore neque a nobis neque ab heredibus & consanguineis nostris, aut a nobis submissa magna parvaque persona contra vos vestrosque successores aliquam habebis questionem aut requisitionem litis, calumpnie, sed a nobis & nostris heredibus

bus

bus securus & quietus permaneas, tu & successores tui modo usque & in perpetuum. In qua & jurati dicimus per Deum omnipotentem sanctæque sedis apostolice domni Benedicti sanctissimi octavi pape salutem, hec omnia que securitatis refutationisque cartula serie textus eloquitur inviolabiliter conservare atque adimplere promittimus. Nam quod absit & quoquo tempore si nos vel heredes vel consanguinei nostri contra vos vestrosque successores, aut contra hanc cartulam, quam sponte fieri rogavimus, agere aut causare, contendere vel litigare presumpserimus, & cuncta non observaverimus, vel aliquam requisitionem facere voluerimus per quodlibet monumentum sive instrumentum cartarum, tunc ubicumque ea apparuerint pro vestra lesione in antea & vacua permanere, nullumque in se habere robur firmitatis: & insuper composituri existimamus nos cum heredibus nostris vobis vestrisque successoribus ante omne litis initium pene nomine auri ebritias libras sex, & post solutam penam hec securitatis refutationisque cartula in suam nichilominus maneat firmitatem, quam scribendam rogavimus Sergium scriniarium sancte Romane ecclesie in mense & indictione suprascripta duodecima.

Signum †† manu suprascriptorum Gerardi & Sergii nobilium virorum germanorum fratrum rogatariorum, ut supra legitur.

† Thfpfнlbtx: c: Ego Benedictus sancte catholice & apostolice Romane ecclesie presul subscripsi.

† Benedictus sacellano sancte apostolice sedis.

† Petrus Dei nutu judex subscripsi.

† Leo Frajapane.

† Berio de Leo Spolpeto.

† Theodorus.

† Theudonianus.

† Astaldo de Johanne de Antonio.

Ego Sergius scriniarius sancte Romane ecclesie, qui supra scriptiones & traditiones factas complevi, & absolvi.

XCIV.

Synodus habita ab Arnaldo archiepiscopo Ravennate, & ab aliis episcopis & abbatibus in causa vertente inter abbates sancti Adalberti insulæ Perei, & sanctæ Mariæ de Pomposia.

Anno 1016. 30. aprilis.

Ex autographo semilacero & pene evanido tabularii archiepiscopalis Ravennæ caps. F. n. 2334.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno Deo propitio pontificatus domni Benedicti summi pontificis, & universalis pape in sacratissima beati Petri apostoli sede quinto . . . . a Deo coronato, pacifico, magno imperatore, in Italia vero anno tertio die trigesimo mensis aprilis indictione quartadecima. Ravenne . . . . Quapropter . . . . Arnaldus archiepiscopus sancte Ravennatis ecclesie . . . . Petrus episcopus sancte Adriensis ecclesie, Rodulfus episcopus sancte Liviensis ecclesie . . . . ecclesie, Marnacius episcopus sancte Cesinatis ecclesie, Leo episcopus sancte Ficoclensis ecclesie, Johannes episcopus sancte Comacliensis ecclesie, Johannes archipresbyter sancte Ravennatis ecclesie, Onestus diaconus sancte Ravennatis ecclesie . . . . . diaconus Ravennatis sancte ecclesie, & . . . . . . diaconus sancte Ravennatis ecclesie, & Paulus & Tedaldus & Paulus diacon. . . . . & Deusdedit filius quondam Deusdedit, Paulus qui vocatur de Beobilla, Natalis filius Johannis, qui vocatur Ermenius, Johannes . . . . Lazarus consul, Johannes tabellio, Andrea filius Andreas tabellionis, Constantinus tabellio, Petrus tabellio filius . . . . Romualdus & Liutius germani filii quondam Enrici, & plures alii clericorum & presbyterorum seo monachorum. In corum supradictorum omnium presentia orta est litis & altercatio inter Vitalem abbatem monasterii sancti Adelberti siti in isula que vocatur Pereum, & Guidone abbate monasterii sancte Marie, que est sita in isula que vocatur Ponposa, & ostendit predictus abbas Vitalis . . . . . quod quondam Otto imperator fecit in eodem monaste-

Ad lib. IX. n. 37.

nasterium de terris & de vineis, & de portum, qui vocatur Volana, & relectum est per Onestus diaconus sancte Ravennatis ecclesie a capite usque ad finem. Lectum scilicet . . . . Tunc accedens Guido abbas monasterii sancte Marie, que vocatur in Ponposa, & ostendit suum preceptum, quod fecit ei imperator Enricus de terris . . . . . . Volana & lectum est per Endricum capellanum domni Arnaldi archiepiscopi relectum eodem a capite usque ad finem & relectum est . . . . abbas preceptum aliud, quod fecit eidem Guidoni abbati & monasterio sancte Marie, que vocatur in Ponposa papa Benedictus Romane ecclesie de terris . . . . qui vocatur Volana, & relectum est per Lazarum consul a capite usque ad finem. Et cum oc factum esset surgens prefatus domnus Arnaldus . . . . & dixit: Seniores episcopi & clerici layci majores & judices ceterisque seniores ista precepta que relecta sunt in pu. . . . . . . monasteriis petita & quisita sunt contra nostram ecclesiam sanctam Ravennatem, quoniam quondam Johannes archiepiscopus istius ecclesie petivit & aquisivit. . . . Benedictus papa de terris, & locis, & aquis, & piscationibus, & de prefato portu Volana cum piscationibus & litoribus suis . . . . episcopi & judices adprobaverunt. Et dominus archiepiscopus. Si vos ostendiditis ipsum preceptum, quod denuo volumus audire. archiepiscopus ostendit illud preceptum, & legere fecit per Lazarum a capite usque ad finem, & relegebat ibi prefatum preceptum . . . . & venationibus vestris ad locum, qui dicitur Arloga cum omnibus litoribus, silvisque, vallebusque istrumentis ibi conditis, & in . . . . . . in ceteris scripturis episcopi, & judices dixerunt & laudaverunt, & judices judicaverunt, & ceteris . . . . . . ecclesie prius aquisita cum omnibus rebus, que ibi releguntur sit firmum & stabile in perpetuum . . . . precipiatur autem abbati sancti Adalberti, & Gui. . . . . . . in Ponposia de supradictis piscationibus portum Volane, & de ceteris rebus, que in preceptum sancti Apollenaris releguntur, sint inanis & vacua, & nullam atque. . . . Actum sub die, menseque & indictione supradicta quartadecima. Ravenne.

a Sigifridus — *a* . . . . sancte Placentine ecclesie episcopus in hoc dijudicato consensi, laudavi & propria manu subscripsi.

b Ildebrandus — *b* . . . . . . .ndus episcopus sancte Faventine ecclesie in oc dijudicato consensi, laudavi & propria manu subscripsi.

c Leo episcopus Ficoclensis — *c* . . . . .clensis ecclesie in oc dijudicato *&c.*

† Teopertus sancte Populiensis in oc dijudicato *&c.*

d Marnacius — *d* . . . . .nacius episcopus sancte Cessenatis ecclesie in oc dijudicato *&c.*

e Petrus Dei — *e* . . . . . gratia sancte Adriensis ecclesie episcopus in oc dijudicato *&c.*

f Johannes Dei — *f* . . . . . gratia sancte Comiaclensis ecclesie episcopus in oc dijudicato *&c.*

Rodulfus gratia Dei episcopus sancte Liviensis ecclesie in oc dijudicato *&c.*

Paulus episcopus sancte Corneliensis ecclesie huic judicio interfui & laudavi & subscripsi.

† Sergius sancte Ravennatis ecclesie archidiaconus in hoc dijudicato consensi & subscripsi.

† Johannes archipresbyter sancte Ravennatis ecclesie in hoc dijudicato consensi & subscripsi.

Teobaldus Dei gratia presbyter sancte Ravennatis ecclesie cardinalis huic dijudicatui interfui & ss.

☧ Ego Honestus Ravennatis ecclesie Levitarum humillimus laudavi . . . .

† Ego Azo diaconus sancte Ravennatis ecclesie laudans su. . . . . .

† Vitalis presbyter & prepositus sancte Ravennatis ecclesie in hoc dijudicato consensi & ss.

† Ego Deotmarus abbas quamvis indignus sancti Apolenaris in Classe in hoc dijudicato consensi & ss.

† Ego Leto presbyter & abbas monasterii sancti Severi in hoc dijudicato consensi & ss.

† Petrus presbyter & monachus adque abbas monasterii sancte Marie, que vocatur in Uriano, in hoc judicato consensi & ss.

† Ego Andreas presbyter & monachus adque abbas monasterii sancti Vitalis in hoc judicatu consensi & ss.

† Ego Wido abbas Pomposie uic judicatui interfui & subscripsi.

† Ego Andreas abbas sancti Laurencii in Cesarea in hoc dijudicatum interfui & ss.

† Ego Vitalis abbas sancti Adelberti in hoc judicato consensi, laudavi & ss.

† Deusdedit ibi fuit.

† Petrus in hoc judicatum subscripsi.

. . Petrus ex genere ducis interfui & ss. cartam.

. . . . . recensui & ss.

XCV.

XCV.

Ardo & Accia conjuges donant bona Vitali presbytero.

Anno 1016. sed rectius 1017. mense novembri.

Ex autograpbo sanctæ Catharinæ de Fabriano.

Ad lib. IX. n. 43. IN nomine domini. Et factu est in nani domini ab incarnacione domini nostri Jehsu cristi quod sunt anni domini mille sestodecimo & regnante domno enrico divino ordinante providencia imperator anno ejus quartum & temporibus domno Raimari dus & marchio anno ejus quarto & die mense november per indicione prima. Ideoque ego nos Ardo filius quondam Cumpo & Accia conjuges de suprascripto Ardo. Et ego suprascripta Accia per consensu & voluntate de suprascripto virum meum & nos anbi insimul communiter nostra bona propria voluntate secundum nostra legem vindedimus & a presente die tradedimus tibi Vitale presbitero filium presentem Johannis & ac tuis eredis ide est aliquis de res proprietatis nostra que est posita infra ducatu Spolitinu infra territoriu castellum pretosum in locum qui dicitur larcianum in vocabulo planum mouri & est posita ipsa res infra loca vel finaite finis a primo latere fine terra de ipsu comparatore a secundum latus fines terra de benedictu a tercio latere fine terra de ipsu venditore & de consortibus suis, a quarto latere fines terra de ipsu comparatore &c.

Ego ..... scabinu & notarius scripsi complevi & inclausi.

XCVI.

Arnaldus archiepiscopus Ravennas concedit aliquot monasteria Petro ejus ecclesiæ diacono.

Anno 1017. 20. februarii.

Ex autograpbo chartarii archiepiscopi Ravennatis caps. F. n. 2270.

Ad lib. IX. n. 42. . . . . quinto, sitque imperante domino Henrico macngno imperatore in Italia vero anno quarto die vigesimo mensis februari indictione quinta decima. Ravenne. Arnaldus servus servorum dei divina .... archiepiscopus Petro venerabili diacono sancte Ravennatis ecclesie omnibus diebus vite tue, & uno successore tuo clerico de egremio sancte Ravennatis ecclesie, quale tu designare vel derelinquere volueris. Sacerdotalis nos contemplatio ...... illa semper considerare atque disponere, que ad augmentum & diligenciam vel restauracionem venerabilium pertinet locorum, ut ne nobis de improvidencia eorum, quorum cura comititur de culpa quoquo modo adscribatur, set magis non solum ad congregacionem in opus sanctorum locorum in christi laudibus merces nobis tribuatur a Domino. Proinde largimus tibi per hujus nostre ...... Petro venerabili diacono sancte Ravennatis ecclesie omnibus diebus vite tue, & uno successore tuo clerico de egremio sancte Ravennatis ecclesie, quale tu designare vel derelinquere volueris monasterium sancte Marie, qui vocatur a Plachernas, & monasterium quod dicitur Ferrata, positum foris porta sancti Laurentii, & monasterium sancte Agathe majoris, quod est positum in ac civitate Ravenne in regione porta Ursicinis, & sancti Johannis babtiste, quod vocatur a Marmorata situm foris porta Guarcinorum, & sancti Petri apostoli, quod vocatur Offeotrofei ...... positam in regione sanctorum Johannis & Pauli & sancte Agathe, que vocatur Pittula positam prope abdicam sancti Petri, qui vocatnr Majoris, & sancti Michaelis archangeli, quod est situm in superiora domus, que fuit de quondam Gregorio, qui vocabatur de Honesto Nigro, & monasterium sancti Petri, quod vocatur Manu Domini, quod est fundatum in civitate Ravenne in regione, que dicitur Ferrata. Cum omnibus rebus & possessionibus earum ordinandi, & disponendi quatinus per vestram vigilanciam, & abtam sollerciam utilitates & Dei servitia fideliter & devote totis viribus administrentur, qualiter futuris diebus non solum kanonice, set & a Domino nostro de actibus vestris futuro esse judicio reddituri rationem, ut pro tali & sibi, & de servicio, ac nostra auctoritatem, successorumque nostrorum pontificum temporibus donec vos divina majestas superstes esse jussit in predictis monasteriis fideles dispensationes persistere, dantes vobis in mandatis usquedum vos Deus sua dextera protegens gubernare censuerit presbiteros in ipsis monasteriis ordinare debeatis, qui ibidem con-

consistant diebus noctibusque laudes conditori Deo nostro & gratias presfatis monasteriis reddere debeant, quatinus pro talibus collatis obsequiis nostra exiguitas eterne indulgentie veniam consequi mereamur, proinde largimur vobis per hujus nostre preceptionis auctoritate inoffense, ut dictum est, administrantes vos. ut ne nos neque successores nostri licentiam abeant diebus vite tue jam dicto Petro venerabili sancte Ravennatis ecclesie & huno successore tuo, sicut superius legitur, de predictis monasteriis aut ejus pertinentiis expellere aut alienare per ullum ingenium vel argumentum. Si quis vero presumpserit facere, trecentorum decem & octo sanctorum patrum anathematis vinculo vulneretur, observator autem qui extiterit Domini benedictione redundetur. Quam preceptionis nostre paginam Honesto notario sancte nostre Ravennatis ecclesie scribendam jussi, in qua nos subscripsimus sub die mensis & indictione predicta quintadecima. Ravenne.

LEGIMUS.

XCVII.

Albertus & Teuza offerunt terras ecclesiæ sancti Laurentii & sanctæ Trinitatis prope castellum Petrosum.

Anno 1017. XII. kl. septembris.

Ex autographo sanctæ Catharinæ de Fabriano.

Ad lib. IX. n. 43. IN nomine domini & factum est in anno ab incarnatione domini nostri Jesu cristi quod sunt anni domini mille septimodecimo & die duodecimo kalende september per indicione XV. in castello. Ideoque nos Alberto filius quondam Albericus & Teuza congives ejus una cum consensum & volumptate de Alberto viro meo & nos ambo insimul bona & expontanea nostra volumptate coitantes & considerantes nos dei omnipotenti misericordia & divina compuncione cordibus nostri ut dominus misericors abeat misericordia & indulgencia de peccatis nostris ut in die illo futuri judicii venientes nos ante tribunal cristi mercedem ad domino recipere mereamur. Propterea donavimus & concedimus de res nostra que est posita fra ducatu spoletino territorio Castellano in vocabulo Ilce & est addunata & exunata fra loca finaita finis primo latere via que pergit per colle de petra venientem ad arnanum, secundo latere arnano tercio latere colle de ariale quarto latere terra de filii actoni venientem a primo latere. In istis suprascriptis lateribus donavimus & concesimus in onore de ipsa ecclesia beatus sanctu laurentius & beata sancta Ternitate in perpetuum pro futurum possidendum de terra nostra modiorum viginti & non impedimus vobis nullum precium ne auneild set oratione. In tale ordine expondemus vobis suprascripti donatori ad vobis custodes, qui ipsa ecclesia pro tempore per auctoritatem ad custodiendum abuerit. quod si nobis suprascripti donatore & donatrice vel nostris eredes ipsa nostra dacione vobis suprascripta ecclesia retollere aut minuare vel suptraere voluerimus & da omnes vobis non defensaverimus ipsa nostra donacione sub extimacione dupla restituamus cum omnia fra se vel supra se abentes ad integrum quam vero cartulam ego Petrus scabino & notarius scripsit.

✠ Sinnum manus de ipsi suprascripti donatori qui an cartula donacionis fecerunt.

✠ Sinnum manus Borgheni qui Sibbecto vocatur rogatu testes ad superiora manu mea subscripsi.

✠ Sinnum manus Tonibertu rogatus testes ad suprascripta manu mea ss.

✠ Sinnum manus Teuzo rogatus testes ad suprascripta manu mea subscripsi.

Post roboracione omnium testibus ego qui supra Petrus scabino & notarius scripsi complevit & inclausit.

XCVIII.

Stephanus & Benedictus presbyteri una cum Maria & Moriza donant medietatem ecclesiæ sancti Stephani monasterio Clusino S. Victoris.

Forte anno 1017.

Ex autographo ejusdem archivi.

IN nomine domini. Et factu est in nanni domini ab incarnacione domini nostri Jehsu cristi quod sunt ani domini mille ...... domno Enrico magnum imperatore providencia imperator augustus & temporibus domno Raimari dus & marchio anno ejus tercium & die mense .... indiccione quintadecima. Ideoque ego nos Stefanu presbiter filius quondam Ad lib. IX. n. 43.

guan-

guanpo & Benedictus presbiter presente Maria e Moriza filia quondam amico & ego suprascripta Maria per consensum & voluntate de Petrus mundualdu meum & nos toti insimul bona nostra propria voluntate facimus ista cartula propter dei timore & remedium salute anime nostre & de Adelbirtu qui fuit filiu de supradicta Maria a vobis domno sancto domno Benedictu & beata sancta Maria & sancto Victore qui locati sunt in locu qui dicitur Victurianum & a vobis Giso abbate qui est custos de ipsu monasterium & ac tuis supcessori usque in perpetuum & est posita ipsa res infra ducatum spoletinum infra territorium castellum pretosum in locum qui dicitur oritulia seu & in campilie & li mandrie seu & in alie loca vel vocabula ubicumque nobis pertinet de ipsa res que nobis oveni da rodulfu *e da li* filii Johannis robiani e mihi suprascripta Maria oveni in fundo ceretulo da amico qui fuit igenitore meum, & est posita ipsa res infra loca vel finaite finis cum ipsa pecia de ipsu vada de alicana ubique tu nobis pertine a primo latere fine ipsum de ceretulum perveniente in campilia a secundo latere filii pureczi ac tercio latere fine summa civetella a quarto latere fine ipsa fossa de rotum infra isti suprascriptis lateribus vel finaite finis quod est ipsa res modiori opto cum ipsa medietate de ipsa ecclesia beatus sancto Stephanus cum muris & altariis & libris rectis & celis cum omnia ipsa medietate quantum ad ipsa ecclesia pertine vel pertinere debet cum ipsa medietate de ipsa casa e cum ipsa vinea & ipsum cerquetum e cum omnibus pomis & arboribus *&c.*

Ego qui supra Sigualdus scabinu & notarius scripsi, complevit & inclausit.

XCIX.

Donatio Berti & Gisæ facta eidem monasterio.

Anno 1018. mense februario; in charta tamen legitur anno 1016.

Ex autographo archivi sancti Blasii de Fabriano.

Ad lib. X. n. 6. IN nomine Domini. Et factum est in anni Domini ab Incarnacione Domini Nostri Jesu cristi quod sunt anni Domini mille sexto decimo & regnante domno Enrico divina ordinante providen-

cia imperator augustu anno ejus quinto ejus quinto & temporibus domno raimari dus & marchio anno ejus quinto & die mense februariu per indiccione prima. Ideoque ego nos Berto filius quondam racio & gisa conjuges de supradicto Berto ego supradicta gisa per consensu & voluntate de supradicti viru meu & nos ambi insimul comuniter nostra bona propria voluntate secundum nostra legem propter Dei timore & salute anime nostre dedimus & tradidimus aliquis de res nostra in onore Domini Nostri Jesu cristi & in nomen beatum Sanctum benedictum qui edificatu est in loco qui dicitur victurianu, & in nomen de acto abbate, qui est custos de ipsu monasterium & a tuis supcesoribus usque in perpetuum idest aliquis de res nostra que est posita infra ducatu spoletinum infra territoriu Castellum pretosum in loco qui dicitur lu facsia dossu ad ipsa salce & est posita ipsa res infra loca vel sinnate e finis a primo latere fine terra de ipsum monasteriu a secundum latere fine terra de acto, a tercio latere fine terra de ugo, a quarto latere fine terra de Johannis, infra isti suprascriptis lateribus, quod est ipsa res modiorum unum e sestaria octo, & si amplius fuerit de ipsa res mea infra isti suprascriptis lateribus vel sinnate e finis quod est de ipsa res in ipsa donacione permanea sine ulla mea reservacione in integrum & insuper dedimus & tradidimus nos supradicti datores tibi supradicto acto abbate & actuis successoribus ide est in alio loco in locu qui dicitur *la pretella* & est posita ipsa res infra loco vel sinaite finis a primo latere fine terra de Dominicu, a secundo & actercio latere & a quarto latere fine terra de ipsi datores & de consortibus suis infra isti suprascriptis lateribus suis sinnate e finis quod est ipsa res sestaria quatuor in integrum. Et insuper dedimus infra isti lateribus medietate de ipsu molinu, quod ibi ordinatu est cum lateribus & forma & lega tura & cum omnis ordinio suo, & cum introito & esito suo, & cum omnia, quarum ad ipsa medietate de ipsu molinu pertinet, & cum omnia que infra se vel super se abentes in integrum, ita ut ab odiernu die firmiter valeatis abere & possidere usque in perpetuum: in tali aut tinore & ordine expondemus & opbligavimus nos suprascripti donatores vel nostris eredis tibi Domno Acto abate & ac tuisque successoribus. Si contra ista cartula salute anime nostre agere ant causare & contendere, disrumpere, infrangere, vel retolle-

re, & vel falsare presunserimus, & qualive in igenio vel impedimentum & da omnis omine non defensaverimus con extimatione de ipsa res, & de ipsu molinus sicu supradictum est duppla & meliorata restituamus in ipsu loci cum omnia que infra se vel supra se abentes in integrum quam vero cartula ego Sigualdu scabinu & notarius scripsi.

† Sinnum manu de supradictu Berto e de Gisa ambi insimul.

† Sinun manum de Adamo rogatus teste a supradictis m. m. ss.

† Sinum manum de Rodolfu rogatus teste a supradictis m. m. ss.

† Sinum manum de . . . . . . rogatus teste a supradictis m. m. ss.

Post roboracione omniu testibus ego qui supra scabinu & notarius scripsi, & complevi, & inclusi, reddidi.

C.

Petrus presbyter offert bona Actoni abbati ejusdem monasterii.

Anno forte 1018. mense septembri.

Ex autographo tabularii sanctæ Catharinæ Fabriani.

Ibidem. IN nomine patris & filio & spiritus sancti anno deo propicius pontificatu domno Romanii summo pontifice & universali papa in apostolica sacratissima sede beatus Petrus principes apostolorum anno ejus septimo & dies mense september indiccione prima cartula donacionis modum ad presentem . . . . Petrus presbiter filius quondam Johannis coitantes me . . . . misericordia tam per mercedem & redencione & obsolucione anima mea ut in die ille futuru judicii mercedem ad domino recipere merear ut aliquit de peccatis meis pius & misericors dominus minuere dinneris proptera donavit & conceffit aliquid de rem suis infra ducato spoletino territorio castellu . . . . balvanu & est adunata . . . . finate finis a primo latere riga aqua currente &c. donavit omnis rem meam in monasterio beato sancto Victore quod edificatus est in avocabulo Victorianum &c. donavit &c. tibi Acto abbas &c.

Ego Petrus scabinu & notarius scripsi complevi & inclausi.

CI.

Ingrezo itidem donat eidem abbati terras & medietatem ecclesiæ sancti Stephani.

Anno 1018. 10. decembris.

Ex autographo chartarii sancti Blasii.

IN nomine Domini & factum est in anno ab incarnatione Domini Nostri Jesum Christi quod sunt anni Domini mille XVIII. & rennantes domno Enrigo Imperatore anni renni imperii ejus in Italia quinto & die decimo mense decembri per indiccione secunda. Ideoquem ego ingrezo filius quondam caro bona & expontanea mea volumptate facio cartula conveniencia & repromissione e tibi acto Abbas de Monasterio Sanctu Benedictu, qui edificatus est fra Ducato Spoletino territorio castellano in avocabulo Vecturianu facio tibi cartula conveniencia de ipsa terra que caro genitore meo antea donavit & concedit in ipso supradicto monasterio, oc est ipsa terra que est posita fra ducato Spoletino territorio Castellano a vocabulo valle araldi, & est adunata fra lucasinatu finci primo latere via que percurit per ipsa serra da Sanctu Stephanu veniente ad rubiale, secundo latere fine rubiale tercio latere terra de filii roberti, quarto latere terra de filii actoni; fra isti supradicti lateribus quod est ipsa terra modiorum ses cum medietate de ipsa ecclesia beatu Sanctu Stefanu cum medietatem de dote & cum muris & libris & patrocinia Sanctorum, que ibi recondite sunt, & cum omnia quantum ad medietate de ipsa ecclesia & de ipsa dote pertinet, vel pertinere debet de ipsa medietate de ipsa ecclesia, & medietate de ipsa dote sicut superius legitur facio tibi cartula conveniencia in tale ordine ita ab odiernum die abeatis vobis supradicto acto Abbas & tuis posterisque successoribus in ipso supradicto Monasterio qui pro tempore abbas fuerit preordinatus ipsa medietate de ipsa ecclesia cum medietate de ipsa dote sicut superius legitur secura & quieta, qua neque ad me supradicto ingrezo, neque ad meis eredis, neque ad nullus omine ad nostra summissa persona tu supradictus Acto Abbas neque tuis posterisque successoribus qui in ipso supradicto Monasterio de Vectorianu fuerit preordinatus ad nobis nulla molestia neque causacione, neque impedimentum non paciatis, neque in pala neque in occulto pro eo sacimus tibi ipsa

ipsa cartula conveniencia quia tu supradicto Acto Abbas fecisti mihi similiter de omni alia terra, quam ego supradicto ingrezo modo abeo vel possideo in tale ordine expondeo ego supradicto ingrezo tibi supradicto Acto Abbas, quod si distullero ego supradicto ingrezo vel meis eredis & non adimplevero & non conservavero omnia cunta, quod superius legitur, tunc componamus nobis supradicto ingrezo vel meis eredis tibi supradicto Acto Abbas vel ad tuis posterisque successoribus, sicut superius legitur, pena nomine de argentum solidis treinta pro eo quia inter nobis unia nimiter consensimus, & nullu nobis imperavit tale causa facere quale de nobis ipsa conveniencia corrupere, pena supradicta compona, quia inter nobis de anbes partitale fuit conveniencia, quem vero cartula conveniencia ego petrus Scabino & notarius scripsit.

Sinnum manu ingrezo, qui an cartula conveniencia fiere rogavit.

Sinnum manum riccardus rogatus testes ad supradicta m. m. s. s.

Sinnum manum Folcuvinu rogatus testes ad supradicta m. m. ss.

Sinnum manum Alberico rogatus testes ad supradicta m.m. ss.

Et post roboracione omnium testibus ego qui supra Petrus Scabino & Notarius scripsit complevit, & inclausit.

CII.

Arnaldus archiepiscopus Ravennas concedit fundos Petro abbati Uranensi & sex ejus successoribus.

Anno 1018. 18. decembris.

Ex apographo ejusdem, ut videtur, seculi in tabulario archiepiscopii Ravennæ caps. L. n. 4984.

Ad lib. X. n. 7. IN nomine patris & filii & Spiritus Sancti anno deo propitio pontificatus donni Benedicti summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri sede sexto, sitque inperante donno henrico magno inperatore in Italci vero anno quinto die octavo decimo mensis decembris indictione secunda Ravenne Domno sancto & meritis beatissimo atque apostolico patri patrum donno arnaldo sanctissimo sancte catholice ravennatis ecclesie archiepiscopus Petro venerabili abbati monasterii Sancte dei genitricis virginis Mariae que vocatur in uriano omnibus diebus vite mee post autem meum obitum sex successoribus monasterii abbatibus, qui in eodem monasterio ordinati fuerint unum post unum. Uti medietatem integram de fundo qui vocatur casalapidea cum appendicibus suis cum terris campis pascuis silvis salectis salecionalibus arbustis arboribus pomiferis & infructiferis cultum vel incultum diversique generibus & cum omnibus ad suprascriptam medietatem de suprascripto fundo qui vocatur casa lapidea pertinentibus constitutam territorio pupiliense plebe sancte marie que vocatur in castro Cesubeo intra fines de suprascripto fundo unde nobis concedistis omnia medietatem sicut superius legitur videlicet hoc est ab uno latere fundum qui vocatur bansano, & strata percurrente ab alio latere fundum tesellетто, & fundum qui vocatur celle novula, seu a tertio latere fundum qui vocatur ordenano & terram quam detinet Johannes qui vocatur spata in sacco, & a quarto latere fundum qui vocatur monterosolo juris sancte vestre ravennatis ecclesie henfiteoticario modo postulamus & largimur nos qui supra petro venerabili abbati Monasterii sancte marie quod vocatur in uriano omnibus diebus vite mee, post autem meum obitum sex successoribus monasterii abbatibus, qui in eodem monasterio venerabili ordinati fuerint unum post unum donec nos divinitas in hac luce jusserit permanere sub denarii pensione singulis quibusque indictionibus actoribus sancte vestre ravennatis ecclesie inferre debeamus ea vero conditione prefixa ut supradictas res nostris propriis expensis seu laboribus cultare laborare defensare & meliorare deo debeamus adjutorem nichilque de omni expensa, quam inibi fecerimus ab actoribus sancte vestre ravennatis ecclesie superius affixam pensionem quoquo modo reputari debeamus nullam tarditatem aut neglectum tam in ferendam suprascriptam pensionem quamque . . . . . . vel ad meliorationem predictarum rerum facere debeamus. & antenominata pensionem omni martio mense infra indictione sine aliqua excusatione aut dilactationem actoribus sancte vestre ravennatis ecclesie persolvere debeamus, & ne cuiquam presens preceptum aut suprascriptorem alicui homini dare vel vendere seu transferre aut in aliquo venerabili loco relinquere audeamus per nullum ingenium vel argumentum set nec aliquando *&c.*, *ut in simili Friderici archiep. anni* 1003.

Quam preceptionis nostre paginam Onestus Notarius sancte Ravennatis ecclesie scribendum rogavimus sub die men-

sis & indictione suprascripta secunda Ravenne.

Ego Ambrosius Dei gratia Ravenne tabellio scripsi hoc exemplar sicut superius legitur.

CIII.

Donatio Actonis facta monasterio sancti Victoris de Clusis.

Anno 1018. mense julio, sed melius 1019.

Ex autographo chartularii monasterii sancti Blasii de Fabriano.

Ad lib. X. n. 6. IN nomine domini. Et factum est in anni domini ab incarnatione domini nostri Jesu Christi quod sunt anni mille optavo decimo & regnante domno Enrigo divina ordinante providentia imperator augustus anno ejus sesto & die mense julium per indiccione secundam. Ideoque ego acto filius quonddam Ota, bona mea & propria voluntate secundum meam legem langubardorum propter dei timore & remedium & indulliencia de anima mea facio ista cartula conveniencia, repromissione & refutatione in onorem domini nostri Jesu christi & ad ipsu monasterium beatu sanctu benedictu, qui edificatum est in locum qui dicitur victurianu & ad ipsu abate qui est custos de ipsu monasteriu, & ad ipsi monahi qui in ista congregatione sunt, quam cum persona & rem sua discendere voluerit & convenientia & pactuacione inter se . . . . . . ire voluerit menime contradicentes potero venio ego suprascriptus acto in contra ipstu monasteriu & in contra ipsu abate & in contra ipsi monahi de ipsa intentione qualiter nobis fui de ipsa res que est posita in ducatu Spoletino infra territorio castellu pretosum in locum qui dicitur Victurianum in vocabulo valle domnica & est in fundo de ipsa valle, & est posita ipsa res infra loca vel sinaite finis a primo latere fine terra que . . . . lu carentani, a secundum latere finis terra de anso filio cuponia, a tertio latere terra de anso filio giriardum, a quarto latere fine colle sturtium infra isti scriptis lateribus vel sinaite finis quod est ipsa res . . . . . intrare, qui infra ipsti scripti lateribus continetur de omnia ipsa medietate promicto & opbligo me ego supradictus Acto & meis eredis ad ipsu monasteriu & tibi abbate qui es custos de ipsa ecclesia & de ipsu monasterium, & ad ipsi monahi qui in congregatione sunt si contra ista repromissione aut contra istam cartulam de omni medietate de ipsa res agere aut causare, contendere, disrumpere, infrangere, vel retollere, aut eximuare aut nullum facere presumpserimus pro qualive ingenium vel argumentum, & si ista sic falsare presumpserimus & si omnia non opservaverimus, sicut superius legitur, in ista opbligatione veniemus in nomine pena ego suprascriptus acto cum meis eredis & siamus compositurum ad ipsu monasterium & ad ipsu abatem & ad ipsi monahi de boni dinari solidis quadrainta, post pena data cartula ista repromissionis firma & stabile permaneat usque in sempiternum.

Ego Sigualdu scabinu & notarius scripsit.

Sinu manu de supradicto Acto repromictore me ss.

Sinu manu de Cumpo rogatus teste a supradictu me ss.

Sinu manu de Maronco rogatus teste a supradicto me ss.

Sinu manu de Berardo rogatus teste a supradicto me ss.

Et pos roboracione omnium testibus Sigualdu scabino & notarius complevit.

CIV.

Restitutio facta monasterio sancti Gregorii de Urbe ab Ingizone Romano viro nobili.

Anno 1019. 23. novembris.

Ex Baronii annalibus ad hunc annum.

IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jhesu Christi. Anno deo propitio pontificatus domni Benedicti summi pontificis & universalis octavi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli octavo, imperante domino piissimo perpetuo augusto Henrico a Deo coronato magno imperatore anno sexto indictione tertia mensis novembris die vigesima tertia. Decet autem bone fidei solo verbo sufficere, sed aliquando solet tempus longinquitatis extendere, & non valet quidquid conventum vel gestum fuerit, seriem memoriter retinere. Ob hoc necesse est quecumque inter partes conveniunt, scriptura notarii, ut quandoque si expedit, & ostensi fuerint, omnem totius litis amoveant questionem. Et ideo, quoniam consta- *Ad lib. X. n. 13.*

star

ſtat me Ingizo nobilem virum Franco bone memorie, qui dicebatur a Transtiberi filium, egroto namque corpore, ſed largiente divina miſericordia mente & conſcientia ſana, dico autem omnibus non ſolum preſentibus, ſed etiam futuris, quia bonum eſt homini ſemper ante oculos propria adhibere delicta ſecundum pſalmi ſententiam. Et peccatum meum ante me eſt ſemper. Et iterum: Graviter in Domino delinquunt, qui divitiis a Deo conceſſis non in rebus ſalutaribus, ſed in pravis utuntur, neſciunt enim impartiri pauperibus, oppreſſis ſubvenire deſpiciunt, & inde magis augent delicta, unde redimere debuerunt. Idcirco ac ſi ab hac die deceſſiſſem & digeſſi, atque in omnibus deliberavi & definivi ſimulque reputavi, nullo me cogente neque contradicente aut vim faciente, ſed propria ſpontaneaque mea voluntate, vobis autem ſancte Andrea apoſtole ac beate confeſſor Chriſti Gregori, & per vos in ſacratiſſimo veſtro venerabili monaſterio, quod nuncupatur Clivus Scauri, exiſtente domino Johanne reverendiſſimo abbate & per eum in cunctis catervis monachorum ac presbyterorum Dei, qui ibidem ſerrituri ſunt uſque in perpetuum, pro vero plane amore ac dilectione, quam in vobis habeo, ut in die adventus domini & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti pro me indigno intercedere dignemini apud eum, qui vos elegit, quatenus de meis criminibus & peccatis veniam aliquantulum invenire merear. Recolo autem cujuſdam ſapientiſſimi verba, qui dixit: Nulla ſcelera eleemoſynis poſſe redimi, ſi in peccatis quiſque permanſerit, tunc autem fructu eleemoſynarum indulgentia conceditur, quando ab ſcelerum opere definitur. Et iterum: Miſericordia a compatiendo alienæ miſeriæ vocabulum ſortita eſt. Nullus autem in alio eſſe miſericors poteſt, qui prave vivendo in ſe miſericors non eſt. Qui enim ſibi nequam eſt, cui bonus eſt? Ob hoc refundo & concedo vobis veſtriſque ſervitoribus in perpetuum, id eſt eam ſcilicet hereditatem, quam hactenus per emphiteoſim meis detinui manibus, quam mihi quondam Silveſter nefandiſſimus ac ſceleratiſſimus ejuſdem monaſterii abbas fecit, que eſſe videtur de terris, campis, pratis, paſcuis atque ſilvis, montibus & collibus, plagis & planitiis, quod cultum vel incultum, excipio atque ſolummodo vineas, que ſite ſunt in loco, qui vocatur Mateſo, quas meis per omnia conſervo manibus, cetera vero omnia, que predixi, quanta nunc uſque meis detinui manibus,

lib. X. n. 13.

ſicuti infra ſubſcripſi, concludunt affines, omnia in omnibus vobis, domini mei, veſtriſque ſervitoribus refuto, ſicut juris antea fuiſſe decernitur, poſita in fundum Mola rupta, vel quibus aliis nuncupantur vocabulis inter affines: a primo latere incipiente a vado, quod eſt ab Ara Creſcentii de Arce, & exinde per Fractale uſque in pede de monte ſancte Marie, deinde per pedem montis ſicuti aſcendit in via Piponeſca, & ab utriſque lateribus omnia de veſtro venerabili monaſterio juriſque veſtri. Hanc namque hereditatem, ſicut hactenus meis tenere viſus fui manibus, vobis apoſtole & confeſſor Chriſti, veſtriſque ſervitoribus refuto, & in propria jura revoco, ne forte in die judicii a creatore omnium rerum, & a vobis aliquam pro ea ſentiam penam, ſacra autem ſcriptura teſtante: Beatus, qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua, quod eſt opera, ne nudus ambulet, & videant alii turpitudinem ejus. Quid enim mihi prodeſt glorioſiorem apparere apud homines, & nitidiora membra geſtare, & intus apud Deum, cujus oculis nuda & aperta ſunt omnia, putridiorem & fetidiorem animam meam eſſe captivam? Quid prodeſt mihi ſociari hominibus, & privari ab Angelis? Quid prodeſt mihi terrena acquirere, & celeſtia non habere? Iſta & alia multa ſimilia recolui, que dicere longum eſt. Et ideo ab hodierna die & uſque in perpetuum dimitto vobis, veſtriſque ſervitoribus ſupraſcriptam totam hereditatem, quam injuſte meis hucuſque detinui manibus, quam predictus damnatus & impius iniquuſque Silveſter abbas pro ſuis facinoribus mihi dederat, excepta jam dicta vinea, quam meis detineo poteſtatibus: de ceteris namque omnibus, ut predixi emitto vobis plenariam & irrevocabilem ſecuritatem deliberationis refutationiſque chartulam, & nullo quoque tempore, & numquam a me, neque ab heredibus & ſucceſſoribus meis, neque etiam a nulla magna parvaque perſona a me ſubmiſſa contra vos veſtroſque ſervitores quamlibet moveri queſtionem, aut calumpniam, neque ſupplicando principibus, aut exorando pontifices, aut aliquam perſonam hujuſmodi querimoniam pro eadem terra unquam in tempore facere preſumam, ſed ab omni homine omni in tempore ſecurum & quietum veſtrum monaſterium veſtrique ſervitores exiſtant uſque in perpetuum. Interim notum facio omnibus, ut nullus abbas, nulluſque homo hanc terram, quam vobis reſtitui, audeat vel preſumat de veſtro monaſterio

per

per quamlibet scripturarum seriem subtrahere vel alienare, sed semper in usu monachorum constituo permanendam. Et qui ista fecerit cum diabolo & ejus atrocissimis pompis societatem habeat, & anathematis semper sit vinculo innodatus, & suprascripta terra inconvulsa semper ibidem maneat. Unde juratus dico per Deum omnipotentem, sancteque sedis apostolice domni Benedicti octavi pape, atque Henrici imperatoris salutem, hec omnia, que presens hujus chartule series textus eloquitur, inviolabiliter conservare & adimplere promitto. Nam, quod absit, si contra hanc chartulam, quam sponte & voluntarie rogavi, agere aut causare vel litigare presumpsero, & cuncta, que a me dicta sunt, non observavero, per quemvis modum, aut per qualecumque ingenium, quod sensus humanus intelligere vel capere potest, tunc non solum perjurii penam incurram, verum etiam daturum me esse promitto una cum heredibus & successoribus meis vel consanguineis meis vobis denique & servitoribus vestris ante omne litis initium pene nomine auri purissimi libras decem & post solutam penam maneat hec chartula in sua nihilominus firmitate, quam scribendam rogavi Sergium scriniarium sancte Romane ecclesie, in qua ego Ingizo signum sancte Crucis per predictum scriniarium feci, & testes, ut subscriberent, rogavi, & pro vobis ad suprascriptum Johannem abbatem quasi pro vestra benignissima persona contradidi atque refutavi in mense & indictione suprascripta tertia.

Signum † manu suprascripti Ingizo nobilis viri, qui hanc securitatis refutationisque chartulam fieri rogavit.

† Crescentius dei gratia urbis Rome prefectus.

† Johannes dativus judex.

† Andreas de Petro, qui dicebatur de Viola de Colosseo testis.

† Baldo quondam Sinoclo vocatus testis.

Gregorius fidelis predicti Ingizo.

† Andrianus a Transtiberi testis.

Ego Sergius scriniarius sancte Romane ecclesie scriptor hujus chartule post testium subscriptiones & traditionem complevi & absolvi.

C V.

Berti traditio bonorum Berardo.

Anno 1019. sed melius 1020. 2. maii.

Ex autographo archivi sanctæ Catharinæ Fabriani.

IN nomine Domini & factu est in nani domini ab incarnacione domini nostri Jehsu Christi, quod sunt anni domini mille. nono decimo & regnante domno Enrizo divina ordinante providentia imperator augustu anno ejus septimo & die secundum mense madii per indicione tercia. Ideoque ego nos Berto Filius quondam giriardum, & rocti coniugis de suprascriptu bertu, & ego suprascripta roti per comiatum & opsolucione de suprascriptu virum meum & nos ambi in simul comuniter nostra bona propria voluntate secundum nostra lege langubardorum vindedimus & presente die tradedimus vobis berardu &c. aliquid de res nostra que est posita infra ducatus spoletanum infra territoriu castellu pretosu in locum qui dicitur larcianum in vocabulo colle & est posita ipsa res infra loca vel finnate. *Ibidem.*

Ego Sigualdus scabinus & notarius &c.

CVI.

CVI.

Fragmentum expositionis psalmi LXVIII. *quæ tribuitur divo Romualdo, collatæ cum expositione Cassiodorii.*

Anno 1020.

Ex membrana seculi XI. *monasterii sancti Michaelis de Muriano.*

CASSIODORII EXPOSITIO.

EXTRANEVS FACTVS SVM FRATRIBVS MEIS, ET HOSPES FILIIS MATRIS MEAE.

Ad lib. X. n. 15. *JUdæos hic appellat fratres, qui erant ei sanguinis vicinitate conjuncti: quibus extraneus factus est, quando ei credere noluerunt. Nam cum ipse esset de semine Abrahæ secundum carnem, illi malis operibus abdicati a patriarchæ sunt origine segregati; sicut ait in Evangelio: Si filii Abrahæ essetis, opera Abrahæ fecissetis. Adjecit, & hospes filiis matris meæ. Hospitem dicimus quemlibet domum nostram ad tempus habitantem, qui non nomine consanguinitatis, sed tamquam peregrinus excipitur. Matrem vero suam synagogam dicit, de qua ortus est, dum in Judæa gente nasci dignatus est. Filios ergo matris ipsos dicit, quos superius dixit & fratres. Sed isti filii si fuissent veri, non ut hospitem habuissent, sed ut fratrem carissimum suscepissent Dominum Christum.*

QVONIAM ZELVS DOMVS TVAE COMEDIT ME: ET OPPROBRIA EXPROBRANTIVM TIBI CECIDERVNT SVPER ME.

Ipsa est sententia, quam Evangelistæ commemorant. Quapropter nullus ambigat hunc psalmum Passionis Dominicæ prædicere veritatem, quando & incarnatus Dei filius ipsa verba locutus est: Comedebat enim eum zelus domus Dei, quando funiculo facto cathedras vendentium columbas, & nummulariorum mensas evertit: docens aliud esse templum sanctum, aliud negotiationis officium. Sed istum zelum quid fuerit consecutum patenter adjungitur. Et opprobria exprobantium tibi ceciderunt super me. Nam postquam indigni salutaribus monitis increpabantur, opprobria supra eum quasi conferta tela miserunt; ut pro admonitionibus sanctis vicissitudinem redderent jurgiorum. Dicebant enim: Nonne hic est filius Mariæ & Joseph. Et in alio lo-

EXPOSITIO ALTERA.

EXTRA NEUS FACTVSVM FRIBVS MEIS ET PEREGRINVS FILIVS MATRIS MEAE.

Vox christi. Judeos hic apellat fratres qui erant ei sanguinis vicinitate conjuncti quibus extraneus factus est quando ei credere noluerunt; Nam cum ipso esset de semine abraam secundum carnem; Illi malis operibus abdicati apatri arcae sunt origini segre gati; sicut ait in euangelio; Si filii habrae essetis opera habraæ fecistis: Adjecit. & hospis filiis matri meæ; hospitem dicamus. quem libet domum nostram adtepus habitamtem qui non nomine cumsanguinitatis. sedtam quam peregrinus exipitur matrem vero suam sinago gam dicit dequa ortus est dum judea gente nasci dignatus est:

QVONIAM ZELVS DOMVS TVE COMMEDIT ME ET OB PROBRIA EX PROBRANCIVM TIBI CECI DEDERVNT SVPER ME.

Vox christi; Qua fecerunt eam speluncam latronum exprobrantium enim jurium super eum pro jecerunt cum eum & samaritanum & demonium habentem vocarent & illut si filius dei est descende decruce. & cetera. Commedebat enim eum zelus domus dei quando funiculum facto cathedras vendentium columbas & num mulariorum mensas evertit. docens aliud esse templum sanctum, aliud negociationis officium; sed istum zelum quid fuerit consecutum potenter adjungitur. & obbrobria exprobantium tibi ceciderunt super me. nam postquam indignis salutaribus munitis increpabantur obprobria supra eum quasi conferta tæla miserunt ut pro amonitionibus sanctis vicisitudinem redderent jurgiorum.

ET

loco: Hanc autem nescimus unde sit; & his similia, quæ insana Judæorum turba loquebatur. Sed quod dicit: Exprobrantium tibi, quærendum est, quare dicat Patri exprobatum, dum non legamus a Judæis tempore Passionis Domini Christi tale aliquid perpetratum? Sed exprobatum est Patri ab eis sicut in LXXVII. *psalmo dicturus est: Et male locuti sunt de Deo & dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? Vel quando insani de formato vitulo dicebant: Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Unde nunc recte Christus Dominus dicit cecidisse supra se opprobria, quæ Deo Patri anterioribus temporibus exprobrabant; ut ex consuetudine magis impia, quam hoc noviter aliquid putares effectum. Sequitur: Ceciderunt super me; ut effectum mortis ostenderet, quem crucis dignatione suscepit. Tunc enim cadunt super nos mala, quando ea vitare non possumus.*

ET OPERVI IN JEJVNIO ANIMAM MEAM: ET FACTVM EST IN OPPROBRIVM MIHI.

Jejunium dicimus, quoties a cibis carnalibus abstinemus, nec esuriem nostram aliqua comestione satiamus. Ad quam similitudinem jejunasse se dicit Dominus Christus: quia hominum fidem, quam valde esuriebat, minime poterat invenire; sicut & in XXXIV. *psalmo dictum est: Ego autem cum mihi molesti essent, induebam me cilicio, & humiliabam in jejunio animam meam. Eodem modo & sitire se dixit, quando ad Samaritanam venit & aquam petiit, dicens: Sitio, da mihi bibere, id est, ut fidem ab ea, quam quærebat, agnosceret. Sed quia jejunium istud ab humana indevotione trahebatur: Operui, dixit, animam meam, quasi aliquo pallio tristitiæ circumdedi: Sequitur: & factum est mihi in opprobrium. Semper boni malis opprobrio sunt: quia minime eorum sceleribus aquiescunt, dum illis studiose detrahunt, quibus nulla societate junguntur. Testantur enim ista opprobria, alapas, flagella, consputa, quæ Dominus Salvator ab insana plebe perpessus est.*

ET POSVI VESTIMENTVM MEVM CILICIVM: ET FACTVS SVM ILLIS IN PARABOLAM.

Per cilicium tristitia significatur & lacrimæ, quando Dominus humani generis imbecillitate permotus, suscitaturus Lazarum flevit. Nusquam enim legitur Dominum usum fuisse cilicio. Factus est quoque

ET OPERVI IN JEJVNIO ANIMAM MEAM ET FACTVM EST IN OB PRIA MIHI.

Obpobrium ei inferre conabatur contæntans eum satana dice bat dic ut lapides isti panes fiant; Jejunium dicimus quociens a cibis carnaiibus abstinemus nec esuriæst nostra aliqua conmescione saciamus. Ad quam similitudinem jejunas se sedicit dominus christus quia hominum fidam quam valde esuriebat minime poterat invenire. Operui dixi animam meam quasi aliquo pallio tris ticie circumdedit; Sequitur; & factum est mihi inob pro brium semper boni malis obpro brio sunt quia minime eorum sceleribus adquiescunt, dum illis studio seddetraunt, quibus nulla societate juguntur; Testantantur enim ista ob pro bria alaphas. Flagella. cons puta que dominus salvator ab insana plebe perpes sus est.

ET POSVI VESTIMENTVM MEVM CILICIVM ET FACTVS SVM ILLIS IN PARABVLAM.

Vox christi; In sacco luctus ostenditur vel fletus quod in morte lazari usus est in parabula factus est judeis. Cum eo flente dicerent ecce quo modo amabat eum. Alii vero nonpoterat hic qui aperuit

que Judæis in parabolam, quando per similitudines quaſdam carnalem populum docere videbatur, ſicut in Evangelio legitur: Dixit Dominus parabolam ad turbam; & in alio pſalmo: Aperiam in parabolis os meum. Parabola eſt enim natura diſcrepantium rerum ſub aliqua ſimilitudine facta comparatio: more providentiæ ſuæ, ut qui cœleſtia capere non poterant, per terrenas ſimilitudines audita percipere potuiſſent.

ADVERSVM ME EXERCEBANTVR QVI SEDEBANT IN PORTA: ET IN ME PSALLEBANT, QVI BIBEBANT VINVM.

In portis ſedent, qui conventibus hominum ſedula curioſitate miſcentur. Nam ſicut porta euntium ac redeuntium turbas excipit: ita diverſa trivia vel plateæ populorum numeroſitate complentur. Porta quippe dicta eſt, quod inde portentur omnia. Dicit enim Paſsionem ſuam Gentis Judaicæ fuiſſe fabulam, ut nullus exciperetur, qui a tali collocutione redderetur alienus. Teſtis eſt hujus cauſæ ille locus Evangelii, ubi Cleophas a Domino necdum revelato interrogatus eſt, & ille reſpondit. Tu ſolus peregrinus es in Jeruſalem, & non cognoviſti, quæ facta ſunt in ea in diebus his? Omnes enim cives eamdem fabulam habuiſſe monſtrantur, quando peregrinus dicitur, qui hujus cauſæ putabatur ignarus. De opprobriis ac convitiis Judæorum hactenus eſt locutus: nunc quantum mihi videtur de fidelibus dicit: Et in me pſallebant, qui bibebant vinum. In Deum pſallunt, qui actione probabili diriguntur, & operibus reddunt, quæ monitis cœleſtia mandata ſuſcipiunt. Nam ut hoc de fidelibus intelligere deberemus ait: Qui bibebant vinum. Vinum non ebrietatis, ſed illud ſpiritale, de quo legitur: Poculum tuum inebrians, quam præclarum eſt. Ipſi enim pſallebant, qui per intelligentiam ſupernam ſalutari nectare potabantur. Alii hoc Judæis perfidis applicant, qui, quaſi impleta cogitatione ſua, de nece Domini temulentiſſime garriebant.

ruit oculos ceci nati facere ut hic non moriretur; per cilicium triſtitia ſignificatur & lacrime quam dominus humanu generis inbecillitatem permotus ſuſcitaturus lazarum flevit. Nuſquam eni legitur dominum huſum fuiſſe cilicium. factus eſt quoque judeis in parabola quando per ſimilitudinis quaſdam carnalem populum docere videbatur. ſicut in evangelio legitur; dixit dominus parabulam ad turbam. & in alio ſalmo. aperiam in parabulis os meum parabola eſt enim natura diſcrepantium rerum ſub aliqua ſimilitudine facta comparatio moræ providentiae ſuæ ut quid cœleſtia capere non poterant per terrenas ſimilitudine audita percipere potuiſſent.

ADVERSVM ME LOQVEBANTVR QVI SEDEBANT IN PORTA ET IN ME SALLEBANT QVI BIBEBANT VINVM.

In illis ſcilicet quia habentes clavem ſcientiæ neque introjebant neque alius introire permitebat; ſcribe & phariſei qui diſcernebant cauſas cum ſedebant in puplico juditio; & in me pſallebant qui bibebant vinum repleti enim vino iniquitatis. qualiter eum interfecerit concinnabant; Stulte enim pſallentium. audi qualiter doceat vos pſallite inquid ſapienter. vel ebruerant de vino. quando operiebant caput ejus & dicebant. prophetiza vobis chriſte quis eſt qui te percuſſit; In portis ſedent qui conventibus hominum, ſedula curioſitate miſcentur. Dicit enim paſſionem ſuam gentes judaice fuiſſe fabulam. ut nullus exiperetur qui a tali collocutione redderetur alienus; de obprobriis ac convicis judeorum actenus locutus. nunc quantum mihi videtur de fidelibus dicit & in me pſallebant qui bibebant vinum; In dominum ſallunt qui actione probabili diriguntur, & operibus reddunt quae monitis cœleſtia mandata ſuſcipiunt;

EGO VERO ORATIONEM MEAM AD TE DOMINE; TEMPUS BENEPLACITI DEUS IN MULTITUDINE MISERICORDIAE TUAE.

Venit ad tertium caput, ubi contra maledicta Judæorum orationis suæ exposuit sanctitatem cœlestis Doctor: insinuans jurgiis hominum non inflammatis rixis, sed piis orationibus obviandum. Videamus nunc quid sit tempus beneplaciti. Illud tempus est beneplaciti, quando incarnationis suæ beneficio periclitantem mundum ab imminenti liberavit exitio. Hoc tempus est beneplaciti, de quo & Apostolus ait: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Tempus, quod vicit omnia secula: Tempus quod mundum reparavit labentem: tempus quod æternitatem contulit & salutem. Sed hoc tempus quomodo provenerit, decenter exponit; ait enim: In multitudine misericordiæ tuæ. Nam si multitudo misericordiæ non fuisset, nequaquam redimi poteramus obnoxii. Non enim parva misericordia fuit, quæ tam ingentia peccata superavit. Multitudo quidem fuit delicti: sed multo numerosior misericordia illa, quæ vicit; sicut & in quinquagesimo psalmo dictum est. Et secundum multitudinem misericordiarum tuarum dele iniquitatem meam.

EXAUDI ME IN VERITATE SALUTIS TUAE.

Commemorato tempore misericordiæ, quo Passione sua salutem mundo præstitit, consequens fuit, ut & Resurrectionem sibi evenire precaretur, quam in veritate pollicitus fuerat per Prophetas. Precatur ergo Patrem non natura Deitatis, qua ei semper æqualis est: sed infirmitas assumpti hominis, in qua minor est patre.

ERIPE ME DE LUTO, UT NON INHAEREAM: LIBERA ME EX ODIENTIBUS ME, ET DE PROFUNDO AQUARUM.

Per assumptæ carnis infirmitatem, in qua miseria jaceat genus humanum, potenter exponitur. Docemur enim, ut in iisdem verbis & nos Deum rogemus, qui-

EGO VERO ORATIONEM MEAM AD TE DOMINE TEMPUS BENEPLACITI DEUS.

Vox christi ad patrem. Non enim vincor his passionibus quia tecum sum in oratione. Ego vero oratiouem meam ad te dominus, Judeis mihi male dicentibus adque dicentibus; Crucifige crucifige eum. Ego pro eis orans loquebar, pater ignosce eis non enim sciunt quid faciunt. Tempus placendi dominus hic est filius filius meus in quo mihi complacui, Venit ad tertium capud ubi contra maledicta judeorum orationi sue posuit sanctitatem, Celestis doctor insinuans jurgis hominum non inflammatis rixis sed piis orationibus obvienda videamus, que nunc que sit tempus beneplaciti illud tempus est beneplaciti quando incarnationis sue beneficio pereclitantem mundo inminenti liberavit exitio. hoc tempus est beneplaciti. de quo & apostolus. ait; Ecce nunc tempus acceptabilem ecce nunc dies salutis.

IN MULTITUDINE MISERICORDIE TUE EXAUDI ME IN VERITATE SALUTIS TUE.

Ut post veram morte resureccionis veritas ad probetur; Non enim parvam misericordia fuit. que ta ingenti ad peccati superavit. multitudo quidem fuit delicti. sed muto numerosior misericordia illa quæ vicit; Cum memorato tenpore misericordiæ que passionis salutem mundo prestetit; Consequens fuit ut & resurrectionem sibi venire precaretur quam in veritate pollizitus fuerat per prophetas; præcatur ergo patrem non naturam deitatis que ejusdem perequalis est sed infirmitas asumpta hominis in qua minor est patri;

ERIPE ME DE LUTO UT NON INFIGAR LIBERA ME AB HIS QUI ODERUNT ME & DE PROFUNDIS AQUARUM.

Aperte hec de judeis, qui eum nunc quam dilexerunt dicit. & de profundis aquarum; domus enim ut in hisdem verbis. & nos dominum rogemus, quibus caput

quibus caput nostrum exorasse cognoscimus. Hoc plane subtiliter perscrutandum est, quare se superius infixum limo dixerit; & hic, ne in ipso hærere possit, exorat? Infixus utique limo fuit: quoniam susceptæ carnis infirmitate tenebatur, unde etiam mortem crucis accepit. Hic autem competenter exposcit, ut anima ejus a desideriis luteis, id est hujus mundi cupiditatibus reddatur aliena. Quod bene suscipitur a parte membrorum: quia ille luto inhærere non poterat, qui peccati maculam non habebat. Libera me ex odientibus me. Istud ad Judaicum populum manifestum est pertinere: quia resurgente Christo eorum odia frustrata evanuerunt. Nam quod dicit: De profundo aquarum, ad populum ipsum non est dubium pertinere, qui & profundus erat malignitate consilii, & seditionibus turbulentus.

NON ME DEMERGAT TEMPESTAS AQVAE, NEQVE ABSORBEAT ME PROFVNDVM: NEQVE VRGEAT SVPER ME PVTEVS OS SVVM.

Simili modo & iste versus ponitur, quemadmodum & ille superior. Dicit enim in secundo versu psalmi: Veni in altitudinem maris & tempestas demersit me; & hic rogat ne demergatur a fluctibus, id est a seculi istius tempestate sævissima, quæ in modum maris animas obruit, quando eas vitio pravitatis involverit. Denique per totum tractatum hoc decenter insinuat; ait enim: Neque absorbeat me profundum. Profundum utique peccatorum est, quod voracitate quadam deglutit animas impiorum; ut ad pœnitudinem redire nequeant, qui de actuum suorum iniquitate desperant; sicut legitur: Peccator, cum venerit in profundum malorum, spernit. Repetit iterum eumdem sensum aliis verbis, quam superius dixerat: Neque urgeat super me puteus os suum, Puteus enim est terræ altius excavata profunditas: in quem per allegoriam vere incidunt peccatores, quando se a vitiosa voluntate non abstrahunt; urgetque super eos os suum concludere, cum usque ad mortis suæ tempus in pessima voluntate persistunt. Hoc ergo totum a se effici petit alienum: quoniam peccati contagia non habebat; ut membra sua cognoscerent, quantis periculis subjacerent, nisi clementissimi Domini munere respirarent. Quæ figura dicitur Metabole idest iteratio, quando una res repetitur sub varietate verborum. Legitur etiam puteus in malo, ut in libro Geneseos: Vallis autem silvestris habebat puteos multos bi-

caput nostrum exorasse cognoscimus hoc plane subtiliter perscrutandum est; quare superius infixu limo dixerit. & hic ne in ipso erere possit exorat; Infixus utique limo fuit quam suscepta carnis infirmitate tenebatur. unde etiam mortem crucis accepit hic autem conpetenter expossit; ut anima ejus a desideriis luteis id est hujus mundi cupiditatibus reddatur aliena quod bene suscipitur a parte membrorum quia ille luto inerere non poterat qui peccati maculam non habebat libera me ex odientibus me istut ad judaicum populum manifestum est pertinere. quare surgente christo eorum odia frustrata vanuerunt nam quod dixit. de profundis aquarum ad populum ipsum non est dubium pertinere quia profundis erat malignitate consilii & seditionibus turbulentus.

NON ME DIMERGAT TEMPESTAS AQVE NEQVE OBSORBEAT ME PROFVNDVM NEQ. VRGEAT SVPER ME PVTEVS OS SVVM.

Vox christi in id quod homo est. hec passionibus tempestas non eum in profunditate abisi retenea infernalis; neque absorbeat profundum; In quo dum per mortem descendit non devoretur ab eos; Neque urgeat super me puteus os suum; Additus inferni sive diabolus; Rogat enim ne mergatur a fluctibus id est a seculi istius tempestate sevissima. quæ in in mundum maris animas sorbuit; quando eas vitio pravitatis in voluerat; aid enim neque absorbea me profundum profundus utique peccatorum est qui voracitatem quadam digutit animas impiorum ut ad penitudinem redire nequeant qui de actuum suorum iniquitate disperat; Neque urgeat super me puteus os suus; Puteus enim est terre altius excabata profunditas. In quo per alligoriam vere incidunt peccatoris. quando se aviciosa voluntate non abstraunt; urg&que super eos os suum concludere com usque ad mortem suae tempus in pessima voluntate persistunt.

bituminis; in istos sacrilegi prophanique mittuntur. Sunt etiam & in bonam partem memorati, qui scripturas divinas repositas in altissima profunditate significant, quales fuerunt Patriarchæ, Abraham, Isaac & Jacob, vel ille de quo Moyses in eremo Hebræum populum Domini jussione satiavit. Sic utrisque puteis unum quidem nomen, sed causa diversa est; illi enim in tartarum dirigunt: isti ad cœlorum regna transmittunt.

EXAVDI ME DOMINE, QVONIAM BENIGNA EST MISERICORDIA TVA: SECVNDVM MVLTITVDINEM MISERATIONVM TVARVM RESPICE IN ME.

Periculis humanæ fragilitatis (ut oportebat) expositis, voce membrorum ad illam salutarem revertitur deprecationem; dicit enim: Exaudi me Domine, causamque quare exaudiatur adjungit: non quia meretur humanitas, sed quia Misericordia Domini est benigna, semperque ad benefaciendum parata; cum tamen pie petitur, & ei purissime supplicatur. Et ut ipsam benignitatem pius doctor exponeret, adjecit, secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Ad ipsam semper redit, quam debilibus scit patronam, cui omnia peccata cedunt, quamvis numerosissima comprobentur. Et intuere, quod ubi pietas postulatur, semper homo respici dicitur; nam si peccata respiciat, nos sine dubitatione condemnat.

EXAVDI ME DOMINE QVONIAM BENIGNA EST MISERICORDIA TVA SECVNDVM MVLTITVDINEM MISERATIONVM TVARVM RESPICE IN ME.

Vox christi ad patrem pro parte carnis. hec secundum infirmitatem humanam postulat dicens; qui alios meas passione redemis me precurrente misericordia contemplare; dicit enim exaudi me domine, causamque quare exaudiatur adjungit non quia meritur humanitas sed quia misericordia domini es benigna semperque ad bene faciendum parata. cum tamen pie petitur & ei purissimi subplicatur. & ut ipsam benignitatem pius doctor exponerit adjecit secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me; ad ipsam semper reddit quam debilibus sit patronam; cui omnia peccata cedunt quamvis numerosissima comprobentur.

CVII.


Præceptum Henrici imperatoris pro abbatia Pratalia.

Anno 1020. III. kl. decembris.

Ex autograpbo Fontis-boni.

Ad lib. X. n. 17. IN nomine sancte & individue Trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Si locis Domino Sanctisque ejus dicatis bona nostra damus, & ab antecessoribus nostris data confirmamus, in eternum anime nostre profuturum non dubitamus; quapropter notum esse volumus omnibus fidelibus nostris presentibus silicet atque futuris, qualiter interventu Theuzonis monachi nostri fidelis pro remedio anime nostre largimur atque concedimus, prout juste atque legaliter possumus, monasterio sancte Marie & sancti Benedicti, quod est situm in alpibus, qui dicuntur Pratalia, juxta rivum nomine Bidentem ad radicem montis nomine Acuti, qui dividit Thusciam & Romaniam, quosdam mansos de jure nostri regni, mansum videlicet unum, qui vulgo dicitur Nibli de Soci, & alium quem tenet filius presbyteri Alprandi de Soci & Leo de Soci, & piscariam & baricule de Soci, quem Hugo marchio per libellum dederat predicto monasterio. Alterum vero mansum, qui dicitur Teuzonis Bruffati, quem idem marchio similiter dedit, mansum quoque de Sexta, unde marchio libellum fecit Winizoni Castaldo. Item mansum de Ventrina, quem Leoni marchio per libellum dederat cum tribus mansis de Caprena, mansum etiam de Linaro unum libellum habuit Bonizo. Mansum quoque de Tejano, quem Winizo habet per libellum cum parte illius vinee de regni nostri

nostri jure ac dominio donamus atque transfundimus in jus, atque dominium predicti monasterii de Pratalia sancte Marie & sancti Benedicti ad Bidentem in perpetuum cum omnibus eorum pertinentiis, que dici vel nominari possunt, cum terris, campis, casis, vineis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, & omnibus rebus mobilibus & immobilibus tali tenore, ut predictus Teuzo rector ipsius monasterii suique successores abbates inde potestatem habeant ad utilitatem ipsius monasterii faciendi quidquid lex precipiat. Precipientes itaque jubemus, ut nullus dux, marchio, comes, vicecomes, episcopus, castaldius vel aliqua nostri regni magna vel parva persona predicti monasterii rectorem vel suos successores abbates de omnibus, que suprascripta sunt, disvestire seu inquietare sine legali judicio presumat. Si quis igitur hujus nostri precepti violator extiterit, sciat se compositurum auri optimi libras centum medietatem kamere nostre, & medietatem prefato monasterio. Quod ut verius credatur & diligentius ab omnibus in eternum observetur, hanc nostre donationis paginam manu propria confirmantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Henrici rum invi- Imperato-  domini Romano- ctissimi ris augusti.

Piligrinus cancellarius vice Egerardi episcopi & archicancellarii recognovit.

Data tertio kal. novembris indictione tertia anno dominice incarnationis M. XX. Anno autem domini Henrici secundi regnantis XVIII. imperii ejus VII. Actum Hamersten.

CVIII.

Donatio Hugonis marchionis Corsicæ facta ecclesiæ sanctæ Mariæ de Canovaria.

Anno 1021. *6.* martii.

Ex codice archivi sancti Michaelis in Burgo Pisarum.

Ad lib. X. n. 21. IN nomine Domini. Amen. Anno Domini M. XXI. indictione III. martii VI. Ex hac publica scriptura sit omnibus manifestum audientibus & legentibus, quod ego Ugonus marchio & domino de Corsica judex Calaritanus, quia per hanc cartulam do & trado & offero omnipotenti Deo & ecclesie sancte Marie de Canovaria omnes meas possessiones, quas habeo allodio sive essequtione, patris mei vel predictorum germanorum meorum legentia meo acquisita in loco ubi dicitur *a la cappanna*, domos, casamentis, casalinis, hortis, vineis, castagnetis, arboribus fructiferis & non fructiferis, agresticis & domesticis cum omnibus suis pertinentiis. Item damus vobis aliam possessionem in loco, ubi dicitur Rabagium cum pertinentiis suis, casis & casamentis, & omnia, que ad ipsum casamentum pertinet. Item dedit tibi aliam possessionem in loco, ubi dicitur *a la Verdese* domos, casamentis & casalinis, hortis, vineis, castagnetis, olivis & nocetis, terris cultis & non cultis, agrestis & domesticis, de plano & monte cum omnibus suis pertinentiis. Item damus vobis aliam possessionem in loco, ubi dicitur Casanova cum domos & casamentis, & casalinis, hortis, olivis, vineis, castagnetis, terris, cultis & non cultis, agrestis & domesticis, de plano in monte cum omnibus suis pertinentiis de gargalo a gargalo in omnibus ubi invenire possunt. Item damus vobis alias possessiones cum domos, & cum omnibus suis possessionibus in loco, ubi dicitur Erbaja. Aliam possessionem *la Croce & lo sancto* cum domos & casamentis, vineis, hortis, nocetis, castagnetis, terris cultis & non cultis, massaritiis, servis & ancillis & istarum sive olivetis cum earum pertinentiis cum aquis Acchiola molaria sua omnipotenti Deo & predicte ecclesie sancte Marie de Canovaria pro anima mea, patris & famulorum germanorum meorum do & trado & offero inrevocabiliter & licite domno Simoni venerabili abbati monasterii sancti Mamiliani Montis Christi & rector abbatie sancte Marie de Canovaria per hanc chartulam in ipsa abbatia recipienti. Et de proprietate vestio tali jure & pacto & conditione, ut vos & vestris successoribus pro ecclesia & abbatia omnia habeatis & teneatis cum potestate & proprietate nostra. Tamen non habeatis in aliquo modo vendendo eum, nec alienando ab aliquo modo vel successores vestri, sed semper omni successores sint proprie dicti monasterii & ecclesie utilitatis, eam habeatis & teneatis usque in perpetuum. Et trado & offero predicta omnia predictarum intratarum ex parte ecclesiastica. Talem chartam omnia scribere rogavi

vi pro me Auberto judice notario domini imperatoris.

Actum in domo Pandolfini presentibus Alberto filius Ugolino de Mariano, & Falcone quondam Lamberti de Lampolori, Gratiano quondam Ugonis de Mense, Bernardo de Bonfigli de Ampugnano, & alii plures testes inde rogati.

Ego Rubertus judex imperiali notario rogatus fui, firmavi & dedi.

CIX.

Præceptum Henrici imp. pro monasterio de Bisurco.

Anno 1022. pridie kl. januarii, hoc est postrema die anni 1021.

Ex authentico tabularii sancti Laurentii de Florentia.

Ad lib. X. n. 22. IN nomine patris & filii & Spiritus santi. Hemricus Romanorum imperator augustus. Dignum videtur nostre imperiali clementie religiosorum virorum congruis petitionibus juste ac rationabiliter acquiescere. Quapropter noverint omnium sancte Dei ecclesie, nostrorumque fidelium presentium videlicet & futurorum industria, qualiter nos pro remedio anime nostre, seu parentum nostrorum, nostraque salute, ac dilectissime conjugis nostre Chunigunde imperatricis auguste, acque pro interventu religiosi viri domini Romualdi monaci & eremite, quamdam abbatiam ad honorem sancti Benedicti super res nostri juris constructam in alpe, que dicitur in Forco, tantum a regibus vel imperatoribus investiri; constituimus, eamque permanere in provisu & disciplina ejusdem venerabilis viri domini Romualdi, suorumque seu successorum in ipso eremo persistentium vitam & religionem ejus servantium; ipsa tamen provisio & disciplina contra regulam beati Benedicti non fiat. Confirmantes ecclesie sancti Benedicti ejusdemque monasterii illas terras, quas nunc tenet, quarum nomina sunt hec. Ecclesiam cum tribus molendinis, & tres mansos in Domiciucolo. In Galliano mansos duos & ecclesiam unam. In Pertisida ecclesiam unam & mansos duos & molendinum unum. In Casale mansos duos. In Mistriano mansum unum. In Drimano mansum unum. In Ripidiano mansum unum. In monte Martino mansum unum. In Affrico mansos duos. In montaneis sancti Gaudentii mansos quinque. Et omnia quecumque juste & legaliter nunc habet, aut in antea habiturum est, aut acquisiturum est, aut acquisivit, ut ea habeat teneat cum omnibus suis pertinentiis in integrum proprietario jure possideat eo modo, ut nec isti, qui nunc superest abbati, nec suis successoribus liceat terras ecclesie vendere aut alienare ... precarium facere absque nostra licentia, set tantum ad usum monacorum in ibidem inservientium juxta regulam sancti Benedicti permaneant. Insuper confirmamus omnem hereditatem bonorum ipsius monasterii & monacorum, ut tali modo habeant, quod nunc ipse habet. Constituentes igitur, ut supradictum monasterium nulli marchioni, nulli comiti, nulli archiepiscopo, nulli episcopo, nullique singulari persone subjaceat, nisi sit in imperiali & regali potestate. Volumus atque disponimus, ut liceat domino Romualdo, suisque successoribus, & abbati ipsius monasterii suisque successoribus avocare quemcumque episcopum ad ecclesias consecrandas, & ad omnem consecrationem faciendam. Volumus etiam, ut per circuitum monasterii & eremi ecclesia possideat ab oriente a rivo de lacu, ab occidente a jugo alpium, a septentrione a Ceresio, a meridie a collina de Gimellis. Inviolabiliter igitur jubemus, ut non dux, non marchio, non comes, non qualiscumque magna vel parva persona hoc nostrum imperiale preceptum violare pertentaret. Si vero, quod absit, aliquis illud infringere tentaverit, sciat se compositurum ducentas libras auri cotti, medietatem nobis, & medietatem dicto monasterio. Et ut hec verius credantur, & inconvulsa serventur manu propria subscribentes nostro sigillo inferius insigniri precepimus.

Signum domini Henrici ✠ invictissimi imperatoris augusti.

Thedericus cancellarius recognovit.

Datum anno Dominice incarnationis millesimo XII. indictione quinta. Anno vero domini Henrici secundi regnantis XXI. imperantis vero octavo. Actum pridie kalendas januarii Ravenne feliciter. Amen.

CX.

CX.

Præceptum ejusdem pro abbatia Burgi-Sancti-Sepulcri.

Anno 1022.

Ex autographo archivi Fontis-boni.

Ad lib. X. n. 25. IN nomine sancte & individue trinitatis. Henricus dei gratia Romanorum imperator augustus. Imperialis nos contemplatio premonet pia semper considerare atque disponere que ad augumentum diligentiam & restaurationem venerabilium pertinet locorum ne de improvidentia eorum quibus regiminis cura committitur aliquo modo culpabiles asscribamur. Sed magis pro susceptione inopum & peregrinorum & congregatis in christi laudibus merces nobis a domino tribuatur a quo noster honor procedit & gratis sublimatur. Proinde comperiat universitas fidelium sancte dei ecclesie presentium & futurorum quod monasterio a nobis adquisito & noviter edificato in loco qui dicitur noceati ac dedicato in honore sancti sepulcri domini nostri salvatoris ubi prestantur multa beneficia infirmis & fiunt mirabilia crebra ad laudem & honorem nominis ejus secundum prophetiam illam quae dicit & erit sepulcrum ejus gloriosum. concedimus ob nostrae animae salutem & confirmamus cortes & castellas que sunt infra comitato castro felicitatis sicuti nostre jure esse dignoscitur prima qui vocatur carsuga alia vero bagnolo cum castello honesto cum omnibus ad eas generaliter pertinentes. Statuentes preterea confirmamus eidem monasterio & ad Rodericus venerabilis abbas constructor illius loci suisque successoribus in perpetuum ecclesiam & monasterium beati sancti apollenaris sito cerreto a nobis noviter ad quisito & ecclesia sancti cervonii & sancti jacobi & ecclesia sancti Rufini cum omnibus ad eas generaliter pertinentes. rebus vero & possessionibus terris. vineis. campis. pratis pascuis. silvis. arboribus frutiferis vel infructiferis terris cultis & incultis aquis aquarum decursibus oratoriis domibus edificiis & omnibus ad eosdem cortes & castellas & ecclesiae pertinentibus. ita nostrae moderationis statuimus decrevimus ut a modo in antea liceat ipsius monasterii congregationibus jam dicta res possidere & tenere & fruere & secure ac pacifice deo servire pro omne tempus nostra & successorum nostrorum tuitione & defensione quiete vivere omnium personarum remotis obstaculis contradictionibus & impedimentis pro laude & obsequio domni salvatoris & susceptione inopum & peregrinorum. Statuentes preterea confirmamus eidem monasterio & prefato abbati suisque successoribus in perpetuum omnia predia vel beneficia quecumque in terris vel aquis ei collata sunt vel a sancta sede Romana seu ab aliqua ecclesia vel quocumque cristiano fideli legalis scriptionis munimine aut personalium investitione. prohibemus etiam ut nulli successorum nostrorum imperatorum liceat in tempore aliquo jam dicta res largiri alicui mortalium laico aut clerico precipientibus consentientibus & roborantibus nobis. Precipientes itaque imperiali jubemus edicto ut nullus dux marchio episcopus comes vicecomes vel aliquis rei publice exator hanc nostram sanctionem audeat infringere corrumpere vel violare in aliquo eorumque statuentes censuimus. Si quis vero quod non credimus in aliquo violator vel contradictor extiterit omni occasione postposita duocenti libras auri componat medietatem camere nostre & medietatem jamdicto cenobio. Quod ut verius credatur diligentiusque ab omnibus observetur manu propria roborantes sigillo nostro inferius jussimus insigniri.

Signum domni Heinrici romanorum imperatoris caesaris semper invicti.



Theodericus cancellarius a vicem Everardi episcopi & archi cancellarii recognovit.

Data anno dominice incarnationis millesimo vigesimo secundo indictione quinta regni vero domni heinrici deo propitio xx. I. imperii vero nono. actum vero Benevento feliciter amen.

Sigillum plumbeum pendebat.

CXI.

CXI.

Hildebrandus episcopus Faventinus concedit capellam sancti Antonini monasterio sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia.

Circa annum 1022.

Ex antiquissimo apographo ejusdem monasterii.

Ad lib. X. n. 24. PRofitens profiteor ego quidem in Dei nomine donnus Ildibrandus episcopus sancte Faventine ecclesie una per consensum totius clericatus ejusdem ecclesie per hanc seriem membrane mee vocis offersionis, donationis, seu transfersionis atque perpetue translationis a presente die per mei paginam te presente in Dei nomine Johannes venerabilis presbyter, atque abbas regule monasterii sancti Laurentii & sancti Ypoliti, & pet te in suprascripto monasterio in perpetuum per futurum presidentibus dans damus, cedo, trado, transfero, atque perpetualiter translato de meo jure meorumque successorum alieno & transcribo, atque subduco in jure & dominium tuum suprascripto Johanne presbytero & abbate regule monasterii sancti Laurentii & Ypoliti, & quod habere & possidere, & ad meas manus & in meo jure & a meoque dominio detinere videor in capella sancti Antonini, quo tempore donationis fuerit rejecta cum omnibus rebus & possessionibus ss. & omnia jura sua infra se habentem ab uno latere stratam majorem, ab alio latere stratella perambulante, a tertio Cimandro de Bundiolu, a IIII. capite pons perambulante infra ipsis designatis lateribus rejecto, & ipsam capellam una cum introitu & exitu suo, & cum omnibus ad eam pertinentibus, sicut supra legitur, constituta in territorio Faventino cum suis justis & certis intra finibus, ut in omnibus liceat tibi suprascripto Johanne presbytero & abbate monasterii sancti Laurentii & Ypoliti a presenti die in ibidem introire & preoccupare, atque ingredere, & potestatem per hanc paginam donationis, transfersionis, a me in te factam & traditam tanquam per legitimam & meam corporalem traditionem, & per istum meum missum iste presbyter Johannes capellanus, quem de meis manibus in tuis mitto manibus in presentia testium, qui subscripturi sunt, qui illuc veniat secum, & corporaliter te investiat in meam vicem & quietum tramitem habendi dominium & potestatem habeatis, teneatis, possideatis & ordinandi & disponendi ad honorem suprascripti monasterii ea vero ratione, ut nullus eorum vendere, neque in infiteosim personarum facere, aut nullo modo donare de ipsis predictis rebus in aliquibus personis liceat, sed tantum pro eorum stipendiis & indumentis, vel eorum, qui antea fuerunt ordinati ad illud officium peragendum, vel nobis nostrorumque successorum dignum servitium ubi imperatum fuerit perficiendum, & omnia ita firmiter sancimus, si ipsi fideliter cuncta peregerint perpetuo confirmamus cum omni robore hujus paginis instrumenti, ut nullus noster pontifex vel quispiam sacerdos nostre Faventine ecclesie aliqua parte de suprascriptis rebus ab ipso monasterio subtrahere quoquo modo audeant vel auferre. Si quis autem non observaverit, incorrupta, & contra hanc nostram largitatis censuram agere temptaverit CCC. XVIII. patrum anathematis vinculo perpetualiter vulneretur, qui autem observaverit, sempiterna omnipotentia Domini benedictione redundet. Statuimus interea, ut in ea suprascripta capella, omni tempore diurnarum atque singularum orarum laudes matutinas, & missas omnia absque intermissione facere debeatis. Statuimus quoque, qui in ipso monasterio fuerint aggregati omni tempore pro defunctis scilicet Christianis orare, qui sua in prefata obtulerunt ecclesia, aut obtulerint orationes continuas in psalmis & missis facere debeatis, & pro me vero peccatore Ildibrando episcopo sancte Faventine ecclesie tribus vicibus omni die psalmum quinquagesimum in conspectu Domini canere debeatis, & in die anniversarii mei totum officium mortuorum celebrare, quatenus orantibus vobis a peccatis omnibus liberari merear, & inter sanctos letari. Quod absit, & avertat divina potentia, si omnia que superius leguntur, non observaverimus, vel non adimpleverimus cuncta que superius promisi & scripta leguntur, & contra hanc paginam ire voluerimus daturum me promitto ego suprascriptus donus Ildibrandus episcopus sancte Faventine ecclesie una cum meis successoribus vobis denominatus Johannes presbiter & abbas de suprascripto monasterio ante omne litis initium, & interpellationem pene nomine auri obrizi uncias quatuor, & post pene solutionem hec pagina donationis transfersionis in suam valeat persistere firmitatem.

Ildi-

Ildibrandus episcopus Faventine ecclesie huic pagine donationis transfersionis de capella sancti Antonini, sicut supra legitur, manu mea subscripsi.

Johannes archipresbiter sancte Faventine ecclesie huic pagine donationis manu mea subscripsi.

Petrus presbiter sancte Faventine ecclesie in hac pagina donationis transfersionis manu mea subscripsi,

Leo presbiter ejusdem ecclesie manu mea subscripsi.

Petrus diaconus ejusdem ecclesie manu mea subscripsi.

Dominicus subdiaconus manu mea subscripsi.

Adam subdiaconus manu mea subscripsi.

Enrigo, Girardus, Adelbertus, Johannes rogati sunt testes.

Ego Leo in Dei nomine scriptor curie & notarius sancte Faventine ecclesie hanc paginam donationis, seu transfersionis, ut supra legitur, roboratione testium complevi, & absolvi, & publicavi, meum apposui signum.

CXII.

Donatio Leonis nobilis viri facta Johanni abbati sancti Gregorii de Urbe pro cella sanctæ Fortunatæ de Sutrio.

Anno 1023. *6.* junii.

Ex codice ejusdem monasterii p. c. LXXX.

Ad lib. X. n. 31. IN nomine Domini. Anno duodecimo domni Benedicti octavi pape, atque Henrici imperatoris anno decimo indictione sexta mensis junii die ..... Ille bene presidet rebus in seculo, qui sibi de caducis comparat premia sempiterna, & de rebus transitoriis mereatur eterna. Ergo ego Leo nobilis vir filius quondam Leonis bone memorie, qui dicebatur Buccaberta, in hoc mihi consentiente Theodora nobilissima femina jugali mea a presenti die pro salute & remedio anime mee dono, cedo, trado & irrevocabiliter largior atque offero ex propria mea substantia propria spontaneaque mea voluntate vobis domno Johanni religioso presbitero atque coangelico abbati venerabilis monasterii sancti Andree apostoli, beatique Gregorii confessoris Christi, quod nuncupatur Clivusscauri, & per vos in ecclesia & cella vestra, que est ad honorem Domini & beate Fortunate virginis, vestrisque successoribus in perpetuum pro omnipotentis Dei amore mercedeque redemptione anime mee, & veniam delictorum meorum dono, donatumque in perpetuum esse volo vobis vestrisque successoribus, idest omnem portionem meam, que est posita in territorio Sutrino, juxta jamdictam ecclesiam sancte Fortunate, inter affines ad totum ipsum ortum, de quo medietatem vobis concedo, circumdantes a primo latere rivo, a secundo latere ortus de Boniza filia Riccarii, & a tertio latere via publica: infra vero hos affines medietatem predicto orto, qui est in modo Lanziola vobis concedo, sicuti conjuncta & coadunata esse videtur, cum alia medietate de Crescentione germano meo juris cui existens, & hanc a die presentis donationis cartulam vobis contradidi, predicta quoque medietate, que est totam portionem meam de orto uno in inde in modum Lanciola, omnibusque ad eam pertinentem, sicuti supra missum est, a presenti die pro salute & remedio anime mee habeatis, teneatis, possideatis utendi, fruendi & in omnibus perenniter consequendi vel quicquid exinde facere volueritis liberam ac firmissimam in omnibus habeatis potestatem, & numquam a me, neque ab heredibus meis, neque a me submissa persona contra vos vestrosque successores qualibet moveri questione aut calumpnia, sed & stare me una cum heredibus meis & defendere promitto vobis vestrisque successoribus ab omni homine omni tempore: sed & hec omnia inviolabiliter conservare atque adimplere polliceor. Si quis vero contra hanc cartulam venire temptaverit, aut illam corrumpere vel frangere voluerit, compositurus existat partibus vestris tres auri optimi untias, & quod repetet evindicare non valeat, sed hec presens traditio firma & illibata permaneat omni tempore. Quam scribendam rogavi Sergium scriniarium sancte Romane ecclesie in mense & indictione suprascripta sexta.

Leo, qui hanc cartulam fieri rogavit, manu propria subscripsit.

† Theodora uxor ejus consensit, & manu propria subscripsit.

† Widorie m.... rogatus testis.

† Crescentius filius de Anselmo.

† Bezo frater ejus.

Ego Sergius scriniarius sancte Romane ecclesie post testium scriptiones & traditionem complevi & absolvi.

CXIII.

Donatio Anselmi, VVidonis &c. fratrum eidem abbati pro supradicta cella.

Anno 1023. 9. junii.

Ex eodem codice p. C. XXX.

Ad lib. X. n. 31. IN nomine Domini. Anno duodecimo domni Benedicti octavi pape, atque Henrici imperatoris anno decimo indictione sexta mensis junii die nona. Mundi termino ruinis crebrescente his appropinquavit jam judicia certa manifestantur, qui perit mundus & ea, que in mundo sunt, & hoc in fluctibus facinorum vulneribus indulta pietatis remedia mereamur adipisci. Igitur nos Anselmus & Wido, necnon Benedicta atque Guaccus subdiaconus sancte Romane ecclesie, omnibus vero germanis fratribus filii quondam Rutherii bone memorie rogamus etiam & pro universis nostris germanis atque nepotibus, qui consortibus & sociis in hac re esse noscuntur, a presenti die damus, donamus, cedimus, tradimus atque irrevocabiliter largimus atque offerimus ex propris nostris substantiis propriis spontaneisque voluntatibus vobis domno Johanni religioso presbitero & monaco atque coangelico abbati venerabilis monasterii sancti Andree apostoli, beatique Gregorii confessoris Christi, quod nuncupatur Clivusscauri, & per vos in ecclesia & cella vestra, que est ad honorem Domini, & beate Fortunate virginis, vestrisque successoribus in perpetuum pro omnipotentis Dei amore, mercedeque redemptione anime nostre, & anime suprascripti Rutherii bone memorie genitoris nostri, nostrorum omnium veniam delictorum damus atque concedimus vobis, & in suprascripta ecclesia sancte Fortunate in perpetuum, id est ortum unum in inde cum vasis suis, que sunt petiis duabus cum introitu & exitu suo quemadmodum in circuitu clausum esse videtur, vel cum omnibus ad eum pertinentibus positis territorio Sutrino in fundo, qui appellatur Martula, juxta ecclesiam sancti Cesarei, inter affines a primo latere ortus venerabilis monasterii sancti Blasii, a secundo latere monte, qui appellatur Erzani, a tertio latere ortus juris episcopi sancte Sutrine ecclesie, que deinde Benedictus, & a quarto latere via publica juris cui existens, qualiter nobis evenit per successionem parentum nostrorum, taliter eum vobis, vestrisque successoribus concedimus & donamus, & hanc a die presentis donationis cartulam vobis contradimus, predictus quoque ortus petiis duabus cum vasis suis, sicuti in circuitu clauso esse videtur, omnibusque ad eum pertinentibus, sicut supra missum est, a presenti die pro salute & redencio anime nostri genitoris, nostreque pariter habeatis, teneatis ac possideatis utendi, fruendi, & in omnibus perenniter consequendi, vel quicquid ex inde facere seu peragere volueritis, liberam ac firmissimam in omnibus habeatis potestatem, & numquam a nobis neque ab heredibus nostris, neque a nobis submissa persona contra vos vestrosque successores aliquam aliquando habebitis questionem aut calumpniam, sed etiam stare nos una cum heredibus nostris & defendere promittimus vobis vestrisque successoribus ab omni homine omni tempore in qua & jurantes dicimus per Dominum omnipotentem sancteque sedis apostolice domni Benedicti pape, atque Henrici imperatoris: sed & hoc omnia inviolabiliter conservare atque adimplere promittimus. Si quis vero ex nobis aut nostris heredibus vel proheredibus contra hanc cartulam venire temptaverit, aut illam corrumpere vel frangere voluerit, compositurus existat partibus vestris res auri optimi untias, & quod repetet, evindicare non valeat. Sed hec presens traditio firma & illibata permaneat omni tempore, quam scribendam rogavimus Sergium scriniarium sancte Romane ecclesie in mense & indictione suprascripta texta.

† Ego Anselmo manu propria subscripsi.

† Wido, quia hanc cartulam fieri rogavi manu propria ss.

† Guaco subdiaconus sancte Romane ecclesie.

† Benedictus, qui hanc cartulam fieri rogavit, manu propria subscripsit.

† Crescentius eorum germanus consensit, & manu propria subscripsit.

† Crescentius dativus judex testis.

† Sergius dativus judex rogatus testis.

† Balerinus filius Leonis.

Ego Sergius scriniarius sancte Romane ecclesie post testium scriptiones & traditionem complevi & absolvi.

CXIV.

Theodaldus episcopus Arretinus donat bona monasterio Prataliæ.

Anno 1023. mense julio.

Ex autographo Fontis-boni.

Ad lib. X. n. 28. IN Dei nomine anno dominice incarnationis millesimo vicesimo tertio . . . . tor Romanorum anno regni ejus decimo , mense julio indictione sexta . Manifestus sum ego Teudaldus vir excellentissimo sancte Aretine ecclesie episcopus , qualiter pro Dei timore remedio anime nostre & antecessorum successorumque nostrorum episcoporum a fidelitate sancti Donati judicamus & tradimus in monasterium , que est super jure sancti Donati & est dedicato in uno vocabulo Pratalia a radice montis acuti , qui dividit Thuſciam & Romaniam, & est dedicato in honore sancte Marie matrem Christi & omnium sanctorum & sancti Benedicti , in quo ordinatus est Sigizonem abbatem , qui cum ceteris fratribus pro nobis ceterisque fidelibus christianis vivis adque defunctis pro nobis a Dominum intercedat, concedimus etiam & in perpetuum donamus & tradimus denominate sancte Dei ecclesie & monasterium & Sizoni abbati suisque successoribus , qui ibi justa regula sancti patris Benedicti vixerint , ex integra casa & sorte & res illa que est posita infra plebe sancti Ipoliti sito Biblena in navocabulo Peza, & per alia vocabula, aut casalia aut ubicumque esse invenitur de ipsa sorte, que est tenuta per Johanni massario supranomine Pulzolo , ideo jam supradicta casa & omnibus edificiis suis cunctisque vineis & pratis & silvis sive cultum & incultum omnia sicut supra legitur, a prenominata ecclesia & monasterium & Sizone abbas dedimus & judicamus. & quod fieri non credimus, si ego Teudaldus episcopus aut ullus de posteris vel successoribus nostris aut aliqua persona nostra omnia , que predicte ecclesie concedimus tollere vel minuare presumpserimus & si ab omne homine a parte ipsius ecclesie non defensaverimus tunc componere promitto ego Teudaldus episcopus cum meis posteris successoribus tibi Sizone abbate tuisque successoribus integra mea judicatione in duplum componere promitto ; super hec omnia octestamur & conjuramus omnes nostrum successores hepiscopos per Patrem & Filium , & sanctum spiritum , & per aventum domini nostri Jesu Christi at judicandos vivos & mortuos & ne in illo tremendo Dei judicio cum satana & membris ejus mittatur in stagnum sulforis & lingnis eternis , ut nunquam quiquam predicte ecclesie minuant de omnibus suprascriptis que ei donavimus , ut sit ibi laus *&c. ut in haud dissimili charta ejusdem Theodaldi , quam ad annum 1026. dabimus* . In comitatu Aretino.

Ego Teodaldus episcopus subscripsi.

Signo manibus Farolfo de Partina, & Farizo filius Leoni , & Ildebrando de Bifurco rogati testes eorum manibus scribere rogaverunt.

Hugo notarius scripsi & complevi.

CXV.

Rainerius & Icta donant bona & jura in ecclesiam sancti Johannis monasterio de Fonte-bona seu de Berardenga.

Anno 1023. id. decembris.

Ex chartis Uberti Benvoglientii Senensis.

IN nomine Domini Dei & Salvatori nostri Jesu Christi . Henricus gratia Dei imperator augustus anno imperi ejus Deo propitio decimo , idus decembris indictione septima. Ideo nos Raineri Saligo filio b.m. Berardi & Icta jugalibus filia b. m. Farolfi , qui fuit comes , & quia nulla nos adque impiam omine partim violentia sive pro nostra bona spontanea voluntate nos suprascriptos jugalibus conantes vel recordantes nos de Dei timore & eterna retributione , & remedium anime nostre , & remedium anime b.m. genitore & genitrice nostra, & remedium anime de suprascripti nostris remissione omnium peccatorum nostrorum tradere adque offerre previdimus tibi deo & ecclesia & monasterio sancti Salvatori , sito Campo ubi dicitur Fonte-bona . Idest integra tertia portione de ecclesia & capella sancti Johanni , sita vocabulo Modini, cum suprascripta casa juxta ipsa ecclesia, & cum pertinentia & adjacentia sua, que ad ipsa tertia portione de predicta ecclesia & pertinente , qui detinet Liut... presbitero, & sicuti ipsa casa recta est pro Petro nepote ipsius Liut... presbiteri, sed terra & res illa juris nostra, qui pertinet de sorte & res illa de grama *Ad lib. X. n. 29.*

ma locus, ubi dicitur Lagnano, qui regitur per Morello & Carbuncello germanis, excepto casa & vinea & orto de ipsa sorte, sed & una petia de terra de sorte & res illa in loco, ubi dicitur Monte renajo, quod est ipsa petia de terra ad legitima mensura grano sementando sistariorum sex, excepto antepono de ipsa sorte casa & vinea & orto una petia de terra prope castello de Vescona, sicuti mihi qui supra Raineri Saligo pro castello Vidis advenit da Vido Saligo filio b. m. Rainaldi, & mihi qui supra Icte pro quolibet ordine pertinente videtur, & sicut in ipsa continente castella & textus in ea legitur. Sed & integra medietate, quod est nostra pars de ecclesia sancti Cosme cum casis terris & vineis & rebus illis, ipsisque ad ipsa ecclesia & pertinentes, qui est in vocabulo Campi. Sed & adiunsimus nos suprascriptorum jugalibus ad ipsa suprascripta sancta Dei & monasterio sancti Salvatori sortis & rebus decem, sexta ex ipsis sortis & ad ipsa ecclesia est pertinentes, quod est in vocabulo Campi, & rebus quod sunt ipse in vocabulo Muciliani, ubi dicitur Silbine; septima vero casa & sorte que est in vocabulo Fabule, qui recta est pro Petro Massario. octava vero casa & sorte que est in vocabulo Casprino, qui recta fuit pro Vitali massario. nona casa & sorte, qui est posita in casalis Sextano, qui recta fuit pro Vincenzo Massario. decima vero casa & sorte qui est in vocabulo Mellino, qui recta est pro Andrea Massario, sed & una pezola de terra in vocabulo, qui dicitur Corbuli, qui pertinet de sorte, & res illa, que est in vocabulo Lungnano, & est ipsa pezola de terra ad legitima mensura de grano sementando sistariorum duo. ideo tum si dictis portionibus de prenominate ecclesie una cum predictis casis, sortis & rebus, sicut superius legitur, cum curtis, ortis, terris, vineis, silvis, rivis, pratis & pascuis, cultis rebus vel incultis, movilias & immobilibus omnia & in omnibus una accessionibus & ingressionis varis, sed superioribus & inferioribus suis cum omni integritate, & pertinentiis earum suarum, qui ad ipsis portionibus de prenominate ecclesie & ad prenominatis rebus, sicut superius legitur, sunt pertinentibus vel ispicientibus, vel esse invenitur una cum predictis petiis de terris, sicut supra legitur, cum omnia supra se, & infra se abentes, qualiter super legitur, omnia in integrum, sicut supra legitur, tibi suprascripta sancta Dei ecclesia & monasterio beati sancti Salvatori offero, trado pro suprascripta eorum supra redentione, ut in ipsa sancta Dei ecclesia & monasterio sancti Salvatori sint proprietario jure omni tempore in suo dominio, abeas, teneas, atque possideas, faciat exinde tum ipsa sancta Dei ecclesia & monasterio quicquam & ipso abbati, que eadem ecclesia & monasterio modo detinet, aut aliis abbatibus successores suos, qui in tempore detinerit, & quicquid juxta lege fecerit voluerit. & quod fieri non credo, & si nos suprascriptis jugalibus, aut ullus de heredibus ac pro heredibus nostris, vel quislibet de extraneis, aut apposita vel corrogativa persona, qui anc nostra statuta rumpere aut vacuare vel disfacere voluerit, aut de eadem suprascripta sancta Dei ecclesia & monasterio ipsis predictis portionibus de predicte ecclesie & predictis rebus, sicut superius legitur, aut de predictis petiis de terris, aut frugibus earum rebus tollere, aut contendere vel intentionare aut alienare, vel molestare presumpserimus omni tempore, sicut a nos est institutum, tunc spondimus nos supra scriptos jugales cum nostris heredibus componere a pars predicta sancta Dei ecclesia & monasterio & ad illo abbas, qui modo est, & de ipso monasterio vel successores suos, & in tempore fuerit de ipso monasterio de auro libras centum & pos pena soluta anc cartam offertionis & traditionis nostre omni tempore in sua permaneat firmitate & robore cum suprascripta pena & obligatione, qualiter supra legitur; & quicumque temeraria persona inobediens Deo contra hanc paina institutionis nostre & re quandoquidem tentaverimus, aut eam infringere, vel disrumpere quesierimus, & de eadem suprascripta Dei ecclesia & monasterio subtrahere, vel alienare presumpserimus pro quovis ingenio tunc in primis ira Dei & ipsius sancti loci occurrat & offensa & a limina sanctorum excommunicatus apareat, & ad tricentem decem sanctos patres anathematizatus persistat, & cum Dathan & Abiron, qui terra vivos deglutivit sit consortius, & cum ante tribunal se ad judicandum venerimus in conspectu Domini rationis sententiam ibidem puniendi perpetualiter fruatur. qui sic complacuit animo nostro & rationem ac ordine anc cartulam offertionis & traditionis nomine diuturnis temporibus permaneat inconvulsa cum omni firmitate & stipulatione subnixa & pergamena cum agramentariis de terra levavi, & tibi petroni notaro donni imperatori ad scribendum tradidimus & scrivere rogavimus.

Actum

Actum Sena, locus infra casa nostra donnicata, que est intus castello nostro de monte Aperto.

Signa manu suprascriptorum jugalibus, qui anc cartula offersionis & traditionis, sicut supra legitur, scrivere rogaverunt.

Azzo judex donni imperatoris suprascriptus.

Signa manum Adelmi Saligo filio Raineri saligo rogatus testes.

Signa manum Pn..ari saligo filio Amizi saligo rogatus teste.

Signa manum Tebaldi saligo filio Willelmi saligo rogatus teste.

Signa manum Widi filio b. m. Visi rogatus teste.

Signa manum Amizi filio b. m. Teuci rogatus teste.

Petro notarius Rom. imperatori post tradita complevi & dedi.

CXVI.

Marianus & Almana offerunt semetipsos cum rebus suis monasterio de Venaco in Corsica.

Circa annum 1023. etsi exemplaria proferant annum 608.

Ex codice sancti Michaelis Pisarum.

Ad lib. X. n. 21. IN nomine Domini amen. Sexto centesimo octavo indictione sexta. Manifestum sit omnibus audientibus & legentibus, qualiter venerunt, silicet domino Mariano *de laquajo*, & uxor sua domina Almana ad ecclesia & abbatie sancti Stephani de Venaco ordinis Montis Christi in manu domni abbati Simoni de Monte Christi, & domni abbati Vberti sancti Stephani de Venaco ordinis Montis Christi, & iste Marianus & uxor sua Almana concordanter se in unum dederunt se ambo in religione ad ecclesia sancti Stephani de Venaco in manu istius supradicti abbatis cum omnibus suis bonis, terris, bolchis, silvis, terris cultis & incultis, domesticis & agrestis, & cum omnibus eorum possessionibus, quam habent in *Aguajo*, qualiter sunt terminate pro terminis ab uno latere flumen, quod dicitur *Zingajo*, & *da pede* flumen, quod dicitur *Tavignano*; ab alio via, quot mitit ad ecclesia sancti Salvatoris *de laguajo*, & mittit per via publica *a la fogata de arliso*, & mittit *a la vallella de teranela*, & *foxa derbajo*, & istas terras erant patri meo, & antecessores mei, & meo proprio, & sic ego & uxor mea Almana damus & offerimus & judicamus pro animas nostras, & patribus nostris, & parentorum nostrorum usque in perpetuum a dicta abbatia sancti Stephani de Venaco ordinis Montis Christi, & debeat abere & tenere in quieta pace & corporis nostri ibi debeat sepeliri.

Actum fuit ante abbatie sancti Stephani de Venaco. Testes Boizo *de la Selva*. Alberto Volvi. Corbucio filio de Brunacolo *da lo pojo*, & alii testes ibi fuerunt & ego Petrus quondam Rola notarius publicus sacri imperii rogatus fui & scrissi, complevi, feci & dedi.

CXVII.

Charta emphyteusis casalis Massæ-camellariæ facta a Iohanne abbate sancti Gregorii de Urbe Andreæ de Viola.

Anno 1024. 20. aprilis.

Ex codice ejusdem monasterii sancti Gregorii p. CC.XXVII.

IN nomine Domini Dei salvatoris nostri Jhesu Christi. Anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis & universalis nonidecimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli primo, imperante domno piissimo perpetuo augusto Henrico a Deo coronato magno imperatore anno undecimo indictione septima mense aprilis die vicesima. Quisquis actionibus venerabilium locorum preesse dinoscitur incunctanter eorum utilitatibus, ut proficiat, cum summa diligentia procurare festinet. Placuit igitur cum Christi auxilio atque convenit inter Johannem religiosum presbiterum & monacum atque coangelicum abbatem venerabilis monasterii sancti Andree apostoli, beatique Gregorii confessoris Christi, quod nuncupatur Clivusscauri, in hoc ei consentiente cuncta caterva monachorum ac presbiterorum Dei suprascripti venerabilis monasterii, & e diverso Andream magnificum virum, qui vocatur de Viola, ut cum Domini adjutorio suscipere debeat a suprascripto Johanne abbate venerabilis monasterii sanctorum Andree & Gregorii, quod appellatur Clivusscauri vel a cuncta caterva monachorum suprascripti monasterii in hoc ei consentiente sicut & suscepit suprascri- Ad lib. X. n. 35.

prascriptus Andreas de Viola conductionis titulo, ideſt caſale unum in inde, qui vocatur Mandria Camellaria, vel ſi quis aliis vocabulis nuncupatur, una cum ipſa Mandria, que Camellaria eſt vocitata, cum finibus, terminis, limitibuſque ſuis, terris cultis & incultis, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, ſalectis, arboribus fructiferis & infructiferis, ex diverſi generis plagis & planitiis, edificiis, parietinis, monumentis, criptis, arenariis attignis, adjunctis, adjacentibuſque ſuis, aque perennis vel aquarum decurſibus, vel etiam cum omnibus ad eumdem caſale, qui vocatur Mandria Camellaria, generaliter & in inde pertinentibus, poſitis foris porta Appia miliario ab urbe Roma plus minus ..... in jam dicto loco & fundo, qui appellatur Mandria Camellaria inter affines: a primo latere via publica majore, que ducit ad Albanum, & deducente uſque in criptam, que vocatur de Buella, a ſecundo latere ſupraſcripta cripta de Buelle nomine, a tertio latere ſilice antiqua, & deſcendente per eamdem ſilicem uſque in caſale Widonis, a puteo Probe, qui vocatur aqua ſalſula, & deſcendente ex inde recte per laterem fundi Florani juris ſancti Pauli apoſtoli, & recte per rivum in plagario, & deducente per laterem ſupraſcripti fundi, qui nominatur campo Alexandri, & veniente uſque in ſilicem, & incipiente ab eadem ſilice aſcendente ſurſum per eam uſque in ciſternam cum aqua, & ab eadem ciſterna revolvente ſiniſtra manus recte per limitem, qui definitur inter hunc caſalem & alterum fundum ſupraſcripti monaſterii ſanctorum Andree & Gregorii, qui appellatur Sex columpnas, & pervenit uſque in prenominatam publicam viam, a qua incipimus terminare juris ſupraſcripti venerabilis monaſterii, ita ut ſuo ſtudio ſuoque labore ſupraſcriptus Andreas nomine de Viola caſalem prefatum, qui vocatur Mandria Camellaria, cum ſuis adjacentibus in omnibus tenere & poſſidere debeat, & ad meliorem faciendum Deo juvante cultum perducat ipſe & heredes nepotibuſque ſuis profuturam uſque in tertium gradum, tertium eredem, tertiam perſonam, tertiam generationem hoc ipſum ſupraſcriptum Andream & filios neteſque ejus ex filiis legitimis procreatos, quod ſi vero filios aut nepotes minime fuerint, uni etiam extranee perſone, cui voluerit, relinquendi habeat licentiam, excepto piis locis vel publico numero militum ſeu bando, ſervata dumtaxat in omnibus proprietate ſupraſcripti venerabilis monaſterii, pro quo etiam caſale uno in inde, qui vocatur Mandria Camellaria, una cum ipſo monumento, que tale videtur habere nomen, cum finibus, terminis, limitibuſque ſuis, terris, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, ſalectis, arboribus & diverſi generis aque perennis, edificiis, parietinis, monumentis, criptis, arenariis, attiguis, adjacentibuſque ſuis, vel cum omnibus ad eum pertinentibus, ſicut ſupra miſſum eſt, dare atque inferre debeat ſupraſcriptus Andreas filiis nepotibuſque ſuis rationibus ſupraſcripto monaſterio ſingulis quibuſque annis ſine aliqua mora vel dilatione penſionis nomine denarios argenteos quales per tempus jerint numero duodecim in feſtivitate ſancti Gregorii ...... Completa vero tertia generatione, ut ſupra legitur, tunc ſupraſcriptum caſale in inde, ſicut fuerit cultum ad jus ſupraſcripti monaſterii, cujus eſt proprietas, modis omnibus revertatur, ut quidquid ejuſdem curam geſſerit, iterum locandi, quibus maluerint, liberam habeant ſine aliqua ambiguitate licentiam. De qua re, & de quibus omnibus ſupraſcriptis jurantes dicunt utraſque partes per Deum omnipotentem, ſancteque ſedis apoſtolice domnum Johannem papam, atque Henrici imperatoris hec omnia, que hujus cartule ſeries textus eloquitur, inviolabiliter conſervare atque adimplere promittunt. Quod ſi quiſquam eorum contra has conventionis placitique cartulas in toto partemve earum quolibet modo venire temptaverit, tunc daturos ſe ſucceſſoreſque eorum promittunt pars infidelis partis fidem ſervantis ante omne litis initium pene nomine auri optimi libram unam, & poſt ſolutam penam maneant has emphiteoſis cartulas in ea nihilominus firmitate. Has autem duas uniformes uno tenore conſcriptas cartulas mihi Sergio ſcriniario ſancte Romane eccleſie ſcribendas pariter dictaverunt, eas propriis manibus roborantes teſtibus a ſe rogatis obtulerunt ſubſcribendis, & ſibi invicem tradiderunt ſub ſtipulationibus & ſponſionibus ſollempnitate interpoſitis. Actum Rome die anno pontificatu & imperio in menſe & indictione ſupraſcripta ſeptima. *Reliquum exeſum eſt.*

CXVIII.

CXVIII.

Donatio Cuneradi & Liutii germanorum facta Bono abbati sancti Michaelis in Burgo Pisarum.

Anno 1024. XVIII. kl. septembris.

Ex autographo ejusdem monasterii.

Ad lib. X. n. 35. IN nomine nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus Mille vigesimo quarto octavo decimo kal. septembris indictione septima. Manifesti sumus nos Cunerado, qui Cunitio vocatur, & Liutio presbitero germani filii b. m. Teuperi, qui Teutio vocatur, quia tu Bonus in christi nomine abbas ecclesie & monasterio domini & sancti Michaelis archangeli sito foras civitate ista Pise, & prope porta, que dicitur Samuelis, dedisti nobis merito anulo de auro uno, propterea per anc repromissionis paginam repromittimus tibi, & ad tuos successoribus ad pars suprascripte ecclesie dei, & monasterio sancti Michaelis archangeli, ut de admodum nunquam ullo tempore abeamus potestatem neque licentiam nos qui supra Cunerado, qui Cunitio vocatur & Liutio presbitero germani neque nostris heredibus, neque cui nos dedissemus, aut dederimus tibi qui supra Bonus abbas vel ad tuos successoribus ad pars suprascripto monasterio sancti Michaelis archangeli, aut cui vos dederitis vel abere decreveritis intentionandi, nec suptrahendi, neque molestandi, neque per placitum fatigandi nullum de una petia de terra illa cum vinea & monte infra se abentes, qui est positi in loco & finibus Caprone, ubi dicitur Pinegano & vocitatur Peretola, quas ipsa petia de terra cum vinea & monte infra se abentes totus in simul ambrisis est tenentes uno capo in terra & vinea Martini filio quondam Bonitii, & alio capo tenet in terra de filii quondam Widi. Latus uno tenet in terra & vinea, que fuit quondam Fulchitii & Ursi germanorum filii quondam Vitali, & alio lato tenet in summo monte. Has suprascripta petia de terra cum vinea & monte infra se abentes cum fundamento & omnem edificio suo qualiter ab omnis parte circumdata est per designatas locas, ut dictum est, vobis exinde nullam intentionare & subtragere, neque molestare, neque minuare & neque per placitum fatigare non debemus: unde repromittimus nos qui supra Cunerado, qui Cunitio vocatur & Liutio presbitero germani una cum nostris eredibus tibi qui supra Bono in Christi nomine abbas, vel ad tuos successoribus ad pars supradicte ecclesie & de monasterio sancti Michaelis archangeli, aut cui vos & iis ad pars supradicte ecclesie & monasterio dederitis vel abere decreveritis, ut si nos vobis & is aliquando tempore in aliquo exinde intentionaverimus aut retolli, aut subtragere quesierimus, nos vel ille omo, qui cum nostro dato aut facto evenerit, aut adparuerit quid contra vos, aut quid contra predicto monasterio sancti Michaelis archangeli agere aut causare vel intentionare seu minuare, sive per placitum fatigare presumpserint per nosmetipsos, vel per ulla nostra que submisserit personas masculo vel femina, cui nos eas dedissemus aut dederimus pro quolibet ingenio, & eas vobis de quas tibi supra promisit ad pars supradicte ecclesie & monasterio tacitos & contentos non permiserimus omni tempore, tunc spondemus nos, qui supra Cunerado & Liutio presbitero germani una cum nostris eredibus componere tibi qui supra Bonus abbas vel ad tuos successores ad pars supradicte ecclesie & monasterio aut eidem omini, qui anc promissio pre manibus abuerit & eum ibi pars suprascripti monasterio sancti Michaelis archangeli ostenderit penam argentum optimum libras viginti, quia in tali ordine anc promissio Wido notarius domini imperatoris scribere rogavimus.

Actum Pisa.

Signum de manibus supradicti Cunerado qui anc promissio fieri rogavit.

Ego Mainfredus judex sacri palatii ss.

Ego Albitio rogatus ss.

Signum de manu Cunitii filio b. m. Beriti rogatus testis.

Ego Wido notarius domini imperatoris post tradita complevi & dedi.

CXIX.

Donatio Garipergæ sanctimonialis facta monasterio Prataliæ.

Anno 1024. mense septembri.

Ex autographo monasterii Fontis-boni.

IN Dei nomine anno einrici imperator romanorum anno regni ejus undecimo *Ad lib. X. n. 34.*

mo menſe ſeptenber indictione ſeptima. Manifeſta ſum ego Gariperga ſanctimonialis filia quondam alberici que fuit vocatus albizo, quia pro Dei timore & redentione animeæ & de genitoris & genitrice mea ut deus exinde in bonis partibus mercede retribuat judico & trado in jure & proprietate in monaſterio ſancte marie matrem domini ac virgine que eſt dedicata a radice montis agutis qui divídet tuſscie e romanea ex integra caſa & terra cum vinea & orto infra ſe abente & eſt poſito infra plebem ſancte marie ſito partina in caſale monte innavocabulo lucioli per deſignate loca de duobus partibus eſt terra ſancti Donati & de tertia fuit terra urſoni filius quondam lamfredi & de quarto eſt via publica iſta ſupraſcripta terra cum omnia ſicut ſuperius legitur a proprium & fenitum judico & trado & per carta a proprium inveſtivi ſupraſcriptum monaſterium unde mihi qui ſupra Gariperga de ſupraſcripta mea judicatione nulla reſervavi poteſtate & nec a monaſterio antepoſuit & nulla exinde abeat ſupraſcripto monaſterio moleſtia & ſi innaliquo preſcripſerimus moleſtare vel debolibet minime potuerimus defenſare & ſi oportum fuerit ab omnibus hominibus ſive feminibus non defenſaverimus tunc componere promitto ego ſupraſcripta Gariperga cum filiis & heredibus meis in prenominato monaſterio integra ſupraſcripta mea judicatione ſicut in tempore fuerit meliorata ibidem in propincuo loca & ſimilem rem in duplum componere promitto & ſi oportum fuerit licentia abeatis cum ecarta cauſare a proprietate de ſupraſcripto monaſterio abendum. Reliqua omnia que ſuperius legitur tollere vel minuare aut delere voluerit delead deus de libro vite & cum juſti non ſcribantur fiad participe cum datham & abiron que aperuit terra & deglutivi eos fiat participe cum juda ſcarioſſis qui propter pecunia vendidi deum & maiſtro.

Ecce quod mea fuit volunta Deo gratias adinplevi.

Unde accarta judicati a me que ſupra Gariperga qualiter ſuperius legitur.

Hugo notarius ſcribere rogavi. actum aritio.

Signo manus de ſupraſcripta gariperga innac carta & manu ſua ſcribere rogavi.

Signo manibus martino & johanni & leopardo rogatis teſtes.

Ego Hugo notarius ſcripſi & complevi.

CXX.

Charta emphyteuſis bonorum monaſterii ſancti Gregorii de Urbe.

Anno 1025. *6.* maji.

Ex codice membranaceo ejuſdem monaſterii p. CC. LXVII.

IN nomine Domini noſtri Jheſu Chriſti. Anno Deo propitio pontificatus domini noſtri Johannis ſummi pontificis & univerſalis nonidecimi pape in ſacratiſſima ſede beati Petri apoſtoli ſecundo indictione octava menſis madii die ſexta. *Ad lib. X. n. 39.* Quiſquis actionibus venerabilium locorum preeſſe dinoſcitur, incunctanter eorum utilitatibus, ut proficiant, cum ſumma diligentia procurare feſtinet. Placuit igitur cum Chriſti auxilio, atque convenit inter Johannem religioſum presbyterum & monachum atque coangelicum abbatem venerabilis monaſterii ſanctorum Andree apoſtoli, beatique Gregorii confeſſoris Chriſti, quod nuncupatur Clivus Scauri; in hoc ei conſentiente cuncta caterva monachorum ac presbyterorum de ſupraſcripti venerabilis monaſterii, & e diverſo Johannem magnificum aurificem Leonis, qui dicitur Calvus, filium, ut cum Domini adjutorio ſuſcipere debeat a ſupraſcripto Johanne abbate venerabilis monaſterii, quod nuncupatur Clivus Scauri, vel a cuncta caterva monachorum & presbyterorum ſupraſcripti monaſterii in hoc ei conſentiente, ſicut & ſuſcepit prefatus Johannes magnificus aurifex conductionis titulo: Ideſt terras, in qua diverſas manſiones de quorumdam libellariorum hominum conſtructas eſſe videntur de eorum ſumptibus, ſicuti infra notatos inferius affines continere vel concludere dinoſcitur, cum introitibus & exitibus ſuis, vel cum omnibus ad eamdem terram pertinentibus poſitis Rome regione ...... in loco, qui dicitur Orrea juxta Aventinum inter affines, a primo latere parietis orti venerabilis eccleſie ſancti Petri, que eſt proprietate ſupraſcripti monaſterii: a ſecundo autem domus Stefani, qui vocatur Petulus, & domus Berardi, qui dicitur Pazzo: a tertio vero introitus communalis & terra predicti monaſterii, in qua eſt domus ſolarata conſtructa de quodam viro Otto nomine, ſicuti per parietem antiquam, majorem inter ſe dividere videtur, & re-

vol-

volvente latus eamdem domum ad viam publicam: deinde incipiente a latere domus Johannis, qui vocatur Perella, & recte latus eamdem publicam viam, sicuti ducit ad extremitatem usque in jamdictam parietem orti prescripti ecclesie memorate juris suprascripti venerabilis monasterii: itaut suo studio, suoque labore supradictus Johannes aurifex Leonis Calvi filius terram ipsam in inde in omnibus tenere & possidere debeat, ut ad meliorem Deo juvante cultum perducant, & filiis nepotesque ejus pro futuro usque in tertium gradum, tertiam heredem, tertiam personam, tertiam generationem, hoc est ipse suprascriptus Johannes, & filii, nepotesque ejus ex filiis legitimis procreati. Quod si vero filios aut nepotes minime fuerint, uni etiam extranee persone, cui voluerit, relinquendi habeat licentiam, excepto piis locis, vel publico numero militum, seu bando, servata dumtaxat in omnibus proprietate suprascripti monasterii, pro qua etiam terra, in qua diversas mansiones, de quorumdam libellariorum hominum constructas esse videtur de eorum sumptibus, sicuti infra notatos superius affines continere dinoscitur, vel cum omnibus ad se pertinentibus, sicut supra missum est, dare atque inferre debeat prefatus Johannes & filiis nepotesque ejus rationibus suprascriptis monasterio singulis quibusque annis sine aliqua mora vel dilatione pensionis nomine in festivitate sancti Gregorii denarios argenteos tres. Completa vero tertia generatione, ut supra legitur, tunc suprascripta terra ad jus suprascripti monasterii, cujus est proprietas, modis omnibus revertatur, ut quisquis ejusdem curam gesserit, iterum locandi, quibus maluerint, liberam habeant sine aliqua ambiguitate licentiam, de qua re & de quibus omnibus suprascriptis jurantes utreque partes per Deum omnipotentem, sancteque sedis apostolice domni Johannis nonidecimi pape hec omnia, que hujus cartule serie textus eloquitur, inviolabiliter conservare atque adimplere promittunt: quod si quisquam eorum contra hujus placiti conventionisque cartulas in totum partemve eorum quolibet modo venire temptaverit, tunc daturos se, successoresque eorum promittunt pars infidelis parti fidem servanti ante omne litis initium pene nomine auri optimi untias octo, & post solutam penam maneant has cartulas in earum nihilominus firmitatem. Has autem duas uniformes uno tenore conscriptas cartulas mihi Sergio scriniario sancte Romane ecclesie scribenti pariter dictaverunt, easque propriis manibus roborantes testibus a se rogatis obtulerunt subscribendas, & sibi invicem tradiderunt sub stipulatione & sponsione sollempnitatibus interpositis. Actum Rome die, anno, pontificatu, in mense & indictione suprascripta octava.

† Johannes indignus abbas.
† Johannes presbyter & monachus.
† Johannes presbyter & monachus.
† Andreas de Viola testis.
† Petrus de Albano testis.
† Leo filius de Johannis de sacellarius.

Ego Sergius scriniarius sancte Romane ecclesie scriptor hujus cartule post testium scriptiones & traditiones complevi & absolvi.

CXXI.

Altera emphyteusis bonorum ejusdem monasterii.

Anno 1025. kalendis septembris.

Ex eodem codice p. CC.LXVIII.

A Vobis petimus domno Johanne religioso presbytero & monaco atque coangelico abbate venerabilis monasterii sancti Andree apostoli, beatique Gregorii confessoris Christi, quod nuncupatur Clivo Scauri, in hoc vobis consentiente cuncta caterva de monachorum & presbyterorum de supradicti monasterii, uti nobis Johanni viro & Dulcize femine jugalibus heredibusque nostris habeamus licentiam ad supplendum infrascriptos annos, quatinus cum Christi auxilio locare committereque jubeatis libelli nomine, id est terram vacuam ad domum faciendam, que est in fronte, a via pedes numero viginti, & in alia parte pedes numero tredecim ad pedem semissalem justam mensuratam cum introitu & exitu suo, vel cum omnibus ad eam pertinentibus, posita Rome regione prima, que appellatur Orrea inter affines: a primo latere tenent Roman.. a secundo autem pariete antiqua majore, a tertio tenet cella vestri monasterii, & a quarto latere via publica juris vestri monasterii, ad tenendum, colendum & ad inferius scriptos annos possidendum a die kalendarum septembrium presenti nona indictione, & usque in pridias kalendas easdem in annos videlicet decem & no- *Ibidem.*

vem complendos & renovandos in alios similiter decem & novem annos, & daturos nos esse pollicemur causa rationis hujus cartule tantum pretium, quantum nunc pro hoc libello dedimus vobis unam argenti untiam, ita sane ut prestet inde rationibus pars nostra; vestreque parti singulis quibusque annis sine aliqua mora vel dilatione pensionis nomine denarios argenteos quinque in exaltatione sancte Crucis. Si autem in eadem die data non fuerit, sequenti octava die duplam eam vobis tribuere debeamus, in eo vero tenore & placito, ut non habeamus licentiam hunc libellum, vel annos, quos in eum continent, ad nullam extraneam personam primitus vendere aut donare, sive per quemlibet modum cedere aut alienare, nisi ad vos vestrosque successores in pretium quantum juste appretiatum fuerit minus denariis viginti; & si vos emere volueritis, licentiam habeamus vendendi, cui voluerimus tali persone hominum, ut omni anno vestram pensionem sine mora vobis persolvat. Si qua vero pars contra fidem horum libellorum venire temptaverit, tunc det pars infidelis parti fidem servanti ante omne litis initium pene nomine auri optimi untias tres, & post solutam penam maneant horum libellorum cartule in earum nihilominus firmitate, unde petimus, ut unus ex duobus libellis uno tenore conscriptos per manum Sergii scriniarii una cum vestra roboratione nobis contradere dignetis, ut dum consecuti fuerimus, agamus Deo, & vobis maximas gratias. Anno secundo domni Johannis nonidecimi pape indictione nona kalendis septembris.

Signum † manu supradicti Johannis... Dulcize jugalibus, qui hanc cartulam rogaverunt.

† Dominicus de Carucio testis.

† Beno Albanese testis.

† Beno filius Johannis Sotterelli testis.

Ego Sergius scriniarius sancte Romane ecclesie scriptor hujus cartule post testium scriptiones complevi & absolvi.

CXXII.

Tertia charta ejusdem generis.

Anno 1025. mense septembris.

Ex eodem codice p. CC. LXVII.

A Vobis petimus domno Johanne religioso presbytero & monacho atque coangelico abbate venerabilis monasterii sancti Andree apostoli, beatique Gregorii confessoris Christi, quod vocatur clivus Scauri in hoc vobis consentiente cuncta caterva monachorum ac presbiterorum de suprascripti monasterii, ut nobis Bino & Stefania femina jugali, heredibusque nostris habeamus licentiam ad supplendum infrascriptos annos quatenus cum Christi auxilio locare, committereque jubeatis libelli nomine: Idest terram ad domum faciendam cum parietibus infra se & introitu & exitu suo, vel cum omnibus ad eam pertinentibus positam Rome regione prima, que appellatur Orrea, inter affines, a primo latere tenet Petrusia .... femina, a secundo latere pariete antiquo, a tertio tenet Atrobilio, & a quarto latere via publica juris suprascripti monasterii ad tenendum, colendum & ad inferius scriptos annos possidendum a die kalendarum septembrium presenti nona indictione, & usque in pridias kalendas easdem in annos videlicet decem & novem, complendos & renovandos in alios similiter decem & novem annos, & daturos nos esse pollicemur causa rationis hujus cartule tantum pretium, quantum nunc pro hoc libello dedimus, videlicet denarios triginta, ita sane ut prestet &c. *ut supra*. Anno secundo domni Johannis nonidecimi pape mense septembri die vigesimo nono indictione nona. *Ibidem.*

Signum † manu suprascripti Bino & Stefanie jugalium.

† Sapatinus Albanense.

† Johannes de Crescentio.

† Johannes filio de Theodoro.

Ego Sergius scriniarius &c.

CXXIII.

Rainaldus marchio Corsicæ donat villas monasterio Montis-Christi.

Anno forte 1025. vel 1040. licet in exemplis legatur 1160.

Ex codice sancti Michaelis Pisarum.

Ad lib. X. n. 21. IN nomine Domini amen. Anno Dominice incarnationis M. C. LX. indictione VIII. pridie idus martii. Manifestum sit omnibus audientibus & legentibus hoc publicum instrumentum quomodo venit domino *Rinaldo marchese* quondam Ugonis, qui fuit similiter marchio & dedit, & concessit omnipotenti Deo & beate Mamiliano de Monte Christo totam villam *de la Vesolaccia* cum casamentis, buschis, & terris cultis & non cultis cum toto circulo Guidulaceto, quomodo est terminato ab omni parte a podio sancti Martini ad Sardulaccia, & mittit in fine Molinelli & mittit in flumen Altum, & mittit cum terris pregnaticis, & mittit ad Topolacciam, & mittit per gargalum ad sanctam Mariam de petra Corbaria, & ibi sunt alii termini, & mittit ad podium *de 'l auccello*. Item dedit dictus dominus predicte abbatie totam villam de Pugnano & totum Pugnaticum, idest casas, vineas, terras, hortos, castagneta, terras cultas & incultas cum buschis, silvis & toto suo circulo quomodo circumdatum est ab omni parte, & mittit *a la Vectolda*, & mittit ad sanctum Augustinum, & descendit ad Copulacciam, & mittit in flumine de Olmo, & mittit in mare ab alio latere ad gargalum, & Sanavi, & ad Figarete, & mittit ad mare. Quam donationem fecit dictus dominus marchio dicto monasterio Montis Christi inrevocabiliter inter vivos de Vesolaccia & de Pregnano, que erant de suo proprio allodio predictas, de quibus antea concedens .... endentem duas villas cum suis pertinentiis dicto monasterio usque in perpetuum renuncians per se & suos heredes omni juri competenti vel competituri...

Actum in ecclesia sancte Marie de Mariana per manum Ansalducci de Prigniano imperiali auctoritate notarius. Testes Lambertus de Canovaria, Orsuccius de Vergote, & Petrus de Aorzat vocatis & rogatis.

CXXIV.

Donatio Petri facta Actoni abbati monasterii sancti Victoris de Clusis.

Anno 1026. mense februario.

Ex autographo sanctæ Catharinæ de Fabriano.

IN nomine domini & factum est in nani domini ab incarnatione domini nostri Jehsu Christi, quod sunt anni domini mille viesimo sesto & die mense februarius per indiccione optava. Ideoque ego Petrus filius quondam Petrus bona mea propria voluntate secundum meam legem dono & trado atque transacto in onore domini nostri Jehsu Christi & inomen de ipsu monesteriu de Victurianum quod est in vocabulum sanctu benedictum & sancta Maria & sancto Victore a vobis domno Acto Abate & ad tuisque supcessoribus in perpetuum ide est aliquid deres mea que est posita infra territorium castellum pretosum in loco qui dicitur Larcianum in vocabulo lu pratella & est posita ipsa res infra loca vel sinate finis a primo latere fines sunt aqua currente &c. *Ad lib. X. n. 45.*

Ego Sigualdus scabinu & notarius scripsi complevi & inclausit.

CXXV.

Johannes & Petrus germani offerunt bona Vitali presbytero.

Anno 1026. mense aprili.

Ex autographo sanctæ Catharinæ Fabriani.

IN nomine domini. E facta est in ani domini ab incarnacione domini nostri Jesu cristi quod sunt ani domini mille viesimo sesto & die mense aprelis per indicione optava. Ideoque ego Johannes de acto & Petrus igermani frater ejus filii quondam Giso & nos toti insimul communiter nostra bona propria voluntate propter dei timore & remediu & indulientia de anima nostra dedimus & tradedimus tibi vitale presbitero filium presente Johannis idest aliquid de res nostra que est posita infra ducatu spoletinum *Ad lib. X. n. 45.*

num infra territorium castellum pretosum in locum qui dicitur valle de casulana & est in fundo de ipsa valle & est posita ipsa res infra loca vel sinaite finis *&c.*

Ego Sigualdus scabino & notarius scripsi complevit in clausit.

CXXVI.

Johannes presbyter donat bona Actoni abbati sancti Victoris de Clusis.

Anno 1026. mense majo.

Ex autographo ejusdem archivi.

Ibidem. IN nomine domini & factu est in anni domini ab incarnatione Domini nostri Jesu christi, quod sunt anni domini mille viesimo sexto e die mense madiu per indiccione optava. Ideoque ego Johannes presbiter filius quondam Petrus bona mea propria voluntate dedimus atque tradedimus propter Dei timore & salute anima mea in ipsu monasteriu de victorianu quod est vocabulum sanctum Benedictum & sancta Maria & sancto Victore & tibi domno Acto abbate, qui est custos de ipso monasterio & ac tuique posteris supcessoribus usque in perpetuum. ide est aliquis de res mea que mihi oveni in ereditate da Petrus igenitorem meum & in porcione & per tradicione de consortibus mei, & est posita ipsa res infra territoriu castellu pretosu in loco qui dicitur caprosia *&c.*

Ego Sigualdus scabinu & notarius scripsi complevit & inclausit.

CXXVII.

Donatio Theodaldi episcopi Arretini facta abbatiæ Prataliæ.

Anno 1026. mense julio.

Ex autographo Fontis-boni.

Ad lib. X. n. 44. IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo vicesimo sexto anno Einrici imperatoris Romanorum anno regni ejus decimo mense julio indictione nona. Manifestus sum ego Teodaldus vir excellentissimo sancte Aretine ecclesie episcopus qualiter pro Dei amore & remedio anime nostre & antecessorum ac successorum nostrorum episcoporum a fidelitate sancti Donati judicamus & tradimus in monasterium, que est sub jure sancti Donati & est dedicato in .... Pratalia a radice montis Acuti, qui dividit Tusciam & Romaniam, & est dedicato in onore sancte Marie matris Christi & omnium Sanctorum & sancti Benedicti .... ordinatus est Sizone abbate, qui cum ceteris fratribus pro nobis ceterisque fidelibus christianis vivis atque defunctis pro nobis ad Dominum intercedant: concedimus etiam, & in perpetuum donamus & tradimus denominate sancte Dei ecclebe monasterium & Sizoni abbati suisque successoribus, qui ibi juxta regula sancti patris Benedicti vixerint & integra casa & res illa, que est posita infra plebe sancte Marie sito inavocabulo Contra & per alia vocabula aut casalia, aut ubicunque esse invenitur de ipsa sorte, que est tenuta per Ansifridi massario. ideo jam supradicta casa & omnibus edificiis suis cum terris, & vineis, & campis, & silvis, cultum & incultum, omnia sicut supra legitur a praenominata ecclesia & monasterium, & Sizone abbate dedimus & judicamus, & quod fieri non credidimus. Si ego Teodaldus episcopus, aut ullus de posteris aut successoribus nostris, aut aliqua apposita persona nostra omnia que predicte ecclesie concedimus tollere vel minuare presumpserint, & si ab omni homine a parte ipsius ecclesie non defensaverimus tunc componere promitto ego Teodaldus cum meis posteris successoribus tibi Sigizone abbate tu tuisque posteris successoribus integra mea judicatione in duplum componere promitto super hec omnia octestamur & conjuramus omnes nostrum successores hepiscopos per Patrem & Filium & Sanctum Spiritum, & per aventum Domini nostri Jesu Christi at judicandos vivos & mortuos, & ne in illo tremendo Dei judicio cum satana & membris ejus mittatur in stagnum sulfuris & lingnis eternis, ut nunquam predicte ecclesie minuant de omnibus supra scriptis, que ei donavimus, ut sit ibi laus omnipotentis Dei & omnium Sanctorum ejus semper amen. Ec oratio pro omnibus vivis & defunctis fidelibus, quod si quis fecerit aliquam lesionem vel minorationem omnium, que nos donavimus predicte ecclesie Dei omnipotenti, quem contemnit, omnibus sanctis ejus quos spoliat, inde ratione redat, unde hac carta offertionis a nobis facta est, & precipimus Hugoni notario, ut eam scribere. In comitatu Aretino.

Ego

Ego Teodaldus episcopus subscripsi.

Signo manibus Bonatto & Guido germani filii Guinizi, e signo manibus.

Farolso de Partina & Farizo filius Leoni rogati testes.

Ego Ugo notario scripsi & complevi.

CXXVIII.


Præceptum Conradi regis pro monasterio sancti Laurentii ad flumen Æsinum.

Anno 1026.

Ex autographo Classensi.

Ad lib. X. n. 46. IN nomine sancte & individue Trinitatis. Chunradus superne pietatis munere rex. Oportet regalem excellentiam quanto divino elevatur culmine tanto prolixius, cultui deservire divino. Idcirco omnium sancte Dei ecclesie nostrorumque fidelium presentium scilicet ac futurorum noverit universitas qualiter nos pro Deo animeque nostræ remedio interventu quoque domni Aribonis sancte Manguntine sedis archiepiscopi & Hugonis dilecti cancellarii largimur confirmamus & corroboramus uni monasterio juxta flumen Ixinum fundatum & in honore sancti Laurentii dedicatum omnes ejus res & proprietates tam ecclesie quas nunc habet imperatorum vel regum munere vel aliquorum fidelium & religiosorum oblationibus seu ratis conquisitionibus vel aliquibus cartarum & conscriptionum munibinibus quam eas quas in.... annuente adquirere potuerit duas scilicet cellas juris sui quarum una in sancti apostoli Andree altera vero in sancti Benedicti abbatis est honore constructa aliqua etiam .... particula centum videlicet modiorum in Senogalliensi comitatu .... brunonis sibi in perpetuum confirmamus & ad nostras manus ad salvandum & custodiendum predictum monasterium ejusque abbatem Dodibertum videlicet suosque successores omnemque fratrum congregationem cum omnibus eorum rebus mobilibus & immobilibus quesitis & adquirendis nostra sub tuitione recipimus. Et ut per nos nostrosque successores salvetur in perpetuum stabilimus. Precipientes quidem jubemus ut nullus dux &c.

Signum domni Chuonradi serenissimi & invictissimi.



Hugo cancellarius vice domni Aribonis archiepiscopi & archicancellarii recognovit.

Datum anno Dominice incarnationis M. XXVI. Indictione ...... Chuonradi secundi regnan......

CXXIX.

Privilegium Stephani regis Hungariæ pro monasterio sancti Petri in Vinculis agri Ravennatis.

Circa annum 1030.

Ex Rubei historia Ravenn. Lib. V. p. 260.

STephanus Dei gratia Ungarie rex venerabilibus viris abbatibus & conventui monasterii sancti Petri ad vincula, quod in territorio Ravenne situm est, & eorum successoribus in perpetuum. Ad lib. X. n. 30. Quoniam illo Domino nos illuminante, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, prefatum monasterium vestrum per adjutorium nostrum ad consilium Gerardi venerabilis episcopi ecclesie Morisane fidelis nostri, una cum nobili viro Romano duce Ravenne, construi fecimus, & per predicti Gerardi manus proprias, ac auctoritate Romane ecclesie consecrari, idcirco nos decet illud rogati munificentia honorare, ac vobis vestrisque posteris providere, quod ideo in ipso monasterio servire possitis, peregrinos Ungaros ac nuncios nostros caritative valeatis tractare. Quapropter proprio motu & liberalitate regali vobis vestrisque successoribus in perpetuum concedimus & donamus pro anima nostra & parentum nostrorum tam antecedentium, quam subsequentium, ut Deus & beatus Petrus apostolus Domini ab omni vinculo delictorum nos solvat, viginti quinque marchas puri argenti de camera nostra, quas per vos vel nuncium vestrum recipere debeatis propter competentes expensas, que vobis aut nuncio vestro de eadem regali camera nostra pro hujusmodi itinere faciendo cum predictis vigintiquinque semper annuatim dabuntur pro hoc anno eleemosyna nostra, quam

quam vobis facimus, & in perpetuum fieri volumus, ecclesiam reparare parantis, cum fuerit necesse, residuum sit pro indumentis vestris. Et nos ac successores nostri, vestris semper erunt orationibus commendati. Hoc quoque auctoritate regali statuimus & firmiter precipimus atque pronunciamus, quod nec nos aliquatenus contra predicta veniamus, nec successores nostri, & nullus aut camerarius sive consiliarius concedere hoc sit ausus.

CXXX.

Promissio præstita Gebehardo archiepiscopo Ravennati a Leone episcopo Ficoclensi.

Anno 1035. 8. junii.

Ex autographo penes V. Cl. Johannem Brunatium.

Ad lib. IX. n. 37. ☧ IN nomine Domini Dei æterni. M. & XXXV. anno post Verbum divinitus incarnatum sub aera III. die VIII. mensis junii in civitate Ravennę in domo ubi hospitari Ficoclensis episcopus Leo ex more videtur in regione portę artisnetorum. Dum interessent Johannes presbyter de Uriano, Petrus presbyter de sancto Sergio, Martinus presbyter, Martinus hostiarius sanctę Ravennatis ecclesiae, Petrus subdiaconus de Gulferamo, Andreas judex cum filiis suis, Paulus Rava, Johannes tabellio de Meldula, accipiens pręscriptus Leo episcopus Ficoclensis virgam in manu sua, & misit eam in manus Giselberti presbyteri & Ursonis presbyteri nuntiorum domni Gebeardi archiepiscopi, & dixit, quia pro peccatis meis infirmitatis causa me domino meo Gebeardo archiepiscopo presentare non possum, tibi domne Giselberte presbyter, & Urso presbyter nuntii ejus ad vicem sui spondeo & promitto sub testimonio Christi & beati Apolenaris, atque omnium, qui hic sunt, sub meorum periculo graduum, quod ab hac hora in antea cum nulla fęmina meam carnem coinquinabo, neque miscebo, consecrationem alicujus ecclesię majoris vel minoris non fatiam, clericos non promovebo in nullum ecclesiasticum ordinem, terram ecclesię meę non minorabo, neque per ullam nocivam ecclesiae scriptionem alicui mortalium dabo, quia pro peccatis meis recognosco me in talibus sepissime deliquisse. & hinc in antea Domino miserante poenitere & emendare desidero. Nam si in aliquo supra scriptorum repertus fuero criminum reus absque omni retractatione licentia sit domino meo GEBEARDO ARCHIEPISCOPO vel suis successoribus me removere & alium mihi in loquo meo mea licentia subrogare.

☩ Ego Leo episcopus sanctę Ficoclensis ecclesię in ac sponsione a me facta ss.

CXXXI.

Domus & horti donatio facta ecclesiæ & presbyteris sancti Venantii de Fabriano.

Anno 1046. mense januario.

Ex archivo ejusdem collegiatæ ecclesiæ.

†IN nomine Domini. Factum est in anno incarnationis D. N. J. C. millesimo quadragiesimo sesto rennante donno errico imperatore anno ejus s . . . o die . . . . mense januarius indictione quintadec. . . . . Ideoque ego Ridolfus quondam Corradi . . . . de bona & spontanea mea voluntate do dono & concedo . . . . domum meam cum orto pro amore Dei pro . . . . . . ecclesie sancti Venantii . . . . . ad destruendum & faciendum totum illud quod ego facere possum & quicquid vobis presbiteri placuerit sine omni calunie. Et promitto quod ad festum dicti sancti solvam vobis x. libras auri . . . . . & dabo unum vitellum cum duobus modiis frumenti pro mensa vestra quolibet anno usque ad morte meam . . . . . *&c.* *Ad lib. VII. n. 47.*

Ego Ridolfus q. Corradi manu propria.

Ego Paganello Rigucci testis.

Ego Benetevolo Grimaldi testis.

Ego Mariano . . . . scripsi & capitulavi.

CXXXII.

CXXXII.

Instrumentum pro quadam turre civitatis Burgi-sancti-Sepulcri.

Anno 1188. mense augusto.

Ex ms. codice seculi XVI. pag. 84. penes nobilem virum Raphaelem Doctum canonicum Burgensem.

Ad lib. V. n. 5. IN nomine Domini amen. Hoc est exemplum sive copia cujusdam publici & authentici instrumenti scripti olim manu Scirpilli judicis infrascripti, cujus tenor talis est, videlicet.

In Christi nomine anno ab incarnatione ejus M.C.LXXXVIII. mense augusti domino Philippo rege regniante. Manifesti sumus nos Barpholus & Phragni fratres & filii quondam Andree Malvicini, & ego Frestia uxor Barpholi & ego Lodomia uxor presentis Phragni, & ego Palma mater ejusdem Phragni, & qui & que profexi & profexe sumus lege Langobardorum vivere, & interrogate sumus a judice, sicut in ipsa lege continetur, & per licentiam ipsorum virorum omnes insimul viri & mulieres vendimus & tradimus vobis emptoribus, hoc est domum nostram de burgo, que in platea est infra hos fines, de uno latere est domus Donodei, ex alio est domus Phragni, que olim fuit Panzolini cum muris, ex aliis duobus lateribus est platea, que nota est jure & bono usu burgi, & insuper quidquid nobis pertinet vel pertinere videtur usu vel usantia vel antiqua consuetudine ab ipsa domo usque ad murum sancti Leonardi, & ab ipsa domo usque ad domum filiorum Odoristi damus nos suprascripti venditores vobis emptoribus Bosulco vigesimam partem, & Severio & Berardo Zogoleri aliam, Christophano & Bencio de Rinuccio & de este aliam vigesimam partem, partem aliam vigesimam Angelerio & filiis Guidotti, & Palmerio & Ranerio fratri suo aliam vigesimam, & Guirardo de Casalino cum fratre suo Bencio aliam medietatem vigesimam, Ranerio de Cassalino cum filio Airardo, aliam vigesimam per medietatem habeat Johannes de Stefano, & Angelino Moccoli & Baroncio aliam vigesimam, itaut Johannes habeat duas partes, & ipsi tertiam Bartoloni & Borghesi aliam vigesimam, ego Barpholus retineo mihi aliam vigesimam, & ego Phragni aliam vigesima Ardino Rastionis & filiis Johannis Permie, & Abstioni & Ugolino filiis Rusticæ, aliam vigesimam per tertiam partem filiis Phiciæ, aliam vigesimam partem Jacopo, aliam cum fratre suo Ranerio Bernardoli aliam vigesimam, Aliotto fratri ejus aliam vigesimam, Zaze & Leonardo fratri suo aliam vigesimam, & Palmerio de Ugolino Gonsio & filiis Marioli & Mattheo de Clara aliam vigesimam partem damus suprascripti venditores & venditrices vobis suprascriptis emptoribus suprascriptam domum ad habendum tenendum & ad faciendum quidquid vobis placuerit cum vestris heredibus in perpetuum, & sic vos per Bartolum Jonaphi investimus unde pretium recepimus a vobis centum libras denariorum & duas centesimas dicte domus, & promittimus nos suprascripti venditores vobis jam dictis emptoribus & obligamus nostrosque heredes vobis vestrisque heredibus defendere vobis vestris heredibus suprascriptam domum & non litigare omni tempore, & ab omni seculari persona legiptime, quod si destulerint aut agere vel causare presumpserimus, tunc dare & componere promittimus vobis in duplum ipsam rem, sed ut semper fiat melior pena soluta hec carta sit firma, & nullus possit dare quartam conjugi sue, nos emptores & venditores qui sumus partionarii sic in contrahendo promittimus & juramento firmamus esse ad preceptum rectoris operis ad faciendum turrem & ad altitudinem turris, qui pro tempore erit, & si controversia erit vel nos que aliquo possit obesse modo ipsi operi vel ad factum operis ipsi, qui habebunt controversiam erunt ad preceptum rectoris quidquid ipse percipiet consilio quatuor bonorum hominum qui meliores erunt ad sedandam ipsam controversiam ipsi tenebunt & si aliquis eorum non tenuerit preceptum seu sententiam quod dederit jure vel suo arbitrio suam partem turris amittat & aliis emptoribus crescat donec recitatur tenere preceptum, ego qui juro ita juro omnia precepta rectoris qûe qualia mihi fecerit per honorem & utilitatem hujus operis & credentiam quam mihi rector fecerit tenebo sicut data mihi fuerit & ego qui ero electus rector hujus operis juro portare bona fide sine fraude omnes partionarios hujus operis quantum pertinet ad honorem & servitium hujus communionis & faciam ipsum officium bona fide sine fraude, & postea eligam alium consilio bonorum hominum hujus communionis qui similiter faciat, & sic de rectore in rectorem per tempora cui datum

tum erit portare hoc officio juramento teneatur facere, & juro cui necesse erit habere turrim non contendere immo concedere ad sensum rectoris nisi sinistra suspicio esset de eo qui turrem petit, tunc rector dabit socios qui bene custodiant turrem, & juro non facere malum alicui partionariis de ipsa turre, nisi ipse partionarius haberet aliud edificium unde faceret malum suo college, & si aliquis de partionariis mortuus relicto aliquo herede, illi heredes hoc idem sacramentum prestent ad dictum rectoris si est ætatis quatuordecim annorum, & si non fecerit postquam fuerit requisitus terræ a rectore, infra triginta dies partem suam amittat & aliis accrescat donec faciet, nec possit vendere vel alienare nisi partionariis & non ultra dimidiam justi pretii & juro non aquirere circa ipsam domum per quadraginta pedes nisi causa communionis, si ipsa communio vellet, nisi dono vel successione veniret vel quod junctum esset cum ipsa successione sine fraude, & si aliter fecero partem meam amittam & aliis sociis accrescat donec faciam hoc, & si ego vel heredes mei custodiam turris non fecerimus ut rector nobis precipiet, partem nostram amittemus & aliis accrescat donec fecerimus, filii eorum qui sunt in hac communione majores decem & octo annis, si sic non jurabunt ipso eorum juramento postquam inquisitus fuerit a rectore de ceteris nullam partem habeant & in ipsam turem non ascendant, donec faciet & si aliquo dolo auferre conetur ipsam turrem aliis suis partionariis, partem suam amittat & omnibus aliis accrescat & omnes partionarii teneantur requirere ipsum ædificium ab eo qui abstulit & postea retinere, & nos omnes venditores & emptores qui partionarii sumus hujus operis promittimus unus alteri sub pena centum librarum, & obligamus nos nostrosque heredes omnia suprascripta & conventiones firma tenere &c. pactaque servare sub ipsa pena centum librarum. Actum est in ecclesia sancti Leonardi, & ex parte virorum & ex parte mulierum in domo eorum signiatur manu eorum & earum, qui & que hanc cartam scribi rogaverunt.

Barpholus Jonaphani & Guido Urcli & Bachalajus & Guido Berardi Salamonis, & in domo mulierum fuerunt desse vezzostis & Federicus & Barpholus supra scripti omnes rogati testes sunt.

Ego Scirpillus judex scripsi & emendavi in duobus locis & suprascriptas mulieres interrogavi, & ut notarius complevi.

Ego Bartholomeus filius olim ser Petri Dori de Burgo sancti Sepulcri imperiali auctoritate notarius &c. suprascriptum exemplum exemplavi die anno indictione &c. infrascriptis.

Ego Nardus olim ser Phei de Burgo S. S. judex ordinarius & notarius suprascriptum exemplum exemplavi vidi &c. anno, indictione &c. infrascriptis.

Et suprascripto contratto lo fatto copiare io Scipione Gratiani Sindacho, e procuratore delli partionarii de la torre & partionario di essa &c. adi 28. di dicenbre M. D. XXXXIIII. &c.

CXXXIII.

Breve recordationis de terris plebis sanctæ Mariæ in Balneo.

Seculi XIII.

Ex autographo abbatiæ Balnensis.

BReve facimus recordationis de terris silvis cultis & incultis . . . . orlandi sive matris, quas videlicet terras idem vir . . . . plebem sancte Marie in Balneo perpetuo jure in possessionem tradidit & commisit. Ex quibus scriptum fieri necesse est ad cavendum dampnum oblivionis vel direptionis vel alicujus ... & ad sciendum quibus in locis sive petie ipse terrarum site . . . . prima igitur petia est in loco, qui dicitur motta ad Crucem Romoaldi juxta viam publicam. secunda petia est ad podium . . . . que ab uno latere habet terra presbiteri Brunonis *&c.* Tandem his expletis sol occasum petiit. Et exequutor operis ad quiescendum rediit. Que dixit Boddo rusticus descripsit Aldigerius. Det ei pius dominus ex tunc habere melius ut in futuro plenius habundet bonis pluribus. *Ad lib. V. n. 1.*

Regina sibi virginum perhenne poscat premium.

Suum precando filium qui salus est fidelium.

Ut sit ei propitius remissis culpis omnibus.

Et cum supernis civibus locatus in celestibus.

Hymnos dicat cum gloria per cuncta Deo secula.

Cuncti dicant. Amen.

CXXXIV.

CXXXIV.

Fragmentum processus circa jura & fines bonorum monasterii Vallis-castri.

Anno 1211. mense januario.

Ex autographo archivi sancti Blasii de Fabriano.

Ad lib.VII. n. 42. . . . . nte hoctone imperatore mense genuario . . . . ante kalendas februarii in domo mo. . . . .ucii bajulus curie in castro matelica. Indictione XIIII. donno alberto priore predicti monaster. . . ad audiendam sententiam. Testes sunt de oc dominus benvenutus de acto albrico. dominus acto campo . . . . . . benedictu de acetante. magister archileus hoderixii tornaparte. petrus de alberto montanario . . . . abbatis vallis castri. Contra curia. per sinata probanda sui monasterii Moricus Interrogatus dixit ego vidi monasterium vald. . . . . . .ere & tenere tenimenta sua homnia infra ec sinatta silicet a trebio force loparie. vadit per viam asenariam . . . . . . de plano nequili & exit a sera de sporta. homnia tenimenta que sunt infra hec sinatta. vidit monasterium predictum . . . . & tenere diebus comitis alberici & guarnerio & ugolino diebus marchionis guarnerii in pace & quiete . . . . . . non vidit quod aliquis fecisset ei litem francus habuit in plano nequili qui est extra sinatta & dico quod . . . . monasterium habere & tenere tenimentum quod francus habuit quod est extra sinattas per XXX. annos ut mihi videtur & inter fuit . . . . . dictum tenimentum abati transmundo pro camblio unius campi quem abbas dedit fruco at alvacina & oc fuit jam sunt . . . . . ut mihi videtur. Interrogatus qui interfuerunt ibi. Respondit gualfredus martini, & dominus Rubertus. Interrogatus si de tenimento domi est . . . . .no predicta. Respondit non. Marcius interrogatus dixit id est in omnibus quod Moricus & bernardus interrogatus dixit id est in omnibus quod marcius. Monte . . . . interrogatus dixit. Ego vidi Monasterium vallis Castri habere & tenere tenimenta sua omnia pro suis infra his sinatis . . . . a trebio furce luparie & vadit per viam asenariam & exit a seram de sporta, & exit a trebium de p. l. . . . . . in

Ad lib. V. n. 1.

pace & quiete per XL. annos circa. Interrogatus si de tenimento domi vel de sinaita est infra predicta sinaitas . . . . totum tenimentum vidit Monasterium habere & tenere & dico quod vidi & interfui quando fratre dedit . . . . . Castri totum tenimentum quod habebat in plano Nequili pro camblio unum campum quem abbas dedit ei ad plebem Sancti vi. . . . . & alvacina. Interrogatus a quanto tempore est respondit XXX. anni sunt vel circa quod interfuerunt ibi. respondit dominus rubertus . . . . . interrogatus marcius, moricus interrogatus quo loco fuit hoc responderunt aput Monasterium predictum. Actus Petri . . . interrog. . . . . . d. . . . . . . qui montanarius . . . . testes procura contra monasterium vallis castri per sinaita donno pbo. . . . . aliter interrog. dixit quod est sinaitas domi scilicet per viam que vadit supra mura & per serram terenziani vadit . . . . & per serra casa martini & exit a terminum qui est ad furcam lupariam & vadit per clusam vallis castri . . . . fossum porcarelle & exit at lavacellum montis ferrati & intrat per serram sportam & vadit . . . . . . sancti petri & usque ad sanctum petrum & intrat per fluminem & vadit at rave majore & usque at fun. . . . . . & vadit at val de aure & venit at forcaturo de val de acero & intrat per serram de besseruculis & . . . . . lano scalis & dico quod omnia tenuerunt atque sunt infra predicta senaitas vidit abere & tenere comito guarnerio . . . . .hione guarnerio & domino ruberto pro muribus & omne & quitquit habuit infra dicta sinaita habuit . . . . & vididit octuaginta annis citra & ego per quatuor vices collegit fructus infra sinaita . . . . . . predictis & dico quod marchio azo & suis nuntiis nunc habet & tenet dictam senaitam totam. Interrog. . . . . . . respondit bene scio quia sum bajulus curia & collegit oc anno partem fructuum infra dictam senaitam . . . .ria & dico quod comes albrico ut audivit dici dedit comiti acto media sinaitam quam abebat. . . . . . quia comes acto juravit ajuvare eum sed non juvit inmo tradidit & cepit eum pos . . . . . . radus grepolini pro imperatore & comes predictus acto redidit ei dicta senaita & ego collegit & de fructibus . . . . . i. d. idem qui johannes post quam non est bajulus & nec intromisit preciaria . . . . . . senaita tenimentum respondit abet quod tenet pretium quod taibotus & nunctius curie & gote bult . . . . curiam

non fuit & abbas introivit & tenet . . raimundus interog. dixit idem quod johannes post de facto . . . . . *&c.*

CXXXV.

Notitia originis urbis Burgi-sancti-Sepulcri.

Scripta anno 1418.

Ex codice cui titulus Ben comuno *pag.* 1. *archivi ejusdem urbis.*

Ad lib. V. n. 5. ANno 1418. 21. septembre indictione XI. al tempo del vicariato del prefato spettabile homo Anthonio da Balignano da Montesecocho.

Ego Franceschо di christofano de ceschо di largi eletto per lo comune consiglio d'huomini del Borgo adi ditto 21. de septembre detto millesimo per anni cinque proximi, che dieno venire, scrivarò colla gratia di messer Domenedio tutte quelle ragion, memorie, debiti e crediti del Comun, che infra questi V. anni acchaderanno de tempo in tempo, como de sotto aparirà. E cominciaromme un poco a drietto a certe cose passate degne di memoria per utile di tutti.

Como è a tutti palese i doi sancti pellegrini Arcano e Gilio principali fondatori di questa nostra terra erano andati al sancto sepolcro di Jesu Christo, e de li aveano optenuti certi sancti reliquii, e da poi erano andati a visitare i gradi delle consecrate chiese di beati san Pietro e san Paulo apostoli in Roma, e de li havieno per loro sanctità e devotione optenuti più reliquii de Santi, e dato volta si ritornavano da Roma in Archadia per ripatriare. Ma non piacque così a messer Domenedio, che 'l avea preveduto questa nostra terra per le mani di detti doi sancti pellegrini miracolosamente havesse il primo edificio. Siche pervenuti in valle di Nocea, che gli antichi cusi chiamavano questo luogo, ove siamo, imperoche era piena di grandissime noci, reposandose, preso il corporal cibo, como fo piacere di Dio si adormentaro con le parole di lui in bocca, e dormendo il beato Archano ebbe in visione, che li convenia fare in quel luogo il suo tabernacolo, e che non sperasse più di ripatriare. Archano naturalmente desideroso di veder la sua patria levatosi in pe, e chiamato il suo compagno, dopo doi simili visioni tentò partirse tratto dalla dolcezza della sua Archadia. E riprese le sue cose, fatto di quelle conto, trovò non avea i santi reliquii. Esso che in quello havea tutta la sua speranza e singolare devotione, cominciò forte a dolerse, lutilmente per quelli ricercando. E finalmente gli occhi e le gionte palme al cielo umilmente levando vidde il bossolo, nel quale erano i prefati sancti reliquii. Onde compuncto del miracolo che quello non havia, era volato in un altissimo ramo di noce, non volendo più opporse alla volontà e predestinatione del glorioso Dio, disposto remanere in questo luocho, riebbe i sancti reliquii. E qui fermatose concorsero certi paesani, i quali inteso il miracolo lasciate le proprie habitationi edificaro in questo luocho nuovi edificij, e multiplicaro tanto in poco tempo, como fo piacere di Dio, che fo cosa mirabile. I quali primi edificii, imperochè i prefati sancti Pellegrini veniano dal sancto sepolcro di Jesu Christo, nominaro Borgo di sancto Sepolcro. I prefati reliquii, che per far conto e nome di quelli havemo con brevità narrato il nostro primo edificio, dopo la morte del B. Archano remaso nelle mani di quelli che li erano concorsi, i quali oggi sono reverentemente collocati nel campanile dell' abbadia sotto tre chiavi, de le quali l' una tene continuamente messer l'abbate, l'altre doi tengono doi Borghesi, che si farà nome di sotto in nome del comune. E però come di cose, che messer Domenedio honorò questo Comune, & acciò che continuamente appaja la verità del fatto, farò conto di quelli secondo l'ordine ho intentione seguire per dare & per havere, e diremo cusì.

Messer l' abbate de la Abbadia del Borgo.

Giovanni e Lorenzo di Nicolò di Francesco di Bercordati.

Matteo e Michelangilo de Masso di Vanni di Gennari

Terrazani Borghesi, i quali hanno le chiavicelle delle cassette di sancti reliquii infrascripti hanno in diposito dal commune del Borgho sotto le dette chiavicelle, & hanno in guardia i detti reliquii serrati nel dicto campanile, i cui nomi apparirà di sotto per ordine. I quali, o veramente le chiavicelle sono obbligati a restituire al commune secondo che per antiquo si dice, che ai loro passati ficero, como a buoni terrazani consegnate per lo detto comune. I vanzi di quali reliquii sancti sono questi, cioè.

Del legno della sanctissima croce, ove fo

ſo poſto il noſtro ſignore Yeſu chriſto, per redemptione de l'humana natura.

De la pietra del ſancto ſepolcro, ove fu immeſſo il noſtro Signore Yeſu chriſto, a cui nome fo edificata queſta terra.

Del velo, ove fu ingulupato il ſacratiſſimo corpo del noſtro Signor Yeſu chriſto poi che fo diſceſo da la croce.

Del ſangue de la imagine del noſtro Signore Yeſu chriſto.

Di capelli e del latte de la beata vergine Maria, e de la pietra del ſuo ſepolcro.

Reliquii de meſſer ſancto Giovanni evangeliſta e di gli altri evangeliſti.

Del graſſo, che ſtillo del glorioſo corpo di meſſer ſancto Lorenzo, quando fo arroſtito.

Reliquii di glorioſi ſancti meſſer ſancto Biagio, meſſer ſancto Martino, e meſſer ſancto Nicolò.

Reliquii di meſſer ſancto Benedetto, di ſancta Maria Magdalena, di ſancta Cecilia, e di ſancta Scolaſtica.

CXXXVI.

Conventio inter abbatiam Vallis-caſtri, & communitatem caſtri Vergareti ſuper cenſu ſolvendo in feſto divi Romualdi.

Anno 1559. 28. octobris.

Ex autographo chartularii ſancti Blaſii de Fabriano.

Ad lib. V. n. 4. IN Dei nomine. Anno Domini noſtri Jeſu Chriſti M. D. LIX. indictione III. die mercurii XXVIII. menſis octobris dicti anni. Actum in monaſterio Camalduli majoris Fontis-boni Caſentin. & in camera dicta *la camera del Generale*, & coram teſtibus Franciſco olim Valeriani Franciſci de Prato-veteri Caſentin. prædicti, & Philippino quondam Lucæ Jacobi de Stia veteri communis palatii Florentin. Caſentin. olim de Corniculo Romandiolæ Florentinæ ad infraſcripta omnia vocatis, habitis &c. Pateat &c. qualiter cum certum ſit, & luce meridiana clarius eſſe dicatur, & memoria hominum in contrarium non exiſtat, quod communitas & univerſitas communitatis & communis & univerſitatis hominum de caſtro ſeu villæ & villarum de Vergareto Sarſinaten. diœceſis diſtrictus Florentiæ, & tempore felicis recordationis ſanctiſſimi patris Romualdi eremitæ & totius Camaldulenſis religionis divinitus fundatoris & plantatoris citra fuerit & in præſentiarum ſit vera & legitima cenſuaria abbatiæ & monaſterii ſancti Salvatoris de Val de Caſtro Camerinen. diœceſis Camaldulenſis ordinis in ſumma & de ſumma olim prout dicitur unius ſacci Muſci, & poſtea & hodie redacti & converſi in ſummam & quantitatem unius ſcuti auri in auro deferendi & ſolvendi cauſa dicti cenſus anno quolibet in perpetuum per dictam communitatem de Vergareto abbatiæ prædictæ cauſis & rationibus prout dicitur contentis & deſcriptis in inſtrumentis inde confectis tempore vitæ dicti ſanctiſſimi Romualdi, & poſtea hodie deperditis, & prout dicitur igne combuſtis in archivo ſcripturarum dictæ abbatiæ & abbatiæ ſancti Blaſii de Fabriano dicti ordinis ab igne penitus conſumpto. Et propterea in præſentiarum nulla certior cauſa dicti cenſus haberi poſſit, quam conſuetudo ſolutionis & ſolutionum quamplurium dicti cenſus, & quam, quod dicitur, & ab antiquis dici ſolita refertur ab hominibus dictæ communitatis dictum cenſum annuum unius ſacci Muſci, & ſeu unius ſcuti auri in auro prædicti eveniſſe & ortum habuiſſe & ſumpſiſſe ex eo quia dictus ſanctus Romualdus, ut fama eſt, fuit injuſte verberatus a quibuſdam hominibus dictæ communitatis in loco ubi dicitur *a la Croce Romualdina* communis Vergareti prædicti, quo tam enorme delicto perpetrato ſtatim divino juditio in dicta communitate per plures annos factæ ſunt ſteriles & infructuoſæ omnes terræ, & propter hujuſmodi immane nefas dictæ communitatis homines talem ſterilitatem eveniſſe arbitrati, pœnitentia ducti ſupplices ad Dei virum Romualdum præfatum acceſſerunt, petentes pacem, & eorum delicti remiſſionem amore Dei. Qui pater Romualdus piæ caritatis affectu motus & amore Dei injuriæ ſuæ penitus oblitus, pacem & veniam humiliter petentibus benigne conceſſit atque pepercit, & totam dictam communitatem & homines & bona ejuſdem omnia ſigno ſanctiſſimæ Crucis benedixit: & ad æternam rei & facti hujuſmodi memoriam pro pœnitentia delicti, ut ſupra dicitur, commiſſi ſollemni ſtipulatione præmiſſa, actum fuit, quod dicta communitas Vergareti in perpetuum teneretur dare & ſolvere dictum annuum cenſum dictæ abbatiæ, & ad dictam abbatiam deferre dictum ſaccum Muſci nomine cenſus, & loco pœnæ & pro pœna delicti prædicti, & ſtatim ceſſavit ſterilitas frugum & frumenti & rerum omnium

in dicta communitate, salva tamen rei veritate. Et cum sit, quod dicta communitas Vergareti & homines hujusmodi & dictæ abbatiæ abbates & gubernatores propter locorum distantiam hinc inde in solvendo & exigendo dictum censum a pluribus annis citra fuerunt satis negligentes & tardi. Hinc est quod ad requisitionem tam dictæ communitatis, quam abbatis moderni dictæ abbatiæ, & pluries ac pluries requisiti reverendi in Christo patres domnus Antonius Pisanus sacræ Camaldulensis eremi eremita & totius congregationis & ordinis Camaldulensis Generalis, & procurator substitutus rev. patris Bartholomæi de Bagnacavallo moderni abbatis dictæ abbatiæ & monasterii sancti Salvatoris de *Valdicastro* ab eo specialiter deputatus, prout de ejus procura & mandato sufficienter constat instrumentum manu mei Juliani notarii sub die 22. maji proxime decursi dicto nomine ex una, & rev. in Christo pater domnus Silvanus de Salutio eremita & prior & major dictæ eremi in hac parte mandatarius & commissarius communitatis & hominum de Vergareto prædictorum, prout dixit, dicto nomine & pro sua communitate & hominibus ejusdem de rato promisit in eventum, in quem ratificare noluerint ex altera. Dictis modis & nominibus volentes tam dictæ communitatis & hominum ejusdem prædictæ abbatiæ saluti & indemnitati consulere & providere, & futuris litibus & scandalis obviare & sumptibus parcere, ex certa scientia & tamquam bene informati per dictæ communitatis homines & abbatem dictæ abbatiæ de dicto censu & juribus dicti census hinc inde respective & dependentibus ab eo sollemni stipulatione præmissa. Volentes & intendentes amicabiliter agere, tractare & componere & per modum & viam amicabilis transactionis & concordii dictum censum ad pristinam solutionem & solitum & consuetum censum unius scuti auri prædicti in pristinum statum & lucem reducere & terminare, & quatenus opus sit renovare non obstantibus dictis instrumentis & scripturis prædictis de dicto censu loquentibus, & quomodolibet referentibus, ut supra dicitur, deperditis atque combustis, & solutionibus dicti census huc usque per plures annos cessantibus, communi concordia convenerunt & pacti sunt hoc modo. Videlicet, quod dicta communitas & homines de Vergareto usque in presentem diem sint & restent debitores dictæ abbatiæ de Val de castro de summa & quantitate scutorum sex auri in auro largorum causa & occasione dicti census hactenus non soluti pro residuo dicti census, non obstante quod debitum dicti census hactenus non soluti reperiatur esse & sit in rei veritate longe majoris quantitatis dictorum scutorum sex, quos scutos sex dictus rev. pater domnus Silvanus animo & intentione rehabendi a dicta communitate, & pro ea dedit & solvit dicto rev. patri Generali domno Antonio Pisano præsenti & pro dicta abbatia & monasterio de Valdecastro recipienti in pecunia numerata, & de quibus scutis sex a dicta communitate & hominibus ejusdem, ut procurator prædictus dictæ abbatiæ, per manus dicti rev. patris domni Silvani causa dicti census & pro sæpius dicti census hactenus non solutis vocavit se bene pagatum & integre satisfactum, exceptione non numeratæ pecuniæ omnino renuntians, & omne residuum dicti census hactenus non soluti quacumque ex causa dictus pater Generalis dictæ communitati & hominibus eisdem, licet absentibus, & dicto rev. patri domno Silvano mandatario & commissario prædicto præsenti, & pro ea & eis recipienti & stipulanti gratis & amore Dei remisit, & hoc quia dictus domnus Silvanus mandatarius & commissarius prædictus dictæ communitati de Vergareto & hominum ejusdem nomine & pro eis promisit, ut supra, quod dicta communitas & homines ejusdem de cetero dictæ abbatiæ & monasterio de Valdecastro vel ejus legitimo procuratori & mandatario, & nominatim expresse camerario & legitimo procuratori dicti heremi Camaldulensis quolibet anno in die festivitatis sancti Romualdi in junio in dicta sacra heremo pro dicta abbatia, & monasterio Vallis castri recipienti in perpetuum solvent dictum solitum & consuetum censum scuti unius auri in auro largi. Primaque solutio incipiat, fiat & solvi debeat in festo sancti Romualdi de mense junii proxime futuri M. D. LX. & successive quolibet anno in dicto tempore & in dicta heremo pro majore commoditate communitatis prædictæ. Ita & taliter, quod dicta communitas & ejus homines in futurum amplius non teneantur portare & solvere dictum censum ad locum & in loco dictæ abbatiæ Vallis castri, sed in dicta & ad dictam Camaldulensem heremum & ejus camerarium pro dicta abbatia recipientem. Et ita sollemniter convenerunt modis & nominibus quibus supra respective. Declarato & sollemniter ex pacto apposito, quod dicta communitas & homines de Vergareto causa & occasione dicti census solven-

vendi, ut supra, per camerarium dictæ heremi & domus Camaldulensis in futurum semper cogi possint realiter & personaliter, & in bonis ubique locorum, & ad solutionem dicti census compelli omni exceptione remota, ut supra, quolibet anno elapso præfati sancti Romualdi festo & non antea. Et promisit dictus pater domnus Silvanus mandatarius & commissarius prædictus dicto nomine dicti census non apponere solutionem, summittens dictam communitatem & homines de Vergareto causa dicti census. Quæ omnia promiserunt dictis modis & nominibus singula singulis congrue referendo respective attendere sub pœna dupli damnorum interesse. Pro quibus &c. obligan. &c. renunciantes &c. & more sacerdotali juraverunt supra pectus suum &c. rogantes me Julianum notarium &c.

Et ego Julianus olim Bartoli Joannis Bartolini de Burgo Stiæ partium Casentini districtus Florentiæ imperiali auctoritate notarius, judexque ordinarius, necnon notarius publicus Florentinus de prædictis omnibus & singulis suprascriptis in suprascriptam celebratam formam redactis ad sensum cujuslibet sapientis jurisperiti in ampliorem formam de jure validam semper extendendam facti tamen substantia in aliquo non mutata rogatus manu propria scripsi, meque in præmissorum omnium & singulorum suprascriptorum fidem robur & testimonium subscripsi, solitoque meo signo munivi.

Loco ✠ Signi.

CXXXVII.

Charta donationis factæ a sancta Silvia monasterio sancti Andreæ de Urbe.

Anno 603. 29. maji.

Ex codice monasterii sancti Gregorii de Urbe. p. LI.

Ad lib. II. n. 27. IN nomine Dei salvatoris nostri Jesu Christi imperante domno piissimo perpetuo augusto Foca a Deo coronato magno imperatore anno secundo indictione tercia mensis maji die vigesimo nono. Domino sancto & venerabili monasterio beati Andree apostoli, quod ponitur in clivio Scauri, in quo est Maximianus reverendissimus abbas, & per eum in cunctis ejus successoribus in ipso sanctissimo monasterio in perpetuum tenendum, habendum & possidendum pro laude & gloria & honore Dei & beati Andree apostoli, in quibus fiduciam sperandam me habere video. Ego Silvia magna femina .... Rome regione prima pro Dei omnipotentis amore & redemptione anime mee & de meis parentibus: item & amore & anime salvatione domni Gregorii summe sedis presulis, qui presens pontificatum tenet, & Romanum populum & omnes gentes divina sancta predicat & gubernat. Ideo dono & offero propriis meis rebus, que mihi in dotem concessa fuerunt, idest Massa in integro, que appellabatur Claudiana, que & Decimo nominatur, in quo est ecclesia sancti Apollinaris & monumento magno & rotundo cum diversis .... juribus & aquis cum molendinis & ponte marmoreo antiquo, qui vocatur Mola rupta cum divertis fundis & casalibus suis, scicet fundum Mesilianum, Cerviri, Spuletu, Marcelli, Cesamaura, Casandri, Valle Incentionosa, Valle aurea cum fontana aque vive, Cannetulo, Palatiolum, Criptule cum ecclesia .... liani Gualdi, qui vocatur Mascali, Puca Valle virginis, Valle pascula cum fontana de Salce, nec non fundum in integro, qui vocatur Cacascelio cum aliis vocabulis suis, Pra de Rosa, Marmostellum, sanctum Paulum, Parilianum, Ruscetulum, Flajanellum, Bonisula, Formello de Gualdo. Item & alium fundum, qui appellatur Flajanellum sancta Maria, qui ponitur in Cancellata, qui & in insula dicitur, fundum Oliveto, & fundum Arteule cum terra in campo Maximo ubicumque fila facere poteris cum fontana sua, que vocatur Delauri, fundum Cesananum, Sagarolum, Lauranum, Fenocletulo, Sartofago, fundum ..... fundum Palatinum, fundum Caput Serapi, fundum Calvini, Maximanum cum pratis, Valle mala, fundum Urbanula, Cucumelli, Valle, in qua sunt arenaria, Septem balneas, Poliviano, Stabla, Mola rupta cum castello suo, qui vocatur Ocelano, Montealto, Gualto, Nicano, Montealto, qui ponitur in Frontimanne, Monte sancte Marie, Valle stabla, Assaiclo, Aqua vinula, Luncimano, fundum Antonianum, qui & Saturionus vocatur, fundum Fichocelis, fundum Silanis, fundum Nimphulas, fundum Aesianum, fundum Masinis barbati, fundum Pampis, fundum Bonisula, fundum Judeorum, fundum Palatiolum, fundum Rubianum, fundum Centum dives, fundum Pretorrialus, fundum Casamala. Omnes predictos fundus & casalia sibi invicem coheren-

rentes uno solo constituti cum casis, vineis, terris, silvis, campis, pratis, pascuis, salectis, appendicibus, arboribus fructiferis, & infructiferis diversi generis, puteis, fontibus, rivis, paludibus adjunctis, adjacentibusque eorum cum omnibus pertinentiis, una cum familiis, masculis & feminis in ipso castello residentibus, videlicet Ursulo cum uxore sua nomine Lenla, Riccardo cum uxore sua nomine Romanula, Monaltulo cum uxore sua nomine Maria, Praxiula & Scorte clavio filiis suis, Lenlo cum uxore sua nomine Dimitriula, Andreula cum uxore sua nomine Stefaniula, omnes cum filiis & filiabus eorum, & similiter cum piscariis in Stagno majori, & infra mare constituti, omnibusque ad suprascriptos fundus & casalia generaliter & in integro pertinentibus utrosque positos via Aurelia miliario ab Urbe Roma plus minus decimo. Affines ejus incipiente a mare magno pergente per stagnum Maximum, in affinibus marmoreis justa Ragum de Orseula, inde pergente in fontana de valle Stabla ab ipsa fontana pergente per fines marmoreos, qui sunt in limite a pede ipsius vallis, & ascendente per limitem ipsius vallis justa casale episcopi Portuensis recte in affines marmoreos, qui sunt in cilio montis de predicta valle pergente per medium colle, ubi sunt alii affines marmorei duo, & recte in columpna juxta canonem, & juxta viam, & per ipsam viam ambulante, juxta casale de Mola de Silva, & venit in grippum, qui est canone inter duos montes, ubi stant affines Tiburtini: descendit per plagia & per medium Pantanum, ubi est modicum canone recte in fossatum de Ardilione, unde currit aqua per tempora inverni, & mittit in rivum, qui vocatur Galeria, & recte in Arciones antiquos, qui sunt in pede de Pantano ascendente per canonem in sursum in valle de Arenula, & per ipsam vallem ambulantem per fossatum & cava pergente in fontana juxta scilices. Inde transmeante ipsa scilice pergente in monumento, qui dividit inter ipsa casalia & casale sancti Angeli, & pergit in cilio montis recte in fossatum juxta casale sancti Andree, ubi stat terminus marmoreus, ambulans ipsum casale per limitem & plagiaria sive aliis terminis usque in terram de episcopio sancte Rufine recte in silice per cava ambulante per ipsam silicem ante ecclesiam sancti Basilitis usque in pontem marmoreum, qui vocatur Anone, ab ipso ponte recte per rivum de Anone usque in vadum de Patreliano. Inde descendit per viam publicam in piscina viticosa, in qua stat affinis marmoreus quadratus, & per fossatum, qui tempore inverni currit aqua recte in locum, qui vocatur Strapello, ubi stare videtur columpna marmorea ficta, & per ipsum Strapellum, qui est aqua descendente in stagno, vel in mari, vel si qui alii affines sunt, aut ab origine fuerunt, & quotquot est in perpetuum. Quos vero subscriptos fundos & casalia cum omnibus eorum pertinentiis, sicut supra repertum est, a presenti enim die largior vobis pro substentatione fratrum in eodem monasterio in usu & salario in perpetuum, & numquam a me, neque ab heredibus meis, aut a me submissa persona contra vos vestrosque successores aliquam habueritis questionem aut molestiam, sed omni tempore a me & ab omni persona hominum securi & tranquilli permaneatis, unde & jurata dico per Deum omnipotentem sancteque sedis apostolice seu salutem viri beatissimi & apostolici domni nostri Gregorii sanctissimi primi pontificis, principe a Deo coronato domno Phoca magno imperatore. Sed hec omnia, que presens hujus donationis cartula conservare & diligenter custodire promitto. Nam (quod non credemus) si quilibet homo magnus vel parvus contra hanc cartulam venire temptaverit, aut de supradictis locis tollere voluerint, & sicuti ego ordinavi pro salute anime mee & de domno Gregorio sanctissimo pontifice Romano filio meo, ita permanere non dimiserit, sit ille maledictus & anatematizatus, & cum diabolo in infernum habeat portionem, & cum beato Andrea apostolo in die judicii mecum ponat rationem, & sic componat solidos aureos mille, & post penam absolutione manente hanc presentis donationis in sua maneat firmitate in perpetuum. Has autem cartulas conscriptas per manus Cosmatis notarii & tabellionis Urbis Rome scribendam dictavi, & propriis manibus firmavi sub stipulatione & sponsione interposita. Actum Rome die anno pontificatificatus primo mense, & indictione tertia.

Signum crucis † manu suprascripta domina Silvia, que hanc cartulam a die presenti fieri jussit.

† Ego Flavius tribunus in hanc presentem donationem cartula de suprascripta massa in integra, que apell.. Claudiana, qui & Decimo nominatur, cum fundis & casalibus suis, & castello suo cum servis & ancillis, & omnibus suis pertinen-

tinentiis, ut superius legitur, facta a domina Silvia magna femina in Maximo abbate monasterii in clivo Scauri rogatus ab ea testis subscripsi, & traditam vidi.

† Ego Constantinus tabellio hanc cartulam donationis de suprascripta massa *&c. ut supra.*

† Mattheus acolitus in hanc presentem donationem de jam facta Massa *&c. ut supra.*

† Bonifacius major domus in hac cartula ante faciem nostram traditam, qui est amoris donatio de jam nominata Massa Claudiana & Decimana cum fundis *&c. ut supra.*

Ego Cosmas tabellio urbis Rome suprascriptus scriptor hujus donationis cartulam post testium subscriptionem & traditionis facte complevi & absolvi.

† Ego Stefanus Paparonus primus judex auctoritate apostolica judex habens fidem huic instrumento fideliter exemplato ideo me subscripsi.

† Ego Petrus Mardon. nunc camerarius judicum Urbis habens fidem huic instrumento fideliter exemplato me subscribo.

† Ego Bartholomeus Angeli de Reate notarius & nunc corrector notariorum Urbis habens fidem huic instrumento fideliter exemplato ideo me subscribo.

† Ego Petrus Bibiana notarius & nunc camerarius notariorum Urbis habens fidem huic instrumento fideliter exemplato ideo me subscripsi, sub anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo indictione decima mensis augusti die decimonono.

Ego Leonardus Jacobi Rubei sancte Romane ecclesie judex & notarius habens potestatem dandi tutores & curatores, decreta interponendi, testes recipiendi, instrumenta exemplandi, & alios actus judiciales exercendi, sicuti inveni in predicto publico originali instrumento olim bone memorie Cosme tabellionis urbis Rome scriptoris hujus donationis predicte, nullo addito vel diminuto, sic de verbo ad verbum scripsi, & sic fideliter exemplatus sum, & que superius in tribus locis sunt spatia punctata, scilicet que non potui legere propter cartam corrosam, itaque ibi legi non poterat.



CHRI-

CHRISTOPHORI MARCELLI
PATRICII VENETI
ARCHIEPISCOPI CORCYRENSIS
EPISTOLA,

In qua Camaldulensis eremi situs, vitæque ibidem degendæ ratio luculenter describuntur.

Christophorus Marcellus Archiepisc. Cocyrensis amico cuidam suo. S. P. D.

VEREOR ne desideres officium meum, quod tibi tam pro nostra, & studiorum & ordinis conjunctione deesse non debet, quam quod segnius fortasse, quam deceat, ad tuas tibi respondeo literas; quæ pluribus jam diebus sunt a me ea animi voluptate acceptæ, quam & hominis dignitas, & singularis earum elegantia exposcere videbatur: utrumque me cogit modo, ne amplius differam, quod mihi incubuisse jam video scribendi onus: eo addito quod ex hoc ipso munere non modicum emolumenti pariter & jucunditatis accipiam. Nempe ita in quo valde proficere studeo, versari coactus sum, & ut tibi meas (qualescumque sint) literas gratissimas esse conspicio: quod itaque meas auges, & tuas diminuis laudes, nescio prudenter ne potius facias, an amanter: novi enim omni tempore tui animi moderationem, qua de te longe minora concipias, quam re ipsa præstare possis & debeas: hac in re tuum non est, sed aliorum expectandum judicium, qui quo ingenio, quibus virtutibus, qua eruditione & eloquentia præditus es, optime norunt & prædicant. De amore autem in me tuo, quoties illum considero, immortales tibi gratias ago & habeo, atque inde me & eruditionem, & eloquentiam assequutum fuisse commemoras, eo quidem pudore afficior, quo mallem pro tui in me animi sinceritate eam partem silentio præterire, quam exprimere statuisses. Fateor me utriusque studiosum esse pro viribus, quum certe non videam quid præstantius, quidve conducibilius homini contingere possit in vita, sed me talem, qualem M. Tullii non habuit ætas, quum afferat se sapientes vidisse complures, eloquentem neminem, non est nisi quod fieri optem, ne dum ipse id impudenter audeam dicere, aut feram æquo animo alios profiteri. Te vero non minus Aristotelem facere, quam Platonem, quod miro tum ingenii acumine, tum rerum, de quibus agit, serie illum exuperat, a quo eloquentia, gratia & pietate plurimum superatur, tuum sane judicium approbo: namque cum ea æstimatione te video ita utrumque complecti, ut nequaquam alterum sine altero perfecte intelligi posse censeas, aut sine utroque humanum ingenium exornari: Verum si mentis oculum paulo diligentius adhibeamus, nihil esse in Aristotele, quod in Platone non fuerit, proculdubio inveniemus. Complura vero in Platone, quæ non attigit Aristoteles, ad id quod ille de immortalitate animorum diffusius, de beatitudine perspicacius, de abjunctis mentibus, & earum officiis uberius pertractavit: a quo sane nihil præter scribendi seriem desiderari potuit, quam plane dedita opera, ut temporis consuetudini morem gereret, prætermisit. An credimus sub eo annos xx. Aristotelem militasse, cum quo (ut historici referunt) palam sæpissime disputaret, ab eoque dissentire videretur, & quo tenderet discipuli studium illi non patuisse? allatas quotidie rationes, quæ scriptis facile mandarentur, non enodasse, aut tamquam debiles & commentitias non rejecisse? Vellem utrumque (si fieri posset) ab inferis revocari, ut ille a suo, & xx. annorum discipulo, quem maxime laudare solebat, quam injuste, quam impudenter damnaretur, inspiceret: quidque sibi de ideis, de rerum naturalium principiis, da mundi natura & origine, de motu, de tempore, de viribus animæ, de inspiratione, deque aliis pluribus objectasset, agnosceret, ut non verum illum, aut probum discipulum, sed fictum & improbum, non gratum & beneficii memorem, sed ingratissimum fuisse deprehenderet. Hic vero alia ex parte coram præceptore positus

ſitus erubeſcens aut ſe ementitum diceret, aut propriam inſcitiam (quam illi minime tribuo) confiteretur, verum, ut eſt in eorum literariis monimentis inſpicere, quod præceptor ſcribendi uſum prætermittere voluit, diſcipulus non inſpecta conſuetudine temporis explicavit, & earum rerum, de quibus præceptori acceptum referre maxime debuiſſet, ſeſe, magna quidem injuria, authorem inſtituit. Tanto ergo Plato eſt Ariſtotele dignior, quanto in dicendo ſplendidior, tanto uberior, quanto erga præceptorem Socratem officioſior, cui nullo affectus ambitu, nulla prorſus gloriæ tactus invidia, quæcumque ipſe tam accurate conſcripſerat, omnia tribuiſſe legitur. Ab eo autem non eſſe pietatis noſtræ requirenda myſteria, procul dubio aſſentior, ſed quod ipſe ad tantam rerum altitudinem pervenire potuit, aut meruit, quid nocebit inde religionis Chriſtianæ, non dicam confirmationem, ſed ex divino quodam inſtituto non vulgarem hominis admirationem accipere? De Platone ſatis. Nunc, quod tibi ſuggeram delectabitque fortaſſe magis, aggredior. Proximis ante diebus, ut non ignoras, ampliſſimum ac ſapientiſſimum cardinalem de Medicis, dimidium vitæ meæ, cui deſervio, in caſtra profectum eſſe, ita ſcias me pro comite aut ſervo, ſecum ut irem pati nullatenus voluiſſe, quo factum eſt, ut quum non modica animi perturbatione & mœrore ex illius profectione affectus eſſem, veluti homo ſine capite errabundus excogitarem, quonam mihi migrandum eſſet, ubi ſedari mens mea poſſet, & tam fœlix conſuetudo in mediocre aliquod refrigerium commutari, mihique in mentem venit, quod diu ante propoſueram animo, ſed exequendi numquam oblata fuit occaſio, ad ſacram illam Camaldulenſem eremum digredi; ubi nominatiſſimum ſitum, laudatiſſimam vitæ rationem, ſanctiſſimas ceremonias, & quæcumque alia diligenter inſpicerem, a quibus & animi relaxationem, & ſpiritalis vitæ fructum aliquem reportarem, facta deliberatione, eo quidem propoſito acceſſi, quo neſcio, ad quem locum alias umquam majori deſiderio properarem. Eſt mons in Apennino, qui Hetruriam a Flaminia diſterminat xxx. millibus paſſuum a Florentia diſtans, prægrandis ſatis, petroſus atque difficilis, qui duorum milliarium, ut ajunt, per gyros itineris ſpatio ſuperatur: in cujus cacumine læta quædam eſt, non artis, ut reor, ſed naturæ beneficio inventa fere perfecta planities, in qua ſacratiſſima illa ſita eſt eremi ſolitudo. Antequam ad eum locum pervenias, in aſcenſu montis tibi ſeſe offert multitudo abietum, qua latus ferme totum altera ex parte occulitur: hac arborum copia dextra, lævaque per ſtadium, ni fallor, ut ita dixerim, comitati, jugum conſcendimus. Ibi paullo declivis commemorata planities, a ſeriatim poſitis, & frequentiſſimis eiſdem in cœlum tendentibus abietibus, nulla prorſus alterius generis admixta arbore, cingitur. In hoc circuitu complures eremitarum diſcontinuatæ domunculæ, ex quibus nonnullæ, quæ viam rectam tamquam diametrum illius circuli efficiunt, apparent ordine poſitæ, reliquæ omnes hinc inde fuſæ totum illum ambitum complent. Aliquantiſper circa viæ dimidium extat ſacellum mira quadam pietatis arte conſtructum: non enim amplum eſt, aut ſplendidum ſatis, ſed ſubobſcurum, breve & ad ſolvenda Chriſto ſervatori piacula, preceſque fundendas accommodatum. Ibi non nitentia marmora, non auratas trabes, non minio & purpura, maxima opera & impenſa depictas tabulas, non eburneos aut æneos loculos, non pretioſa vaſa, & Corinthiaca manu confecta, non aureas ſtatuas, non gemmis, argento & auro ſplendentes aras invenies: ſed ipſum quod diximus ſacellum, ex lateribus ligniſque abiegnis erectum, pro divini cultus exercitio, mediocri ſuppellectile præditum, ibi omnia ſanctitatem quamdam redolent, & ſpiritalis vitæ profectum: ſed inter alia ſanctiſſimi viri Romualdi, ejus vitæ & nominis inſtitutoris, brachium viſitur, & marginaria ejuſdem in Pſalterium præ nimia fere vetuſtate exeſum, ut perſpici potuit, diligens expoſitio, quæ duo inter ſacra præcipua & merito cuſtodiuntur. In eum locum die nocteque pro explicandis Deo hymnis & laudibus conveniunt eremitæ, qui nullo audientium aurium pruritu, nulla harmonica ſuavitate, nulla prorſus inſtrumenti alterius dearticulatione, ſummiſſis & porrectioribus vocibus illas alternatim enuntiant, gratum quidem, ut reor, & Deo & piis animabus obſequium, quum mens ipſa, & intraneus hominis ſpiritus, pro gratificatione ſui non egeat melodiis. Eſt oblongæ figuræ ſacellum, ad orientem capite ſpectans, ſive ullo columnarum, aut fornicum apparatu, ſectum uno pariete circa ejus dimidium, a cujus utraque parte duæ ſunt aræ pro celebrandis ſacrificiis inſtitutæ: In interioris partis capite major eſt ara venuſto & pio aſpectu conſpicua; remotiuſ-

tiuſcule ligneæ eremitarum circumpoſitæ ſedes, quibus dum laudant Dominum, frequentem ſatis chorum efficiunt: Non ſatis elatum tectum, ſed longitudini conſonum: Anguſta janua, ut ſeſe colligat homo, dum eum locum ingreditur, & peccata dimittat, quoniam ſanctus eſt. Portæ ſupereminet horologium planum & decorum, ubi Solis curſus per horarum ſpatia lineamentis diſtinctus gratiſſime proſpectatur. In prima ſacelli parte duæ ſunt cellulæ januæ proximæ, in quibus per noctem venientes eremitæ faculas & indumenta deponunt, quibus præ nimio frigore involvebantur: nam quiſque a ſuo domicilio brumæ tempore ſub divo, & ſæpius calcatis nivibus, eo uſque progreditur. Sunt vero diſcontinuatæ domunculæ, ne quis facile cum alio & ad libitum, colloquatur: Eſt enim illis lege prohibitus arbitrarius ſermo, quod & multiloquio mendacium deeſſe non ſoleat, & ſermonis communicatio ultra debitum agendi quicquam licentiam facile pariat. Pronus eſt ſenſus ad malum, qui verborum ſtimulis interdum adeo concitatur; ut qui ſilentio in virtute ſtetiſſet, ſermone concidat, & ad iniquitatem declinet. Domicilium quodque non amplum aut ſublime, ſed correptum, & humile lateritio opere fabricatum, ſed adeo uniuſcujuſque rei domeſticæ negocio ſuis portionibus accommodatum, ut non melius magnum quodque atrium ſe habere conſpicias. Eſt enim in ejus medio ſitum cubiculum ſtudiolo ab altero cubilis capite præditum, tabulis abiegnis concluſum ab altero janua, quæ ex modica aula homini præbet ingreſſum: ex adverſo cubilis, focus camino ſubjectus, cujus recto ſpiraculo fumus e tectis ſuperius evolet, ubi per brumam perpetuus vigeat ignis: namque præ ſui altitudine, vehementius riget illius jugi cacumen. In ſtudiolo ſacris cujuſque conditionis, pro hominis libito, licet pauci, conſtituti ſunt libri, quibus quum ab orationibus vacandum eſt, ſubire poſſit lectionis voluptas, & bonarum iſtitutionum proficua meditatio. A levo ſtudioli latere, per feneſtram modicum non ſublime, ſed tranſverſum lumen admittitur, ne nimia ejus reflexione legenti acies oculi perſtringatur. Ante ſtudioli januam menſa vertilis, dum non eſt uſui, parieti adjacet, ne impedimento ſit, dum vero opus eſt cibo, deprimitur. Sub cubiculi tecto penduli uvarum racemi, ex quibus paſſis jejuniorum tempore quiſquis beneficium capiat: alii etiam diverſo genere, ut pomorum, nucum, caſtanearum fructus ad uſum ſupra cubile, velut in armario reponuntur. Poſt cubiculum eſt oratorii locus pro dignitate ſpatioſior, & quod minus eſt ad habitationem hominis inſtitutus. Erectum eſt ibidem altare, in quibuſdam cellis certæ ex oppoſito ſedes ad ſacrarii ornatum, aut plurium uſum, quos forte ſacrificii tempore intereſſe contigerit. Ante cubiculum, a ſiniſtris auleolæ ſitus eſt excrementitius locus, ubi aqua aſſidue defluens in abiegnum alueolum, lavandi pannos beneficio eſt eremitis. Aliud a fronte ſeſe offert oſtiolum, quo reſerato calefactionis commodum lignorum penu conſpicitur. Non deeſt domunculæ ad refrigerium hortulus, muris circumquaque recluſus, nam intra tantam parietum anguſtiam per æſtum fere homo reſpirare non poſſet. Unius hæc eſt, quam inſpexi & habitavi cellæ deſcriptio, quæ Petro olim Quirino patritio Veneto, literis, virtutibus, ingenio, affabilitate, gratia multum inſigni, ad agendam ſolitudinis pœnitentiam ſorte neſcio, an electione contigerat: alias eodem tenore, & partium diſcrimine poſitas credimus, quæ ni fallor vigintiquinque numerum nequaquam excedunt. Habitus Benedictini & candidi ordinis eſt eremitis, oblongis & impexis barbis ſe habentibus, tonſo crine, relicta circumquaque corona, ut conſuevit: ne retentis, ſed procul rejectis mundi ſuperfluis per caput, cui tributa eſt ſapientiæ ſedes, vero noſtro capiti, quod Chriſtus eſt, & æterni patris ſapientia, perque coronam, juſtitiæ debere magis hærere ipſi intelligantur. Peculiaris barbæ inculta prolixitas eſt eremitis ne molliores, quam deceat, ſint, aut aliis videantur. Vita eorum auſtera ſatis & aſpera: nam fere ſemper jejunant, panis tantum & aquæ modicum ſine ullo olei condimento, ter in hebdomada adventus & quadrageſimæ tempore accipiunt: per reliquum anni tempus octavo quoque die, qui per hebdomadas ſigillatim paſſioni Dominicæ aſſcribitur, idipſum perſeveranter obſervant. A carnibus in univerſum perpetuo abſtinent in eremo, etiam ſi adverſa valitudine affecti emoriantnr, ex ovis & caſeo parciſſime capiunt: aluntur concoctis herbis, leguminibus, ex frumento non ſatis eſt eis exquiſitus panis: vinum ſatis debile, ſed ſalubre. Præter pſalmodias, quas ſæpius in die, & ſemel intempeſta nocte alternatim in eccleſia profe-runt, pſalterii dimidium, ubi ad cellam redierint, legunt. Vitas ſanctorum patrum percurrunt, ante oculos verſant inſtituta

le-

legis antiquæ, recentiora documenta revolvunt, perlegunt, imbibunt, & qui lectionis interdum gravitatem fastidiunt, ex abiegnis nodis globulos diametro perforatos torno conficiunt, quibus funiculo transfixis, annexisque Dominicæ, dum dicunt, aut beatæ Virginis orationes enumerantur. Ex his duo sunt ita suis reclusi domunculis, ut exire sit nefas: cum altero & seniore, sermonem habui, qui septuaginta & sex annis natus, ore pallido, complicata barba, omni ex parte capitis exuberante canitie, homo alioqui illiteratus, tanta mihi gravitate, pietate, dicendi serie locutus est, ut illum sane non admirari nequiverim. Suadebat enixe pastoralis officii curam, ad quotidiana sacrificia me invitabat, quod ipse singulis quibusque diebus sacra persolveret, inde sibi tam vehementem animi dulcedinem attestatus, & suavitatem inditam persentire, ut magna eo die felicitate privatus videretur, quem sine sacrificio transmisisset. Vere senis illius monita, suaque consilia usque adeo cordis mihi intima perstrinxerunt, ut quamvis esset, in mei excusationem quid dicerem, & divi Augustini de quotidiana celebratione neque laudanda, neque vituperanda sententia, obmutescerem tamen, nilque illi præter gratiarum actiones, & humiliter satis exprimerem. Is certe locus, hæc habitatio est, qua nulla umquam fuit, quæ magis homines ad vitæ renovationem & profectum, vel invitos alliceret. De me ipso quid dicam, quæso libenter accipias, nam id præterire non possum, cum primum juga montis conscenderim, totusque eremi ambitus sese mihi obtulerit, subita quadam cordis compunctione, Deum testor, me commoveri persensi, ac si mihi divina vox in auribus personasset, locus iste sanctus est, tua nunc peccata dimitte. Ergo si locus ipse pio, & divino quodam situ hoc habet, ut animas ad beatius vivendum, ad relinquendas mundi sordes invitet, quid de sanctissima hominum consuetudine, de castissimo vivendi modo, de purissimis eloquiis, & candidioribus precibus asserendum? Non possum profecto tibi æquis verbis exprimere, quanto fuerim primo aspectu captus amore illius loci, quem quum egregiis illis abietibus cinctum, atque ornatum inspexerim, divino quodam munere & ingenio factum existimavi. Nullus enim commemoratus, quem ipse audiverim, Deo dicatus est locus, qui ea tam frequenti arbore consito nemore ambiatur. Quum enim vitæ rationi cetera omnia si fieri queat, legitime accommodari debeant, credibile quidem est, Deum optimum & maximum, sine cujus nutu ne folium quidem arborum agitatur, gratissimo sibi hominum consortio, non solum de sanctissimis institutis, situ vetustissimo, sed etiam de aliena quadam, ut est, vegetalium imitanda similitudine providisse, ut sibi invicem omnia & religio, & pietas, & sacratissimus vivendi cultus, & locus, & ipsæ denique arbores consentirent. Ea enim ordinis divina ante oculos posita, ne dicam excogitata mysteria movent homines, ac in beata vita confirmant. Est abieti, ut physiologi referunt, & ipsa experientia comprobat, ima radix, ut intelligat eremi cultor imam se debere & profundam caritatis, a qua virtutes aliæ prodeunt, habere radicem, cujus amplissimæ laudes, quum apud Apostolum frequentissime habeantur, mihi sunt omittendæ, ne alio, quam vellem longior facta, mea rapi epistola videatur. Altus rectusque abieti caudex, ut ille ipse noscat ab eo virtutis principio parari sibi ascensum in cœlos. Rami prægrandes ordinati, tam intervallo, quam numero, recti, & quodammodo infixi, quod est aliis arboribus denegatum, ut moveantur incolæ a præcipua hac & aliarum omnium virtutum matre alias prægrandes tam numero, quam operibus ordinatas exoriri virtutes, quæ quidem rectæ sunt, quod ab eadem caritate summam rectitudinem habeant, atque illi infixæ tamquam similimæ videantur, veluti obedientia, continentia, pietas, humilitas, tolerantia, integritas, solicitudo, magnanimitas, honorum & divitiarum contemptus. Id unum memoratu dignissimum in eo ramorum ordine præterire non possum, quod triplici sigillatim numero totam, ubi oriri cœperit, arborem compleant; quid enim aliud præfigurat, quam quod per caritatis truncum, a quo virtutes aliæ prodeunt, in supremam illam, & cœlestem beatitudinem, perque divinissimæ in nobis, & nostris actionibus effigiatæ Trinitatis imaginem ascendere debeamus? Triplex est quoque dilectio, quæ a caritate procedit, in Deum, in nosipsos, in proximum; ex triplici mensura constare debet omnis, si sit valida, operatio nostra, principio, medio & fine. Adoratio triplex, Dei optimi, beatorum spirituum & animorum. His gradibus patet, atque distinguitur hominum ascensus in cœlum. Nodosa est etiam abies, unde bonarum actionum varietates, isque animi apparatus eremitis ostenditur, quo in virtutum habitibus tamquam in nodis earumdem contineat alimentum.

Sunt ei rara folia & serrata, & in sua extremitate pungentia, ut non frequentia sint, sed rara incolarum verba, serrati cautique sermones, ad vitiorum detestationem, magna acrimonia prædìti. Cortex tunicis multiplex, ut multiplici defensione sese a diabolo, & homine tueantur. Nullum abies patitur cultum, ut ex negligentia corporis animus coli & ornari plurimum intelligatur. Sursum a radice nullum habet locum unde proferat sobolem, ut verbis prædicata, aut exemplo ostensa fides ipsaque incolarum vita alios erigere, & ut ajunt, ædificare posse minime intelligatur, nisi sit in radice caritatis fundata. Est etiam nervosa abies lignosæ & apparentis medullæ, atque ideo validissima, & egregia nuncupata, ut nervosa sit, fortis & potentissima intrinsecus erga Deum & homines caritas, si in cœlum velit ascendere. Hac etiam ratione non est abies fragilis quamvis certa mentium rectitudine findi queat, ut eo exemplo videant eremitæ si quis perfectam caritatem habuerit, ab adversis rerum turbinibus eum frangi non posse, neque aliter, quam per rectitudinem divinæ providentiæ perseverantem corpore dissipari. Semper etiam viret hæc arbos, silvestris pulchrior, & quæ parte aquilonia enascitur, ut eremitæ sit omni tempore viridis caritas, quæ si mundo silvestris facta tumidos & australes diversarum consuetudinum flatus aufugerit, pulcherrima quidem & præstantissima efficietur. Mare denique & fœmina arboris species ista distinguitur, ut pro fœmina temporalem, & necessariam vitam intelligant eremitæ, sine qua spiritalis esse, aut exerceri non potest. Hæc vero mare prolixior, quoniam corporeæ naturæ diutius, quam spiritui vacare necesse sit, donec terrena sumus in vita, mas vero nucleos habet, quod nequaquam per corporis, sed spiritus exercitationem prodeunt, & instar fructuum colliguntur. Fœlicia opera pietatis, in hac animi cogitatione versabar, quum & admiratione, & pientissimo quodam affectu detentus omnia laudabam. Placebant enim, & me in alterius vitæ bona summo desiderio dirigebant. Considerabam eos, qui locum illum incolerent, homines esse sensuum illecebris, passionibusque subjectos, ex quibus forent, qui nobilitatis titulo, opum, honorum, voluptatum, ac præclarissimarum artium fama, usuque splendescere videbantur, quos tamen humiles, inopes, abjectos, omnibus, ne dicam delitiis, sed fere commodis licitisque usibus privatos inspicerem, inter quos mihi veniebat in mentem Petrus ille Quirinus, quem paulo supra commemoravimus, vir quidem literis prius & ingenio, mox etiam sanctitate vitæ præclarus, ibidem eum hominem maxime desiderabam, ut non deesset solitus loci splendor, decus & ornamentum, cujus quidem piam fœlicemque memoriam sine lachrymis præterire non possum. Aderat ejus solitudinis socius Paulus Justinianus, qui illi superstes fuit, paris nobilitatis vir, qui ingenio & virtute illo non multum inferior, sed opibus ante conversionem longe superior habebatur. Hic melioris vitæ desiderio a fœlici hujus eremi conventu recessit. A cujus sane laudibus præter sanctissimam vitæ institutionem nequeo contineri, quum non eam solitudinem foveat, quæ aut summam quamdam sufficientiam, & ut ita dixerim, divinitatem requirat, aut homini desperationem incutiat, sed ex dignissimo a seculi frequentia literatorum hominum consortio constitutam. Non enim cum feris degunt, aut montium cavernas inhabitant, non crudis vescuntur herbis, non sibi ipsis in suis omnibus necessariis sumministrant, sed alios secundi ordinis habent, a quibus vivendi usum accipiant. Est etiam inter eos sacrarum literarum quicquam profitendi commoditas, ut alii erudiantur; quo certe vivendi modo, ut paucis concludam, nihil præclarius, nihil sufficientius, nihil denique tutius dari mea sententia, aut excogitari facile potest. Hæc sunt, quæ de sacratissimo ac celeberrimo hoc loco præ nimia lætitia & tranquillitate animi inde accepta tibi commemorare constituti, quæ non omnia quidem sunt, neque a meo dicendi studio celebrata, quo res ipsa expetere videbatur. A quo, ubi aliquandiu immoratus fuissem, instante, urgenteque aeris inclementia, ad alterum ejusdem Apennini delubrum invisendum statui proficisci, ut utriusque loci facta comparatione, quisnam laudabilior & religiosior videretur, agnoscerem. Distat celebris Alverniæ locus, qui asperrimi montis est, a Camaldulensi eremo XII. milliaribus, qui beati Francisci habitatione, oratione, stigmatibusque maxime colitur & veneratur. Antequam eo accederem, mihi in itinere, Mausoleæ, sic appellati loci, collis cujusdam lateri hærentis oblatus est transitus, ibi cum ædes satis urbanæ, quibus colligendarum eremi frugum pars major reponi solet, tum venerabilis senex ille Petrus Delphinus ejusdem Camaldulensis ordinis Generalis in-

inventus est, qui cum ætate quæcumque ad virum optimum dicendique arte peritum pertinent, omnia consumavit. Hic me hilari vultu suscepit, & hilariori animo hospitatus est. Inde Alverniæ locum petens per salebrosas intortasque vias, montem non minus asperum, quam tetrum denique superavi, ubi præter summæ pietatis viri memoriam, nihil profecto esse videtur, quod hominem ad vitæ conversionem alliciat. Templum aliorum more constructum, satis pulchrum & amplum, fratrum frequentes, continuatæ, in sublimique uno & eodem ordine utrimque positæ ad recubitum cellulæ. Oratoria per cavernas montis hinc inde complura; venerabilium stigmatum ab alio montis latere constitutum sacellum, quo fratres singulis quibusque diebus occidente Sole ad orandum conveniunt. Est etiam locus, ubi pellente diabolo, & præcipitem volente Franciscum reddere, illi mons una ex parte cessit, & ne caderet, modo quodam continuit, ejusque corporis incavato saxo durissimo extat effigies. Id unum præ aliis memoratu dignum, & fere penitus incredibile in cavernis illis conspicitur, ingentia, nullique sustentaculo hærentia pendere saxa, altissimas a vertice usque ad radicem montis spectari scissuras præminere, & quas statim diceres in caput casuras, horribiles visu rupes, obscura intortaque antra disclusis undique patere saxis, præcipitia immensa ex lapidis jactu longius audito sono deprehensa. Quæ omnia quam admirabilis Salvatoris nostri passionis tempore in supernæ potestatis testimonium divinitus facta fuisse creduntur. Lustrato loco discessi, perque Casentinum agrum juxta Bibienam egregium Cardinalis origine oppidum, & Puppium Veneti exercitus una cum Petro Medice adventus memoria celebratum: perque Umbrosæ vallis divi Ioannis Gualberti nomine, lætoque animo insignitum locum, ubi etiam pulcherrimum quidem fuerat suavissimo quodam susurru a longo montis tractu cadentes spectasse aquas, adequitans denique Florentiam me recepi &c.

Hac mihi, absente domino (pro cujus fœlicitate, quæ mihi semper est animo, his in locis oravi) parta animi recreatione, refrigerioque nonnullorum dierum spatio comparato, aliquantisper sedata est mens, & ad te has, quæ forsan nisi me amares, tædium afferrent, literas dare constitui, tum ut nosceres tui apud me perpetuo valere memoriam, tum etiam ut ex literarum tuarum expectatione ac reditu, quæ mihi gratissimæ semper fuere, longe majus solamen & tranquillitatem accipiam. Vale, & me, ni te pigeat, seu potius ego indignus sim, Leoni X. optimo summoque omnium principi suppliciter commendato. Florentiæ XVI. cal. novembris. M.D.XXI.



AN-

ANDREÆ MUGNOTII CONGHENSIS HISPANI DESCRIPTIO EREMI CAMALDULENSIS.

BEATISSIMO PIO V. PONTIFICI OPTIMO MAXIMOQUE

ANDREAS MUGNOTIUS HISPANUS

F.

ET si plurima sunt (Pater sanctissime) & maxima quidem ornamenta, quibus tua hæc Italia, in toto terrarum orbe celebratur, nescio tamen, an majus aliquid & illustrius habeat, quam Camaldulensem eremum, quæ supra montem altissimum, in Hetruriæ finibus posita, & quingentis quinquaginta & eo amplius annis a viro sanctissimo Romualdo excogitata, ac instituta novos cœlo cives hactenus, in diesque magis procreat. Cujus loci religio, tum alios principes ac heroes permultos, tum te imprimis ad se illexit. Quanti enim fieri ab omnibus is locus debeat, ostendisti satis, cum eum tua præsentia illustrasti. Hujus itaque sacræ eremi descriptionem, quam ego anno superiore, stylo (si non eleganti) certe fideli, brevi hoc opusculo utcumque expressi, cui dicarem potius quam tibi (Pontifex summe) cujus auspiciis, illam sanctorum Patrum religionem non conservari solum, sed novis etiam incrementis augeri, quotidie audimus? Accipe itaque (Pater clementissime ac religiosissime) nostræ hujus humilitatis munusculum, ea animi voluntate, qua res omnes pias semper es prosecutus. Ego vero satis amplum fructum illius me consecutum existimabo, si laborem hunc meum probari a te, gratumque tibi esse intelligam. Vale (Princeps optime) servetque te Deus tamdiu incolumem, quamdiu boni omnes exoptant.

DE EREMO CAMALDULENSI.

POst gentium multarum, urbiumque nobilissimarum collustrationem, quarum mores, ritusque varios cognoscere volui, veni tandem ab ultimis usque Hispaniæ finibus in civitatem Florentiam, ut inde Romam, quo properabam, me conferrem. Verum, cum multa, perpetua sane laude digna, de eremo Camaldulensi, qui locus est antiqua patrum religiosissimorum habitatione maxime celebris, inter loquendum, a nonnullis mihi notis accepissem, pio quodam desiderio sacrum hunc videndi locum impulsus, eo adire opere precium me facturum existimavi. Cumque die quadam, in auroræ ortu, per vias invias, salebrosas & curvas, incultas terras, sataque infructuosa, duras rupes & montes asperos, iter arriperem, integram fere diem in itinere obeundo consumpsi, nec Apennini juga superare potui. Altera autem die, summo mane, ad sacram perveni eremum, in qua merito, inter religiosissimos viros, diutius mihi consistendum putavi, ut ejus etiam gentis veterem disciplinam, legesque sacras cognoscerem, unde vitæ sanctæ degendæ rationis splendor ortum habuit. Ante illius tamen accessum, dum montem illum innumeris hinc inde summæ proceritatis virentibus abietibus ornatum conspicio, statim in mentem venit illa antiqua sanctorum patrum vita, quam in desertis in-

montibus, & ſpeluncis in ſancta illa ſolitudine Aegyptia degebant illi, quo magis in ejus amorem maximo, quodam pietatis fervore accendebar. Sed jam ad ipſius eremi deſcriptionem, divinis auſpiciis deſcendamus. Eſt mons in vertice Apennini, qui in Hetruriæ finibus prominens, ipſam a Flaminia diſterminat, & utrumque reſpicit mare, Tyrrenum ſcilicet, & Adriaticum, ab Urbe Florentia triginta paſſuum millibus diſtans, qui prægrandis eſt, & valde ſaxoſus, & præ ejus aſperitate aſcenſu difficilis, ac per giros itineris, duorum (ni fallor) milliarium ſpatio ſuperatur. Ejus autem major pars copioſo abietum nemore plena eſt, quarum ſumma altitudine cœlum occulitur. Ultra ejus medium, ad ſingularum viarum terminos, ſingulæ etiam ligneæ Cruces erectæ ſunt, quæ, a ſacra eremo quinquaginta paſſibus, plus minuſve, diſtant. In hujus montis cacumine, planicies quædam eſt amœniſſima, in qua, ſacra illa, gentiumque pene omnium fama celebris, eremus Camaldulenſis ſita eſt, quæ figuram habet quatuor laterum; quorum duo oppoſita ex lapidibus ſtructa ſunt recta, & inter ſe inæqualia; ſuperius enim quod ſeptentrionem ſpectat, brevius eſt; inferius autem quod meridiem reſpicit, longius: reliqua vero duo ex tabulis compoſita, ſunt quodammodo partes circulorum, ut perſpicue delineata figura ſuperius indicat. Ante ejus ingreſſum, ſeſe offert quoddam exiguum, ac religioſum ſacellum, opere lateritio conſtructum, divo Antonio anachoritarum lumini dicatum, in quo quotidie res ſacra fit. Sacello adhæret janua eremi, eodem opere fabrefacta. In medio fere eremi religioſiſſimum templum, in quo Chriſtum dominum precantur omnes, erectum eſt, intra quod ejus verum, ac ſacroſanctum corpus, ſub ſpecie panis, inenarrabili myſterio reconditum ſervatur. Non amplum eſt, aut ſplendidum admodum templum, ſed ſuboſcurum, ac exiguum, ex lateribus, ligniſque abiegnis conditum, divinis laudibus perſolvendis accommodum, & ſupellectili ornatum ſatis ampla; quæ omnia ſanctitatem potius redolent, & ſpiritalis vitæ profectum, quam ſplendorem magnificum. Figuræ eſt oblongæ, orientem capite ſpectans, ſine ullo columnarum, aut fornicum apparatu. Portæ ipſius ſupereminet horologium, planum & decorum, ubi ſolis curſus per horarum ſpatia, lineamentis diſtinctus gratiſſime proſpectatur. In primo templi ingreſſu duæ ſunt cellulæ januæ proximæ, in quibus, per noctem venientes eremitæ, faces, cothurnos, & indumenta, quibus præ nimio frigore involuuntur, deponunt; nam quiſque a ſuo domicilio, brumæ tempore ſub dio, & ſæpius calcatis nivibus eo uſque progreditur. Totum vero templum medio ſectum eſt pariete, qui choros duos diſtinguit: ſuperiorem ingrediuntur primi ordinis eremitæ, ſuis ſingulis ſubſelliis in orbem poſitis aſſidentes, rem ſacram celebrantes, horaſque divinas decantantes, ubi major eſt ara, venuſto & pio aſpectu conſpicua. In inferiori vero, ſecundi ordinis eremitæ conſident, preces ſuas taciti perſolventes; atque in objecto pariete duo ſunt altaria, quæ porta diſtinguuntur media, illaque anguſta, ubi ſacerdotes rem divinam peragentes audiuntur. Non eſt admodum ſublime tectum, nec longitudini diſſonum, ubi ſex lampades accenſæ juge lumen præbent. Domuncularum deinde, ſeu disjunctarum cellarum, numero vigintiquatuor, variati ordinis, ſub dio conſtructarum rebuſque omnibus humanæ vitæ neceſſariis decenter munitarum, exiſtunt. Eſt domicilium quodque non amplum, aut ſublime, ſed correptum & humile, lateritio opere fabricatum, ſed adeo uniuſcujuſque rei negocio ſuis portionibus accommodatum, ut non minus quam ampla etiam palatia ſolent. Cuilibet enim magnifico, ac ſplendido palatio, tria præcipua, inter alia, notatuque digna, ineſſe ſolent, oratorium ſcilicet, viridarium, & fons; Quæ omnia, unaquæque domuncula, hoc ordine habet. Eſt itaque in ejus medio ſitum cubiculum, tabulis abiegnis undique cinctum. In cubiculo autem ad latus alterum lectus ſternitur eremitarum paupertati congruens. Tum muſeum ſitum eſt, tabulis etiam munitum, in quo, ſacri generis cujuſque, licet pauci numero, poſiti ſunt libri, quorum lectione ſpiritus poſt pias effuſas preces, ſolamine affici, ac cœleſtia utilius rimari poſſit. A lævo muſei latere, per feneſtram, parum luminis, & id quidem tranſverſum admittitur, ne nimia ejus reflexio legentis aciem oculi offendat. Ante muſei januam, menſa verſatilis dum non eſt uſui, parieti adhæret, ne impedimentum præbeat, dum vero opus eſt cibo, qui per feneſtram parvulam menſæ contiguam præbetur, demittitur. Ad alterum autem latus, ex adverſo lecti, focus camino ſubjacet, cujus recto ſpiraculo fumus in altum euolet, ubi per brumam continuus regnat ignis, namque præ loci ſublimitate vehemens viget frigus. Caminum

num penus sequitur, in quo, vasa quotidiano usui necessaria reponuntur. Penui denique oratorium adjunctum est ad privatas preces accommodum, & altari, aliisque ornamentis ad id necessariis instructum. Inter utrumque latus, medium locum habet fenestra, januæ cubiculi ex adverso respondens, quæ hortum expositum spectat. Ante cubiculum autem unumquodque ambulacrum ita est constructum, ut animus studio, & contemplatione laxatus, deambulatione refici, & corpus æstivis cœnis recreari, commode possit, ex cujus tecto pensiles uvæ pendent, & alia ibidem fructuum genera servantur, que jejuniorum sunt cibaria. Quod ambulacrum multa habet præterea commoda, nam & penu habet, ubi ligna reponuntur, ita ad latus constitutum, ut deambulationi nullum præbeat impedimentum, in quo ipso latere, proximus fons in alveolos assidue defluit, in quibus suos eremitæ singuli pannos purgare solent. Nec desunt singulis domunculis singuli etiam deliciarum hortuli amœnissimi, muris circumquaque conclusi, animos mira voluptate afficientes, ubi omnium herbarum pulchritudo suaviter redolentium virescit, quorum intervallo domunculæ ipsæ inter se disiunguntur, quæ a templo triginta passibus plus minusue distant. Lucidissimi aquarum fontes septem jugiter manantes, & irrigui profluunt. Et statis anni temporibus, candidissimis montis illius juga nivibus replentur. Tandem vallum quoddam ligneum locum ipsum undique cingit. Circumvicina quoque multitudo, & condensatio summæ proceritatis virentium abietum, miro quodam ordine undequaque insitarum, imminet, a quarum cujuslibet profundissima planta ad verticem usque sublimis trunci erectio, cum ramorum ab eo pullulantium extensione, ac relaxatione, frondiumque perpetuo virore, nescio quid numinis denotantium, ac representantium, & tamquam coronam quamdam, summo artificio consitam, statuentium oritur: Sed duo inter alia, admiratione memoriaque dignissima, inesse hisce vidi abietibus, quæ aliis arboribus natura omnino denegata sunt: quorum alterum, quod in ipso ortu primo, virgultum in cœlum erigitur unum, crucis effigiem miro artificio referens; ex quo uno, qui deinde adnascuntur ramusculi, eamdem servant singuli crucis figuram, totamque arborem sigillatim complent. Alterum vero, quod a nodis seu medullis ipsarum validissimis, ac solidissimis, si nodos ipsos ferro aliquo acuto effodias vel perfores, confestim oleum, miro quodam liquore, plurimisque rebus aptum & utile, distillare videbis. Volucrum præterea inibi insidentium cantilenæ, dulci melodiæ concentu, auribus applaudentes resonant. Necnon salubris, subtilis, ac refocillantis aeris temperies, ramos ipsos huc & illuc, placito, amœnoque strepitu agitantis, sentitur. Quæ omnia, si recte perpendantur, maximum præseferunt sanctitatis numen. Nam quid (quæso) aliud, templum ipsum Dominicum, cum ejus sacratissimi Corporis perpetua, internaque præsentia, præfigurat, quam corpus nostrum, quod templum Spiritussancti est? quod ita dispositum, ac ab omni prorsus macula mundatum esse debet, ut Dominus in ipso habitet, ac per gratiam maneat. Sed neque sub silentio præterire licet, duo præcipua, inter alia, pignora sacra, quæ, in singulis repositoriis, ab utroque aræ magnæ latere ipsius templi ornate structis, maxima cum veneratione custodiuntur. Quorum alterum, particula quædam est preciosissimi Ligni, in quo Servator noster pro totius humani generis redemptione pependit. Alterum vero brachium integrum dextrum beatissimi viri Romualdi, Ravennæ orti, e Ducum stirpe progeniti, quamplurimis miraculis clarissimi, & perfectæ eremiticæ vitæ in prænominato monte, totiusque ordinis Camaldulensis in universum institutoris, Qui, licet divinarum literarum ignarus esset, dum tamen semel (ut solebat) in extasim raperetur, eam a Patre luminum gratiam obtinere meruit, qua totum Psalterium memorato brachio, (quamvis non polito sermone) perscriptum, iis tamen sententiis dilucidavit ac exposuit, ut nil supra; quod pariter inter alia sacra non minori reverentia merito servatur. Hic itaque beatus vir, eremiticæ vitæ, quam nonaginta septem annis sanctissime degit, apprime cultor, cum die quadam, divino spiritu ductus, ad ipsius montis juga pervenisset, ibique planiciem quamdam amœnissimam, Campum amabilem olim nuncupatam, cerneret, laudare tunc cœpit mortales illos, qui, spretis inanibus & caducis rebus, ut melius Deo vacare possint, similia eligunt solitudinis sanctæ loca, a tumultuosis negociis omnino segregata; Qui longo, asperoque itinere defatigatus, sopore gravi perfusus, coruscantes scalas, ab ipsius montis vertice ad cœlum usque erectas, & monachos complures fulgentissimos per illas conscendentes (instar patriarchæ Jacob) videre

dere meruit. Qua re expergefactus tantaque visione territus ad Dominum effundere preces non cessavit. Accidit autem, ut obvius ei fieret nobilis quidam ac probus vir Arretinus, nomine Maldulus, qui, sicut Domino placuit, eamdem rem mirabilem viderat, cumque de iis inter se aliquantulum agerent, ipseque Maldulus ea omnia divino nutu evenisse crederet, confestim sanctissimo viro Romualdo & locum ipsum, & domum per duo fere milliaria distantem, quam ipse tunc habitabat, quæ apud fontem, quem appellant bonum, constructa erat, ac in ea hodie religiosum ejusdem ordinis cœnobium in Dei laudem erectum est, gratis & libere dedit; ab illo nempe Maldulo ordo sacer Camaldulensis exordium sumpsit. Post hæc vir sanctus sacrum ac religiosum templum, episcopo Arretino assensum præbente, servatori nostro dicavit, & quinque domunculas, quarum angustiorem inhabitabat, anno virginei partus millesimo duodecimo construxit, ac sacram eremum Camaldulensem toto terrarum orbe celebrandam merito appellavit. Illa autem admirabili scalarum ac monachorum fulgentium per illas conscendentium visione sanctus ipse gloriosus, qui divi Benedicti habitum, in cujus ordinem & collegium adolescens intravit, per multos annos gestaverat, commotus, colorem indumenti nigrum in candidum vertit, eodemque tenore continuo servandum per ejus alumnos, quos copiose per universum orbem propagavit, instituit. Qui tandem senio confectus annum agens vigesimum supra centesimum ab hac luce ad æternam felicissime migravit. Ejus vero corpus in eo cœnobio maxima cum veneratione reconditum servatur, quod ipse adhuc vivens in Piceni insigni oppido Fabriano construxerat. Cujus festum quotannis tertiodecimo kalendas julias & in ipsa eremo, & aliis in locis sollemniter ac pie a Christi-fidelibus celebratur. Ejus autem vitæ sanctitatem ac miracula, quibus apud multos coruscavit, Petrus Damianus cardinalis, vir non minus religionis integritate, quam divinarum humanarumque literarum eruditione præditus, copiosissime quidem ac elegantissime descripsit. Floruit etiam eodem tempore vir non minori sanctitate præditus, Johannes Gualbertus nomine, qui beatissimo Romualdo & coætaneus, & arctissima amicitia conjunctus fuit. Hic, qui sæpius ipsam sacratissimam eremum sua præsentia illustraverat, cum celebre nomen ac eximiam illius sanctitatem per universos dis-

seminari audisset, pia quadam impulsus æmulatione Vallem-umbrosam per sexdecim milliaria ab eremo distantem, locum aeris amœnitate, multo vero magis numerosa sanctorum hominum multitudine insignem, construxit; qui etiam inter Divos relatus non apud Florentiæ gentem solum, ubi ortus fuit, verum etiam apud christianos omnes insigni quadam religione colitur. Nec longe post illum habuit idem Romualdus virtutis suæ æmulum paullo inferiorem Petrum Ursiolum Quirinum reipublicæ Venetæ ducem clarissimum, qui amplissimo dignitatis gradu contento Romualdi disciplinæ pauper atque humilis sese tradidit, nunqnam ab ejus latere discedens sive in Galliam gentesque alias proficisceretur, sive in eremo Camaldulensi vitam ageret, donec vita functus magnum vitæ contemnendæ exemplum omnibus reliquit. Quem etiam locum illustriorem, orbique universo clariorem fecit vir Deo carissimus ac singulari sanctitate admirabilis Franciscus Assisinus, qui cum prima suæ religionis fundamenta jecisset, Romaque egressus in Lavernium montem divino spiritu duceretur, ubi sacris stigmatibus decorandus erat, in Camaldulensem prius montem per duodecim milliaria a Lavernio distantem venit, eumque locum sua præsentia ac singularum ejus virtutum splendore sacravit. Cujus rei memoriam servat etiam hodie domuncula eodem in loco sub ejus nomine constructa, adjuncta proxime illi, quam sanctus Romualdus vivens inhabitaverat. Quam divi Francisci domunculam religionis ergo habitare nemo solitus est alius ab eo usque tempore, quam qui toti illi ordini præficitur. Sed quid aliud domuncularum illa varietas innuit; quam virtutum varietates, quibus eremitæ ipsi præ ceteris omnibus circumdari debent, ut templum Domini decorati virtutibus ingrediantur? Quid insuper aliud denotant hortuli ipsi, nisi quod veri anachoretæ discant semper in bonis operibus florere, ac suavissimum vitæ bonæ odorem jugiter de se præbere? Quid herbarum odor, pulchritudove aliud demonstrat, nisi quod perfectioris vitæ cupidi angelicam flagranti spiritu redolentes consuetudinem, mirabilem ac jucundissimum viriditatis bonarum actionum vigorem omnibus exemplar adhibere studeant? Quid deinde septem illi crystallini fontes aliud designant, quam lacrymarum fontes pro delictis præteritis ex eremitarum oculis distillare debere? Numquid hæc peculiaris non est Dei maximi gratia, quod tempus ad ea lugendum nobis con-

cedere dignatur? Quid postea nivis, qua solet mons iste irrorari cœlesti, aliud astruere videtur candor, quam crebram mentis & corporis ab eremitis castitatem servandam? ut tandem candido puroque corde dilecto suo sponso in cœlesti monte fruantur. Quid denique vallum illud ligneum locum ipsum circumdans & claudens aliud insinuat, nisi quod eremitarum corpora præcincta omnino servari debent perpetuis castitatis, paupertatis & obedientiæ muris, quæ potissima ipsorum quis esse fundamenta non videt? Debemus etiam habere clausos omnes sensus omniaque membra nostra custodia pervigili, ne vanis ac inanibus evagationibus huc & illuc diffundantur; linguam præcipue, quod membrum & perniciosum, & utile valde esse solet, prorsus habenis firmis refrænare in his maxime, quæ secum animæ læsionem adducunt: in his vero, quæ ad Domino debitas decantandas laudes, atque ad assiduum studium spectant, eas relaxare maximum quidem & incredibile animabus parat lucrum. Quid illud præterea sublimitas densitasque illa abietum, quam assiduam mentis ad Deum bonorum operum copia circum ornatam elevationem ostentant? Quid ima ipsarum planta? Quid trunci erectio? Quid rami expansi cum continuata frondium viriditate aliud designare videntur, nisi quod veri sacri hujus loci incolæ profundissimæ humilitati ceterarum virtutum plantationi innitentes, a qua truncus, id est ardens caritas oriens in cœlum usque se erigat ac penetret, a cujus quidem caritatis trunco nascentes rami, puta opera non arida virentibus frondibus, hoc est aliis virtutibus florescentibus spe viva e viriditate ipsa designata, cœlumque ipsum respicientibus associata ad proximos usque æqua lance distendantur, ut plantata in domo Domini in atriis domus Dei floreant? Quid rursus aliud crucis ipsius designationis mysterio commonemur, nisi ut perfecti anachoreticæ vitæ æmulatores crucem Domini fixe intuentes illam visceribus totis appetant & anhelent? Et sicut Dominus ipse noster eam pro universi orbis salute patienter ac sponte supportavit, ita etiam unusquisque mortalium suam peculiarem suimet abnegatione pro animæ suæ salute libenter tollat, ut tanti Crucifixi semitis maximo amore inhærentes ipsum in patria gloriosum ac immortalem respicere, eoque in æternum frui digni habeantur. Sed quid aliud ea olei distillatio præsefert, nisi quod habitantes locum sanctum Domini ipsum in ligno suspensum attente fixeque contemplantes, veluti solidissimum fortissimumque æterni patris nodum, intimis ac indefessis precibus efflagitent, ut tandem exoratus ex latere suo pretiosissimo oleum lætitiæ gratiæ suæ saluberrimum cunctis effundens, corda nostra unica illius gutta perfundat ac liniat, ut post hanc vitam tanto perfusi oleo gaudentes & lætabundi ingredi mereamur æternam? Ex ipsis autem abiegnis nodis globulos diametro perforatos torno eremitæ ipsi, otii vitandi gratia, conficiunt, qui funiculo transfixi connexique coronas, quas appellant, pulcherrimas in Domini nostri Jesu-Christi matrisque suæ sanctissimæ honorem constituunt, per eas nempe Dominicæ orationes & angelicæ salutationes enumerantur, quæ maximo apud magnates ceterosque omnes in pretio habentur, ac devoto pioque desiderio oblatæ accipiuntur; eo etiam magis, quod corona Dominica ab uno ex senioribus sanctissimæ vitæ eremitis, Michaele nomine, quondam excogitata ad commemorationem annorum vitæ Domini triginta-tres orationes Dominicas, & pro commemoratione quinque vulnerum ejus quinque salutationes angelicas ex mente persolvendas continet. Quam pie religioseque persolventibus Leo decimus pontifex maximus magna ex pretiosissimo ecclesiæ thesauro indulgentiarum munera concessit, ut ex impressis earum diplomatibus ac scriptis late apparet. At quid corona illa abjetum aliud indicat, nisi quod ipsius celebris situs habitatores ea vigilantia omnes suos & exteriores, & interiores sensus collectos conservare studeant, ut absque ullo angulo, mentis scilicet distractione, ipsam ad orationis, meditationis atque contemplationis exercitium solers præparent? Et ut etiam intra hanc abjetum coronam ad assiduam cum antiquo serpente pugnam per tentationum virilem tolerantiam accingantur. Sic enim probati in extremo judicio diademate æternæ gloriæ & honoris, universo Beatorum cœtu applaudente, ab immortali omniumque decorabimur rege supremo. Quid rursus volucrum ibidem insidentium cantilenæ suaves aliud præsagiunt, nisi quod eremiticæ vitæ æmulatores ita sensus suos, ita potentias moderentur, ut unaquaque ipsarum alteri, ut par est, suo ordine subjecta mirabilem inde ac jucundissimam melodiæ consonantiam apud Deum ipsum reddat? Quid postremo placidus ille modestusque aeris præ ipsarum abjetum altitudine ac nemorosa earum densitate sibilus innuere potest, nisi quod inclyti loci hujus incolæ nullo jactantiæ ina-

inanisve gloriæ elati vento, sed leni potius ac humili mentis spiritu moti ea ducti prudentia munera sua omnia spiritualia peragant, quatenus cœlestis spiritus aviditate excitentur. Igitur beati, qui habitant in monte sancto isto, quoniam in secula seculorum laudabunt Dominum. O mons pinguis. O mons coagulatus; mons, in quo beneplacitum est Deo se suosque habitare, etenim Dominus cum suis in eo habitabit in finem. Quid aliud mons iste servitutis Dei, quam mentis ad eum elevatio? Iste est præparatus mons ille in vertice montium & super colles elevatus, ad quem confluunt quamplurimæ gentes, & veniunt populi multi dicentes: Venite ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei nostri, & docebit nos vias suas, adambulavimus in semitis ejus, quia in eo salus est, & ibi verbum Domini docetur. Sed quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vanum animam suam, nec juravit in dolo proximo suo. Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob. Quænam quæso alia est ista generatio quærentium Dominum, nisi generatio sacrorum eremitarum, qui in monte sancto isto assidue Domino inserviunt? Ibi enim quamplurimi servi ejus, simplices, devoti & humiles, tamquam turba angelica, Sanctorum consortium, collegium apostolicum, justorum aggregatio, familia cœlestis, Beatorum cœtus, ac demum populus in hæreditatem Domini electus, degentes assistunt. Quorum sanctæ vitæ exemplum, laudatissima vivendi ratio, purissima eloquia & justissimæ preces quodlibet cor licet marmoreum diluent, atque ad debitum sine dubio servitutis munus Domino impendendum excitabunt, & ad beatius vivendum, mundique sordes relinquendas invitabunt. Ipsi sane zelo religionis Christianæ accensi omnia sua facta dictaque ad metam unam, Deum puta, ipsum summum suique diffusivum bonum dirigunt. Hi sunt veri Christicolæ, sine dolo, columbina simplicitate cum serpentina prudentia imbuti, profundissimæ humilitatis viri, seque tamquam omnium abjectissimos reputantes, nam qui major inter eos est minimum se existimat omnium. Nulla inter eos inæqualitatis discordiæve ratio regnat. Erga alios humani valde atque urbani, insignes caritatis amatores, in dictis veraces, corde mundi, spiritu puri, conscientia recti, morum vitæque disciplina inclyti, in incessu gressuve graves, in loquela cauti, inter eos submissæ & raræ voces, in aspiciendo oculorum evolutione severa remissi, in victu parcissimi, in dormitione temperati ac in vestitu candidi, puritatem mentis & corporis denotante; in ceteris denique humanis gestibus & actibus modestissimi & circumspectissimi, medium (quod sane tenuere beati) in omnibus complectentes. In loco excelso constituti, ut qui aliis prædominantur, in virtutibus excedant etiam, & ab eis quisque religiosus status vivendi normam perdiscat. Perfecti eremi operarii, verique anachoretæ, nam si unus cadit, ab aliis mutua inter se caritate sublevatur, eique in spiritualibus pariter & corporeis refectionibus subvenitur. Sunt item velut urbs alma super montem collocata, quæ occultari minime potest. Quorum sancta & præclara gesta universo notissima sunt orbi, in quibus tamquam in crystallino speculo christianæ omnes actiones relucent, habentes semper in manibus lampades assiduo lucentes, sacram videlicet Scripturam, cujus pia & frequens lectio animas interno fulgore splendentes in tranquilla pace, animi quiete, concordia atque unanimitate ita conservat, ut omnium sit cor unum & anima una, idemque omnium velle ac nolle. Felices certe, immo felicissimi omnium nuncupari jure optimo possunt ii, qui ad sacram eremum tamquam ad tutissimum ac securissimum portum confugientes, stabilitatem in ea fundant, & ad ipsam, tamquam ad fortissimum ac inaccessum castrum validissimis ac inexpugnabilibus hinc inde aggeribus & propugnaculis vallatum atque munitum pervenerunt; ne cum humanæ naturæ ipsius hostis ad illos suis calidissimis laqueis irretiendos repserit, improvidos penitus ac imparatos reperiat. Isti sunt veri milites Domini, qui vigilant quotidie nocturnas illas evangelicas vigilias ad unguem servantes. Hi sunt de electorum numero, tales nempe diligit Deus, atque etiam ut apud mundi principes magno habeantur in pretio, facit, quandoquidem ad ejus æmulationem conscendunt in montem, ibique resident, ubi beatitudines illas, quas ipse olim scandens in montem, ac sedens cunctum docuit populum, gradatim discernentes easque complectentes, cœlestem ambiunt aulam, in eamque intrare moliuntur. Hi denique sunt veluti fortissimæ illæ amici Dei Jacob ad suos debellandos hostes ordine distributæ, omnique ex parte præparatæ turmæ. Sunt enim sacri isti eremitæ triplici ordinis genere distincti; alii nempe secundi ordinis, quos appellant con-

conversos , ministeriis domesticis invigilantes; alii vero sacris initiati , ut semper choro divinis laudibus celebrandis assistentes ; reliqui autem perpetuo seu ad tempus suis in domunculis , ubi easdem laudes decantantes, & vitam ducentes acerrimam (quod tertium vivendi genus Sanctus etiam ipse adinvenit) conclusi manent. Illi sollicitæ Marthæ munus gerunt ; hi vero duo contemplantis Magdalenæ exercitationi continuo vacant. Sed omnes tamen simul , empyreum cœlum , sedem thronumque Dei, ubi hierarchiæ tres perpetuis mirabilia operæ ejus laudibus extollentes insistunt, sacro suo vivendi ordine præfigurant . Et ut omnia dicam ; abhorrent maximæ a diva eremo divisiones omnes, seditiones , conciliabula , loquacitas, irrisiones, susurrationes , vaniloquia & mendacium, adulationes, blandimenta carnis, inverecundia, impudicitia, simulationes ac subornationes , murmurationes, detractiones , odia ac humanæ omnes subjectæque affectiones, ventris ingluvies , crapula, otiositas & somnolentia, inanis gloriæ ambitus, elationes, petulantia, æmulationes ac hypocrisis simulata species, profanæ conversationes, munuscula, curiositas, corporeæ mollities, & alia id genus, quæ longum esset recensere. Quæ omnia aliena admodum valdeque absurda eremi incolis sunt, eremoque ipsi repugnantia, indigna & magnopere dissona, nequaquam enim talia patitur , neque permittit, quin potius hujusmodi contagioso morbo infectos a se, quemadmodum mare cadaver, protinus expellit. O sacra Camaldulensis eremorum eremus ! Quingentis quinquaginta & eo amplius annis a tua erectione primæva ad hæc usque tempora mirabili immutatione frugiferæ vitæ incredibili augmento ac divino suffragio laudabiliter perdurans. Optimam certe instar Magdalenæ beatæ partem tibi elegisti. O ceterarum eremorum princeps , siquidem in te perfectæ solitariæ vitæ conversatio a tanto Sancto quasi fertilissima vinea instituta est. Corona celsior. Fœcunda mater tales parturiens & congerens filios hæredes regni Dei. Pia nutrix talem alens sobolem . Ovile sanctum tali esca pascens oves . Amplissimus nidus tales volucres continens empyriacam musicam miro concentu resonantes . Tellus pinguis eximias producens fruges . Viridarium odoriferum . Pomarium amœnissimum . Salutis mediatrix . Bonorum collectrix . Renovatrix morum hominumque tamquam ignis auri excellens purgatrix. Inimica malorum. Æmulatrix bonorum. Reformatrix vitiorum. Lethalium ulcerum singularis curatrix. Orationis , meditationis atque contemplationis fulgentissima officina . Virtutum bonarumque disciplinarum laureata schola. Religionum caput . A te aliæ edocentur , & ad te tamquam primatem ordinum omnium religiosi libere confluere possunt . Paradisus terrestris cœlestem sapiens . Hortus conclusus supernum redolens . Janua cœlica . Magistra optima cœlesti eruditione discipulos instruens . Perfecta arbor perfectos procreans fructus. Promissionis terra . Domus Dei . Justorum hospitium . Sacratus locus caritate plenus. Arca pietatis . Ad te accedentes consolatione replentur. Euntes ac redeuntes alacre in te receptaculum inveniunt. Gratis victum eis illumque ardenti quidem pietate subministras . Ægrotos quoque hospitaris eisque mederis . O sacrarium sanctum, æterna laude dignum, famulos Domini purificans. Fortunati, qui in te commorantur tot bonorum ubertate fœcundi. Inter servos Dei in te nunc vitam degentes multi seniores sunt & capitis canitie, & niveis venerandi barbis, oblongis , complicatis & impexis , rugosis frontibus ac prominentibus superciliis, ea tamen sanctitate , pietate vitæque integritate præditi , ut velis nolis quisquis novus es eremi cultor eorum vitæ approbatæ exempla ac venerandus aspectus te commovebunt ad ipsorum gressus in via Domini imitandos . Præcipue tamen viri Dei Samuel & Silvanus aliis dignitatis honore notiores atque eminentiores in ipsa eremitica solitudine a multis hinc annis magna cum laude versati, qui plane quasi duo magna ipsius divæ eremi luminaria sunt, a quibus ceteri eremitæ tamquam stellæ fixæ vitæ sanctæ splendorem merito suscipere possent . Sed ipse Silvanus, vir non minus divinarum literarum eruditione , quam vitæ sanctitate preclarus, sermocinationes ac documenta super lectione evangelica utilia valde & salubria ad vitæ ipsius eremiticæ perfectionem indagandam privata ac interpolatis diebus publica summo spiritus fervore & caritatis ardore tironibus sacris ceterisque omnibus ingeniose admodum & pie edisserit atque dilucidat . Sub cujus disciplina illustrem admodum sacrum hunc locum vitæ sanctæ splendore facit Ambrosius Moncata præclaræ indolis juvenis, clarissimi comitis Aitonæ citerioris Hispaniæ frater germanus , qui ex vetustissima illustrissimaque & Moncatæ, & Cardonæ ducum familia originem trahens, spretis mundi hujus divitiis ejusque illecebris, ut divinis obsequiis melius vacare

care posset, summo omnium exemplo in ejus ætatis flore sanctæ hunc solitudinis locum in ejus habitationem ac requiem elegit. Sed quid dicam de Johanne-baptista Novariensi patre nimirum religione ac pietate insigni? Qui cum olim in hoc procelloso seculo diu artem militarem maxima certe cum laude apud primates quamplurimos exercuisset, ut verus Christi miles fieret, ad ipsam sacratissimam eremum celeriter confugit, inibique vitam solitariam admirabili quadam perseverantia per multos annos degit. Cujus eximiis meritis sanctitate ac singulari prudentia religiosi omnes collegii Camaldulensis commoti in ejusdem ordinis generalem & principem communi omnium accedente consensu, ac magno etiam applausu suffectus est. Cujus quidem ordinis vitæque degendæ rationis norma novis quotidie ac perutilibus institutis ampliat, excolit atque perlustrat. Supra horum autem gravissimorum virorum, aliorumque laudabilem solitudinem, quæ non modica est, summis etiam laudibus efferendam esse censeo vastam illam assiduamque Cornelii viri religiosissimi solitudinem, quam in una ex ipsius eremi cellulis conclusus sub perpetuo silentio ac vitæ perspicuo fulgore viginti annis & ultra transigit. Quem cum videre & alloqui mihi permissum esset, ea fui animi voluptate perfusus tum ex venerabili illius ac senili aspectu, tum etiam ex piis monitis vitæque christianæ religiosis institutis, de quibus me pro sua humanitate certiorem fecit, ut vix plura graviora a Serapione illo viro sanctissimo & antiquissimo audire possem. Ipsi autem ceterique omnes non immemores cœlestis beatitudinis omni studio ac sollicitudine die nocteque offerendis Deo summo hymnis & laudibus cum cæremoniis sanctissimis fervido concursu, imbribus cadentibus, nivium descensu, ventorum sævitia ac vehementi frigore undequaque postpositis, septies in commemoratum templum quolibet anni tempore conveniunt. Ibi sollemnia sacra devotissime celebrantur. Ibi variæ orationes, internus peccatorum dolor cum gemitibus, lacrymosis oculis, suspiriis atque singultibus ab intimis exeuntibus præcordiis frequentantur. Modus autem singularis eremoque dignus, quo in præfatis hymnis ac psalmis decantandis coutuntur in choro, quem non moveret ad plane fatendum locum istum sanctum esse? Senties nempe, utroque sibi alternatim respondente choro, resonantem quemdam inter psallendum ac pene divinum concentum; voces scilicet quasdam sonoras, planas, mediocres, æquales atque devotas, unicam seu proferentes vocem, planctum potius quam cantum sapientes; tale utique eremi incolæ munus lugendi, non autem canendi esse debet. Ad hæc dimidium quisque quotidie, totum vero certis diebus eremita apertus, sed conclusus integrum semper psalterium legit. Quis præterea negaret, quo tempore religiosis ipsis sub tetra obscuraque nocte ad templum matutinis laudibus persolvendis, quas semper stantes cum aliis canonicis horis nec sedibus unquam innitentes decantant, ire contingit, videns eorum quemlibet a singulis seorsum sibi deputatis cellulis recta cum accensis in manibus facibus sub dio incedere, sanctorum illorum eremitarum antiquorum in desertis montibus jampridem degentium non agere personas? Toto insuper satagunt animo regulas & instituta sacra per servos Domini Benedictum & Romualdum divino ejus spirante flamine sancita, ac per ejus in terris vicarios confirmationis munimine roborata, omni solertia adhibita implere, quorum observantia plena mercedem æternam absque ullo dubio animabus nanciscitur. Sed ex omnibus præcipua dignaque observatione sancta solitudo est & linguæ inviolabile silentium. Multiloquio tamen mendacium deesse non solet, & ex sermone mutuo etiam ultra debitum agendi quisque licentiam facile parit. Pronus est sensus ad malum, qui verborum stimulis adeo concitatur, ut qui silentii virtuti resistit, sermone concidat & ad iniquitatem declinet. Quoniam vero communes de rebus divinis sermocinationes vitæ spiritalis institutum non parum promovere possunt, fieri nonnumquam silentii remissio aliqua solet, ut hyemali tempore duobus, æstivo autem etiam tribus hebdomadæ diebus mutua invicem eremitis de rebus sacris habere colloquia liceat. Jejunii præterea cujuscumque generis formam servant, sed & illud præsertim, quod pane tantum & aqua constat (quæ infantum esca esse solet) apud illos sollemne habetur, terque in hebdomada, adventus, quadragesimæque tempore super nudo solo pedibus etiam nudatis sedentes illud celebrant. Per reliquum anni tempus octavo quoque die, qui per hebdomadas sigillatim passioni Dominicæ ascribitur, id ipsum singuli in singulis cellis absque transgressione sereno vultu observant. Quid plura? E mensibus anni duodecim numero, novem integros, recto facto calculo, his variatis vicibus jejunant. Accommodum valde carnis mortificationi ad-

adjumentum est jejunium, ut inde vocalis ac mentalis orationis sancta exercitatio, quod præcipuum est ac primum religiosæ vitæ præsidium, alacriori libentiorique fiat animo. Ex illa abstinentiæ forma discant eremi sacræ cultores se ad infantilem innocentiam per mundam sanamque conscientiam reversuros. Quo tempore vero non jejunant eam in victu parsimoniam servant, ut videntes in maximam admirationem prorumpant. Ab esu carnium continue, nisi infirmitatis tempus, idque extra eremum & ligneas etiam cruces, aliud postulare videatur, perpetuo abstinent, ne ciborum pondere corpus circa spiritualia grave minusque aptum reddatur. Intra ligneas illas cruces ab antiqua eremi institutione perpetuus omnibus carnium esus & mulieribus ingressus inviolabiliter interdicitur. Transgressores autem anathemati subjacent, cujus absolutio non ab alio, quam a summo pontifice impenditur. Nec ab re puto erit hic obiter enarrare, quæ mihi Silvanus eremita senior vir quidem gravissimus inter loquendum sæpius dixit. Mariam scilicet, si recte memini, Medices illustrissimam Leonis X. pont. max. propinquam consanguineam olim eximio sacrum hunc visendi locum desiderio captam. Idque amplius ferre non valens, ut voti esset compos, ac rem securius efficeret, propriis exuta vestibus viri indumenta assumpsit. Quadam vero die a quibusdam sibi intimis associata in eum locum intravit, illumque undique circuivit, & animum visu tantopere optato explevit. Postea vero pœnitentia ducta, videns se anathematis vinculo innodatam, Romam adire decrevit. Quæ ad summi pontificis pedes provoluta rem omnem non absque lacrymis ei narravit. Quam pontifex prævia correctione absolvit, ea tamen lege, ut in eadem sacra eremo splendidam domunculam suis sumptibus construi faceret, quam ipsa magnificis quidem lapidibus ornatam una cum religioso oratorio divo Johanni-baptistæ Florentiæ patrono dicato erigi curavit, quæ merito inter alias domunculas primatum tenet. Retulit mihi etiam idem Silvanus clarissimam Eleonoram a Toleto Cosmi Medices Florentiæ ac Senarum ducis maximi uxorem non minori desiderio almum hunc videndi locum accensam, amplissima diplomata a Pio IV. pont. max. ingrediendi quævis etiam secretiora loca obtinuisse. Cumque die quadam huic suo desiderio satisfacere vellet, montis ipsius juga ascendere cœpit. Cui jamjam ligneis crucibus proximæ Silvanus ipse, qui rem præsciverat, data opera obvius occurrit, ut ejus animum ab ingressu revocaret. Cujus monitis ac suasionibus Eleonora sententiam non absque maxima omnium laude & lætitia mutavit, nolens cum posset tam laudabile & antiquum institutum transgredi, quinimmo ipsius divæ eremi ædem sacram pretiosis quidem vestibus, ut Christo Domino piacula solvantur, ornavit. Ovis, piscibus, caseo & fructibus eremitæ ipsi parcissime vescuntur, aluntur concoctis herbis & leguminibus, panis est illis non admodum exquisitus, vinum debile, sed salubre. Auget etiam hunc austerioris vitæ rigorem, quod in cibo capiendo mensam communem non habent, sed seorsim singuli extra aliorum consuetudinem in suis cellulis cibum sumunt, quamvis hæc privatæ mensæ lex non est apud illos perpetua, quin sollemnioribus anni diebus, qui sunt omnino duodecim, fovendæ caritatis gratia in communem refectionis locum conveniant. Ex his omnibus facile quisque comprehendere potest corporeos eremitæ sensus in nulla re oblectamentum sumere. Nam si ab oculis tamquam in sublimiori capitis parte sitis, incipias, nil utique, quod eos delectet, invenies. Quia si ipsos extollant, nudum aspiciunt cœlum; si deprimant, siccam terram, si circumspiciant, nil præter summe erectas arbores cernunt. At vero spirituales eorum sensus hoc vivendi genere congaudent, ex quorum elevatione in cœlum, creatorem ac beatitudinem, ad quam creati sunt, ex submissione vero terram, a qua orti sunt, ad quamque revertentur, contemplantur. Sed ex arborum circumspectione eumdem ipsum creatorem considerant, cujus invisibilia, per ea quæ facta sunt, a creatura mundi intellecta conspiciuntur. Aures pariter nil, quod eas recreet, audiunt, sed spirituales eximio afficiuntur melodiæ concentu, dum divinæ laudes in templo Domini raro quodam, devoto ac pene divino persolvuntur modo, cujus generis musices nihil est in orbe, quod comparari ulla ex parte possit. Audiunt etiam inter loquendum mirabilia de lege Domini documenta, ex quibus totus accenditur homo in ejus amorem. Naribus autem qualis odor proveniat, judicet unusquisque, cum nullo unquam suavitatis odore reficiantur; redolent tamen sanctitatem ac pietatem maximam, quæ omnem perfecti opobalsami liquorem odoriferum, atque pretiosa aromata longe transcendit. Gustus insuper, quam sentiat suavitatem, satis aperte superius intellexisti, at spiritualis inenarrabilem saporem ex divino cibo, quem

fre-

frequenter deguſtat, percipit, adeout, qui hunc mirabilem guſtum experitur, omnino alium humanum quemque exoſum habeat. Poſtremo qualis poſſit eſſe tactus, ex præmiſſis late conſtat, quoniam ſi ceteri nobiliores ſenſus hiſce rebus ſemper occupantur, neceſſario ſequi debet, ut manus & pedes ne in uno quidem apice ab illorum ſancto & perfecto tramite diſcrepent; ſed concordes circa divina obſequia exerceantur. Quieſcunt præterea in eadem ſacra eremo multorum corpora, quorum animæ æterna fruuntur gloria, præcipue tamen aliquorum corpora diſtinctis ſepulcris recondita cum veneratione ibidem ſervantur, qui multis miraculis coruſcarunt. Fuit præſertim vir quidam eximia ſanctitate præditus, Leonardus nomine, qui cum ſecundi ordinis tunc eſſet, per multos annos occluſus manſit. Hic cardinali Hugolino magnæ ſanctitatis viro, qui ad ſacram eremum, ut rebus æternis melius vacaret, confugerat, dum in divinis quotidie miniſtraret, prophetico ductus ſpiritu, cum quadam die illi ſanctam rem peragenti more ſolito miniſtraret, pedes ejus deoſculatus, creatum pontificem ſummum illum prædixit, ac propediem adfuturos, qui illum Romam a collegio cardinalium miſſi evocarent; quod ita evenit, & Gregorius IX. poſtea appellatus fuit. Qui cum pararet diſceſſionem, cupiens optimum hunc miniſtrum ſecum Romam ducere, pro viribus id ab eo impetrare contendit. Hic tamen id admirabili humilitate recuſans ſummis precibus petiit, ut ſibi liceret in eo domicilio reliquum vitæ tempus peragere, in quo ipſe olim cardinalis divinis rebus intentus incluſus vixerat, quod ab eo humaniſſime impetravit. Cumque hinc ad meliorem patriam vocaretur, ejus anima viſa fuit in ſphæra ignea ſplendidiſſima ad ſuperos avolare, & campana ejuſdem eremi intacta in ipſo animæ egreſſu ſua ſponte ſonum edidit. Ejus vero corpus in eo ſacello reconditum eſt, quod ab illo ipſo pontifice in beatæ Virginis laudem conſtructum etiam nunc ſub ejuſdem pontificis titulo manet. Neque minus illuſtrem ſacrum hunc locum fecit vir admirabili ſanctitate Peregrinus, cujus ſanctitati cum vehementer invideret communis humani generis hoſtis, ſuis illum artibus ita aliquando impugnavit, ut a vitæ illius cœleſtis vertice ad ſeculi blandimenta urgeret, quem ſane præcipitem egiſſet, niſi angelus a Deo miſſus ad ſeculum properanti ſeſe oſtendiſſet, qui illum non ſolum oratione & monitis ad eremum revocaret, ſed etiam divinarum rerum contemplationibus mentem imbueret & illuſtraret. Quas eremitæ contemplationes ſcriptis exceptas etiam hodie retinent, & antiqua patris ſancti monumenta legenda omnibus expoſuerunt, ad aram templi majorem, ubi ipſius corpus conditum magna veneratione ſervatur. Juxta quod corpus etiam Michaelis magnæ ſanctitatis viri cum veneratione ſervatur. Hic coronam Dominicam, quam ſuperius dixi, inſtituit. Cujus vitæ ſanctitatem referunt etiam hodie calepodii ſeu lignei ſocci, quibus ipſe dum erat incluſus loco calceorum nudis pedibus utebatur, in illorum nempe ſuperiori parte, quæ plantas pedum reſpicit, earumdem plantarum effigies perinde ac in maſſa ex diuturno uſu impreſſa ſunt. In cujus rei memoriam ſub altari oratorii domunculæ, quam ipſe olim occluſus habitabat, merito ſervantur. Unum autem illud, quod ex aliorum eremitarum oſſibus in communibus cryptis quieſcentibus aperte conſpicitur, haud tacendum puto, quod ſcilicet nullo umquam tempore oſſa ibidem incluſa nuda, ſimplicique tecta tabula fœtorem quempiam, quo alia ut plurimum infici ſolent, a ſe emittant; quinimmo ſi tabulam ipſam removeas, ſenties ſuavem inde naribus provenire odorem. Quod quidem argumentum eſt potiſſimum eorum ſocias, nempe animas, gloriæ perpetua fragrantia recreari, & minime pati, ut corpora, quæ eas, dum in hac mortali ſimul conjungerentur, ad innumera lucranda merita adjuverunt, fœtori putredinique ſubjaceant, ſed quæ tribulationum ſocia fuerunt, ut conſolationum ſint etiam participantia, æquum eſt. Quod ſi hoc in aridis apparet ſignum, quale fuiſſet in viridibus, judicet quiſque pius ſpiritus. O terra ſancta ſancta etiam & non putrida continens oſſa! Hæc ſunt vere oſſa illa arida, quæ audiverunt verbum Dei, illudque cuſtodierunt, hæc eadem in noviſſimo die audient illud dulciſſimum verbum: Venite benedicti, percipite regnum, quod paratum eſt vobis ab origine mundi. Hæc dixi, ut ſuperſtites, quantum in nobis ſit, imitari conemur, & cum illis ita converſemur, ut ſancti efficiamur. Divorum autem animas oremus, ut intercedant pro gratia, quam optamus, habenda. Sunt inſuper ibidem quamplurimarum indulgentiarum gratiæ eædem numero, quæ ſunt in alma Urbe per diverſos Domini in terra vicarios de pretioſiſſimo eccleſiæ ſuæ theſauro conceſſæ. Sacroſancta itidem ſacramenta, quæ in animarum medelam reliquit, frequentantur,

tur; sacra videlicet confessio & ejus sacrati corporis digna susceptio, quibus adhærens unus secum evadit spiritus. Quæ si digne suscipiantur, inexplicabile oblectamentum, inenarrabilem jucunditatem ac incredibilem animæ tranquillitatem secum afferunt. Plurimorum item sacrorum doctorum in scriptis lectiones provida & utilia documenta ac vitæ circumspectæ exempla quamplurima ad mentis nostræ proficuam eruditionem in ipsa sacra eremo sunt, ut percurramus ea, & legem Domini ante oculos semper geramus, necnon quam in ejus laudem profitemur normam. Recentiora documenta revolvamus, perlegamus & imbibamus, nobis namque summopere convenit. Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & Scripturarum consolationem spem habeamus. Hæc sunt, quæ de sacratissima ac celeberrima eremo Camaldulensi præ nimio gaudio & animi tranquillitate inde accepta commemorare in hoc primo libello statui. Quæ licet a me pro veritate enarrata sint, non tamen eo dicendi studio ornataque oratione fateor celebrata, ut res ipsa exigere videbatur. Deus optimus maximus nobis omnibus gratiam suam impertiri dignetur, qua gradatim ab hac lacrymarum valle in montem sanctum ejus ascendamus, in quo cum ipso æterna fruamur requie. Amen.



DIS-

DISSERTATIO
DE VARIIS SPECIEBUS VETERUM CONVERSORUM IN ORDINE SANCTI BENEDICTI,
ET PRÆCIPUE IN CONGREGATIONE CAMALDULENSI
NOVIS ET ANTIQUIS MONUMENTIS ILLUSTRATA.

---

§. I.

Sanctus Benedictus in sua regula neminem excludit a monasteriis.

SANCTISSIMUS parens noster Benedictus in regula sua admirabili personarum acceptionem & discrimen procul exulare jubens a monachorum suorum claustris, plebejos æque ac nobiles, doctos atque indoctos, pauperes & divites, clericos & laicos promiscue suscepit, dum vixit, suscipiendosque sectatoribus suis post se præcepit. Canones, quos observandos abbatibus hac super re constituit, ejusmodi sunt. *Non ab eo*, (*a*) inquit, *persona in monasterio discernatur .... non præponatur ingenuus ex servitio convertenti .... quia sive servus, sive liber, omnes in Christo unum sumus, & sub uno Domino æqualem servitutis militiam bajulamus*. Disciplinam item suscipiendorum fratrum tradens alumnis suis, vult hominum quorumlibet generibus monasterii januas patere. *Noviter* (*b*), ait, *veniens si quis ad conversionem .... annuatur & ei ingressus*, æque admittens intra parietes suorum cœnobiorum & (*c*) *filium de nobilibus, & pauperiores, & qui ex toto nihil habent*. Insuper: (*d*) *Si quis de ordine sacerdotum in monasterio se suscipi rogaverit .... clericorum si quis eodem desiderio monasterio sociari voluerit ....* (*e*) *monachus peregrinus si pro hospite voluerit habitare in monasterio*, rejici neminem, excipi omnes, *si perstiterint in hac supplicatione*, vult sapientissimus noster legislator.

a Cap. 2.
b Cap. 58.
c Cap. 59.
d Cap. 60.
e Cap. 61.

§. II.

Duplex genus hominum, qui ipsius regulam profitentur.

EX hac sancti Benedicti universali omnium intra claustra sua admissione, nullus non videt duplicis præsertim generis in cœnobiis Benedictinis monachos coaluisse, quorum aliqui teneris ab unguiculis vel sponte sua, vel a parentibus traditi Deo in monasteriis offerebantur; alii vero, postquam pluribus annis deservierant seculo, principibus, militiæ aliisve officiis, ad Deum convertebantur. Re enim vera improprie dicti fuissent converti ad Deum, quem numquam reliquissent, pueri, multoque minus infantes: optime autem quadrabat hoc ad Deum conversorum nomen iis, qui vel voluptatibus & illecebris seculi, honoribus quoque, vel etiam vitiis, toto anteactæ vitæ tempore indulserant. Hinc recte intelligitur, cur idem beatissimus pater regulam præscribens tenendam in suscipiendis fratribus, hos *ad conversionem* venire asserat; *probandos* idcirco esse *eorum spiritus, si ex Deo sint*; decernat pariter, (*f*) ut *suscipiendus in oratorio coram omnibus promissionem faciat de stabilitate sua, & conversione morum suorum*. Diversa quidem regula ab ea, quam præscribit observandam quoad filios nobilium vel pauperum, qui offeruntur, cum velit, (*g*) ut *si quis forte de nobilibus offert filium suum Deo in monasterio, si ipse puer minori ætate est, parentes ejus faciant petitionem, & cum oblatione ipsa petitionem, & manum pueri involvant in palla altaris, & sic eum offerant; similiter autem & pauperiores faciant; qui vero ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium suum coram testibus*.

f Cap. 38.
g Cap. 59.

§. III.

Alii in pueritia Oblati, qui Monachi, alii a seculo adulta ætate venientes, qui frequentius Conversi appellati.

PRIMI ergo proprie conversorum nomen obtinuere, oblatorum vero secundi. Oblatorum agmen ducunt Placi-

dus puer septennis, quem sancto Benedicto obtulit pater ejus Tertullus Romanus senator, & Maurus ætate aliquanto major, quem tradidit Eutychius senator similiter Romanus. Id actum cum Beda septenni pariter, quem parentes ejus devoverunt monasterio Girvvensi; id uno verbo postea actum cum plurimis & innumeris, quorum tamen exempla frequentiora occurrunt in monasteriis Galliarum, Hispaniarum, Angliæ & Germaniæ, quam in illis Italiæ. Muratorius (*a*) tamen edidit chartam oblationis, quam anno 784. duorum filiorum suorum monasterio sancti Bartholomæi Pistoriensis diœcesis fecit clericus Fulco, alteramque (*b*) Aurinandi & Godefridi Lucensium civium monasterium sancti Petri in loco Castellione pro filiis suis dotantium anno 723. Narrat etiam sanctus Petrus Damianus (*c*) in vita divi Romualdi filium comitis Guidonis monachum ab eodem Romualdo factum in cœnobio Urbe-vetano, *post non longum tempus* e vivis excessisse *in ipsa pueritia*; hic propterea a patre comite fuerat Romualdo oblatus. Alio autem loco (*d*) refert Hubaldum ex comite monachum Avellanensem habuisse in eodem Avellanensi cœnobio *quinquennem* filium suum, quem & *mon achum* vocat; huncque morem offerendi pueros in monasteriis acerrime propugnat opusculo XVI. idem sanctus doctor. Inter chartas archivi monasterii nostri sanctæ Mariæ in Gradibus Arretinæ civitatis, in quo continentur vetera etiam monumenta alterius abbatiæ sanctæ Mariæ de Agnano ejusdem diœcesis, abbatiæ pariter Pratalienssis, nec non aliorum monasteriorum congregationis nostræ, tabulas legimus (*e*) Johannis Langobardi infirmi, qui anno 1051. oblationem facit monasterio sanctæ Mariæ de Prataliâ, & ecclesiæ sancti Clementis de Arretio subjectæ eidem Pratalienssi abbatiæ, de *Ildibrandulo nepote suo, ad hoc, ut ad monasticum ordinem recipiatur*, cui ecclesiæ donat insuper alia sua bona. Mos hic a monachis ad canonicos transiit, penes quos similia puerorum Deo oblatorum exempla leguntur. Hujusmodi pueri toto vitæ suæ tempore cœnobia incolere, monasticamque regulam servare perpetua stabilitatis lege canonica tenebantur, cum jam paternis bonis actu eorum oblationis a parentibus factæ renuntiasse putarentur. Si tamen inviti cuculla monastica induti fuissent, poterant aliquando resilire; & Nicolaus papa I. Lambertum quemdam clericum violenter cœnobitam factum a Salomone episcopo Constantiense de voluntate Attonis comitis patris sui, a monastica professione liberum pronuntiavit, ut docet Mabillonius (*f*); extantque sub finem seculi XII. decretales epistolæ Cœlestini III. & Innocentii III. Romanorum pontificum ab hac pueros obligatione liberantes, si quindecim annorum ætatem attingentes, oblationem suam ratam non habuerint. Ad hujuscemodi disciplinæ illustrationem nil superaddimus, cum de ea plures auctores disseruerint, præsertim Haeftenius, Mabillonius, Martenius ceterique scriptores San-maurini, omnibusque numeris absolutam habeamus docti presbyteri Patavini Petri Magagnotti dissertationem *de antiquo ritu offerendi pueros adhuc impuberes in monasteriis, præsertim sub regula sancti Benedicti*, quam *Literariis notitiis* anni 1732. inseruit Albritius.

a *Antiq. medii ævi T. V. col.* 381.

b *Ibid. col.* 371.

c *Cap.* XXXVIII.

d *Opusc.* XXXVI. *cap.* XVII.

e *Num.* V.

f *Præf. I. in sæc. VI. §.* V.

Prima vero *suscipiendorum fratrum ad conversionem* disciplina notior adhuc est, quam ut indigeat exemplis illustrari. Petrus Damianus de Petro Urseolo loquens, attenta ejus insigni Veneti ducatus abdicatione, ipsum magnum conversum appellat: (*g*) *In Galliam ad monasterium abbatis Guarini magnus conversus aufugit*; eadem ratione, qua Cassiodorius monachus factus, *Senatorem jam Domino præstante conversum* se appellavit in inscriptione suorum commentariorum ad epistolas canonicas, super apocalypsim & super psalmos, ut observavit (*h*) etiam ante nos V. Cl. domnus Johannes-chrysostomus Trombellius abbas in monumentis, quibus illustrat domus suas canonicas sanctæ Mariæ ad Rhenum, & sanctissimi Salvatoris de Bononia. Hinc pariter *conversum* Classensem (*i*), cum quo miscuit colloquia salutis noster parens Romualdus, minime dubitamus interpretari pium monachum adulta ætate in cœnobio Classensi receptum. Olibanum quoque Cerritaniæ & Bisulduni comitem a Romualdo & a Petro Urseolo stimulatum ad capessendum habitum monasticum in cœnobio Casinensi, *conversum* ejus monasterii jure merito appellare possumus, cujus votum *conversationem* nominare placuit (*k*) Damiano. Idem sanctus doctor *conversos nobilissimos* appellavit Tammum, Bonifacium, ceterosque Teutonicos, quos apud urbem Tiburis ad monasticam & eremiticam vitam pellexit Romualdus, & ad solitudinem Perei secum duxit, sicut etiam *conversi* nomine donavit consanguineum Adhelberonis ducis cum aliis Teutonibus monachum ab eodem Romualdo factum. Sic enim in usu erat antiquis temporibus, ut a tenera ætate Deo dicatis *oblatorum* & *mo*-

nachorum

g *Vit. S. Romualdi cap.* 5.

h *Pag.* 159.

i *Vit. S. Rom. cap.* 2.

k *Ibid. cap.* IV.

nachorum nomen adhæreret, & aliquando etiam *nutritorum*, ut mox videbimus, sicut frequentissime *conversorum* nomen, vel etiam *novitiorum* & *pulsantium* adhæreret iis, qui florentibus, vel virilibus vel etiam postremis annis vestem cœnobiticam induebant.

§. IV.

Inter utrosque ortæ aliquando divisiones.

EX præfata monachorum diversitate, quorum alii a pueritia sua sacrorum locorum institutionem acceperant, alii adultiore ætate intra cœnobiorum septa admissi fuerant, originem habuit in aliquibus monasteriis mutua querimonia. Egregium hujusce reciproci murmuris testimonium nobis præbet Eadmerus monachus Cantuariensis in libro *de similitudinibus*, qui vulgo tribuitur sancto Anselmo archiepiscopo itidem Cantuariensi, & reperitur tomo III. (*a*) operum ejusdem sancti doctoris. *Verum quia*, inquit Eadmerus, *de conversis & nutritis congregatur ordo monachorum, dicendum est, quod solet esse contentio quædam inter nutritos monachos & conversos. Asserunt enim nutriti se nulla crimina commisisse, nec se in seculi sordibus coinquinasse, sed quia mundam ab infantia vitam duxerunt, & in Dei servitio semper laboraverunt; illos vero e contrario semper vixisse considerant, & ideo merito inferiores esse judicant. At contra conversi, quia scientiam exteriorum habent, & res monasterii sapienter tractant, nutritis ipsis necessaria inveniunt, ordinem quoque suum ferventius plerumque custodiunt, illos vero parum in his valere considerant, ideo se meliores illis æstimant, sicque aliis alii se præferunt, dum non suam, sed aliorum infirmitatem attendunt. Sed si vere monachi essent, sic esset inter eos, quomodo inter angelos in cœlis & homines sanctos. Angeli enim sunt quasi nutriti, sancti vero homines quasi conversi, sed nec angeli sanctos despiciunt, quia tentationibus aliquando victi sunt, nec sancti angelos, quia nullam, quam vincerent, passi sunt tentationem. Si enim Michael diceret Petro: Tu Dominum negasti; posset Petrus respondere: Verum quidem est, quod dicis, sed tu pro Domino numquam vel nullum colaphum sustinuisti. Quod omnino non faciunt, sed ita existunt concordes, ac si omnes essent angeli vel homines. Sic ergo sunt isti, ac si nutriti sint omnes, aut conversi.* Licet Eadmerus loquatur de conversis præcipue, qui exterioribus operibus erant addicti, locum nihilominus ipsius in medium protulimus, ut *nutritorum* nomen attributum fuisse ostenderemus *oblatis* a pueritia, *conversorum* vero iis, qui provectiores ad monasteria confugerant.

a Cap. 78. pag. 211. edit. monachor.

§. V.

Utrique tamen veri monachi.

ÆMULATIO ipsa, quæ *nutritos* inter & *conversos* cedebat, clare manifestat utrosque veros monachos fuisse, unicumque corpus ipsos constituisse in monasteriis, quia si alia, quam nominis distinctio intercessisset, non ita facilis locus fuisset hujusmodi querelis. Uterque itaque *nutritorum* & *conversorum* ordo ecclesiasticis muniis intererat, divina officia in choro persolvebat, ceteraque cœnobiorum ministeria adimplebat, utrumque horum hominum genus professionis suæ monasticæ locum tempusque servabat, neque distinguebantur inter illos nisi ii, qui clericali militiæ nomen dederant; hi enim præter capillorum, barbæque tonsuram omnibus communem, coronam insuper rasilem capillorum in capite gestabant, quam minime gerebant monachi non clerici, vel ex genere forent *nutritorum*, vel *conversorum*, quique passim monachi *laici & illiterati* appellabantur. Hinc legimus in actis sancti Willelmi (*b*) ex illustri comite monachi Gellonensis, ipsum *coma nobili, barba venerabili deposita & Deo consecrata, veste apostolica instar crucis*, nempe cuculla indutum fuisse; in actis (*c*) pariter sancti Petri Urseoli ex Venetiarum duce iter facientis cum Romualdo & Guarino Cuxanum versus, ut monachus fieret, habemus ipsum exorasse Guarinum abbatem, ut ad occultandam insecutoribus fugam suam, raderet sibi caput, barbamque juxta monasticam consuetudinem: *Quantocyus*, inquit, *accipe novaculam, & depone mihi barbam, sicque collobium indue monasticum*. Similia acta fuere (*d*) cum Petro Barbolano monacho ex Venetorum principe; cum Harduino (*e*) ex rege Italiæ monacho Fructuariense, & passim cum iis, qui convertebantur. At si monachatui vel conversioni accedebant meritum, doctrina, aliæque probæ qualitates, ad clericorum ordinem monachi vel conversi provehebantur, & tunc primum corona monastica decorabantur. „ Id ap„ paret, ut observat (*f*) Mabillonius, ex „ vita sancti Wulmari abbatis, qui pri„ mo factus monachus, non tamen cle„ ricus, eo quod illiteratus erat, postea „ eru-

b Apud Mabill. Sec. IV. p. I. pag. 79.

c Sec. V. pag. 855.

d Dandulus Lib. IX. cap. III. P. III.

e Chronograph. Saxo ad an. 1015.

f Præf. I. in Sec. III. n. xx.

„ eruditione accedente factus est clericus. „ Duravit discrimen istud inter mona„ chos ad seculum usque XII. ut patet „ ex libro de gestis Bernardi abbatis Ti„ ronensis, ubi fit mentio cujusdam non „ sacerdotis, qui tamen in seculo exi„ stens *sacerdotali usurpaverat fungi officio*: „ *is ad Bernardum veniens habitum mo*„ *nachalem suscepit. Tandem ad extrema* „ *veniens benedictionem coronæ, quam nec*„ *dum acceperat, cum Viatico accepit &* „ *obiit*. Hæc Mabillonius. “

§. VI.

Liberos tantum volunt utrosque Romani pontifices posterioris ævi.

LICET in cœnobiis exciperentur adulti viri, immo etiam senes, ii insuper, qui inquinatam vitam in seculo gessissent, ut pœnitentiam agerent, illud tamen posterioribus seculis lege cautum fuit, ut accedentes & postulantes monachatum liberi essent, suique juris; hinc in Romanorum pontificum privilegiis, quæ monasteriis & abbatibus concessa fuere, quorum bene multa habemus, hujuscemodi tantum hominibus permittebatur ingressus: *Liceat quoque vobis*, inquiunt, *clericos & laicos, liberos & absolutos, e seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere*. Item: *Si qua vero libera & absoluta persona in vita sua, sive in morte in suprascripto monasterio se conferre voluerit, recipiendi eam absque ulla contradictione liberam facultatem habeatis*; nimirum intercludebatur aditus servis, captivis vel alterius dominio quomodolibet obnoxiis, quem olim non intercluserat in sua regula sanctus Benedictus.

§. VII.

Ad conversorum genus pertinent Confessores, Confessi & Confessæ.

CONVERSI hujusmodi, qui provecta ætate ad monasteria confugiebant, divinæ justitiæ pœnitentiæ operibus satisfacturi, aliquando *Confessi* & *Confessores* appellati fuere. Hocce nomen antiquitus introductum præcipue fuit in cœnobiis Hispaniarum. In charta æræ 974. apud (*a*) Yepesium, & apud (*b*) Mabillonium leguntur: *Ranecaldus abbas testis; Busianus abbas; Islarius confessor; Lupus confessor*. In alia regis Beremundi æræ 1007. apud eumdem Yepesium habetur: *Et ab eis constitutum est in hereditate propria monasterium construere vocabulo sancti Laurentii territorio Deza* &c. *ut esset illic habitatio confessorum, advenientium hospitum atque pauperum refrigerium* &c. *& faciatis ibidem confessionem in vita sancta perseverantes* &c. *ab inde vobis jamdictis Anscario presbytero, & Transvario confessori in nomine Domini do & concedo* &c. & postea: *teneatis ipsum monasterium de nostro dato* &c. *& post vos obtineant eum sancti homines & eximii confessores*. Alia exempla in medium profert Mabillonius (*c*) Annalium T. III.

a T. V. pag. 427.
b T. III. Annal. p. 425.

Moniales quoque in Hispania aliquando *Confessæ* vocabantur. Idem Yepesius (*d*) tabulas producit Muniæ abbatissæ Superadi, quæ anno 782. juxta Mabillonium hoc adjunctum usurpat: *Ego Munia, licet indigna confessa, una cum consensu fratrum vel sororum permanentium in cimiterio Superadi, sive & ego Gutier abbas cum omne collegium clericorum vel monachorum normam sanctitatis obtinentium in ipso prefato monasterio &c.* Legitur etiam apud (*e*) eumdem sequens epitaphium: *In hoc recluso lapide requiescit famula Dei Ildontia defuncta confessa* VII. *kl. septembris æra centesima prima post millesimam*, & penes (*f*) Mabillonium hoc aliud refertur. *Degit hic humatum Ilduaræ confessæ sanctum corpus conditum a Rudesindo episcopo prole sua tertiodecimo kalendas januarii* C. M. LXXX. *æræ*, quæ cadit in annum Christi *962*.

c Pag. 352. 384. 425.
d T. IV. pag. ult.
e T. VI. pag. 17.
f Sec. V. p. 516. n. VII. in observat. præviis.

§. VIII.

Monachi seu conversi ad succurrendum.

ILDONTIA, quæ in primo epitaphio vocatur *defuncta confessa*, ideo forte sic appellata fuit, quia habitum monasticum morti proxima induit, tamquam si diceretur mortua monialis; aliter superabundaret dictio illa *defuncta*. Hæc disciplina vestem monasticam suscipiendi ante obitum novum introduxit monachorum sive conversorum genus, qui appellabantur *ad succurrendum*, sicut etiam apud Hispanos ea consuetudo vocabatur *confessionis ordo*. Ut aliqua prius dicamus de *ordine confessionis*; cum venenum propinatum fuisset Wambæ Wisigothorum regi, *episcopus & optimates* videntes ipsum *absque memoria jacentem, statim ei confessionis & pœnitentiæ ordinem* dederunt. *Cumque rex a potione convaluisset, intelligens ordinem sibi impositum, monasterium petiit, ibique, quamdiu vixit, in religione permansit*. Ita factum describit Alphonsus Salmaticensis episcopus, quod bene

bene non explicant Rodericus Toletanus & Lucas Tudensis, ut observat Mabillonius, qui insuper plura exempla adducit non tantum privatarum personarum, sed principum, regum & imperatorum habitum monasticum postulantium *ad succurrendum*, cum morti essent proximi. Illustriora, quæ novimus, hinc inde excerpta monumenta sunt illa Sebbis regis orientalium Saxonum circa annum DC.LXXV. qui, (*a*) teste Beda, *correptus infirmitate permaxima venit ad antistitem Londoniæ civitatis, & per ejus benedictionem habitum religionis, quem diu desideraverat, accepit*; imperatoris Lotharii filii Ludovici Pii, qui anno 855. obitum suum vicinum esse agnoscens, *vitamque desperans, monasterium Prumiæ in Arduenna constitutum adiit, seculoque & regno penitus abrenuntians tonsus est, vitam habitumque monachi humiliter sumens, & disposito inter filios regno intra sex dies vita decessit*, ut narrant annales Bertiniani ac Mettenses, & Regino in chronico; & Ludovici VI. regis Francorum, qui *b* auctore Sugerio abbate, *ut erat in consiliis providus ante sacratissima corpora* Dionysii sociorumque ejus *regni & coronæ depositione coronam pro corona, pro regalibus insignibus & imperialibus ornamentis humilem beati Benedicti habitum commutando, monasticum ordinem profiteri voluit*. Id quoque præstitere plures episcopi, Ermenthæus episcopus Aurelianensis, testimonio Letaldi monachi in *c* libro miraculorum sancti Maximini abbatis Miciacensis; duo episcopi Autissiodorenses (*d*) Hugo & Robertus. Bernardus etiam Hildesheimensis, qui juxta Tagmarum (*e*) ipsius vitæ scriptorem *pro augmento religionis ipso die habitum priorem mutans monachicæ professionis jugum suscepit*; & chronographus Besuensis refert (*f*) Rotbertum episcopum Lingonensem *gravissimo correptum morbo humiliter se in conspectu Dei accusantem, & veniam peccatorum exposcentem, a domno VVidone abbate Molismense monachilem habitum suscepisse, deinde non post multum vitam finivisse, sepultumque esse apud Molismense monasterium in capitulo*. Idipsum narrant Johannes diaconus & Petrus Damianus de Lucido episcopo Ficoclense & abbate sancti Gregorii de Urbe. Immo fere universalis erat hæc disciplina, & Goslenum legimus auctorem monasterii Josaphatensis prope Carnutas (*g*) *jura monachatus, sicut mos est, ad succurrendum* ab abbate Girardo recepisse, & *monachali habitu vestitum brevi postea tempore transacto vitam exuisse*; & Luitprandus Ticinensis (*h*) nos docet patrem suum post reditum a legatione, quam nomine Hugonis regis Italiæ susceperat, *paucis interpositis solibus languore correptum monasterium petiisse, sanctæque conversationis habitum sumpsisse, in quo post dies quindecim mortuus migravit ad Dominum*. „ Mos hic etiam „ apud Græcos invaluerat, verba sunt (*i*) „ Ducangii, in notis ad Nicephorum Gregoram, nimirum ut cum in extremis „ versarentur, monachicum habitum sumerent, illum scilicet, quem *parvum* „ vocabant. Interdum etiam, cum morbus ingravesceret, *magnum*, quo perfecti monachi, ut loquitur Phranzes (*k*) „ de se ipso, seu Μεγαλόσχημοι, morerentur, quomodo vocabantur ii, qui ad „ summum monasticæ perfectionis apicem „ pervenerant. De Theodoro Lascari „ imp. CP. ad annum M. CC. LIX. „ hæc habet Gregoras (*l*): *Qui alacriter* „ *parvum habitum paullo ante obitum* „ *monachico cucullio mutaverat*; primitus „ enim parvum habitum induerat Theo„ dorus, deinde magnum. " Sed ad occidentales redeundo, in libro cæremoniarum Cluniacensium legitur *ordo ad visitandum infirmum ad succurrendum*; ut enim dari consueverat in extremis *baptismus ad succurrendum* ex ms. rituali monasterii sancti Johannis Laudunensis, & ex alio nostro Avellanensi ante quingentos annos exarato, nempe *baptismus infirmi*, ut clarius se explicat scriptor nostri codicis in ipso ordine describendo, sic dabatur habitus sive monachatus *ad succurrendum*. Intelligitur proinde juxta hanc disciplinam, quid sibi velint Romani pontifices in suis bullis, dum copiam faciunt monasteriis recipiendi liberos homines ad habitum *sive in vita, sive in morte*. Præclarus est etiam locus Oddonis monachi Cantuariensis in sermone de sancto Benedicto, ubi loquens de ordine Benedictino, *hinc est*, inquit, (*m*) *quod ad eum omnes gentes, nationes, tribus & linguæ benedictionum ejus accipiendarum gratia currunt, adeout ipsi derisores, qui huic religioni in vita sua detrahunt, in morte tamen absque hujus religionis habitu, scilicet cuculla saltem ad succurrendum, securi esse non audeant*. Similia & nobiliora in medium adducit Sugerius abbas San-dionysianus. Adamum episcopum Foro-sempronniensem sæpe invitaverat (*n*) Petrus Damianus ad habitum monasticum recipiendum, totidemque vicibus reluctantem fuerat expertus; tandem cum in gravem morbum decidisset episcopus, præceperat domesticis ejus sanctus vir, *ut si languor ingravesceret, il-*

lum

a *Histor. Eccl. Angl. Lib. IV. cap. II.*

b *In ejus vita.*

c *Num. 40.*

d *Præf. II. in Sec. IV. n. CXCII. & Præf. I. in Sec. VI. n. XXXV.*

e *Apud Mabill. Sec. VI. Par. II. n. 48.*

f *Spicileg. Dacherii T. II. p. 445.*

g *Mabill. Præf. I. Sec. III. n. XXI.*

h *Histor. Lib III. cap. 5.*

i *Histor. Bizant. T. XVI. Annot. pag. 5.*

k *Lib. I. cap. III.*

l *Lib. I. cap. II. n. 6.*

m *Mabill. Analect. T. I. pag. 358.*

n *Opusc. XLII. cap. IV.*

lum deferrent ad proximum sancti Vincentii Petræ-pertusæ monasterium, antequam decederet; nimirum ut eumdem episcopum monachum faceret. Dux Venetiarum Tribunus Memus fundator monasterii sancti Georgii-majoris *infirmitate confectus*, juxta Dandulum (*a*), *monachus ordinatus est in monasterio sancti Zachariæ . . . . ibique post sex dies obiit, & in eodem monasterio tumulatus*. Erat tunc temporis monasterium sancti Zachariæ ejus generis cœnobiorum, quæ appellabantur duplicia, in quibus & moniales, & monachi, distinctis tamen habitationibus, degebant, & hi quidem pro sacramentis monialibus ministrandis, vel pro administratione bonorum gerenda. Alter dux Sebastianus Zianus *senio & infirmitate ad extrema redactus*, (*b*) teste eodem Dandulo, *jam in suo ducatu fere sex annis completis, dum quasi spiritum exhalaret, ad monasterium sancti Georgii se transferri fecit, & sequenti die videlicet* XIII. *mensis aprilis vita cessit*. Brun pater nostri Brunonis-bonifacii *infirmatus, præcepto filii, qui ei apparuit, monasticum habitum assumpsit*, ut ipsemet (*c*) Ditmaro hæc scribenti narravit, *& die* XIIII. *kalendarum novembris in pace quievit*. Sergium Romualdi parentem decrepita ætate monachum factum in monasterio sancti Severi Classis Ravennæ refert Petrus Damianus; facile id contigit occasione alicujus præsentissimi periculi, quo decedere putavit. In archivo Fontis-boni (*d*) anno 1052. *Hugo filius Petroni de Bifurco jacens in lecto, mortis periculum previdens, donavit medietatem bonorum suorum* Prataliensi nostræ abbatiæ prope Camaldulum, & Dominico ejus abbati, ea conditione, *ut moriendo in monachorum societatem recipiatur*. Anno 1188. 2. aprilis (*e*) Marchises filius quondam Sassolini de Cruciduli *titulo testamenti cupiens monasticam agere vitam* reliquit domno Viviano abbati monasterii nostri sanctæ Mariæ de Insula decimas de Rivo-filci; die autem tertia ejusdem mensis Drudo frater ejus eidem Viviano se & alia latifundia donavit, apposita etiam lege, *ut si predictus Drudo de conventu Camaldulensi exierit*, terræ nihilominus pertinerent ad jus monasterii Insulani: manu Bruni notarii, & actum coram domino Johanne Faventino episcopo, & canonicis ejus in ecclesia sancti Ilari de Cruciduli. Anno 1249. 27. augusti *Johannes de Biblena infirmus corpore, sed sanus mente, obtulit se Deo & eremo Camaldulensi in manu domni Guidonis monachi, promittens obedientiam & castitatem tamquam conversus, manu Boni notarii*. Id in usu erat etiam apud Vallumbrosanos monachos; in vita enim sancti Johannis-gualberti, quam conscripsit alter sanctus Atto (*f*), legitur beatum virum habitum monasticum tradidisse cuidam Florentio, *dum gravissima teneretur infirmitate, & morti se proximum penitus asserebat*.

a Lib. VIII. cap. XVII. Par. XVI.

b Lib. X. cap. I. Par. XXXIX.

c Chron. lib. VI.

d §. Testamentum. n. 1. A. 1. 7.

e §. Testamentum. n. 5. A. 2. 31.

f Cap. v. n. 9.

Monachi *ad succurrendum*, ut animadvertit (*g*) Mabillonius, „ in professorum „ censebantur numero, si postmodum ex „ morbo convaluissent. Nam publica illa „ pœnitentiæ protestatio coram Deo irrita „ fuisset, nisi seculo nuntium remittendi „ firmus accessisset animus, ideoque his „ citra apostasiæ culpam ad seculi vota „ denuo redire nefas erat. “ Luculentissimum autem refert, præter aliud Orderici Vitalis, Petri Damiani testimonium ex opusculo XVI. ad Gislerium episcopum Auximanum, in quo hæc habet sanctus doctor: (*h*) *Tanta veneratione, tanta custodiæ censura monachicum habitum sancti patres dignum esse censuerunt, ut pene quocumque modo illum quis indueret, relinquendi postmodum licentiam non haberet*. Forte Sergius Romualdi pater monasterium deserere, & ad seculum reverti cogitans, ejus erat opinionis, ut sibi, postquam convaluerat, liceret habitum monasticum dimittere; sed increpitus, pœnitentiaque flexus a filio Romualdo in sancto proposito permansit.

g Præf. II. in Sec. IV. n. CXCI.

h Cap. VII.

§. IX.

Cæremoniæ adhibitæ cum fratribus ad succurrendum. Eorum nomina adnotata in necrologiis.

RECIPIENTES extremis diebus & infirmitatibus statum monasticum, triduanum silentium, quantum poterant, observabant, vota sua emittebant, & a ceteris monachis, ut veri monachi eorumque consortes agnoscebantur. Consulendi Mabillonius, Ducangius & doctissimi monachi congregationis sancti Mauri auctores supplementi ad Glossarium Ducangii. Udalricus (*i*) libro II. consuetudinum Cluniacensium elucidata disciplina, quam tenere debent novitii per triduum ab emissa sollemni votorum professione, silentii nimirum, solitudinis & delationis capitii in vertice (hanc capitii delationem præter silentium & solitudinem etiamnum nos Camaldulenses triduo a professione religiose tenemus, immo fere omnes Benedictinæ congregationes observant) subdit etiam infirmos, qui habitum monasticum *ad succurrendum* assumunt,

i Cap. XXVIII.

munt, debere hoc idem adimplere. *Si quis*, inquit, *infirmus*, *&*, *ut ajunt*, ad succurrendum, *benedictionem acceperit*, *& pro infirmitate silentium tenere non poterit*, *cum aliis*, *qui benedicuntur*, *capita contegentibus*, *ipse quoque contegit*, *& omnia*, *quae illi faciunt*, *eo triduo similiter facit*, *ut quod prius omissum erat*, *suppleatur*; *si vero tunc non potuerint*, *convalescentes teneantur adimplere*. Quare in dialogo inter Cluniacensem & Cisterciensem monachum apud (*a*) Martene haec leguntur. *Monachi in infirmaria assistentes lecto meo dixerunt mihi*; *vos debetis domnum abbatem rogare*, *ut faciat vos monachum*. *Rogavi*; *scriptae sunt mihi literae continentes professionem monachi*. *Tunc ego*, *qui non potui me vertere de uno latere in aliud latus*, *vix legens literas*, *promisi magna fortium opera*, *scilicet conversionem*, *& obedientiam & stabilitatem secundum regulam sancti Benedicti*, *quam penitus ignorabam*, *absque omni conditione .... Deinde cum per misericordiam Dei convaluissem de infirmitate mea*, *eduxerunt me de infirmaria*, *& statuerunt me ante altare*, *& fecerunt me literas professorias legere secundo*.

a Anecd. T. V. col. 1606.

Nomina monachorum vel conversorum *ad succurrendum*, dum fato cedebant, describebantur cum ceteris non solum in necrologio ejus monasterii, in quo diem extremum obibant, sed etiam in tabellis aliorum monasteriorum, inter quae unio & bonorum spiritualium participatio vigebat. Scribens sanctus Anselmus monacho alterius coenobii haec habet: (*b*) *Vir ille*, *qui a vobis nuper moriens monachicum suscepit habitum*, *mandate nobis nomen & diem obitus ejus*, *ut in nostro kalendario scribatur*. Coelestinus papa II. anno 1143. componens controversiam ortam inter priorem sancti Petri de Vivo & priorem Camaldulensem, mandat inter cetera, ut (*c*) *brevia mortuorum fratrum utrimque secundum consuetudinem Camaldulensis congregationis recipiantur*, *& pro eis obsequia celebrentur*; & (*d*) anno 1323. XXV. augusti domnus Bonaventura prior generalis Camaldulensis dedit literas patentes & commendatitias brevifero ordinis, seu qui nomina defunctorum deferebat, tam eorum, qui congregationis Camaldulensis fuerant, quam congregationis Vallis-umbrosae, quas *ab antiquo fraternae caritatis & familiaritatis in Domino vinculum copulavit*, ut simul ac ad congregationis loca pervenerit, *scribantur defunctorum nomina in matriculis*, *& affigantur*, ac pro illis defunctis, quorum nomina deferuntur, in divinis officiis, & aliis privatis operibus debita suffragia offerantur cum campanarum pulsatione sollemni. Idipsum lege cautum, ut praestaretur cum Avellanensibus monachis.

b T. I. Lib. I. epist. 21. p. 13.

c Arch. Fontiboni. §. Privileg. n. 28.

d Ibid. §. Notabilia. n. 13. A. 9. 12.

Addebatur defunctis cum veste monastica aliquando titulus *frater ad succurrendum*, aliquando omittebatur, & verisimiliter cum reperitur in necrologiis, sive kalendariis simplex titulus *conversus*, intelliguntur ut plurimum *fratres & monachi ad succurrendum*, non semper veri conversi, ut accipiuntur praesenti tempore, cum pene universalis ea esset disciplina habitum monasticum assumendi ante mortem.

§. X.

Alterius generis erant fratres commissi & conscripti ad succurrendum.

DISTINGUENDUM ab hoc genere fratrum ad succurrendum aliud genus *fratrum* similiter *ad succurrendum*, quorum nomina apponebantur in necrologiis, ut demonstraretur participatio dumtaxat, quam obtinebant, bonorum spiritualium alicujus monasterii. In necrologio abbatiae Martinianae prope Laudunum, quod habetur in appendice ad opera Guiberti abbatis Novigenti, legitur: XV. KL. *maji commemoratio Johannis imperatoris hujus ecclesiae fratris ad succurrendum*. Johannem Comnenum interpretatur (*e*) Mabillonius, Johannem Briennium (*f*) Ducangius. Uterque eorum obiit in oriente, ubi imperabant; quare habitum monasticum non receperunt in Galliis. Ejusdem proinde generis erant hi *fratres ad succurrendum* ac illi, qui in ceteris necrologiis appellabantur *fratres conscripti*; nimirum vel benefactores extiterant monasteriorum, vel monachi & moniales aliorum coenobiorum, vel literis participationis bonorum spiritualium donati fuerant. Hinc in eisdem necrologiis tot nomina leguntur principum, episcoporum, abbatum, abbatissarum, canonicorum &c. quae maximam lucem addidere historiae medii aevi. Plures, praeter monachos, leguntur *fratres* vel *commissi* conscripti in nostro Avellanensi necrologio, in aliis Vangaticiensi, Galeatensi, Bononiensi sanctae Christinae, Patavino sanctae Mariae ad Carceres &c. quae suo tempore publici juris faciemus. Monachorum defunctorum nomina etiam ad calcem regulae in necrologiis apponebantur; commissorum autem in quibusdam *matriculis* tantum: *Quorum nomina*, inquit beatus Martinus III. prior Camaldu-

e Praef. I. in Sec. III. n. 21.

f Glossar.

a Cap. 23.

maldulensis in ms. libro (*a*) divinorum officiorum Camaldulensis ordinis anno 1253. in generali capitulo compilato, loquens de monachis & de brevibus mortuorum, *in regula & matricula conscribantur; commissorum vel commissarum nomina tantum in matricula conscribantur, atque usque in tertium diem oretur.*

§. XI.

Conversi electi abbates, & rectores ecclesiarum.

VERUM dimissis conversis vel monachis *ad succurrendum*, ad eos conversos redeamus, qui adulta ætate ad Deum convertebantur. Hi, ut diximus, æque ac nutriti monachi ordinibus sacris decorabantur, quinimmo dignitatibus ipsis & conspicuioribus ministeriis, si id ferret eorum virtus & doctrina. Sanctus Wlmarus, (*b*) Mabillonio teste, ex converso clericus, inde abbas Silviacensis fuit; Gingurianus & Gulstanus monachi piissimi Ruinenses, quorum gesta in vita sancti Gildæ abbatis referuntur, ex genere conversorum erant; Ditmarus in suo chronico (*c*) narrat, Popponem conversum electum fuisse celebris abbatiæ Fuldensis abbatem. *In diebus illis*, inquit, anno nimirum 1013. *Bronhag abbas Fuldensis deponitur, & succedente sibi Poppone* converso, *& tunc Laressemensi pastore, hoc monasterium mutatur.* Apud Camaldulenses (*d*) anno 1267. I. septembris domnus Johannes prior eremi de Vivo & sanctæ Mustiolæ de Arcu Senarum, vice & nomine dictæ eremi, ad reformationem abbatiæ sancti Benedicti de Mojano, quæ erat membrum prædictæ eremi de Vivo, elegit in abbatem ejusdem domnum Nicolaum *fratrem & conversum*, vita ejus durante, quibusdam appositis pactis & conditionibus, manu Benvenuti notarii. Longe plures ex conversorum numero legimus a majoribus nostris electos rectores ecclesiarum., hospitalarios, capellanos, parochos. Anno (*e*) 1145. VII. octobris domnus Henricus episcopus Bononiensis, & domnus Rainerius abbas monasterii nostri sancti Michaelis de Massa de Paterno in castro Brittorum, post definitiones domni Longini sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, cui causa ab Innocentio papa II. fuerat commissa, convenerunt, ut ipse Henricus episcopus refutaret in manibus domni Longini ecclesiam sancti Johannis in Insula, & presbyterum Hugonem, qui ibi habitabat, & erat *conversus prefati monasterii*. Anno (*f*) 1169. I. aprilis domnus Hieronymus episcopus Arretinus cum consilio suorum canonicorum Hugucionis primicerii, Rustici archidiaconi, Raynerii archipresbyteri, Massarii, Matthæi & aliorum, ac domnus Rolandus prior monasterii Camaldulensis de Anglari præsentibus domnis Rodulfo & Mauro monachis Camaldulensibus, litem habentes super plebe de Micciano, de communi consensu ad talem concordiam devenerunt, videlicet, quod capellani ejusdem plebis de consensu prioris prædicti eligant plebanum, *qui si* conversus *fuerit* conversus *maneat, si vero non est, in manibus prioris predicti* conversum *se faciat; electo autem & converso facto plebano*, prior præfatus *exhibeat administrationem plebis* &c. Raynerio notario. Annis 1186. & 1212. rectores ecclesiarum sancti Nicolai & sancti Georgii, ac sanctæ Mariæ de Riofrido subjectarum parthenoni nostro sancti Petri de Luco (*g*) appellabantur *conversi de reverentia*. Anno 1221. XXI. aprilis (*h*) Martinus episcopus Arretinus protestatus est, nullum se velle præjudicium afferre juribus Camaldulensis eremi, cui subjecti erant plebanus de Micciano, & presbyteri Alinæ, Soci, Mojonæ & Letarclæ *conversi Camaldulenses*, occasione excommunicationis in eos latæ, quia nolebant in synodo & parata episcopo respondere, manu Jacobi notarii. In charta (*i*) anni 1236. XI. julii Guido prior Camaldulensis electus arbiter ab Avito presbytero & priore abbatiæ nostræ sancti Angeli de Poplena, & a Christophoro presbytero & rectore sanctæ Mariæ de Petra-ficta, inter cetera stabilivit, ut rectores de Petra-ficta vivant secundum ordine Camaldulensem, & eligantur tantummodo de abbatia Poplenæ *sive sint monachi, sive conversi*. In alia (*k*) anni 1262. die IX. mensis februarii Massarius Camaldulensis prior concedit & tradit fratri Laurentio *converso Camaldulensi* administrationem loci & eremi sanctæ Matiæ de Prodano diœcesis Ariminensis, positæ in parœcia sancti Bartoli de Vergano. Anno 1267. (*l*) parœcia sanctæ Mariæ de Paciano dimittitur ab Andrea *converso eremi de Vivo* in manibus Johannis prioris Camaldulensis propter infestationes, quas patiebatur a comitibus de Sarthiano ibidem commorantibus. Anno 1412. VIII. junii (*m*) Antonius prior Camaldulensis ob abdicationem fratris Hieronymi de Urbe-veteri *conversi ordinis Camaldulensis* professi, primique ædificatoris loci & prioratus sanctorum Antonii

b Præf. I. sec. III. num. XXI.

c Lib. VI.

d Arch Fontis-boni §. Electio n. 115. A. 3. 127.

e Ibid. §. Transactio n. 2. A. 2. 27.

f Ibid. §. Amis[...] sa 207. A. 12[...]

g Archiv. Lu[...] sac. E. n. 32. [...]

h Archiv. Fonti[...] boni §. Amissa[...] 322. A. 123.

i Ibid. §. Senten[...] tia n. 32. A. [...] 110.

k Ibid. §. Obedientia n. 8. A. 3. 39.

l Ibid. §. Contes[...] sio. A. 3. 125.

m Ibid. §. Electio. Par. II. n. 88. A. 5. 24.

tonii & Hieronymi de Scandalone de Mucello, regimen dicti prioratus confert domno Bartholomæo a Florentia monacho Camaldulensi. Anno (*a*) 1403. xv. maji, vacante hospitali sanctæ Mariæ de Castro-caro Foro-liviensis diœcesis per translationem domni Blasii ad abbatiam Montis-muri, domnus Andreas prior Camaldulensis elegit in hospitalarium fratrem Bartholomæum de Vicetia *conversum dicti ordinis*. Anno 1420. (*b*) frater Gualterius de Verona *conversus eremi Camaldulensis* deputatur in hospitalarium sancti Frigdiani de Pisis a Raphaele Camaldulensi priore.

a *Ibid. Par. II. n. 84. A. 5. 37.*

b *Ibid. §. Mandatum n. 74.*

Ceterum non solum monachi & Camaldulenses, sed & ipsi presbyteri seculares in suis parœciis *conversos* retinebant. Chartas sufficiat indicare Guidonis (*c*) plebani de Rivo-cornolario, qui anno 1211. consensu suorum canonicorum & fratrum, & *Benintendi conversi* largitur capellam sancti Michaelis Rainerio rectori ecclesiæ sanctæ Mariæ de Riofrido sub solutione unius libræ ceræ, & promittenti se eam annuatim soluturum *Paganello converso* dictæ plebis; & Jacobi archipresbyteri de Soara prope Anglarii castrum, qui anno 1223. (*d*) promittit Guidoni priori Camaldulensi se curaturum, ut *familiares suæ plebis, sive conversi clerici, sive laici*, assentiantur concessioni a se factæ prædicto priori ducendi aquam per bona suæ plebis. Sequentem etiam heic loci subnectimus chartam anni 1253. canonicorum & conversorum ecclesiæ sanctæ Margaritæ de Tosina Fesulanæ diœcesis, ex autographo tabularii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, cui monasterio ea ecclesia modo est unita.

c *Arch. Luci sac. B. n. 17.*

d *Archiv. S. Mariæ in Grad. Arretii n. 128.*

Anno 1253.

IN Dei nomine amen. Anno Dominice incarnationis ejus millesimo CC. quinquagesimo tertio undecimo kal. augusti indictione sexta. Infrascripti presbyteri Vincentius & Bonajunta, & Fornomen... diaconus canonici ecclesie sancte Margarite de Tosina, & Benincasa Viviani, Accoltus & Cambius conversi ecclesie-antedicte in toto compromiserunt vicem suam domno priori Camaldulensi, tam de eligendo priore in ipsa ecclesia sancte Margarite, quam de statu, & reformatione ipsius, promittentes habere firmum & ratum, & omni tempore inconcussum, quicquid de predictis, vel aliquo predictorum per eundem domnum priorem Camaldulensem factum fuerit vel ordinatum.

Actum apud sanctam Margaritam de Tosina presentibus, & ad hec rogatis testibus domnis Juncta, Benedicto, & Massario monachis Camaldulensibus, Mazza & Giampolo fratribus scilicet quondam Giani Roselli, & Domitiano filio Giampoli.

Ego Jacobus Maggii domini Frederici Romanorum imperatoris judicis ordinarii & notarii predictis interfui, & de mandato dictorum canonicorum & conversorum scripsi & publicavi, ideoque signavi.

§. XII.

Conversi laici introducti a monachis Vallumbrosanis.

ALIUD conversorum genus agnoscimus, quorum primus auctor, si Mabillonio credimus, fuit sanctus Johannes-Gualbertus, congregationis Vallis-umbrosæ institutor, servorum scilicet laicorum, qui monastico more vivebant, curamque exercebant rerum exteriorum monasterii; nimirum sanctus vir minime patiebatur, ut monachi claustri septa exirent, ne ad colligendos quidem agri fructus, nisi tres simul juncti forent. *In animarum enim fervens custodia constituit, ut nullus monachorum extra limitem claustræ progredi præsumeret .... nisi tres una progrederentur*, (*e*) ait Andreas Strumensis. Hoc laicorum religiosorum genus ita describitur (*f*) in alia sancti viri vita auctore beato Attone. *Diebus autem*, inquit, *quibus monachi ad ipsum frequentare cœperunt, Deus, cujus amore vir Dei sibi subditos in via ipsius regere disponebat, misit ad eum etiam laicos viros timoratos, qui legem Domini per omnia custodire cupientes in bonis moribus fere nihil a monachis distabant, extra vestium qualitatem & silentium, quod in exterioribus occupati nequibant plenius observare. Tales igitur tam probatos conversos pater ad mercatum, & omnia exteriora secure mittebat*. Domestici quoque monasterii labores, teste eodem Attone, ipsis demandabantur, nam cum se deferre jussit ante Stephanum IX. summum pontificem, (*g*) *aliquantos conversos venire fecit, & se ad papam portari præcepit*. Alia vice (*h*) eos piscatum misit, ut edulium pararent Leoni IX. hospiti suo. Aliquod stabilitatis votum emittebant hujusmodi conversi, neque fas ipsis erat redeundi ad seculum pro libitu; id in arbitrio erat positum prælati, nam (*i*) alter ex his conversis tœdio ductus novæ susceptæ vitæ, multa instantia flagitavit ab abbate sancto Johanne copiam discedendi, quam ægre impetravit. *Alio tempore*, inquit Atto,

e *Vit. S. Jo. Gualb. Cap. III. n. 24.*

f *Cap. III. n. 21.*

g *Cap. IV. n. XXXVII.*

h *Ibid. n. XXXV.*

i *Cap. V. n. XXXIX.*

Atto, *quidam conversus instinctu diaboli seculum dereliquisse, & ad monasterium se venisse pœnituit. Qui cum beatum Johannem nimiis ac importunis precibus sæpe rogasset a monasterio cum ejus licentia discedere, tandem vir beatus non tranquillo animo passus est eum abire.* Auctor narrationis miraculorum a sancto Johanne Gualberto patratorum, qui fuit Hieronymus Radiolensis, hos conversos memorat dicens: (*a*) *Pulsatis igitur campanis, funalibus accensis, omnibus monachis & ministris, quod genus hominum vulgato nomine* conversos *dicimus* &c. Et alibi: (*b*) *Quiescentibus itaque in superiori parte monachis, qui in inferiori hospitalitati præerant, conversi, ut eos honorifice more solito haberent, operam dedere* &c.

a Par. I. n. IX.

b Par. III. n. XXVI.

§. XIII.

Ejus tamen generis homines vivebant eodem tempore etiam apud Avellanenses.

LICET Mabillonius primum horum hominum excipiendorum auctorem faciat Johannem-Gualbertum, nihilosecius eo ipso tempore reperimus Petrum Damianum loqui de eodem hominum genere ævo suo existentium in monasterio Fontis-avellanæ. In opusculo, quod scripsit de suæ congregationis institutis, (*c*) præcipiuntur jejunia etiam pro laicis, & sæpe sæpius nominantur in eo monachi simul & laici. *A vino autem*, inquit, *aliquanto tempore continuimus; itaut neque* laici, *neque extrinsecus venientes vel etiam in Pascha Domini aliquid hic præter aquam biberent*. Et capite VII. hæc habet de servorum disciplina: *Ut autem tota domus Dei sub regulari custodia & disciplina teneatur, & unumquodque membrum operetur in corpore juxta suæ proprietatis officium*, famuli quoque, qui huic loco deserviunt, *ab assignato sibi vivendi ordine non recedunt, qui nimirum per totius annalis spatii cursum tribus per hebdomadam diebus tenent ex more jejunium. In illis autem duabus quadragesimis quatuor dies jejunio dedicant, exceptis his, qu in viam longius diriguntur. Porro quocumque prodeant, omni tempore carnibus non vescuntur, proprium etiam aliquid habere nihilo minus sicut & monachi prohibentur. Nonnulli quoque ad audiendas psalterii vigilias maturius surgunt, cum his videlicet fratribus, qui apud ecclesiam commorantur. Promissionem autem ingredientes hanc faciunt:*

c Cap. VI.

„ Ego frater N.. promitto obedientiam & perseverantiam omnibus diebus vitæ meæ in hac eremo, quæ est ædificata ad honorem Dei & sanctæ Crucis pro timore Domini nostri Jesu Christi & remedio animæ meæ. Quod si aliquo umquam tempore hinc fugere vel abire tentavero, liceat servis Dei, qui hic fuerint, me plena sui juris auctoritate requirere, & coarcte ac violenter in suum servitium revocare. “

Scriptæ ergo huic promissioni signum Crucis ipsi præfigunt, & ab aliquo fratre coram omnibus lectam ponunt super altare. Similis professionis formula legitur in statutis Guigonis Carthusiæ prioris, ubi agit de *professione laici*. Alibi asserit Damianus, *quod in quadragesimæ utriusque principio omnes monachi*, necnon & laici *triduanum jejunium districte conservant; in prædictis duabus quadragesimis consuetudo tenuit, ut neque monachis*, neque laicis *vini, vel etiam piscis perceptio concedatur; in sabbato sancto, necnon & vigilia natalis Domini totum panem, qui voluerint, comedunt, alium vero cibum, sive laici sive monachi penitus non admittunt*. Capite autem XVI. de conversis, inquit, *quantum jejunent, prioris provideat diligentia*.

§. XIV.

Immo anterius sub Camaldulensibus & sub Romualdo.

QUINIMMO ipse parens noster Romualdus ante Johannis-Gualberti tempora hujuscemodi homines habebat in suis monasteriis & eremis. Ut quietiorem liberioremque ab omni strepitu redderet sacram eremum Camaldulensem, quam ædificaverat, milliario procul in loco, qui dicebatur Fons-bonus, hospitium constituit ad susceptionem advenientium & peregrinorum, assignavitque ad custodiam loci monachum, & tres conversos: *Quemdam inferiorem locum, qui dicitur Fons-bonus, reperit, ibique unam domum construxit, unum monachum* cum tribus conversis *ibi ordinavit pro adventantium receptione, & dulcisona responsione, atque caritativa refectione*. Hæc adnotavit beatus Rodulphus prior quartus Camaldulensis in sua narratione & constitutionibus eremi Camaldulensis anno 1085. qui paullo post de eodem hospitio verba faciens, inquit: *Atque omnes monachi* & laici, *qui ibi habitant* ... aut per laicum, *sive per monachum ibi commorantem*. Quare conversi statuti in Fonte-bono a Romualdo

mualdo erant simplices laici, qui distinguebantur a monachis; diversi pariter ab iis, quos antiquitas seculis anterioribus appellavit *monachos laicos* sive *illiteratos*, vel *conversos monachos* vel *conversos* adulta ætate. Introductio igitur hujus generis hominum aliquanto anterior est tempore Johannis-Gualberti, & forte tribuenda Romualdo & Camaldulensibus, a quibus didicerint Avellanenses & Vallumbrosani. Parum diversi fortasse erant famuli, quos Romualdus alebat in Sitriensi solitudine statim post Camaldulensem excitata, cum Petrus Damianus a Sitriensibus monachis & a custodibus pecorum distinguat monachorum famulos districtam ibidem vitam agentes. *Sed cur*
a Vit. S. Rom. Cap. LXIV. *ego*, (*a*) inquit, *de monachis loquor? cum & ipsi monachorum famuli, ipsi quoque custodes pecorum jejunarent, silentium tenerent, disciplinas inter se invicem facerent, & de quibuslibet verbis pœnitentiam flagitarent*.

§. XV.

Hujusmodi conversi apud Cluniacenses, Cistercienses, Carthusianos & Grandimontenses appellati etiam Laici & Barbati.

CETERUM vel a Camaldulensibus, vel a Vallumbrosanis hoc conversorum genus originem habuerit, post eadem tempora transiit ad monachos Cluniacenses, Cistercienses & Carthusianos, ab Italia scilicet in Gallias. Primum hujusmodi homines instituisse in Germania Willelmum abbatem Hirsaugiensem, scri-
b Præf. II. in Sec. VI. §. XI. psit (*b*) Mabillonius. In vita (*c*) sancti
c Num. XVIII. Alberici apud Bollandum ad diem XXVI. januarii nominantur conversi *laici* & *barbati*; & in primis statutis Cisterciensis familiæ definitum reperimus, ut *in vita & in morte*, *excepto monachatu*, idest mo-
d Annal. T. V. ad annum 1101. nastica professione, sic explicat (*d*) idem Mabillonius, *eos ut semetipsos tractarent*. A *servis mercenariis* insuper ii distinguebantur, cum decreverint iidem Cistercienses patres recipere, *præter conversos laicos & barbatos*, etiam hos servos tamquam necessarios sibi ad curam rerum exteriorum, ut monachi interim divino cultui & contemplationi vacarent. *Tuncque definierunt* conversos laicos barbatos *se suscepturos, & homines etiam mercenarios, quia sine adminiculo istorum non intelligebant se plenarie die sive nocte præcepta regulæ posse servare*. In statutis quoque capituli generalis eorumdem Cistercien-
e Anecd. Thesaur. T. IV. col. 1446. sium anni 1275. apud (*e*) Martene præ-

scribitur, *quod conversi nostri ordinis in Provincia & VVasconia & ultra, non conversi, sed* fratres *nominentur, eo quod nomen illud in dictis provinciis abominabile habeatur propter hæreticam pravitatem*. Videatur Haeftenius Lib. III. disquisitionum monasticarum tract. I. disq. VIII. Ut a monachis discriminarentur, *barbam* gestabant, ideoque & *barbati* appellabantur. In vita sancti Herminoldi abbatis Prufingensis qui obiit anno 1121. habetur titulus cujusdam capitis apud Canisium (*f*) *de quodam converso graviter punito*, f Lib. II. cap. V. in Tomo IV.
& in narratione legitur: *ex his, quos* barbatos *dicimus*. Barbati erant etiam apud Cluniacenses. Petrus venerabilis abbas in suo statuto XXIV. (*g*) præcepit, g Martene in Reg. cap. XXXVI. p. 473.
ut infirmis ipsis vel quibuslibet & in infirmaria comedentibus nullus, ut fieri solebat, famulorum laicorum serviat, sed monachi tantummodo aut conversi barbati. Et in ordine Cluniacensi exarato seculo XI. a Bernardo monacho, quem edidit Hergotius (*h*) in *veteri disciplina monastica*, ubi sermo est *de obedientiariis*, fit h Pag. 152.
mentio *barbatorum*, nimirum *utrum habeant famulos regulares* barbatos *scilicet & idoneos*? Exemplum Cluniacensium & Cisterciensium secuti fuere Carthusienses, quorum conversi hodieque barbam ad monachorum discrimen nutriunt. Monachi Grandimontenses, quos sanctus Stephanus instituit, partim erant clerici partim conversi; illis rerum spiritualium, istis cura & dispositio rerum temporalium erat commissa, quod seminarium postea fuit gravissimarum discordiarum, & clerici coacti fuere ad summos pontifices confugere multoties pro compescenda conversorum audacia, qui, licet ignobiliores, tamen respiciebant clericos ut sibi obnoxios, & gravaminibus vexabant. Introducta exinde communis consuetudo apud omnes ordines regulares tam monachorum, quam mendicantium, canonicorum quoque & clericorum adhibendi conversos laicos in famulos.

Diximus conversos laicos; nam conversi hujus generis proprie loquendo non erant, neque sunt monachi. Innocentius papa II. in quodam privilegio sancto Bernardo concesso (*i*) *conversos vestros*, i Bernardi epist. 352.
inquit, *qui monachi non sunt, post factam in cœnobiis vestris professionem, nullus archiepiscoporum &c*. Trithemius quidem „ *monachos* vocat, monasticis nimirum „ votis addictos; tametsi, ut subdit Ma„ billonius, (*k*) a monachis passim distin- k Præf. II. in sec. VI. §. XI.
„ guerentur, quippe qui ex peculiari sta„ tus sui lege exterioribus deputati & „ addicti ministeriis, tam accuratæ soli„ tudi-

„ tudini, quæ monachos decet, adſtricti „ eſſe non poſſint. “ Diſtinguendi proinde converſi hi ſive famuli ab aliis converſis monachis ſuperioris ætatis, qui utrumque nomen copulabant, ut legimus in charta, quæ erat penes eruditiſſimum ſenatorem Flaminium Cornelium, quæque continebat breve recordationis anni 1024. 2. die exeunte menſis aprilis circa approbationem ſententiæ ducis Adalberonis emanatæ inter Benzum abbatem ſanctæ Juſtinæ Patavii, & inter abbatiſſam ſancti Zachariæ Venetiarum, cui ſe ſubſcribunt & quidem ante acolythos: *ego Dominicus* converſus *& monachus*; *ego Johannes* converſus *& monachus*; *ego Dominicus* converſus *& monachus*; & poſtea: *ego Paganus acolythus*; *ego Aldewardus acolytus* &c. Converſis laicis præſes dabatur monachus doctus & pius. In actis ſancti Hamonis monachi Saviniacenſis, quæ laudat Ducangius ad dictionem *Converſus*, legitur. *In prædicta Savignei abbatia non ſolum monachi, ſed etiam* laici, *quos* converſos *nuncupant*, *ſub habitu religionis Deo deſerviunt. Iis autem monachus aliquis præficitur, qui ſapientiæ doctrina & religionis prærogativa præpollere cognoſcitur. Eo ipſo tempore, quo eis ſanctus Hamo præerat, accidit plures ex illis propoſitum relinquentes ad ſeculum redire, & ſtivam, quam tenere videbantur, dimittere &c.* Et in conſtitutionibus beati Martini III. prioris Camaldulenſis anno 1253. editis, præcipitur, (*a*) *ut provideat prælatus, ubi multitudo* converſorum *exigere videtur, monachum ſacerdotem idoneum & diſcretum, qui præſertim in victu & veſtitu laicos inſtruat & ædificet, & eis alterum magiſtrum conſtituat confeſſorem* &c.

a *Lib. I. conſt.* 52.

§. XVI.

Diſtinguendi a converſis ſuprarelatis converſi a Mahumetana impietate.

SUPERVACANEUM eſt admonere, confundendam cum variis converſorum hucuſque enarratis ſpeciebus non eſſe alteram converſorum & converſarum ſpeciem, de qua loquitur Willelmus Prynnæus in (*b*) libertatibus eccleſiæ Anglicanæ, ubi aſſerit, converſos & converſas aliquoties a regibus traditos & traditas cœnobiis, ut ibidem alerentur. Nimirum ii erant viri & mulieres converſi & converſæ a dogmatibus Mahumetanæ impietatis ad finem Catholicam, qui, cum in ingentem numerum excreviſſent ſequiori tempore, ægre a regibus ali poterant; quare per monaſteria dividebantur, ut alimenta in iis perciperent, licet pro eorum & earum domiciliis ædificata fuiſſent habitacula, quæ vulgo *domus converſorum* appellabantur; ut Matthæus Pariſius & Matthæus Weſtmonaſterienſis narrant ad annos 1233. 1244. & 1254. In Galliis quoque extitiſſe hujuſmodi converſorum domus oſtendit Ducangius multis exemplis, quæ tamen deficiunt in Italia. In hac enim converſi & converſæ quidem ex ſecta Mahume tis reperiuntur, ſed non ædes ad ipſorum receptacula deſtinatæ niſi poſterioribus ſeculis. In archivo parthenonis beati Antonii-peregrini Patavii in codice miraculorum ejuſdem ſancti viri legitur ad annum 1267. (*c*) *Benvenuta quondam Sarazena, ſed nunc ad fidem Chriſti converſa, & ancilla facta domini Bartholomæi de Varino confeſſa eſt* &c.

b *T. III. pag.* 835.

c *Ap. Jo. Brunatium collect. ms.* [illegible] *num.*

§. XVII.

Miniſteria converſis demandata præcipue apud Camaldulenſes. Eligebantur Camerarii.

NUNC vero de monaſteriorum converſis, & quidem exterioribus negotiis addictis, ſermonem præcipuum inſtituentes, obſervamus varia ipſis miniſteria etiam honorifica commiſſa fuiſſe. Monumenta hic in medium producimus, quæ apud nos Camaldulenſes extant, ſilentio ſupprimentes vel parce tractantes de officiis, quæ in aliis Benedictini ordinis congregationibus ipſis demandabantur. Moricum converſum (*d*) pro eremo Camaldulenſi terras ementem reperimus anno 1040. Wido converſus inveſtituram recipit caſtri & curtis de Tegiano nomine Guidonis prioris Camaldulenſis (*e*) anno 1112. a Rainerio & Gaſdia. Rigo converſus hoſpitalis Camaldulenſis nominatur anno 1142. (*f*) terras recipiens nomine Azonis prioris Camaldulenſis. Januarius converſus ſancti Michaelis Aretii anno 1171. locat. Pipinus Homodeus, Rogerius, Palmerius, Vanga, Wido, Rubeus, Janninus, Ubertellus, Zaulus, Arduinus aliique plurimi converſi initio ſeculi XIII. locant, vendunt, emunt, donationes recipiunt pro eremo Camaldulenſi, ut patet ex chartis archivi Fontis-boni ejus ævi. Montaninum converſum gaſtaldionem curiæ Camalduli de Bucena legimus (*g*) anno 1231. Eodem anno (*h*) Bernardinum converſum gaſtaldionem curtis-veteris de Fojano, & anno 1235. (*i*) Rigolum converſum & gaſtaldionem curiæ de Motina, qui vice domni Gui-

d *Arch. Fontiboni. §. Amiſſ.* 3. *A.* 42.

e *Ibi. §. Donatio n.* 253.

f *Ibid. §. Emptio n.* 182. *A.* 2 12.

g *Ibid. §. Amiſſa n.* 384.

h *Ibid. §. Donatio n.* 406. *A.* 3. 19.

i *Ibid. §. Amiſſa n.* 413. *A.* 126.

Guidonis prioris Camaldulensis in possessionem immittit plebanatus de Micciano presbyterum Mercatum. Frater Guido *conversus & Camerarius* appellatur (*a*) anno 1327. Et anno 1343. (*b*) comes Rogerius quondam Aghinolphi comitis de Romena confitetur sibi solutos fuisse xl. solidos a fratre Trincia *converso & camerario Camaldulensi* nomine *accommandixiæ*, quos homines de Mojona tenebantur singulis annis dare hæredibus comitis Aghinolphi; sicut in charta (*c*) anni 1372. die xvi. julii comes Franciscus comitis Bandini filius & dominus castelli Partinæ vendit eidem Trinciæ quemdam affictum pretio florenorum auri quinquaginta. Anno 1402. frater Arrigus quondam Bacci de Susinana *syndicus* vocatur *& camerarius eremi Camaldulensis*; & tamen camerarii ministerium numerabatur inter præcipua Camaldulensis eremi ministeria, quod a monachis & aliquando ab abbatibus exercebatur. Legimus enim domnum Petrum quondam Angeli de Arretio abbatem sancti Viriani ordinis Camaldulensis (*d*) anno 1391. xxv. octobris fuisse *camerarium eremi & domni Andreæ prioris Camaldulensis*; & anno 1506. (*e*) officium camerarii demandatum fuerat domno Christophoro ser Miglioris de Santo-miniate abbati sanctæ Jocundæ prope Sanctumminiatum. Docet nos Ducangius etiam administratores bonorum episcopatuum vocatos aliquando fuisse *conversos*. In chartis episcopatus Gratianopolitani sæpius reperitur *Guigo conversus* subscriptus primus in tabulis episcopi Hugonis, & is quandoque vocatur *conversus episcopi*, & ita pariter *Thedebertus conversus episcopi* ad annum 1130.

a Ibid. §. Donatio P. II. n. xi.

b §. Finis P. II. n. 23. A. 2. 18. 20.

c Ibid. §. Par. II. n. 133. A. 4. 25.

d Ibid. §. Locatio.

e Ibid. §. Emptio. Par. III. n. 3.

§. XVIII.

Conversi Virgarii.

Conversi, quibus armentorum & pecudum cura committebatur a Camaldulensibus, vocabantur *virgarii* seu *vergarii*. In epistola xxxv. (*f*) Ambrosii Traversarii prioris generalis Camaldulensis apud Martene habemus: *Dices ex nobis fratri Johanni virgario ingratum illum nimis agere, qui pecuniam mutuo acceptam restituere non curavit nobis, quam debemus creditori &c.* & epistola xxxvi. (*g*) *Virgarius noster opus habet Petro de Mojona toto mense isto* &c. Nomen hoc proprium fuit Camaldulensium, cum monachi sancti Mauri in supplemento glossarii Ducangii hæc duo tantum testimonia ex Ambrosio afferant hujus vocis. In chartulario (*h*) autem Fontis-boni anno 1243. xx. maji *Bernardus Vergarius de Bricola* coram domno Guidone priore Camaldulensi attestatur se non fuisse vocatum ad celebrationem contractus cujusdam venditionis, neque umquam consensisse, quinimmo se velle, ut semper remaneant ea bona ad jus monasterii de Vivo, ad quod pertinebant; anno 1390. Angelus de Lierna *vergarius*; & anno 1451. (*i*) nominatur frater Johannes *conversus & vergarius domus Camaldulensis*.

f Collect. ampl. T. III. col. 429.

g Ibid. col. 430.

h Arch. Fontis-boni §. Testificatio n. 15. A. 3. 52.

i Ibid. §. Emptio P. II. n. 225.

§. XIX.

Conversi Syndici, Procuratores & Vice-comites.

Ulterius conversi eligebantur a capitulis monasteriorum *syndici*, *prcuratores* & etiam *Vice-comites*. Anno 1216. 2. septembris (*k*) capitulum monasterii sancti Petri de Vivo de Monteamiato in Senensi territorio, cum sibi in priorem elegisset Grimaldum abbatem sancti Apollinaris in Classe Ravennæ, deputavit Danexium & Benicellum *conversos* ad Guidonem priorem generalem Camalduli pro confirmatione electionis. Martinus *conversus Camaldulensis* eligitur (*l*) anno 1228. *syndicus*, *actor*, *yconomus & procurator* in omnibus causis, quas eremus habebat in Marchia cum episcopo Æsino, & cum ejus episcopatu super ecclesiis & monasteriis Camaldulensibus ibi constitutis. Frater Johannes *conversus* anno 1239. (*m*) nominatur *procurator ejusdem Guidonis*; anno (*n*) 1269. xxix. septembris frater Christophorus *conversus & syndicus Venturæ abbatis Insulani* promissionem excipit a Porcello Nicolæ de contrata Stratæ syndico communis Foro-livii, dictum commune defensurum abbatem, monasterium, capellas & ecclesias sancti Paterniani de Ferrazano, sanctæ Mariæ de Meldula, sancti Matthæi de Canonica, sanctæ Mariæ de Diglausi, sancti Pauli in Alpe, sanctæ Mariæ de Colle-solaroli, sancti Silvestri de Spugna de subtus, sanctorum Benedicti & Johannis de Campo-sonaldi, sancti Christophori de Biturali &c. manu Johannis Menghi notarii populi Foroliviensis. Anno 1289. iii. (*o*) maji reperiuntur frater Guido *operarius eremi Camaldulensis & syndicus*; anno 1296. (*p*) frater Plebanus *conversus Camaldulensis*, *syndicus eremi & domni Frigdiani prioris ejusdem*; & anno 1338. frater Paulus *conversus & syndicus*. Anno 1347. (*q*) Petrus de Calore *conversus loci sancti Johan-*

k Ibid. §. Electio. n. 3. A. 379.

l Ex cod. membran. S. Mich. in Burgo Pisar.

m §. Mandatum. n. 8. A. 3. 159.

n Ibid. §. Conventiones. A. 3. 160.

o §. Locatio.

p Ibid.

q Ex Arch. Azzurino. Faventiæ.

hannis-baptistæ de Faventia syndicus & procurator dicti loci; anno 1354. Mercurialis prior sancti Johannis-baptistæ de Faventia, Melior de Faventia *conversus dicti loci*, Johannes *conversus sancti Johannis-baptistæ de Bagnacavallo* & Petrus de Forolivio *conversus*, *procuratores* constituuntur a capitulo sancti Mathiæ de Muriano, qui anno sequenti (*a*) permutarunt terras cum rectoribus hospitalis ordinis & societatis devotorum beatæ Mariæ virginis de porta Pontis de Faventia. Et in charta (*b*) anni 1390. XIII. decembris, (*c*) post obitum prioris Camaldulensis, eremitæ ipsius loci constituunt gestores negotiorum & ad lites domnum Benedictum Florentinum abbatem sancti Andreæ de Candiculis, fratrem Ambrosium *conversum Angelorum Florentie*, fratrem Antonium a Mojona *conversum domus Camaldulensis*, domnos Angelum de Biblena & Blasium Fini de Florentia monachos dicti ordinis, fratrem Angelum de Lierna *vergarium & conversum domus Camaldulensis*, & nobiles viros Guidonem domini Thomasii, & Nicolaum de Ozzano cives Florentinos, manu Leonardi olim Francisci de Socio notarii. Ubi vides *Conversos* in consortium vocatos cum monachis, abbatibus & nobilibus viris; ex quo deducendum ipsos fuisse æstimatione & merito illustres. Ita in antiquiore charta anni 1214. juxta stylum Pisanum, 1213. juxta Romanum, indictione prima v. kal. septembris post Benedictum camerarium, & Carum cellerarium, quibus administratio bonorum addicta erat, ac post ceteros monachos sancti Michaelis de Burgo Pisarum, nominatur Torpes *syndicus & conversus* ejusdem monasterii. En chartam, quam descripsimus ex autographo tabularii illius cœnobii.

Anno 1224.

IN eterni Dei nomine, amen. Anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo quartodecimo indictione prima quinto calendas septembris. Manifestum sit omnibus, qualiter donnus Guido venerabilis abbas ecclesie & monasterii sancti Michaelis de burgo cum consilio & consensu fratrum suorum monachorum supradicte ecclesie & monasterii, scilicet donni Teobaldi prioris, donni Benedicti camerarii, donni Cari cellerarii, donni Michaelis, donni Jeronymi, donni Amfrosini, donni Henrici, donni Orlandi & donni Guidonis monachorum supradicte ecclesie & monasterii sancti Michaelis, & Torpetis sindici & conversi ad hec presentium, dedit & tradidit Henrico quondam Gerardi Combi in permutationem & cambium scalas sex terre campie positas in confinibus sancti Blasii de Cisanello, que sunt posite, ubi dicitur Auveri, & tenent caput in terra Henrici Moretti, & aliud in terra Simonis Follianelli, & aliud in terra supradicte ecclesie sancti Michaelis, aliud in terra supradicti Henrici quondam Gerardi cum omni jure & proprietate & actione &c. Unde supradictus Henricus dedit & tradidit supradicto domno Guidoni recipienti pro supradicta ecclesia sancti Michaelis in permutationem & cambium scalas sue terre posite in predictis confinibus, ubi dicitur Auveri, que tenent caput in via vicinali supradicte ecclesie, & supradicti Henrici & Simonis Follianelli, quam vendidit prior sancti Jacobi de Orticaria &c.

Actum Pisis in choro suprascripte ecclesie, presentibus Uguiccione quondam Gratiani Pesatoris, & Benenato quondam Gerardi Orcioli, & Salimbene quondam Guidonis testibus ad hec rogatis.

Ego Bonaccursus filius quondam Patignonis de Patignone domini Henrici Romanorum imperatoris judex ordinarius atque notarius suprascriptis omnibus interfui & hanc chartam rogatus scripsi & firmavi.

Conversi ex sindicis & procuratoribus ad titulum etiam provehebantur *Vice-comitum eremi Camaldulensis*. Rigoni *Vicecomiti Camaldulensi* (*d*) anno 1234. promittit Manvolbe restitutionem monasterii sancti Quirici de Rosis. Vice-comitatus nobile erat officium; nam Sturlantes quondam Quintavallis, & Franciscus quondam Tarlati viri nobiles de Vallia-la (*e*) anno 1312. ab Accursio priore Camaldulensi *vicecomites sui & eremi constituti fuere ad manutenendum & conservandum in bono statu curiam & homines Camalduli in dicto castro de Vallials, ad recipiendam tertiam partem intrature locationum, & tertiam partem bannorum, & salariorum sibi contingentium in dicto castro & ejus curia*. Et anno 1187. (*f*) Placidus prior Camaldulensis eumdem vice-comitatum concesserat filiis Rainerii de Galbina nobilibus proceribus.

§. XX.

Notarii.

ILLUD quispiam fortasse mirabitur, reperiri conversos etiam *notarios*. Anno (*g*) 1277. XIII. aprilis dominus Guido de Mudiliana comes & Thusciæ palatinus privilegium notariatus impertivit fra-

a Ibidem.

b Arch. Fontis-boni §. Mandatum P. II. 57. A. 4. 14.

c Ibid. 57. A. 4. 104.

d Archiv. S. Mi... in Grad. n. 15...

e Arch. Fontisboni §. Investitura. P. II. n. 3. A. 4. 31.

f Ibid. §. Investitura 16. A. 2. ...

g Ibid. §. Privilegia. n. 60. A. 3. 61.

fratri Zenoni ordinis Camaldulensis, qui fuit de Burgo sancti Sepulcri, eumdemque *publicum notarium* creavit per terras, quæ Romanum profitentur imperium, a quo juramentum fidelitatis pro imperio & pro se recepit, manu Ormanni Donati de Empoli notarii. Quod privilegium monachis etiam concedebatur; nam (*a*) anno 1304. XXVII. februarii domnus Brandalisius comes palatinus quondam comitis Bartoloti de Venerosis de ripa insulæ Suzariæ & Bardinæ & quartæ partis civitatis Veronæ in Lombardia palatinus, *recepto juramento fidelitatis de arte notariatus ingenue exercenda a* Dionysio quondam Jacobi de Sasoni de Bononia monacho Camaldulensi pro Romano imperio, eumdem Dionysium *cum anulo, penna, & calamario atque osculo pacis publicum notarium investivit & fecit*, manu Johannis quondam Bagini de Faconego notarii cum signo præfati comitis. Hoc notariatus officium, quod semper nobile fuit, seculis medii ævi concedebatur clericis, licet vetasset Carolus M. ex lege Langobardorum XCVI. *ut nullus presbyter chartam scribat neque conductor existat suis senioribus*. Sed facile ob laicorum inscitiam clerici ad tale officium assumpti fuere, & non tantum simplices clerici, verum etiam viri ecclesiastici in dignitate constituti; refert enim (*b*) Muratorius chartam anni 974. in qua canonicus ecclesiæ Volaterranæ notariatus officio fungitur se signans. *Ego qui super Johannes presbytero & kanonico scripsi & complevi feliciter*. In his nostris annalibus productus fuit suo anno 957. *Leo clericus & notarius anno 900. abbas sancti Georgii Ravenne*; producetur etiam alius sub anno 1029. *notarius ecclesie Ravennatis & abbas sancte Marie in Senodochio anno 1006.* nomine *Federicus* ex chartis tabularii archiepiscopalis Ravennæ. Innocentius tamen III. papa prohibuit clericis presbyteris, diaconis & subdiaconis exercitia tabellionatus, (*c*) *ne in negotiis laicorum cum dedecore immisceren-tur*. Thomasinius (*d*) id explicat quidem de negotiis laicorum, neque vetitum putat minoribus & majoribus clericis signare negotia ad curias episcopales & ecclesiasticas pertinentia. Venetiis usque ad præteritum seculum clerici & plebani notarios egerunt non tantum pro privatis personis, sed etiam pro magistratibus & pro cancellariis laicis. Muratorius, qui dissertationem XII. instituit *de notariis*, notarios monachos non protulit; reperiri tantum asseruit (*e*) in charta anni 920. *Deusdedit notarium regularem*, & *Bonifritum notarium regularem*, sed erudite observavit (*f*) eo nomine designatos notarios *ordinarios*, cum alii fortasse fuerint *extra ordinem* quandoque ad id munus electi. In privilegio (*g*), quod Theodaldus Arretinus episcopus concessit anno 1033. eremo Camalduli, ad oram inferiorem ipsius chartæ hæc leguntur: *Guido fratrum minimus, domni Petri ejusdem eremi prioris & venerabilis anachorite jussione, hunc, ut institit, dictavit, petiit & impetravit, orate ei requiem sempiternam*. Non injucundum hic erit producere scribam Faventinum & monachum nostri monasterii sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia in duabus sequentibus chartis (*h*) annorum 1137. & 1139. ex archivo ejusdem loci.

a Ibid. Part. II. n. I. A. 4. 35.

b Antiq. medii ævi T. I. col. 666.

c Lib. XIV. ep. 129.

d Par. I. Lib. II. cap. 106.

e Col. 461.

f Col. 666.

g §. Donatio n. 64. A. I. 17.

h Num. 23. & 85.

Anno 1137.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno incarnationis ejusdem millesimo centesimo trigesimo septimo, regnante Lothario imperatore anno quarto die III. mensis julii indictione XV. in claustro monasterii sanctorum Laurentii & Hippolyti. Quia petistis a me domno Johanne abbate, ideo cum consensu monachorum ejusdem monasterii cedo tibi presenti Ugolo de Barbiano pro te, & pro Bona uxore tua, & pro vestris liberis libellario nomine, idest unum spatium terre, quod est positum in capite molendini nostri juxta salictum nostrum; ab uno latere possident fratres tui, a secundo vero via percurrente, a duobus autem juris supradicti monasterii, quod est in latitudine pedes duos & quinque perticas, & in longitudine VI. perticas & VIII. pedes ad habendum, tenendum, meliorandum, in annis advenientibus viginti & novem ad renovandum. Ita sane ut omni anno in natale Domini feratis supradicto monasterio prestare unum scamaritam tantum, pro eo quia dedisti mihi abbati mercedis nomine monete Venecię solidos sex; & ego cum monachis & nostris successoribus vobis supradictis jugalibus, vestrisque liberis predictam rem, qualiter superius legitur, auctorizare & defendere promittimus ab omni homine usque ad prefinitum tempus, quod superius legitur, & amplius vobis eam rem non tollebimus, neque hunc contractum violabimus, sed firmum & ratum tenebimus, prout superius legitur. Et si hec omnia non observaverimus, ego & monachi sive nostri successores, & egerimus contra, promittimus nos esse daturos vobis conductoribus, vestrisque filiis nomine pene auri unciam unam, & postea maneat firmus contractus, sicut superius legitur.

Hanc

Hanc autem locationis paginam ego *Petrus Faventinus scriba & indignus monachus ejusdem monasterii scripsi, & complevi & absolvi* rogatu supradicti abbatis & monachorum, & suprascripti Ugolini conductoris, prout superius legitur.

Ego Johannes abbas mm. ss.
Ego Gerardus monachus mm. ss.
Ego Ugo monachus mm. ss.
Ego Guido monachus mm. ss.
Ego Guido monachus mm. ss.

Signa ††† manuum Alfredoli, & Johannis Blangi presbyteri, & Guidonis de Georgio, qui rogati interfuerunt testes huic negotio.

Anno 1139.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno incarnationis ejus M.C.XXXIX. tempore Innocentii pape die XXIII. mensis septembris, *indictione secunda finita & tertia incipiente*, in monasterio sanctorum Laurentii & Hippolyti. Quia petivi a te Johanne abbate, ideo cum consensu monachorum concessisti mihi Rigo Christiano pro me & Matilda uxore mea seu filiis nostris masculis jure libelli, idest unum casamentum juxta salictum vestrum, & ab alio latere via, & a tertio Saracenus frater meus, qui est per latitudinem pedes tredecim & dimidium, per longitudinem autem viginti & quatuor, in annis viginti & novem ad renovandum sub pensione unius denarii Lucensis omni anno, & unam spallam in Natale, & unam operam ad metendum, & non liceat vobis aliquem contractum facere ex ea re, nisi vobis, & nulli persone dare per feudum, & nobis similiter non liceat facere aliquem contractum nisi in monasterio, & vos auctores & defensores esse debeatis nobis ex ea re ab omni homine usque ad prefinitum tempus, quod superius legitur. Ita ut nos observemus omnia supradicta pro supradicto monasterio sub pena unius uncie auri: & maneat firma petitio, ut superius legitur, pro eo quod dedi vobis decem & octo denarios Lucenses.

Hanc autem petitionis paginam ego *Petrus scriba & indignus monachus ejusdem monasterii scripsi & complevi* rogatu utriusque contrahentium partis, prout superius legitur.

Notarii munere fungentem alium *monachum Decianensem* in agro Castellano, seu Tiphernate, nomine Nicolaum, nobis exhibet charta archivi Fontis-boni, (*a*) qui mense junio anni 1118. promissionem roboravit Martuli & Guidi, Raynerii, Spinelli, Parisii & aliorum, qui spoponderant Azoni priori Camaldulensi se defensuros *monasterium sancte Marie de Deciano, custodiam castrorum* habituros, & *accursum ac voluntaria servitia* se præstituros.

a §. *Amissa*. n. 280. *A*. 203.

§. XXI.

Viri illustres donabant bona sua, & Conversi fiebant.

LICET, ut plurimum conversis ministeria exteriora domus demandarentur, cura nimirum rerum temporalium, negotia secularia, lites & procurationes bonorum, id tamen præstitum non putamus cum omnibus, qui sub conversorum censu veniebant. Aliquos enim hoc nomine donatos reperimus, quos negotiorum gestores admittere minime possumus: anteactis siquidem seculis conversorum genus non ita despicabile erat, ut videtur apud nos, cum nobiles illustresque viri statum hunc amplecterentur. Testimonio Clementis papæ VI. circa finem seculi XIV. in monasterio sancti Benigni Divionensis Wladislaus Casimiri Evynacensis ducis filius per *aliquot* (*b*) *annos, ut conversus, moram traxit*, cui idem Romanus pontifex concedit, ut monastico habitu deposito ad suscipiendum Poloniæ regnum se conferat. Etiam in Camaldulensi congregatione nobiles viri & comites frequenter conversos se reddebant. Anno 1097. mense aprili (*c*) Janni filius olim Taliaferri donavit & obtulit Martino priori Camaldulensi omne jus suum & actionem, quam habebat *in castro & curte de Soci*, & semetipsum dicavit *in Conversum*. Anno 1111. mense octobri (*d*) Gerardus olim Guinildi cum Raimundino filio suo in perpetuum donat *se* & bona sua eremo Camaldulensi, nempe portionem suam *castelli & curtis de Tulglano, & castelli & curtis de Lorenzano, quod alio nomine vocatur Riozoparelli, reservata corona ejusdem castelli, cum ecclesia sancti Nicolai, & cum casis que in ea sunt, sicut est circumdatum per fossum & muros*, & offert, quæ ad se pertinent *in casali Ornina & Nibiano, & Otina, & Acona, & Follonica & Camparno & Larciano* manu Ildebrandi notarii. Et anno 1113. XXV. decembris (*e*) idem pinnam & summitatem *ipsius castri cum ecclesia obtulit, quod fecit, quia nondum conversionem vel habitum monasticum susceperat*. Anno 1115. XXIII. martii (*f*) Guelfus filius quondam Raynerii donat pro se & pro hæredibus suis in perpetuum pro remedio animæ suæ

b *Spicil*. T. II. pag. 753.

c §. *Amissa*. n. 58. *A*. 64.

d §. *Donatio*. n. 248. 249. *A*. 14. 15.

e *Ibid*. n. 257. 2. 33.

f § *Amissa* n. 102. *A*. 45.

suæ *seipsum in conversum* Guidoni priori Camaldulensi *una cum bonis suis omnibus*, *castris & terris*, *vestem monasticam recipiendo* ab eodem priore. Et anno antecedenti die XXIV. martii (*a*) idem Guelfus donaverat *castellum & curtem de Banzena*, *castellum & curtem de Serra*, *castellum & curtem de Gello* posita in territoriis sanctæ Mariæ Partinæ, & sancti Hippolyti Biblenæ, manu Ildebrandi notarii. Anno 1121. mense januario (*b*) Ildebrandus olim Rolandi Vicedomini obtulit domno Johanni Camaldulensi plura bona posita in variis locis eo pacto, *quod si ipse* Ildebrandus *voluerit stare in ecclesia sancti Michaelis Arretii*, *in ipsa recipiatur*; *sin autem*, *teneantur rectores illius ecclesie ipsimet quotidie dare panem & vinum*. Anno 1327. XII. julii (*c*) Johannes filius dominæ Bonæ de Macerata obtulit *se & sua bona omnia mobilia & immobilia* Deo & ecclesiæ sanctæ Mariæ de Pietate, & Ruberto patrono ejusdem ecclesiæ promittens *se tamquam conversum dicte ecclesie vivere sub rectore*, *nec se alio transferre*. Actum Maceratæ in domo Francisci alias dicti Jambene. In censu horum illustrium conversorum reponendi profecto sunt Gualfardus illustrissima stirpe in Alemannia natus, qui patriam linquens cellam sibi construi jussit extra urbem Veronam, prope ecclesiam & monasterium sancti Salvatoris de Curte-regia, quod unitum tunc erat alteri abbatiæ nostræ Vangaticiensi, in qua cella sanctissime obiit anno 1127. & beatus Bartholomæus Pisanus ex præclarissima familia Ajutami-christo, cujus corpus in ecclesia sancti Frigdiani in urbe Pisana asservatur, in qua vitam religiosam duxit, de quo hæc habentur in necrologio monasterii sanctæ Christinæ de Bononia: *V. Kal. februarii obiit beatus Bartholomeus Pisanus conversus ordinis nostri* anno 1224. beatus quoque Antonius, Peregrini nomen sortitus, qui ex nobili Manzoniorum patritia familia Patavii natus prope Porciliæ monasterium sanctæ Mariæ degebat seculo XIII. Vivianus etiam Zaccus nobilissimus vir Patavinus, conversus apud moniales sancti Marci Porciliæ, cujus professionis chartam ex tabulario monialium beati Antonii-peregrini Patavii protulit (*d*) Johannes Brunatius. Nec silentio prætereundus frater Maurus Venetus *conversus* nostri monasterii sancti Michaelis de Muriano *cosmographus incomparabilis*, ut habet numisma ævo ipsius fusum, hoc est seculo XV. de quo, cujusque operibus summa cum laude meminerunt præstantissimus eques & divi Marci procurator Marcus Fuscarenus in sua (*e*) *Venetorum Literatura*, & domus Abundius Collina monachus noster, & olim in patrio Bononiensi archigymnasio professor, quem recens communi dolore mors præripuit, in sua *de pixide nautica* dissertatione.

a §. Donatio. n. 261. A. 2. 44.

b Ibid. n. 270. A. 2. 6.

c Ex archiv. Classis.

d De Canonicis pag. 40.

e Pag. 273. 419. &c.

Ceterum id semper usuveniebat, ut quoties aliquis, vel dives foret, vel pauper, se pro converso offerret, bona sua omnia vel in partem donaret. Anno 1048. (*f*) mense novembri domnus Dominicus abbas Prataliensis cum clientibus suis ex una parte, & Raynerius, Guido & Hugo fratres filii Berardi cum militibus suis ex altera, lites, deprædationes & domorum combustiones inter se ita composuerunt in loco dicto Ariole; convenerunt nimirum prædicti fratres, ac promiserunt per se, suosque hæredes in compensationem damnorum per eos illatorum in bona præfati monasterii, quod quicumque ex eis monachicum vellet habitum suscipere, *teneatur converti* in præfato cœnobio cum rebus suis, & pariter si contigerit eorum aliquem mori in iisdem partibus, similiter sepeliatur, & judicium de rebus suis faciat in prædicto monasterio sub pœna librarum viginti argenti, manu Betti notarii. Jannellus & Tedericulus filii Bruneti de Partina (*g*) dederunt domno Alberto priori & domno Basilio vice domni Guilielmi abbatis de Pratalia recipientibus *pro conversione predicti Tedericuli* terras aliquot in loco, qui dicitur campus sancti Georgii, anno 1195. mense novembri manu Cypriani notarii. Anno 1201. die I. januarii Johannes filius quondam Bonizi & Ottoverinæ de Partigiano (*h*) obtulit seipsum cum omnibus suis bonis *conversionis nomine* in manu domni Angeli de Gozolo monachi Camaldulensis pro domno Samsone majore sanctæ Mariæ de Camaldulo Bononiæ, & toto conventu recipientis, manu Martini notarii. Bassus quondam Teci de Bucena obtulit se *in conversum* domno Nicolao vicario Camaldulensi, donans aliquot terras (*i*) anno 1214. & anno 1236. (*k*) Ildebrandinus pratum obtulit, antequam se traderet *in conversum*. Anno 1311. (*l*) XXI. februarii Bencivene conversus Camaldulensis asseruit *Martinum olim Balducii de populo sancti Martini de Bucena stetisse a pluribus annis cum habitu & vestitu ordinis Camaldulensis in monasterio Camalduli optantem ibidem Deo servire, donec vixerit*; ideo frater & cognatus ejus donaverunt Benciveni aliquot terras. Sexcenta suppetunt hujusmodi exempla in

f §. Recordationes. n. 4. A. 1. 4.

g §. Donatio n. 347. A. 2. 25.

h §. Donatio n. 356. A. 3. 10.

i §. Oblatio n. 2. A. 3. 64.

k Ibid. 4. A. 3. 102.

l §. Donatio P. II. n. 4. A. 4. 15.

in uno tabulario Fontis-boni, quibus constat conversos obtulisse prata, domus, silvas, portiones terrarum; & vicissim eremum Camaldulensem pactum iniisse eos alendi. Hi conversi, divites præsertim & nobiles, ad oblatorum vel ad familiarium genus pertinuisse videntur, de quibus inferius.

§. XXII.

Sæpe tamen usufructus bonorum donatorum ipsis permittebatur.

Miccius de Fojano (*a*), qui anno 1254. xx. januarii se obtulerat pro *converso* cum bonis suis Martino priori Camaldulensi, fructum prædictorum bonorum obtinuit in vita sua. Johannes conversus ecclesiæ sanctæ Mariæ de Pietate urbis Maceratæ, quem protulimus §. superiori, retinuit sibi usum & fructum bonorum donatorum. Immo aliquando ipsa monasteria sponte largiebantur conversis propria bona. Sic Guidoni *converso* possessiones monasterii Curtis-luponis concessæ fuere (*b*) anno 1269. & anno 1358. (*c*) Maurus prior Eremi-novæ de Fajolo, consentiente priore Camaldulensi, fratri Puccio a Papaterra *converso domus Camaldulensis* tradidit prædium ipsius eremi sub pensione solutionis quotannis libræ ceræ, solvente Puccio pro ingressu duodecim florenos auri. Id sæpius factum reperimus. Generale capitulum Camaldulense anni 1420. I. septembris in Fonte-bono collectum, auditis petitionibus *conversorum*, qui conquerebantur sibi prohiberi possessiones bonorum, decrevit, ut revocaretur hæc prohibitio. *Audita*, (*d*) inquiunt, *querela conversorum monasterii Fontis-boni circa decretum, quod nullus proprium habeat, sed omnes eorum labores & fructus sint in communi, & ad camerarium pertineant, dictum decretum revocaverunt, & statuerunt, quod dicti conversi possint gaudere fructibus privilegio discretionis, atque bona sua mobilia & immobilia, dum vivunt, locare teneantur aliis agricolis, atque ipsi terras monasterii laborent in utilitatem dicti monasterii, & quod camerarius provideat, ne inter illos sit jurgium & clamor, sed pax, atque in infirmitate et sanitate habeant, quæ sint illis necessaria.* Hæc intelligenda de conversis ejus generis, qui familiares potius erant & oblati.

a §. *Amissæ* n. 462. *A.* 169.

b *Ibid.* n. 544. *A.* 160.

c §. *Usufructus* P. II. n. 3. *A.* 15. 43.

d §. *Statuta*. Par. II. n° 17. *A.* 5. 4.

§. XXIII.

Conversi intererant electionibus abbatum, ceterisque monasterii negotiis una cum monachis.

Cum recipiebantur hujusmodi conversi cœtus omnium monachorum congregabatur, & secretis suffragiis ipsorum petitio excipi consueverat, ut actitabatur de monachis. Præter Johannem laudatum in §. xx. quem Samso major eremi Camaldulensis Bononiæ anno 1201. recepit *cum toto conventu*, Octavianus abbas sanctæ Mariæ Insulæ territorii Galeatæ, *monachis suis collectis*, (*e*) anno 1308. recepit *in conversum* Binellum quondam Hugonis de Puzolo, qui obtulit omnia bona sua. Recepti tenebantur abbatibus & cœnobitis obedientiam præstare. Cum Johannes quondam Viviani a Rivocavo, *olim conversus sancte Marie de Pratalia*, diutius vitam secularem sine obedientia & regula duxisset & de sua conversione & oblatione constare dixisset, iterum se suaque (*f*) anno 1322. xv. julii obtulit flexis genibus dicto monasterio Prataliæ in manibus domni Benedicti prioris de Rivocavo, cui obedientiam & stabilitatem promisit, & dictus prior eum absolvit ab omni excommunicatione, ac in pristinum gradum restituit. Cum eligendi erant abbates vel priores, conveniebant cum monachis etiam conversi ad suffragium ferendum. Id consuetum olim apud Cistercienses & Grandimontenses. Anno 1234. IV. januarii (*g*) domnus Benedictus vicarius Camaldulensis, de consensu & voluntate *monachorum & conversorum monasterii & capituli sancti Michaelis Castri-Brittorum prope Bononiam* elegit in abbatem domnum Henricum, qui antea abbas fuerat sancti Michaelis Pisarum. Anno pariter 1239. (*h*) die v. aprilis *monachi & conversi ejusdem monasterii* domno Michaeli sacristæ eremi Camaldulensis, visitatori & reformatori deputato a latere domni prioris Camaldulensis, sua suffragia & voluntates pro illa vice commiserunt ad electionem novi abbatis. Sic XIV. maji (*i*) ejusdem anni idem domnus Michael *consentientibus omnibus monachis & conversis*, renuntiavit in abbatem monasterii Insulani domnum Petrum priorem de Ferracciano. Anno 1240. XI. januarii (*k*) *monachi & conversi de Avexa prope Veronam* elegerunt sibi in priorem domnum Nicolaum. Anno 1243. IX. junii (*l*) *monachi & conversi de Vivo* voces suas ad

e §. *Oblatio* P. II. n. 1.

f *Ibid.* n. 7. *A.* 4. 36.

g §. *Electio.* n. 13. *A.* 3. 54.

h *Visitatio.* n. 9. *A.* 3. 149.

i §. *Electio.* n. 22. *A.* 3. 155.

k *Ibid.* n. 23. *A.* 3. 1.

l *Ibid.* n. 30. *A.* 3. 53.

ad eligendum priorem prædicti monasterii concorditer commiserunt domno Rolando majori eremi de Vivo, domno Burgognono abbati sancti Petri in Campo, domno Johanni sacristæ de Vivo, Johanni cellerario, atque *Bernardo Vergario converso de Bricolis*, qui elegerunt in priorem domnum Nicolaum abbatem Montis-muri. Hoc ipsum præstant & (*a*) anno 1253. XXIV. augusti, & anno 1269. VIII. aprilis (*b*) idem agunt *monachi & conversi sancte Marie de Pratalia*; ut cetera modo monasteria omittamus, ex quorum chartis constat monachos & conversos vocatos fuisse ad suffragium ferendum in abbatum electione. Immo *iidem monachi & conversi Pratalie* (*c*) anno 1226. XVI. augusti constituerunt pro arbitris in electione sui abbatis Guidonem sacristam, Jacobum camerarium, Jacobum presbyterum monachos & *Fabrum conversum*, qui arbitri ad Prataliensem abbatiam assumpserunt Marcum monachum.

Conversi una cum monachis nominabantur pariter in donationibus & actis monasteriorum. Anno 1180. (*d*) Guido comes Thusciæ palatinus, & comitissa Gualdrada Puppii existentes pro animarum suarum remedio donant presbytero Petro rectori ecclesiæ sanctæ Mariæ de Petra-ficta, & Tebalduccio *converso* omnia, quæ habebant in finibus Pratilionis & Fartæ. Ita anno 1190. eisdem donat, quæ in eodem loco possidebat, Ubertinus Marianus. Guilielmus prior monasterii sanctæ Helenæ ad fluvium Æsinum tradit anno 1180. (*e*) suum cœnobium Rodulpho priori Camaldulensi *consensu ac voluntate omnium* suorum *fratrum tam monachorum, quam canonicorum ac conversorum*. Guido abbas sancti Michaelis Pisarum promittit anno 1202. (*f*) cuidam Gerardo victum & vestitum consensu monachorum suorum, & Guilielmi & Boni *conversorum*. In quadam transactione (*g*) inter Hugonem abbatem sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia, & inter Albertum priorem ecclesiæ sancti Prosperi, nominantur post monachos Mascarellus, Orlandulus & Dominicus *conversi* anno 1221. In locationibus annorum 1227. 1249. 1262. 1277. 1278. 1288. &c. una cum monachis nominantur *conversi monasterii sanctissime Trinitatis de Monte-herculi*. Anno 1206. (*h*) mense januario Guido prior Camaldulensis & omnes alii eremitæ & monachi Fontis-boni, & Morandus, Bernardinus, Colle, Palmerius, *& omnes alii conversi* pari consensu concesserunt in feudum castrum Castellionis Alberto, & Matthæo, & Alberto filio Guilielmini nepoti, & medietatem placitorum & bannorum &c. Anno 1254. XXVII. junii (*i*) Maurus abbas monasterii Berardingorum *consensu monachorum & conversorum* elegit suum procuratorem domnum Cambium monachum dicti loci. Denique anno 1276. (*k*) *consensu & voluntate monachorum & conversorum* Petrus abbas monasterii sancti Romualdi de Valle-castro providit de rectore ecclesiam sanctæ Luciæ de Foresta in diœcesi Cingulana. Idem præstabatur in aliis monasteriis, quorum exempla consulto omittimus, unum tantum afferentes monasterii sancti Michaelis in Burgo Pisarum, in quo monachi & *conversi*, qui *servientes* appellantur, consensum præbent. Chartam ex archivo ejus loci producimus.

a *Ibid. n. 52. A. 3. 50. n. 11. A. 3. 116.*
b *§. Electon. 129. A. 3. 153.*
c *Ibid. n. 8. A. 3. 100.*
d *Arch. S. Mariæ Angel. Florent. n. 262.*
e *Arch. S. Blasii de Fabriano.*
f *Arch. S. Mich. Pisar.*
g *Arch. S. Hippo. Faventiæ.*
h *§. Investitura n. 22. A. 3. 49.*
i *§. Mandatum n. 13. A 3. 61.*
k *Arch. S. Blasii Fabr.*

Anno 1204.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni amen. Anno ab incarnatione ejusdem millesimo ducentesimo quarto indictione sexta decimo kalendas julii.

Ex hujus publici instrumenti clareat lectione, quod domnus sacerdos Guido Dei gratia abbas monasterii sancti Michaelis de Burgo pro ipso monasterio, presentia & consensu infrascriptorum monachorum & *servientium* ipsius loci pro libris sexaginta denariorum Pisanorum novorum, de quibus libras quinquaginta quinque confessus est se nunc recepisse & habere a Martubilia relicta Henrici, filia quondam Silvestri, in veritate & non spe future remunerationis, ab ea interrogatus coram me etiam Ascianense judice & notario, & subscriptis testibus sibi solutas ab ea, promisit ei per stipulationem, se vel suum successorem, vel nuntium daturum, & soluturum ei, vel ejus certe misso pro ea toto tempore vite ipsius Martubilie omni anno pro ejus victu staria quinque boni frumenti nostratis, & starium unum milii, & bariles sex boni vini puri & clari, & quarras sex fabarum, & currum unum lignorum & libram unam olei, videlicet ad rectam mensuram Pisanam & olus cotidie, scilicet frumentum & ligna & fabas in mense augusti, & milium in septembre, & vinum in festo omnium Sanctorum, solvendo prius in suprascriptis terminis nominatis proximis, & postea tantumdem annuatim & omni anno, dum ipsa vixerit, & quod dabit ei habitationem gratis deinceps Pisis circa ipsum monasterium; & si ita non fuerit factum & observatum in omnibus, & per omnia promisit ei per stipulationem componere pe-

penam dupli supradictarum librarum sexaginta denariorum obligando se, suosque successores pro monasterio ei, & ejus heredibus. Et ipsa Martubilia promisit stipulationem supradicto domno abbati pro supradicto monasterio in morte sua, sive tempore mortis sue lectum suum cum culcitra, & saccone & copertorio & plumacio & linteolis relinquere supradicto monasterio, vel supradicto abbati pro eo vel ejus successori pro ipso monasterio ad penam solidorum trecentorum per stipulationem promissa. Et supradictos solidos centum denariorum remanentes ad solvendum de supradictis libris sexaginta promisit ipsum dare ei pro monasterio de hinc ad kalendas maji proximas, & si non concesserit ei, quod ipse abbas & ejus successor tantumdem minus debeat ei dare de supradicto victu, & de eo discomputare, quia ita ambo statuerunt. Et his omnibus interfuerunt & consenserunt presentes monachi supradicti monasterii; scilicet donnus Henricus cellerarius, donnus Janni camerarius, donnus Tebaldus, donnus Benedictus, donnus Henrigus sacrista, donnus Ildebrandus, donnus Bonus, donnus Rodulphus, & presbiter Dominicus capellanus ejusdem monasterii, & Gerardus Bucci *conversus* ejusdem monasterii; & taliter me Ascianensem judicem & notarium hec scribere rogaverunt.

Actum Pisis in ecclesia sancti Michaelis, presentibus Jacobo fabro quondam Florentii, & Bernardo casseario quondam Marci, & Guidone quondam Viviani furnarii testibus rogatis.

Ego Ascianensis domini imperatoris Friderici judex ordinarius & notarius predictis omnibus interfui & rogatus scripsi complevi & dedi.

§. XXIV.

Conversi præficiebantur monasteriis & ecclesiis, curamque gerebant animarum.

CONVERSIS insuper cura imponebatur monasteriorum, ecclesiarum etiam parochialium & hospitalium. De hac re superius egimus, (a) sed aliis exemplis hic, ut in suo loco, hujusmodi consuetudo illustratur. Anno 1160. (b) Radulphus episcopus sancti Cassiani, hoc est Imolensis, largitur ecclesiam sancti Andreæ de Zagonaria Alberto abbati sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia, ut faciat eam *officiari per monachum vel conversum* suum sacerdotem, vel per alium sacerdotem electum. Anno 1186. juramento affirmarunt (c) Dilecta abbatissa sancti Petri de Luco, duæque ejus sorores Cecilia atque Theodora, una cum presbytero Ambrosio & Jambono, per quadraginta annos & ultra ecclesiam sancti Nicolai & sancti Georgii pacifice, sine legali interruptione plebani sancti Johannis de Rivo-cornolario, rectam fuisse *a presbytero Orlando converso suo, & converso de reverentia*, qui missus fuerat a præfato monasterio tamquam domino & patrono in possessionem, manu Rodulphi presbyteri, judicis & notarii. Item anno 1212. (d) Rainerius presbyter & capellanus ecclesiæ sanctæ Mariæ de Riofrido appellatur *conversus monasterii sancti Petri de Luco*, interventu Cambii serenissimi Ottonis imperatoris judicis & notarii, ac Jacobi judicis & notarii. Anno 1207. XVI. augusti (e) Mainardinus Imolensis episcopus Petro abbati sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia ordinandam iterum tradit ecclesiam sancti Andreæ de Zagonaria, & regendam in perpetuum *per quemcumque sive monachum vel conversum*. Anno 1225. Armanus abbas ecclesiæ sancti Romualdi Vallis-castri, simul cum suis *prepositis conversis ecclesiarum*, sequentem emphyteusis libellum conscribit, quem ex autographo archivi sancti Blasii de Fabriano una cum altera Benvenuti *conversi & prepositi* ejusdem monasterii hic subjicimus ex eodem tabulario, & cum tertia ex archivo Fontis-boni, in qua nominantur *presbyteri conversi monasterii sancte Marie de Pratalia*.

a §. XI.

b Arch. S. Hipp. Faven.

c Arch. Luci 1. 35.

d Ibid. E. 52.

e Arch. S. Hipp. Faven.

Anno 1225.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno Domini M. CC. XXV. die XV. intrante mensis aprilis indictione XIII. regnante domino Federico imperatore Romanorum & semper augusto. Ego domnus Armanus abbas ecclesie sancti Romualdi sive Vallis Castri promittentes & parabolam dantes domnus Benedictus *prepositus & conversus dicte ecclesie*, & domnus Jacobus *prepositus sancti Salvatoris de Dicimano & conversus* de prenominata ecclesia, & Martinus *conversus de dicta ecclesia*, propria nostra bona voluntate do & concedo atque transfero tibi Ugo filius quondam Obtinelli petitor a nobis in filiis & nepotibus tuis legitimis emphyteotico jure, id est terram predicte ecclesie sancti Romualdi sive Valle Castri positam in fundo Molee artone, vel alio vocabulo infra hec latera. A primo Atto Morici, a secundo Ugolinus Rodolfi Caramelli, a tertio Johannes Fadutii, a quarto via &c. Actum ante ecclesiam sancti

cti Salvatoris in Dicimano. Rogati testes interfuerunt Paulus, Ugo Ugonis, Philippus de Oderisio, Gonus Borge, Albertus Attonis Duri, & Oderisius Attonis.

Ego Johannes notarius.

Circa annum 1200.

. . . . die XIII. mensis junii exeunte . . . . capitulo & conventu monasterii sancti Romualdi de Valle de Castro in capitulo ipsius monasterii dopnus Benvenutus *conversus* ejusdem monasterii longo tempore electus *prepositus & rector ecclesie* sancti Michaelis de Templano Firmane diocesis pro ipso monasterio coram dopno Petro abbate ipsius monasterii & monachis & *conversis* ejusdem, videlicet dopno Pascasio, dopno Petro, dopno Actone, dopno Petro Actonis, dopno Marino, dopno Amico, dopno Actunso, dopno Ugolino, dopno Albrico, dopno Ugone, & dopno Bentevolio in capitulo dicti monasterii reassignavit dictam ecclesiam sancti Michaelis de Templano & prepositura seu preprestantiam dicte ecclesie dicto abbati & conventui ipsius monasterii pro ipso monasterio recipientibus, cum una cruce & uno calice argenteis, & paramentis, & campanis & possessionibus bonis & rebus omnibus ad ipsam ecclesiam sancti Michaelis pertinentibus & expectantibus. Actum apud dictum monasterium in capitulo presentibus Barono Massare, Gilio & Rainaldo Amici Bazarani, Actone Bonafemine, & Albrico Actonis & .... Actonis testibus ad hec vocatis.

Et ego Ventura Actonis notarius plublicus omnibus predictis presens interfui, & rogatus scribere scripsi & publicavi.

Anno 1214.

IN presentia & testimonio domini Alberti, domini Matthei, domini Uberti, domini Aldobrandi .... bifulci, Ugonis de Bibiano, Turpinelli filius Turpini & domini Marci de Pratallia, & *presbyteri Donati conversi de Pratallia* & aliorum plurium ad hoc rogatorum testium domnus G. .... abbas Prataglle appellavit ab abbate Campilionis & suis fratribus ad dominum papam, ne se intromitterent per se vel per alios de aliquibus possessionibus, quas abbatia de Pratallia in civitate Arretii vel comitatu habet vel habere dignoscitur. Actum in claustro dicte abbatie Campilionis, in Dei nomine anno Domini M. CC. XIIII. Innocentio papa residente indictione secunda VII. kalendas septembris.

Ego Accorre notarius rogatus his interfui & in publicam formam redegi.

Anno 1228. VIII. maii (*a*) Ægidius episcopus Foro-popiliensis donans cum consensu Johannis præpositi & aliorum canonicorum capellam sancti Benedicti, capellam sancti Petri de Campo-gallano, & capellam sanctæ Mariæ de Lacu Hugoni abbati de Urano, vult capellanos prædictarum capellarum, *sive sint monachi, sive conversi, vel clerici seculares*, pertinere ad correctionem prioris generalis Camaldulensis & abbatis Urani, manu Johannis-boni notarii. Anno 1240. (*b*) domnus Benvenutus Hugonis capellanus ecclesiæ sancti Michaelis de Lapurano, *& conversus* monasterii sancti Victoris de Clusis donat domno Gratiæ abbati ejusdem monasterii omnia bona sua manu Jacobi notarii. Presbyter Jacobus de Ruffeno anno 1250. XXIV. novembris (*c*) in manibus domni Massarii abbatis sanctæ Mariæ de Urano obtulit se *pro converso Camaldulensi*, & promisit obedientiam, donavitque bona sua, qui Massarius acceptata renuntiatione, quam fecit domnus Guilielmus administrationis ecclesiæ sancti Antonii de cursu Brittonorii, eam commisit dicto Jacobo. Parœcialis vero ecclesiæ sanctæ Mariæ de Antignana territorii Faventini erat rector *presbyter Bernardus conversus monasterii sanctorum Hippolyti & Laurentii* anno 1268. qui spopondit obedientiam, subjectionem & reverentiam Zenoni abbati ejusdem monasterii, tacta regula sancti Benedicti, quique conversus etiam appellatur anno 1272. his verbis: *Vacante ecclesia sancte Marie de Antignana per mortem dompni Bernardi, olim conversi dicti monasterii, olim rectoris &c.* Chartam subjectionis proferimus ex autographo archivi ejusdem abbatiæ, una cum altera, quam pro eadem ecclesia obtinenda Massario abbati ipsius monasterii confecit anno 1229. *presbyter Bonus*, & cum tertia, qua supradictus Bernardus ex ecclesia sanctæ Mariæ de Trebana translatus fuit anno 1247. ad illam de Antignana a Bonifacio abbate ejusdem cœnobii.

a *S. Amiss. n. 358. A. 195.*

b *Arch. S. Blasii Fabr.*

c *S. Oblatio n. XI. A. 3. 4.*

Anno 1268.

IN nomine Domini amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo ducentesimo sexagesimo octavo die octava mensis novembris indictione undecima. Presbiter Bernardus, qui moratur pro monasterio sanctorum Laurentii & Ypoliti apud ecclesiam sancte Marie de Antignana, que est pleni juris dicti monasterii pro rectore dicte ecclesie confitendo se

esse

esse omnino obligatum dicto monasterio *tamquam conversum* dicti monasterii, & ibi esse & dudum fuisse a predicto monasterio deputatum, in capitulo ipsius monasterii fratribus ibi de more solito congregatis, flexis genibus, & junctis manibus obtulit se in manibus dompni Zenonis abbatis nuper ordinati in abbatem ipsius monasterii & tacta regula beati Benedicti, quam ipse dompnus abbas tenebat in manibus, promisit eidem dompno abbati recipienti vice & nomine ipsius monasterii & pro ipso monasterio *obedientiam omnimodam*, *subjectionem* & *reverentiam*, dixit se predicta fecisse ceteris predecessoribus predicti dompni abbatis ab eo tempore, quo fuit in dicta ecclesia. Et hanc obedientiam, subjectionem, & reverentiam promisit non solum proprio suo intuitu, sed etiam intuitu amministrationis ecclesie predicte sibi commisse.

Actum Faventie in capitulo monasterii sanctorum Laurentii & Ypoliti, presentibus Crescibene, qui fuit de Brissia, & Albertino de Tuscia familiaribus dicti monasterii, & Ugulo sive Ugolino de Antignano testibus ad hec vocatis & rogatis.

Et ego Philippus quondam Boni imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui una cum testibus predictis, & mandato dicti presbyteri Bernardi & dicti domni abbatis subscripsi & publicavi.

Anno 1229.

IN Dei nomine, amen. Anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo nono quarto exeunte augusto indictione secunda Faventie. Presbiter Bonus de Antingnana promisit obedientiam super regulam sancti Benedicti Massario abbati monasterii sanctorum Laurentii & Ipoliti de Faventia recipienti pro se & suis successoribus nomine dicti monasterii per manumissionem & abbatis manuum osculationem, & promisit sibi servire & obedire, & in ipsa ecclesia stare ad suum velle; rationes & jura ipsius monasterii tractare & conservare bona fide & sine fraude, & tam ipsum abbatem, quam suos nuntios recipere debeat cum honore & reverentia tamquam dominos in omnibus & patronos, & pro ipso abbate in predicta ecclesia promisit ulterius ad suum beneplacitum permanere. Hec omnia promisit attendere & observare bona fide sine fraude sub pena omnipotentis Dei & ecclesie amittende &c.

Anno 1247.

IN Christi nomine. Anno a nativitate ejusdem M. CC. XLVII. regnante domino nostro Frederico Dei gratia Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem & Sicilie rege die VII. februarii indictione V. in claustro monasterii sancti Hippolyti de Faventia. Cum dominus dompnus presbyter Bonus rector ecclesie sancte Marie de Antignana esset ita gravi senectute depressus, quod in ipsa ecclesia non posset divinis officiis & aliis de sui debiti regiminis ministerium exercere, dominus dompnus Bonifacius abbas monasterii prelibati, ad quem ordinatio ipsius ecclesie spectat pleno jure, dompnum Bernardum rectorem ecclesie sancte Marie de Trebana sibi coadjutorem constituit, & ipsum in dicta ecclesia sancte Marie de Antignana posuit, in qua tamquam administratoris officium exercebat; post aliquantulum vero temporis cum predictus jam presbyter Bonus esset nimia senectute & infirmitate gravatus, prefatus dominus dompnus Bonifacius abbas eumdem ab ipsius ecclesie administratione absolvit. Igitur ipsi ecclesie taliter vacanti volens idem dompnus abbas de pastore idoneo, sicut ad eum pertinet, providere, ne dampnum in spiritualibus & temporalibus patiatur, presentibus dompno Johanne monacho & presbytero ipsius monasterii, Alliotto, Nicolitto, Geremia *conversis* ipsius monasterii, invocata Spiritus sancti gratia, ad honorem omnipotentis Dei, & beate Marie Virginis matris ejus, sanctorum martyrum Laurentii & Ypoliti, & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, elegit postulando, & postulavit eligendo prefatum dompnum Bernardum *conversum* sepedicti monasterii in pastorem, rectorem, gubernatorem & administratorem ipsius ecclesie antedicte, cui electioni ipso dompno Bernardo consentiente, & expressum assensum & consensum dante, idem domnus abbas, utpote canonice factam, canonice confirmavit eamdem, committens eidem curam & administrationem spiritualium & temporalium dicte ecclesie sancte Marie de Antignana. Ipse vero dompnus Bernardus flexis genibus promisit eidem domno abbati pro se & suis successoribus super quemdam librum, quem dictus abbas tenebat in manibus, obedientiam & reverentiam intuitu administrationis ecclesie supradicte. Et his omnibus testes rogati fuerunt Rondolus, Viscovellus, Uguizonus tinctor, Simoncinus Besantii, & Guidollus famulus domni abbatis predicti.

Ego Guidutius Pellegrini imperiali auctori-

ctoritate notarius Faventinus his omnibus una cum predictis testibus interfui & rogatus scripsi.

Anno 1271. domnus Guido abbas monasterii sancti Michaelis in Burgo Pisarum, vacante ecclesia sanctæ Ceciliæ ejusdem civitatis per mortem presbyteri Montanini conversi Camaldulensis, alium presbyterum conversum elegit in rectorem, ut constat ex documento, quod ex tabulario dicti monasterii publici juris facimus.

Anno 1271. ANno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo indictione quintadecima die penultimo novembris. Venerabilis pater domnus Guido abbas monasterii sancti Michaelis de Burgo civitate Pisana fecit electionem de presbytero Viva *converso Camaldulensis ordinis & monasterii sancti Michaelis predicti* in ecclesia sancte Cecilie civitatis Pisane in hunc modum.

In nomine Domini, amen. Cum ecclesia sancte Cecilie civitatis Pisane, que spectat ad monasterium sancti Michaelis jam dicti pleno jure, excepto quam in jure presentandi, quod commune est nobilibus viris Empedrio, & Henrico fratribus de domo Vicecomitum civitatis Pisane & ipsi monasterio, & abbas ipsius monasterii una cum ipsis nobilibus debeat rectorem instituendum in ipsa ecclesia eligere seu & presentare, jamdudum vacaverit per mortem presbiteri Montanini, *quondam conversi Camaldulensis ordinis & quondam rectoris ipsius ecclesie*, ita quod jam simus in ultima die temporis sex mensium, intra quod debet electio seu presentatio fieri, & hoc contigerit propter dictorum nobilium absentiam a civitate Pisana, quos nos prefatus abbas dicti monasterii expectavimus usque nunc, ut cum eis electionem seu presentationem faceremus rectoris, & ulterius non possimus sine nostro, & monasterii nostri, necnon ipsorum nobilium virorum prejudicio expectare, necnon eis etiam convenire, ne tempore ipsius electionis, seu presentationis faciende elapso, jus presentandi seu eligendi per ipsorum & nostram negligentiam ad alios devolvatur. Volentes tam nomine nostro & nostri monasterii, quam nomine dictorum nobilium ipsi ecclesie providere, ne patiatur ipsa ecclesia ulterius in temporalibus & spiritualibus lesionem, existentes in civitate Bononie ex probabili & necessaria causa, & non valentes redire ad civitatem Pisanam ad presens, ad ipsam electionem seu presentationem faciendam infra tempus electionis seu presentationis faciende propter temporis brevitatem & alias probabiles & necessarias causas, habita intra nos deliberatione diligenti, Spiritus sancti gratia invocata, ad honorem Dei & gloriosissime matris ejus, & beati Michaelis archangeli, & beate Cecilie & omnium Sanctorum, & nobilium predictorum eligimus & postulamus, sive postulamus in eligendum, & eligimus in postulandum, tam nomine nostri monasterii, quam ipsorum nobilium, presbyterum Vivam *conversum Camaldulensis ordinis, & conversum dicti nostri monasterii* in rectorem, & administratorem dicte ecclesie sancte Cecilie instituendum per nos, tamquam per dominum & majorem dicte ecclesie sancte Cecilie vel per alium de monasterio nostro, tam nostro nomine, quam nostri monasterii, superius nominati.

Actum Bononie in claustro monasterii sanctorum Cosme & Damiani presentibus Philippo quondam Rocchi Henrici de Florentia, Bonaparte Johannis de Florentia, & Johanne Tingarelli de Castello testibus ad hec vocatis & rogatis.

Vallini natus Gerardus scriba creatus
Imperio scripsi supra his ego dixi.
Publica clamatus mansi, quia tumque rogatus.
Et inter liniarum faciente.

Plures capellani, & sacerdotes & plebani Camaldulenses conversi leguntur in quodam processu anni 1215. de quo mentionem faciemus §. XXXVII.

Ex his colligitur nova conversorum presbyterorum species, qui ut ecclesias obtinerent curam animarum habentes, vel non habentes, & subjectas monasteriis, in conversos petebant recipi; nec hujusmodi ecclesiæ ipsis conferebantur, nisi prius hoc conversionis genere monasteriis se adjicerent. Inter conversos presbyteros monasterii sancti Michaelis in Burgo Pisarum recensetur beatus Dominicus Vernagallus Pisanus, cujus sacrum corpus requiescit & colitur in eadem ecclesia sub ara sancto Romualdo & ipsi dicata. In veteri missali membranaceo, quod existebat in prædicto monasterio, legebantur aliquot notulæ sive monimenta ad eumdem Beatum spectantia, quæ exemplata fuere legaliter anno (a) 1621. 29. aprilis ab Antonio Felloni notario Pisano, primoque loco hæc verba habebantur: *Anno Domini M. CC. XXVIII. post mortem beati Dominici conversi & presbyteri dicti monasterii abbas Guido, qui tunc præerat, fundavit & ædificavit chorum ecclesiæ &c.*

a *Arch. S. Romualdi de Urbe* XXXIV. 19.

Fit

Fit ipsius mentio, ut capellani ejusdem monasterii, etiam in charta anni 1204. quam superius attulimus ad §. XXIII.

Aliquando presbyteri, capellani & rectores aliarum ecclesiarum, quæ non erant sub jure monasteriorum, postulabant fieri conversi alicujus cœnobii. Laurentius Pisanus capellanus, & rector ecclesiæ sancti Sebastiani de Fabricis civitatis Pisanæ petit *intuitu pietatis & misericordie* a domno Ventura abbate sancti Michaelis de Burgo Pisarum, & a suis fratribus recipi *tamquam sacerdos conversus ejusdem monasterii, ut vitam valeat ducere regularem* anno 1294. stylo Pisano; & abbas Ventura commisit prædicto fratri Laurentio *sacerdoti converso* curam spiritualem populi monasterii supradicti. Chartam damus ex archivo ejusdem abbatiæ.

Anno 1294. IN Jesu Christi nomine amen. Anno ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimo quarto indictione VIIII. Religiosus & discretus vir frater Laurentius Pisanus capellanus & rector ecclesie sancti Sebastiani de Fabricis civitatis Pisane constitutus & existens coram venerabili & religioso viro domno Ventura Dei gratia abbate monasterii sancti Michaelis de Burgo Pisano Camaldulensis ordinis, & suis fratribus universis in capitulo dicti monasterii, fecit veniam corpore prostrato, petens misericordiam a dicto domno abbate dicens, rogo vos, domne abbas, & vestros fratres omnes, ut intuitu pietatis & misericordie dignemini me recipere *tamquam sacerdotem conversum vestri solummodo monasterii ut vitam valeam ducere regularem*. Qui domnus abbas de consensu & voluntate suorum fratrum, scilicet domnorum Romualdi prioris claustralis, Jacobi de Socido, Gerardi camerarii, Donati, Guidonis & Venture monachorum suorum & dicti monasterii, inspecta prudentia, religione & moribus predicti fratris Laurentii, eumdem recepit in *sacerdotem conversum* monasterii prelibati, investiens ipsum de omnibus beneficiis spiritualibus dicti monasterii & dicti ordinis Camaldulensis. Et predictus frater Laurentius sic receptus, genua flectens ad pedes predicti domni abbatis, regulam beati Benedicti in manibus tenens coram me notario & testibus infrascriptis promisit eidem domno abbati recipienti pro se & suis successoribus solum canonice institutis, *obedientiam & reverentiam* secundum predictam regulam beati Benedicti; & facta obedientia predictus domnus abbas commisit predicto fratri Laurentio *sacerdoti converso* curam spiritualem populi monasterii sepedicti, *dans sibi suam auctoritatem plenariam, quam habet, absolvendi, & ecclesiastica sacramenta exhibendi populo predicto*. Dantes mihi notario ubivis presens instrumentum faciendi, dictandi & componendi, quoties expedierit de consilio sapientum pro utilitate utriusque partis.

Actum in capitulo dicti monasterii sancti Michaelis, presentibus presbyteris Henrico capellano & rectore ecclesie sancti Salvatoris de Porta maris civitatis Pisane, Orlandino quondam Johannis de Carraria sancti Viti, testibus ad hec vocatis & rogatis.

Ego Bartholomeus quondam Viviani de Pisis imperiali auctoritate notarius his omnibus interfui, & omnia suprascripta de voluntate & mandato omnium suprascriptorum rogavi, scripsi & publicavi, meumque signum apposui.

Johannes Antonii de Frassineta abbas sancti Michaelis de Arretio recepit in *conversum sui monasterii* (*a*) anno 1444. presbyterum Antonium de Burgo sancti Sepulcri; & in necrologio abbatiæ sancti Hilari de Galeata, quod suo loco edemus, nomina leguntur plurium presbyterorum conversorum ejusdem loci.

a *Arch. S. Mariæ in Grad. n. 666.*

§. XXV.

Appellati quandoque Familiares monasteriorum.

NON semper tamen presbyteri recipiebantur ut conversi, quandoque admittebantur ut *familiares, & tamquam clerici monasteriorum* ad divinum cultum augendum. In charta (*b*) anni 1260. XXV. augusti presbyter Benvenutus rector ecclesiæ sancti Stephani deFignano obtulit se in manu Benvenuti abbatis de Pratalia, qui eum recepit *in clericum & familiarem*. Anno 1276. (*c*) Raynerius presbyter & *familiaris Pratalie* electus fuit a domno Benedicto abbate in priorem ecclesiæ sancti Juliani de Arretio, quæ erat manualis ejusdem monasterii. Eodemque anno (*d*) Guilielmus *presbyter & familiaris dicti monasterii* ab eodem abbate factus fuit rector sancti Nicolai in Serravalle. Baldus magistri Cungii recipitur a Johanne abbate Agnani (*e*) anno 1290. *in clericum & familiarem dicte abbatie*; deinde ab eodem abbate rector eligitur sancti Quirici de Vicione ad laudem Jesu Christi, & venerabilis patris domni B.. episcopi Arretini. Ildebrandinus eo tempore regebat ecclesiam

b *§. Oblation. 16. A. 3. 13.*

c *§. Electio n. 154. A. 3. 41.*

d *Ibid. n. 136. A. 3. 58.*

e *Arch. S. Mariæ in Grad. n. 299.*

siam Arretinam, appellatus etiam Bandinus. Idem Johannes (*a*) anno 1313. excipit Vogliam clericum *in familiarem & clericum perpetuum* sui monasterii. Anno 1335. (*b*) Martinus prior sancti Petri de Mucchio procuratorem suum instituit presbyterum Gregorium rectorem ecclesiæ Trescæ *& familiarem abbatie sancte Marie de Adelmo*, una cum Fatio abbate sancti Justi Volaterrarum. Actum in Abbatia Mucchii per Martinum Andreæ notar.

a Ibid. n. 263.

b Arch. S. M. Ang. Floren. n. 133.

Quandoque *Familiares* suffragia dabant in capitulis una cum monachis & conversis. Anno 1156. III. nonas octobris (*c*) Arnulphus abbas monasterii sanctæ Trinitatis & sanctæ Mustiolæ de castro Turris, quatuor milliaribus ab urbe Senarum distantis, consensu monachorum, conversorum & *Familiarium suorum* donat Raynerio episcopo & consulibus Senensibus integrum montem Montagutori cum juribus suis, situm ad flumen Rosiæ, sub annuo censu trium librarum ceræ. Actum Senis in curte consulum prope ecclesiam sancti Paulli, manu Muscii notarii & judicis imperatoris Friderici. Anno 1257. (*d*) monachi, conversi & *Familiares abbatie sancte Marie de Paterno diocesis Arretine* eligunt commissarios pro subrogando in defuncti locum priore ejusdem abbatiæ.

c Instrum. Senen. T. I. p. 30. Arch. Schalæ n. 443.

d Arch. S. M. in Grad. Arret.

Aliqui etiam presbyteri monasteriis se offerebant cum bonis suis, sed copiam interim petebant degendi in seculo, & ingrediendi monasterium cum ipsis libuisset, quod genus conversorum dedecus potius attulisse monasteriis observant monachi San-maurini in supplemento ad Glossarium Cangii. Arnulfus (*e*) presbyter filius Teuzonis postulavit sibi *concedi societatem monachorum* a domno Sigifrido abbate Prataliæ, subindeque tradidit omnia bona sua mobilia & immobilia in manus prædicti abbatis, a quo licentiam obtinuit *permanendi in seculo, & cum voluerit ingrediendi cum rebus suis*. Sigifridus abbas fuit Prataliæ ab anno 1008. ad annum 1043.

e §. Recordationes n. 3. A. 4. 3.

Etiam laici recipiebantur *in familiares*. Anno 1194. (*f*) plebanus de Socana, & Raynaldus de Raffina electi arbitri definierunt, quod patroni & *familiares abbatie de Silva-munda* petant abbatem, quem voluerint, a priore Camaldulensi, excepto domno Grifone, & *familiares* ejusdem loci jurent obedientiam dicto priori. Crescibene, qui fuit de Brixia, & Albertinus de Thuscia *familiares* (*g*) vocantur anno 1268. *monasterii sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia*. Anno 1272. Ranaldutius se offert *in familiarem & conversum monasterii sancti Victoris de Clusis*. Chartam postremam producimus ex tabulario sancti Blasii de Fabriano.

f §. Sententia n. 4. A. 2. 26.

g Arch. S. Hipp. Faven.

Anno 1272.

IN dei nomine, amen. Anno Domini millesimo CC. LXXII. indictione XV. tempore domni Gregorii pape X. die X. intrante madio. Actum infra portas monasterii sancti Victoris de Clusis coram Conuttolo Ugoli, Brunanto Actuirimbone, Venturello Compugnoli, Aguro Ganti, Corrado Acti & Denuto Alberti testibus ad hec vocatis. Ranaldutius Paulini de Colcello non vi, dolo nec fraude inductus, set suo plano animo & spontanea bona voluntate dedit & dedicavit se & omnia sua bona mobilia & immobilia, que habebat & tenebat de suis bonis, domno Gratie abbati monasterii sancti Victoris de Clusis pro ipso monasterio recipienti &c. promittendo dictus Ranaldutius dicto domno Gratie abbati pro se suisque successoribus stipulanti obedientiam & reverentiam in bonis secundum regulam sancti Benedicti, recipiendo dictus domnus Gratia abbas dictum Ranaldutium in *familiarem & conversum* in dicto monasterio, concedendo sibi Ranaldutio in dicto monasterio victum & vestitum tempore vite Ranaldutii prelibati &c.

Ego Sigon. . . . . auctoritate imperiali notarius rogatus scripsi.

Anno 1276. III. martii domnus Honoratus prior Eremi-novæ de plano Fazoli intendens dictum monasterium fuisse *sub commandixia & protectione dominorum comitum Guidiorum de Balneo, se, conversos & familiares posuit sub defensione dominorum comitum Guidonis Novelli de Balneo, & Guidonis de Mutiliana, & Guidonis de Romena, & Guidonis Silvatici promittens solvere in Balneo quatuor libras cere in natali Domini*, manu Albertini Lombardi notarii. Nutus (*h*) anno 1322. se *in conversum* dedicat & *in perpetuum familiarem eremi Camaldulensis*. Anno (*i*) 1323. XX. augusti domnus Bonaventura prior Camaldulensis ad reformationem monasterii Montis-christi ad ruinam vergentis propter piratas & crebros casus incidentes, transtulit ad illud monasterium domnos Benvenutum & Accursium eremitas & fratres Johannem, Laurentium, Benedictum & Guidonem *conversos*, ut eorum industria & laudabilis vitæ meritis dictum monasterium incrementa recipiat, assignans eremitas pro monachis, & *conversos pro familiaribus*

h Oblatio P. II. n. 9.

i §. Notabilia n. 13. A. 9. 121.

a §. Mandatum Par. II. n. 12. A. §. 46.

dicti monasterii . Anno 1323. (*a*) IX. maji domnus Franciscus abbas Prataliæ constituit domnum Benedictum priorem sancti Johannis de Richò, sive de Rivocavo, syndicum ad lites coram dominis archiepiscopo Ravennæ, & episcopo Foro-popiliensi, & domino comite Romandiolæ, *item ad faciendos conversos & familiares perpetuos in dicto monasterio*, manu Junctæ Bonhomi de Lierna notarii. Nobilis vir Albericus quondam Cavalcantis de Spessia (*b*) anno 1330. dedit in emphyteusim Reinuccio Rainaroli de la Flamigne *familiari converso eremi-nove* terras in curte Castri-novi. Ejusdem eremi prior domnus Jacobus (*c*) anno 1341. XXI. februarii præcepit Riguccio *converso & familiari dicti monasterii*, ut infra quinque proximos dies resignaret omnia bona & res ejusdem monasterii juxta inventarium &c. Britius prior sanctæ Mariæ de Petra-ficta de licentia domni Bartholi prioris de Poplena (*d*) anno 1344. recepit *in commissum dicte abbatie juxta consuetudines ordinis Camaldulensis* Garzuolum, qui promisit se fore *bonum & legalem dicte abbatie familiarem*.

b §. Emphyteusis.

c §. Bannum. P. II. n. 4. A. 4. 13.

d §. Oblatio. Par. II. n. 18.

In horum censu melius quam Conversorum aut Donatorum reponendus videtur beatus Daniel ex nobilissima gente ab Ungrispack commorans in monasterio nostro sancti Mathiæ de Muriano, qui a latronibus jugulatus obiit multa sanctitatis opinione anno 1411. de quo videsis (*e*) Fortunium, quem in hac parte eruditis notis novissime illustravit (*f*) vir clarissimus Flaminius Cornelius senator. Recentiora etiam exempla habemus, & quidem inter eremitas Italos Antonii de Capaccis patricii Senensis & *familiaris* nostræ eremi Montis-cellesii prope Senas; inter eremitas vero Gallos domini de Fieubet, cui parentavit V. Cl. abbas Anselmus, cujusque meminit sequenti distico Santolius:

e Hist. Cam. P. II.

f Eccl. Torcell. T. III.

Quam prudens aulam, quam prudens & fugis urbem,
Non alia poteras te reperire fuga.

Et demum inter monachos Johannis de Franciscis patritii Veneti, qui supra tricennium in monasterio nostro sancti Michaelis prope Murianum contubernium suum perenne elegit „ ubi etiam piissime decessit anno 1744. cujus vitam pluribus virtutibus refertam edidimus paucis ab hinc annis.

§. XXVI.

Commissi pariter vel Manumissi.

PRÆTER conversos alii reperiebantur in monasteriis, quos *commissos* nominabant, qui aliquando distinguebantur a monachis, a clericis & a conversis. Gabrielem clericum Pratæ in Concordiensi diœcesi domnus Martinus prior sancti Martini rupti de Prata anno 1266. recepit *tamquam commissum, & non sicut fratrem, vel clericum vel conversum*. Chartam proferimus ex archivo sancti Mathiæ Muriani, una cum altera ex tabulario sancti Victoris de Clusis Jacobi clerici, qui se *monachum & commissum* exhibet in eodem monasterio anno 1306.

ANno domini millesimo CC. LXVI. indictione VIIII. die IIII. exeunte octobris. In presentia fratris Janesi de ordine fratrum Predicatorum, fratris Petri de eodem ordine, domini Johannis filii quondam domini Wecelonis de Prata, domini Bombarii plebani de Con... presbyteri Artuici de Corva & aliorum. Domnus Martinus prior ecclesie sancti Martini rupti de Prata de ordine Camaldulensi vice sua & suorum successorum recepit dominum Gabrielem clericum de Prata *tamquam commissum in domo ecclesie dicti sancti Martini, & non sicut fratrem, vel clericum vel conversum*, promittendo ei victum ad suam vitam ipsius domini Gabrielis per se & successores suos. Et recepit ipsum in beneficiis ordinis & orationibus & benefactis dicti ordinis. Et dictus dominus Gabriel fecit obedientiam & promisit facere omnia, que essent utilia dicte domui suo posse juxta voluntatem prioris, qui esset in domo predicta sancti Martini, & omnem provisionem, quam ipse dominus Gabriel posset habere a propinquis & amicis suis pro vestitu & aliis suis necessariis libere habeat auctoritate dicti prioris & suorum successorum.

Anno 1266.

Actum Prate in domo Hospitalis.

Ego Vivianus notarius sacri palacii rogatus interfui & scripsi.

IN nomine Dei amen. Anno ejusdem a nativitate M. CCC. VI. indictione IV. tempore domini Clementis pape V. Actum in ecclesia sancti Victoris de Clusis die XVIII. mensis augusti presentibus Bertholdutio Corradi domini Raynaldi, Andreutio Francisci, Petro Benvenuti, & Francisco Jacobi testibus ad hec voca,

Anno 1306.

catis. Constitutus dominus Jacopus Baldutii de Carbonesca clericus in presentia Rev. viri domni Gratie abbatis monasterii sancti Victoris de Clusis Camerinensis diocesis, presentibus domno Nascimbene Mocecutii, & domno Jacobo Villanutii monachis dicti monasterii degentibus tunc in dicto monasterio sancti Victoris, flessis genibus ante altare dicti monasterii cancellatis manibus humiliter & devote inclinato capite petiit coram dicto domno abbate, & supplicavit dictum domnum abbatem, & dictum dominum Nascimbenem, & dominum Jacopum nomine ipsorum, & nomine & vice domni Egidii monachi monasterii memorati, & fratris Jacobi Raynutii *conversi* dicti monasterii, quorum voces dicebat se habere domnus Jacobus Villanutii monachus ad recipiendum monachos & *commissos* & ad consentiendum receptioni, que fieret, in futurum per ipsum abbatem de monachis & *commissis* in monasterio supradicto, quod eundem domnum Jacobum reciperet in monachum & in fratrem dicti monasterii, intuitu pietatis & salute anime ipsius domini Jacobi nihilominus offerens se & sua predictis dominis abbati & monachis *obedientiam*, *reverentiam*, *honestatem*, *&* *perseverantiam perpetuam* predictis dominis abbati & monachis, & ipsorum successoribus in monasterio memorato, & se observaturum regulam sancti Benedicti secundum ipsius possibilitatem, & Deo & sanctis ejus servire in dicto monasterio secundum regulam, & ordinem, & bonos mores & consuetudines approbatas in ipso monasterio, quod domnus Gratia abbas presentibus, volentibus & consentientibus monachis supradictis nomine ipsorum, & nomine & vice predictorum domni Egidii & fratris Jacobi Raynutii, quorum voces dicebat se habere dictus domnus Jacobus Villanutii ad predicta, prout dixit constare manu magistri Morici Venture notarii, annuens humili petitioni ipsius & oblationi, quam faciebat, ac etiam considerata bona fama, que ferebatur de ipso domino Jacobo, & honestate, & moribus ipsius & solertia ejus in gerendis utiliter hactenus negotiis monasterii supradicti, ad honorem omnipotentis Dei, & beate Marie virginis matris ejus, & sancti Victoris, in cujus ecclesia ante altare ipsius sancti Victoris predicti abbas & monachi existebant, eumdem domnum Jacobum Baldutii in monachum & fratrem dicti monasterii ad obedientiam & reverentiam ipsius domni abbatis & suorum successorum, & ad observantiam regule sancti Benedicti perpetuo observandam ad panem & aquam dicti monasterii receperunt, & obsculo pacis eumdem domnum Jacobum de dicto monachatu investiverunt.

Et ego Mantia Rustichelli de Fabriano imperiali auctoritate notarius his omnibus interfui, rogatus subscribere subscripsi & publicavi.

Carus abbas sancti Petri de Puteolis Lucanæ diœcesis & Camaldulensis congregationis (*a*) anno 1230. cum consensu sui capituli, domnorum scilicet Orlandi prioris claustralis, & Jacobi & Junctæ, & alterius Jacobi presbyterorum, & alterius Jacobi, & Arrighi & Lanfranchi monachorum suprascriptæ abbatiæ, & Loctarii quondam Armanni de Porcaria *manumissi seu commissi* supradictæ abbatiæ, & Compescheri & Vitalis conversorum pro bono &c. dictæ abbatiæ permutavit bona in Colline cum domno Alberto abbate sancti Pontiani de Luca &c. Manu Gerardini notarii. Autographum extat in archivo ejusdem monasterii sancti Pontiani. In charta Boni rectoris de Antignana relata sub §. XXIV. legimus ipsum per *manumissionem* promisisse servitutem & obedientiam, & in ipsa ecclesia residentiam ad voluntatem Massarii abbatis monasterii sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia, qui ipsum rectorem constituerat in prædicta ecclesia. Vincentius *commissus* ejusdem monasterii Faventini testis subscribit sequenti contractui anni 1269. quem ex tabulario ejusdem abbatiæ producimus.

a *Arch. S. Pontiani de Luca.*

IN Christi nomine, amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo ducentesimo septuagesimo nono die sabbati decima septima mensis junii indictione septima. Faventie in balcone domus monasterii sanctorum Laurentii & Ypoliti, presentibus testibus domno Raynerio monacho dicti monasterii, & fratre Vincentio *commisso* ejusdem domus, & me Francisco notario infrascripto, domnus dominus Zeno abbas monasterii supradicti dedit Buzalerio olim Ugolini Salvoli de Trebana pro se & fratre suo fidelibus suis, ut amodo possint libere uti & frui quadam petia terre laborativa posita in loco, qui dicitur Vignale, sicut hactenus facere consueverunt, & ad evidentiam hujus rei jussit fieri publicam notionem *&c.* *Anno 1279.*

Ego Franciscus Calandrini imperiali auctoritate notarius *&c.*

§. XXVII.

Qui etiam aliquoties erant simplices laici, immo & conjugati.

HI *commissi* aliquando simplices laici reperiuntur. Rogius de Foro-julio (*a*) anno 1266. IV. julii obtulit se pro *commisso Camaldulensi* donans bona sua domno Angelo priori, cui promisit obedientiam, & prior concessit ipsi usumfructum bonorum, victum & vestitum. Anno (*b*) 1276. XI. januarii Benamatus quondam Cambii Petri de Agna receptus fuit pro *commisso eremi Camaldulensis* cum sua substantia, ea conditione, ut expenderet libras ducentas in bonis, ubi domno Gerardo priori Camaldulensi placuerit, quorum proventus spectarent ad ipsum Benamatum, manu Pagni Dati de Musolea notarii. Aliquoties etiam uxoribus erant obligati. Anno (*c*) 1238. IV. augusti Salimbene a Motina & Severina ejus uxor se offerunt pro *commissis Camaldulensis ordinis* in manu domini Nicolai vice-comitis, cui donarunt actiones suas & bona allodialia. Anno (*d*) 1267. XV. maji Manfredus notarius & Bartholomæa conjuges donarunt omnia sua Deo & monasterio sanctæ Christinæ de Tarvisio, & obtulerunt se *pro commissis dicti monasterii* in manibus domni Angeli prioris Camaldulensis, rogante Bruno notario. Domnus Franciscus prior Poplenæ & vicarius totius congregationis Camaldulensis locavit (*e*) anno 1414. die X. januarii ad usumfructum fratri Johanni de Risalsis *commisso monasterii Fontis-boni* recipienti pro se & pro domna Rosa uxore sua & domno Francisco & fratre Mauro professis Camaldulensibus, & fratre Francisco converso dictæ congregationis omnibus filiis suis, in vita ipsorum tantum, terram arativam sitam in fundo Partinæ pro florenis XXX. quos numeravit. Anno 1444. (*f*) Meus olim Jacobi, & Diana uxor ejus se exhibuerunt *in commissos* in manibus domni Augustini de Porticu majoris heremi in ære & in personis. Hæc consuetudo recipiendi laicos commissos viguit etiam apud monachos congregationis Bursfeldensis, qui sanxerunt (*g*): „ Cum Dominus Deus velit omnes salvos fieri, „ nos etiam *laicales personas*, quæ se „ suaque monasterio offerentes veniunt „ ad conversionem, suscipere non abnuimus, quamquam nec habitum, nec omnem Conversorum rigorem acceptare „ consentiant, dum alias utiles & ad laborem idonei; ita ut quisque eorum „ unius ex mercenariis valeat opus compensare, & sint liberi ab humana servitute. “

a §. Oblatio n. 18. A. 1. 31.

b §. Ususfructus n. 2. A. 3. 54.

c §. Oblatio n. 7. A. 3. 145.

d Ibid. n. 19. A. 1. 93.

e §. Ususfructus n. XI. A. 5. 37.

f §. Mutilæ P. II. 21. A. 5. 2.

g Distin. IV. cap. 5.

§. XXVIII.

Nuncupati etiam Donati & Devoti.

ALIO nomine hujusmodi *commissi* appellabantur *Donati*. In statutis synodalibus archiepiscopi Rothomagensis anno 1245. præcipitur, *ut aliquod signum in eminenti loco ad arbitrium archiepiscopi, & religioni congruenti indumenta Donatis dentur, ut per hoc distinguantur ab aliis, & sicut religiosi ab ecclesia defendantur*. Forte Rothomagi ante decretum vestiebant *Donati*, ut ceteri seculares. Apud Carthusianos invaluit hoc nomen, ut patet ex eorum constitutionibus; sed erant *Donati* etiam in nostro ordine Benedictino, dum in actis capituli generalis sancti Victoris Massiliæ jubetur, *ut mittantur visitatores, qui ..... inquirere debeant de meritis priorum, & monachorum, & Donatorum & conversorum*. Hic loci distinguuntur *Donati* a conversis, & ante ipsos nominantur. Exemplum sub Aymardo abbate Cluniacensi ad annum 948. (*h*) refert Mabillonius, Aquini, viri nobilis, ipsiusque uxoris Dodæ, consentientibus filiis suis, qui *per renuntiationem seculi & habitus commutationem* se suaque Deo tradiderunt; & „ originem hanc esse asserit, *Donatorum*, ut „ vocant, & *Donatarum* in monasteriis „ nostris, qui suscepto religioso habitu, „ non tamen monastico, se suaque Deo „ offerebant, in perpetuum ibidem servituros. “ Camaldulenses pariter in suis monasteriis *Donatos* aluerunt. Anno 1265. (*i*) XVI. decembris domnus Jacobus prior sancti Michaelis Arretii, & domnus Martinus eremita eremi Camaldulensis deputati a domno Bartholo Camaldulensi priore visitatores monasterii sancti Petri de Rota, domnum Petrum abbatem, ac monachos & *Donatos* ejusdem interrogaverunt &c. *Devotorum* autem alterum domesticum exemplum proferimus ex charta sequenti, qua Arnulfus cum conjuge & filiis se devovet anno 1165. monasterio sancti Petri in Campo, subjecto alteri cœnobio sancti Petri de Vivo. Documentum ex libro (*k*) cancellariæ Montis-politiani, vulgo *le coppe*, exscripsit Benvoglientius, Grandiumque nostrum eo donatum voluit.

h Annal. T. III. ad ann. 948.

i §. Visitatio n. 3. A. 3. 87.

k Fol. 124.

Anno 1165. In nomine Domini amen. Hoc est exemplum cujusdam publici & originalis instrumenti, cujus tenor talis est & inferius continetur. In nomine sancte & individue Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini nostri Jhesu Christi M. C. sexagesimo quinto indictione XIII. tertio nonas septembris. Manifestus sum ego Arnulfus, qui & Panefredi vocor, filius quondam Martii Arulfi una cum voluntate & licentia uxoris mee Sardinelle & filiorum meorum, idest Ruggerii & Rumogelli, qualiter damus, concedimus & donamus in perpetuum, tradimus & offerimus ac vovemus *nosmetipsos* & nostra pro animabus nostris & nostrorum parentum Deo & sancto Petro in Campo & cenobio beate recordationis de Vivo, presidente in eodem cenobio donno priore Rustico & in eadem abbatia de sancto Petro in Campo residente abbate dompno Pepone, & camerario dompno Perone, tradimus atque transferimus nos & omnia nostra mobilia & inmobilia vel se moventia jura & proprietates & actiones, que nobis spectant vel competent Deo & predicto venerabili loco, scilicet abbatie de sancto Petro in Campo, que supradicto cenobio est constituta, & eo quod recollegit quemdam nostrum rusticum Guidonem Martini Andree nomine ex pignore, & quasdam alias nostras res pro tribus libris & quinque solidis Lucensis monete, Deo tradimus quidquid juris & proprietatis habemus in casis, terris, vineis, silvis atque pascuis, rivis, sepibus & sepalibus ac lapidibus cultis & incultis, que res sunt posite in comitatu Clusino infra plebem sancte Marie de sancto Petro in Campo, & in tota curte de Castilione & Perpino usque viam.... de Odi.... de Matiolo, terram & silvam sic designatam, & a fossato de colle usque ad viam de Petra-tagliata, terram & silvam, & de fossato de Accule usque ad Casium, & revertitur in fossato de Folcetis usque ad semitam de Lavinis, terram & silvam, & quicquid habemus in Scu... rano in terris, vineis, arboribus & arbustis vel silvis, & quicquid habemus inter Molina, & in Silvaalta, & in Sarna & in Pertina, & in colle Corbucilum, & in duas petias terre in Zuigona una in campo Brardisco, & alia in casalinis, quicquid nobis attinet in sancto Andrea de Colle, aut in Campo post tribunam ejusdem ecclesie a terra filiorum Viviani usque ad alium de Castilione, terram & silvam, & a capite campi Christofani usque ad Carbonariam castelli in Perpino & Molumento duas petias vinee & terram & in silvis omnibus locis ubicumque aliquid habemus, & in plano Vitali seo tres petias terre, & quicquid habemus in Petra Alvezza, aut in omnibus locis ubicumque aliquid de nostro inveniri potest, tradimus atque mera liberalitate donamus, ut ab ora in antea habeatis, teneatis, possideatis tamquam justi domini & legitimi possessores vos & vestri successores in perpetuum, & liceat vobis ex predictis rebus quicquid exinde facere volueritis omni tempore sine nostri nostrorumque heredum contradictione vel molestia, & in nos nullam ex eis reservamus potestatem, unde nos predicti donatores & jam *devoti* Deo obligamus nos & nostros heredes vobis donatariis utriusque successoribus stipulantes nostro contractui..... quod si in aliquo tempore erimus contra hanc cartam donationis & mere liberalitatis, & quod ex parte .... quod absit, ire vel agere temptaverimus, vel si aliquem dolum vel fraudem per quodvis ingenium fecerimus, aut si ab omni humana persona non defensaverimus, tunc in primis iram omnipotentis Dei & eterni supplicii incurramus, & insuper nomine pene ipsas res in duplum, sicut pro tempore fuerint meliorate, vobis & vestris successoribus componemus, & pena soluta hec carta donationis & concessionis semper firma permaneat.

Actum Sartiani feliciter sub presentia legiptimorum testium, quorum nomina subter....

Ego Augustinus Litidii, & Ptolomeus Lambertuli rogati testes interfuimus.

Ego Monachus filius Spalleincanna, & Crull. .. filius Unaccii rogati testes interfuimus.

Ego Octavianus judex & notarius sacri palatii pro voluntate utriusque partis scripsi & complevi.

§. XXIX.

Et Oblati.

Nuncupabantur pariter *Oblati*. Distinguendi hujusmodi *Oblati* a pueris, quos diximus, oblatis ab eorum parentibus; hi enim erant veri monachi & ad sacros ordines dignitatesque temporis progressu transibant. Oblati alterius generis erant species quædam conversorum, vel iidem ac conversi, sed aliquando appellati Oblati, ut in charta anni (*a*) 1239. XI. martii *monachi, & oblati eremi tam superioris, quam inferioris de Vivo*, minore parte consentiente majo-

a §. Electio n. 21. A. 3. 148.

majori, communiter vocarunt Guilielmum monachum de abbatia de Senis in priorem & dominum de Vivo. Quare, cum supra observaverimus, monachos & conversos in eodem monasterio interfuisse electionibus abbatum & priorum, probabiliter *Oblati* non distinguebantur a conversis. Re enim vera in chartis anni 1214. IV. nonas decembris & VIII. kal. januarii Ducissa abbatissa monasterii sancti Ambrosii Montis-cellesii (vulgo *Monte-celso*) prope Senas, consensu Bellæfantis priorissæ sanctæ Trinitatis de Monte-amiato, Gemmæ, Agnetis, Berthæ & Parentinæ monialium, & consensu Panzi presbyteri dictæ ecclesiæ & Guidonis cellerarii, Petri & Raynaldi *conversorum & oblatorum dicti monasterii* vendidit &c. Bernardino notario. Harum venditionum synopsis (*a*) extat in codicibus mss. bibliothecæ nostræ. Aliquando *oblati* distinguebantur a conversis. Anno 1231. (*b*) abbas, monachi, conversi *& Oblati monasterii sancti Petri in Campo* se dant sub protectione reipublicæ Senensis.

Abusus invaluerat, ut aliqui Oblati extra monasteria vagarentur. Id vetat diplomate suo Otto IV. imperator, quod concessit anno 1210. Carsedonio abbati monasterii sancti Salvatoris de Monte-acuto in diœcesi Perusina. *Oblatos vero*, inquit, (*c*) *ejusdem ecclesie nolumus vagari in seculo, sed ubicumque fuerint inventi, licentiam habeant abbas, aut monachi, qui pro tempore fuerint, ad monasterium revocare.*

In consuetudinibus Hirsaugiensibus sancti Willelmi abbatis apud Hergotium cap. LXXVIII. (*d*) legitur: *Data alicui de Oblatis cappa a sacerdote*; ergo *Oblati* choro adsistebant, ubi locus erat sacerdotis. Huc pertinet, quod Trithemius in chronico Hirsaugiensi (*e*) de eodem sancto Willelmo habet: *Instituit etiam vir Dei VVillelmus exemplo Cluniacensium Oblatos, quos manere in pristino habitu sancta constitutione permisit, quorum ministerio in multis rationabiliter uti consuevit, in his maxime, quæ in medio secularium, ad quos barbatos mittere vel monachos non licebat, peragenda videbantur.* Distinguit hic loci Trithemius oblatos a conversis, scilicet a barbatis. Apud Camaldulenses hæc existunt *Oblatorum* documenta. Anno 1171. Dominicus filius quondam Viviani de Protali offert & donat se ipsum, & res suas in manus domni Johannis abbatis sancti Petri in Campo. Chartam proferimus ex libro, cui titulus *le coppe*, cancellariæ Montis-politiani.

a *Instrum. Senens. T. I. pag.* 108. *VI. p.* 18. *ex arch. Scalæ n.* 824. & 1102.

b *Archiv. archihospit. Senar. Sac. rubeo* XVII. *n.* 780.

c *Arch. S. Salv. de M. Acuto.*

d *Vet. discip. monast. pag.* 446.

e *Pag.* 229.

IN nomine Domini amen. Hoc est exemplum cujusdam publici & originalis instrumenti, cujus tenor talis est. *Anno* 1171.

In nomine sancte & individue Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi M. C. septuagesimo primo indictione IIII. sexto kal. januarii. Manifestus sum ego Dominicus filius quondam Viviani de Protali, qualiter pro remedio meorum peccatorum, & pia admonitione commotus donans dono, voveo me ipsum & omnes res meas mobiles & immobiles vel se moventes Deo & ecclesie sancti Petri in Campo in perpetuum per manus venerabilis abbatis Johannis, & sacerdotis Grassi patris ejusdem abbatie, & sacerdotis Pauli fratris in Domino, necnon & sacerdotis Boni senioris & aliorum fratrum predicte abbatie, offero & trado me ipsum Deo & sancto Petro, & omnes res meas, quas habeo vel habere videor in Protali & tota curte ejus, & in toto Clusino episcopatu, vel ubicumque de meis rebus vel mihi pertinentibus inveniuntur vel inveniri possunt in terris, silvis, aquis, hominibus, & in Clanciano & in tota curte ejus, & in Sellena aut in curte ejus, & in domibus, vineis, pratis, pascuis, rivis, & in omnibus rebus corporalibus & incorporalibus, ubicumque mihi aliquod jus est, vel de jure esse potest, trado prefate abbatie, & prefato abbati, ejusque successoribus in perpetuum, ut habeatis, teneatis, possideatis tamquam justi domini & legitimi possessores, & liceat inde vobis & vestris successoribus facere quicquid volueritis omni tempore sine mei vel alterius contradictione vel molestia. Si vero, quod Deus avertat, ego largitor, aut alter contra hanc cartam divino spiramine factam aliquo in tempore ire vel agere temptaverimus, aut si aliquem dolum vel fraudem fecerimus, vel si ab omni humana persona non defensaverimus ..... districto judicio divini examinis judicemur, & jaculo anathematis feriamur, & penam dupli, si quid nobis esset, solvere promittimus, & tam a consortio omnium fratrum predicte abbatie, quam ab omnium bonorum Christianorum indignos nos judicaremur. Et carta semper firma & stabilis permaneat.

Actum Sartiani feliciter sub presentia legyptimorum testium, quorum nomina subtus annexa sunt.

† Signum .... prenominati Dominici & professoris per hanc cartam donationis & sancte professionis fieri rogavit.

Ego presbyter Paulus, & presbyter Bonus senior rogati testes.

Ego

Ego Rusticuccius & Guidottus & Rebottus rogati testes interfuimus.

Ego Augustinus & Braccius & Menciarellus & Johannes rogati testes interfuimus.

Ego Octavianus judex atque notarius sacri palatii pro voluntate utriusque partis scripsi & complevi.

Anno 1181. Johannes Forestajus & Rannuccius filius se dedicant *pro Oblatis in monasterio sancti Benedicti de Vivo*. Ex autographo (*a*) archivi monasterii nostri sanctæ Mustiolæ de Rosa Senarum chartam hanc oblationis edimus.

a Num. 183.

Anno 1181.

IN nomine Domini nostri Jhesu Christi. Anno M.C.LXXXI. mense madii indictione XIII. imp. Frederico. Quisquis in sanctis *&c.* Ideoque ego Johannes Forestajus *offero me* ecclesie & monasterio sancti Benedicti de Vivo & una cum filio meo Ranuzo pro anima nostra nostrorumque parentum donamus tradimus & concedimus predicto monasterio & vobis domno priori Marco ejusdem monasterii duas petiolas vinee & una terre parv[...]simam que sunt in vocabulo Paterno, & in loco qui dicitur Vignale, infra & justa vineam predicti monasterii, confines quarum esse videntur, una est in loco, qui dicitur Fonte, & coheret ei ex uno latere & desuper & desubtus vinea predicti monasterii, alio latere exstra sepem, presidet Petrus de la noce. Alia petia est infra eamdem vineam justa Mazejam, & coheret ei ex omni latere & de subtus vinea predicti monasterii & desuper presidet Ranuzus filius predicti Johannis. Petiola terre est similiter justa vineam predicti monasterii. Alio latere presidente filii Petri de la noze & desuper Ranucius filius predicti Johannis donatoris & ipsemet terminavit predictas vineas & terram & arbores, quas communiter habebamus & duas partes arborum concedimus pro anima nostra nostrorumque parentum donamus, tradimus & concedimus vobis domno Marco priori tuisque posteris successoribus imperpetuum ad habendum, tenendum, faciendum vos vestrisque posteri successores ad utilitatem predicti monasterii quicquid volueritis sine omni nostra nostrorumque heredum contradictione, & si agere aut litigare presumpserimus & legitimam defensionem non exhibuerimus, pene nomine omnipotentis Dei & omnium Sanctorum maledictionem incurrere, & duplum dare promittimus.

Hujus rei & specialiter rogati fuerunt Bonzus Rusticelli, & Benedictus gener Rusticelli de Noze, & Vitalis filius Pepi Butazi, & Joseppus filius Viviani, & Pepus filius Strinati, & Torinus de Sancto de Vivo.

Eodem anno Gualfredus prior ecclesiæ sanctæ Christinæ Senarum (*b*) donat eidem eremo de Vivo ipsam ecclesiam sanctæ Christinæ, ut ædificaretur monasterium prope ipsam in urbe Senensi, tradens se *in oblatum*. In hujus rei illustrationem etiam sequentes chartas ex forulis tabulariorum nostrorum producimus. Forese & Bonafides fratres filii olim Benedicti de Marzano (*c*) anno 1239. dedicant *se pro conversis & oblatis in monasterio sancti Petri de Luco*. Anno 1240. (*d*) Jonta Berardi de Octaviano, & Leto quondam Pagani *conversos se & oblatos* tradunt in manus Berardi prioris ecclesiæ sancti Salvatoris de Aqua-pagana membri monasterii Vallis-castri. Anno 1311. (*e*) Jannes Compagnicti tradit *se in oblatum* ejusdem *monasterii Vallis-castri*. Ventura & Gherardesca ejus uxor anno 1312. (*f*) constituunt *se commissos & oblatos monasterii & hospitalis sancti Michaelis in Burgo Pisarum*. Anno 1407. (*g*) Guido & Johanna ejus uxor *oblatos* se & *commissos* dedicant in manibus Agnetis Lippi abbatissæ sancti Petri de Luco; quibus addimus duas alias ex archivo monasterii sanctorum Bartholomæi & Pontiani de Luca, duorum conversorum & *oblatorum*, primi quidem in eodem monasterio, alterius vero in Sextensi cœnobio.

b Arch. Rosa Senar.

c Arch. Luci D. 78.

d Arch. S. Blasii Fabriani.

e Ibidem.

f Arch. S. Mich. in Burgo Pisar.

g Arch. Luci E. 78.

Anno 1239.

IN Dei nomine amen. Anno ejusdem millesimo ducentesimo trigesimo nono quarto nonas martii indictione tertiadecima. Actum in parlatorio monasterii de Luco; testes Renaldinus de Marsano filius olim Bernardi, & Marsilius ejus filius, & Ottonellus filius olim Renuccini & Ugolinus Pangi & presbiter Renaldus capellanus monasterii de Luco.

Ser Forese & Bonafides fratres filii olim Benedicti de Marsano, sua novissima memorantes pro amore & timore Dei omnipotentis & animarum suarum salute suorumque parentum & pro remissione suorum peccatorum & ex eorum certa scientia & spontanea voluntate obtulerunt & dederunt se pro *conversis* & *oblatis* Deo & beate Marie & beatis Petro & Paulo apostolis & sancto Thome martyri, & monasterio de Luco, videlicet in manu domine Franche abbatisse ipsius monasterii recipienti vice & nomine monasterii predicti. Et ambo fratres predicti,

ut

ut dictum est, obtulerunt, dederunt & eidem, ut dictum est, accipienti donaverunt inrevocabiliter inter vivos eorum bona omnia, terras videlicet, casas, capannas, castagneta, quercieta, prata, silvas, boscos, salecta, pasqua, aquimina, nemora, jura, actiones, debita & omnia que & quas ipsi vel alteri eorum, vel alius sive alii pro eis habent & tenent in villa de Marsano & in curte & populo Fiorenchini & Arene & in alpibus, & in toto plebanatu plebis sancti Johannis Majoris vel alibi ubicumque, & per quecumque vocabula seu nomina & loca existunt vel reperiuntur. Quibus omnibus peractis & facta *conversatione & oblatione predicta*, puro corde & libera voluntate fecerunt & promiserunt eidem domine abbatisse, tamquam *sui & dicti monasterii conversi*, *obedientiam & reverentiam monialibus*, promittentes eam servare perpetuo. Promiserunt insuper tam de *continentia* observanda, quam de *renunciatione proprii* mandatis & preceptis jamdicte domine abbatisse obedire, & contra predicta factum non habere & non facere, & nulla ingratitudine revocare. Si contrafecerint, promiserunt dare ei duplum, unde lis esset nomine pene, & omnia damna & expensas resarcire se suosque heredes & bona in his omnibus & singulis in solidum obligando predictis ratis existentibus.

Ego Cambius domni Federici de Luco imperiali auctoritate notarius predicta omnia rogata & imbreviata per ser Cambium judicem & notarium filium Bonacursi de Luco morte preventum ex commissione mihi facta per ser Forensem notarium scripsi, ideoque ss.

Anno 1240. IN nomine sancte & individue Trinitatis amen. Anno domini M. CC. XL. Indictione XIII. tempore domni Gregorii pape VIIII. & Frederici secundi Romanorum imperatoris die XII. intrante mense septembris. Jonta Berarti de Ottaviano de consensu & voluntate sui patris Berarti, & Leto quondam Pagani de eodem loco nomine *conversionis & offersionis* dederunt & tradiderunt se & eorum bona mobilia & immobilia in manibus dopni Berarti Prioris ecclesie sancti Salvatoris de Aquapagana recipientis ad honorem Dei & dicte ecclesie suorumque ipsa ecclesia subcessorum presentibus & consentientibus fratribus suis dopno Johanne, dopno Bentura, dopno Benedicto, Raino, & Giberto & Pace *oblatis ipsius ecclesie*, & insuper suarum rerum investierunt super altare ipsius ecclesie per librum & per stolam osculati fuerunt, quibus omnibus sic peractis domnus Prior cum suis fratribus ipsum Jontam & Letonem ad pacem susceperunt. Nos Jonta & Leto promittimus stabilitatem nostram & conversionem morum nostrorum, & obedientiam & reverentiam secundum regulam sancti Benedicti & congregationem Valliscastrensis coram Deo & sanctis ejus in presentia dopni Berardi prioris ecclesie sancti Salvatoris de Aquapagana & aliorum fratrum promiserunt traere intus & non foras de bonis ipsius ecclesie bona fide sine fraude, & non facere malum iter, nec mittere nec facere sectam neque discordiam inter sotios ipsius ecclesie, nec fraudare in mala parte de bonis ecclesie, & manutenere jus ipsius ecclesie, & plus acquirere si poterint de suo jure, & insuper manus impositas supra librum corporaliter juravere ad Sancta Dei Evangelia omnia supradicta adtendere & observare & contra non venire. Actum in dicta ecclesia.

Coram Valterio Ofreducii, Argumento Pitrucii, Venturo Rotura.

Jacobone Berarti & Paulo rogati sunt testes.

Ego Petrus Johannis notarius interfui huic *offersioni & conversioni*, ut supra legitur de mandato dicti Prioris & fratrum ejus & *oblatorum vel conversorum* scripsi & publicavi.

ANno Domini millesimo CCC. XI. indict. VIIII. tempore domni Clementis pape V. die III. mensis optubris Jannes Compagnicti olim de villa Gropte, & nunc de villa sancti Johannis divina inspiratione inspiratus desiderans Deo servire & beatissime matri sue, & beato Romualdo & omnibus sanctis, volens mundanas pompas relinquere, constitutus coram religioso viro domno Hermanno abbate monasterii Vallis-castri genuflexus obtulit & dedicavit se & sua Deo & beatissimo Romualdo & dicto abbati *&c.* supplicando eidem domno abbati, ut ipsum *in oblatum nomine conversionis & oblationis reciperet dicti monasterii & conversum*, & panem & aquam, ut moris est in ipso monasterio, ei faceret ministrari. Qui Dominus abbas *&c.* dictum Jannem *in oblatum* recepit dicti monasterii *&c.* Qui Jannes promisit obedientiam & reverentiam dicto domno abbati *&c.* stabilitatem loci secundum regulam sancti Benedicti *&c.* Actum in monasterio Valliscastri in ecclesia ipsius monasterii *&c.* *Anno* 1311.

Ego Munaldutius Johannis notarius.

In

Anno 1312. IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni Amen. Anno primo Imperii serenissimi Domini Henrigi Dei gratia Romanorum Imperatoris & semper augusti, & anno Domini millesimo CCC. XII. indictione XI. die XVI. octubris. Omnibus sit manifestum, quod Ventura quondam Bencivenni de sancto Petro ad Castellum, & domina Gerardesca ejus uxor & filia quondam Orlandi de Castanecchio, & ipsi ibidem jugales, invicem consentientes, in presentia mei notarii & testium infrascriptorum ob reverentiam Dei, & pro remissione peccatorum suorum & parentum suorum, *obtulerunt se Deo & monasterio sancti Michaelis de Burgo, & Hospitali sancti Dominici de Trovatellis porte Calcisane pro Commissis* & *Oblatis* in presentia venerabilis viri domni Andree abbatis monasterii prelibati & fratris Johannis rectoris Hospitalis nominati. Qui dictus domnus abbas, presente jamdicto domno fratre Johanne eos recepit in *Commissos* & *Oblatos* cum omnibus, que modo habent, vel in antea habituri sunt, nihil sibi omnino de cetero reservantes in propria potestate, & hec omnia ita promiserunt dicti jugales super animas suas, & promiserunt eidem domno abbati *Obedientiam*, *Reverentiam* & *Castitatem matrimonialem* servare omnibus diebus vite eorum. Et ipse domnus abbas eos ita recepit ad beneficium monasterii prelibati, & Hospitalis predicti, & totius ordinis Camaldulensis *ponendo manus suas super capita eorum*, & *recipiendo manus eorum intra manus suas*.

Actum in ecclesia monasterii sancti Michaelis de Burgo presentibus Attaviano quondam Zari de comitatu Lucano, & Pace quondam Puccii de Florentia testibus ad hec vocatis & rogatis.

Ego Benedictus de Bandinachi imperiali auctoritate judex & notarius publicus his omnibus interfui & rogatus scripsi & firmavi, & meum signum apposui.

Anno 1407. IN Dei nomine amen. Anno ab ejusdem incarnatione millesimo CCCC. VII. indictione quintadecima die decimaquarta mensis augusti. Actum in comitatu Florentino in populo sancti Petri de Luco apud parlatorium monasterii sancti Petri predicti presentibus testibus ad hec vocatis, habitis & rogatis Antonio Zanobi populi sancti Laurentii de Florentia, Bartolo Bettini dicti populi sancti Petri, & domno Grimoaldo Nicoli priore sancti Antonii de Scandolone comitatus Florentie.

Pateat omnibus evidenter, quod Guido filius olim Bencii Tamanti, & domina Johanna filia olim Sanctii Cocchi, & uxor dicti Guidonis, ambo populi sancti Stephani de Grezano comitatus Florentie; ambo cupientes pro salute animarum suarum & monasterii sancti Petri de Luco ordinis Camaldulensis Domino, & residuum eorum vite in Dei servitium & dicti monasterii laudabiliter consumare, constitutis personaliter quibuslibet eorum in dicto monasterio sancti Petri de Luco coram venerabili & religiosa domina sorore Agnesa Francisci de Lippis de Aretio Abbatissa dicti monasterii, & infrascriptis monialibus dicti monasterii, videlicet domna sorore Jacoba Ruggieri de Solis de Florentia, domna sorore Piera ser Johannis Pichi de Burgo sancti Sepulcri, domna sorore Gabriella Corradi de Solis de Florentia, domna sorore Nicolosa Dominici de Ardinghellis de Florentia, domna sorore Blasia olim Michaelis de Michelis de Florentia, domna sorore Magdalena Raffaelis de Solis de Florentia, & domna sorore Johanna Caroli de Guidalottis de Florentia omnibus monialibus professis votum habentibus in capitulo dicti monasterii, de mandato dicte domne Agnetis Abbatisse predicte sono campanelle, ut moris est, ad capitulum congregatis in dicto monasterio & apud dictum parlatorium dicti monasterii, ubi solite sunt congregari pro similibus & quibuscumque factis dicti monasterii utiliter peragendis, ut dixerunt, capitulariter & collegialiter una cum dicta domina Agnese Abbatissa predicti monasterii, asserentes & dicentes se esse duas partes & ultra monialium & sororum dicti monasterii & vocem habentium in capitulo dicti monasterii, & facere & representare totum capitulum dicti monasterii & in eis consistere & residere totam vim & potestatem dicti capituli, dictus Guido & domna Johanna uxor ejus certificati primo & ante omnia predicta Johanna per me Nicolaum notarium infrascriptum de eo quod agebat & ad quod se obligabat, consensu, parabola & licentia dicti Guidonis sui viri & mariti & legitimi mundualdi in omnibus & singulis infrascriptis, omni via, jure, & modo, quibus magis & melius potuit; ambo genibus flexis & junctis manibus humiliter se, & quemlibet eorum & cujuslibet eorum bona omnia dedicaverunt, obtulerunt & commiserunt in dicto monasterio in manibus dicte domne Sororis Agnetis abbatisse predicte & dictarum monialium & sororum & capituli antedicti

cti recipientis & acceptantis pro se ipsis, & vice & nomine dicti monasterii & successarum earum, promittentes dictus Guido & domna Johanna ejus uxor *habitum Oblationis*, & *Commissionis*, & *Dedicationis* dicti monasterii secundum constitutionem dicti ordinis consuetum gestare; necnon promittentes & profitentes *stabilitatem* & *conversionem* & *obedientiam* debitam secundum Regulam monasterii antedicti, & omnia & singula alia facere que tenentur & obligate sunt tam de consuetudine, quam de juramento, & forma constitutionis dicti monasterii, ac obligationis, *commissionis* & *dedicationis* monasterii antedicti.

Et in dicto monasterio *oblationem commissionem* & *dedicationem consuetam* promiserunt, & *stare*, & *habitare*, & *residentiam continuam facere* & utilia dicti monasterii facere & procurare, quatenus ipsis & cuilibet eorum secundum ipsorum potentiam Dominus largietur. Et dicta abbatissa, moniales & sorores, sic ut premittitur, capitulariter congregate advertentes predictam *Oblationem*, *Commissionem* & *Dedicationem* dicti Guidonis & dicte Johanne & cujuslibet eorum & bonorum omnium ipsorum cedere in utilitatem nimiam dicti monasterii, matura igitur deliberatione inter eas prehabita omni via, jure & modo quibus magis & melius potuerunt dictum Guidonem & domnam Johannam & quemlibet eorum ibidem per se & humiliter petentem & dictorum eorum bonorum in *admissionem*, *oblationem & dedicationem dicti monasterii* receperunt & acceptaverunt; promittentes & convenientes dicte abbatissa & moniales & sorores & quelibet earum dicto Guidoni, & dicte Johanne ejus uxori & cuilibet eorum ibidem pro se stipulantibus & recipientibus, ipsos & quemlibet eorum toto tempore eorum vite bene & caritative tractare, *victum* & *vestitum*, & *omnia eisdem necessaria* secundum facultatem dicti monasterii, & *constitutionem dare* & *eum officium* facere & adimplere. Obligantes dicti Guido & Johanna ejus uxor dicto consensu pro predictis omnibus & singulis observandis seipsos & quemlibet eorum in solidum bona presentia & futura. Et dicta domna abbatissa, moniales & sorores, & capitulum obligaverunt se ipsas & totum dictum capitulum & suos successores & monasterium antedictum & omnia bona presentia & futura monasterii sancti Petri de Luco predicti renunciantes in predictis omnibus & singulis exceptioni non facte *Oblationis*, *Commissionis* & *Dedicationis*, & *Receptionis*, promissionis, obligationis rei non sic geste & non sic celebrati contractus, beneficio Vellejani & Senatus-consultus &c. Quibus quidem abbatisse, monialibus & sororibus, Guidoni & Johanne, & cuilibet earum & eorum per se volentibus & intelligentibus precepi per quarentisiam nomine juramenti ego Nicolaus judex & notarius infrascriptus, ut mihi licuit secundum formam capituli & constituti civitatis Florentie, ut predicta omnia & singula attendant, faciant & observent, ut supra promiserunt, contentum & scriptum est; rogantes me notarium, ut de predictis publicum conficerem instrumentum.

Ego Nicolaus quondam Johannis Janni civis Florentinus Imperiali auctoritate judex ordinarius & notarius publicus, predictis omnibus, dum agerentur, interfui, eaque rogatus scribere scripsi & publicavi, ideoque me subscripsi.

IN nomine Domini amen. Meus quondam Michelis de castro Duranti in *Anno* 1304.
diocesi Lucensi & plebe Computi cupiens Domino famulari per hanc cartam dedit & obtulit se & omnia sua bona in *conversum & oblatum* Deo & ecclesie & monasterio sancti Ponthiani Lucane diocesis in manibus domni Gerardi Dei gratia abbatis dicti monasterii, & eidem domno abbati pro se & dicto monasterio & suis successoribus promisit *obedientiam tam debitam quam devotam*, *& loci stabilitatem*. Et dictus domnus abbas capiens eumdem Meum per manum destram, ipsum Meum & sua bona recepit in *conversum* & *oblatum dicti monasterii*, & eumdem investivit de bonis temporalibus & spiritualibus dicti monasterii. Et predicta omnia facta sunt presente & volente & consentiente domna Matthea ejus uxore. Actum in dicto communi castri Durantis in domo, quam habitat dictus Meus coram Lando Sexmondi cive Lucano & Nuccio quondam Andree & Brancho filio Bartholi de castro Duranti testibus ad hec rogatis. Anno nativitatis Domini millesimo trecentesimo quarto indictione tertia die sexto novembris.

Lazarius Incalocchiati imperialis aule judex & not. his omnibus interfui & hec scripsi & publicavi.

IN nomine Domini, amen. Nocchus quondam Ciucchi prenominatus Vol- *Anno* 1356.
pe de Castro-veteri plebatus Computi Lucani districtus spiritu Dei deductus, habens propositum, ut adseruit & dixit, serviendi omnipotenti Deo, & beate Ma-

rie

rie semper virgini ejus matri, pro Christi amore & anime sue salute cum consensu, presentia & voluntate domne Natte ejus uxoris & filie Colucii Guillelmi de Colle plebatus Computi suprascripti, presentis & ei consentientis, hoc publico instrumento *obtulit personam suam* Deo & beato sancto Salvatori, ac etiam omnia sua bona mobilia & immobilia & presentia & futura, que bona liceat michi Angelo notario infrascripto scribere designare & declarare in hoc contractu vel alio ad omnem ipsius Nocchi voluntatem & requisitionem. Et pro descriptis designatis & declaratis esse & haberi voluit in presenti contractu ex nunc prout ex tunc, clausis manibus se in manus ven. patris domni Petri de Bononia abbatis monasterii & conventus sancti Salvatoris de Sexto ordinis sancti Benedicti ad Rom. ecclesiam nullo medio pertinentis, presenti & recipienti vice & nomine ipsius ecclesie & monasterii & abbatie suprascripte pro se & suis successoribus, pro *commisso* & *oblato* ipsius domni abbatis & monasterii & capituli & conventus ipsius, & promittens suprascriptus Nocchus cum dicto consensu suprascripto domno abbati recipienti *&c.* reverentiam, stabilitatem, conversionem & obedientiam debitam secundum regulam ordinis antedicti hoc modo. Ipse enim Nocchus flexis genibus coram majori altari ecclesie sancti Leonardi infrascripte quamdam in manu cedulam tenens, tamen sibi lecta & exposita vulgariter per prefatum ven. virum domnum abbatem tenorem hujusmodi continentem. Ego Nocchus quondam Ciucchi de Castro-veteri pleberii Computi Lucane diocesis cum consensu presentia & voluntate domne Natte legiptime uxoris mee promitto stabilitatem meam fiendam perpetuo in monasterio sancti Salvatoris de Sexto ordinis sancti Benedicti dicte Lucane diocesis, conversionem morum meorum, obedientiam & reverentiam coram Deo & Sanctis ejus in manibus reverendi patris & domni Petri Dei & apostolice sedis gratia abbatis dicti monasterii de Sexto in hac ecclesia sancti Leonardi de Borghicciolo Lucano. Quare suprascriptus domnus Petrus abbas cum consilio, consensu & voluntate domni Lodovici ejus & dicti monasterii monaci, cum ad presens in dicto monasterio non sint monaci coadunati, simul occasione predicta ad capitulum in ecclesia sancti Leonardi predicti sono campanelle mandato ipsius domni abbatis, ut moris est, & ipse idem domnus Lodovicus monachus supradictus una cum suprascripto domno abbate ejusque presentia & auctoritate pro dicto monasterio *&c.* suprascriptum Nocchum in *commissum & oblatum & pro commisso & oblato perpetuo*, & perpetuo dicti domni abbatis & monasterii & abbatie receperunt & acceptaverunt. Et eundem Nocchum genuflexum & manibus junctis bonis omnibus temporalibus & spiritualibus privilegiis & beneficiis, que de cetero fierent dicti monasterii & in dicto celebrabuntur monasterio & pro dicto monasterio in perpetuum cum libro Regule ordinis sancti Benedicti, quem ipse domnus abbas habebat in manibus dictis nominibus investiverunt. Actum in Borghicciolo extra & prope muros Lucane civitatis in eccclesia sancti Leonardi coram Puccione Orselli & Nesino Lupi de communi Castri-veteris plebatus Computi suprascripti & Bartholomeo Nucci Vinatterio Lucano cive testibus ad hec presentibus vocatis & rogatis. Anno nativitatis Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto indictione nona die decimonono julii.

Ego Angelus quondam ser Jacobi Bonacursi de Camajore civis Lucanus imperiali auctoritate judex ordinarius & not. suprascriptis omnibus interfui, eaque rogatus scripsi & publicavi.

§. XXX.

Conversi, Commissi, Donati & Oblati sub protectione monasteriorum.

Ceterum plures, ut in aliis congregationibus, sic etiam in Camaldulensi, erant Conversi, Commissi, Donati & Oblati, qui non devotionis gratia, neque majoris perfectionis ergo, statum hunc assumebant. Vel bellorum damna & pericula metuentes, vel ut a vectigalibus principum & civitatum redderentur immunes, vel demum ut quotidianum victum certum sibi pararent, res suas monasteriis donabant, monasteria vero eadem bona denuo cedebant donatoribus, tenuem annuam oblationem imponendo. Parvi insuper aliquando momenti bona eremis & monasteriis tradebant, & tunc laborem & industriam manuum suarum exhibebant, ac postulabant in consortium admitti, & numerari de familia alicujus monasterii vel eremi. Horum bene multi fidelitatem præstabant, vel obedientiam reverentialem, ut vocabant, & politicam, nullam tamen sibi imponebant legem ad regulam vel ad statuta Camaldulensia observanda. Hi plerumque vivebant in domibus propriis, uxo-

uxoribuſque ſuis & filiis adhærebant, bonorumque ſuorum procurationem gerebant. De his agunt etiam monachi Sanmaurini ad vocem *Monachi* in Gloſſario Cangii. Unum exemplum afferimus (*a*) ex tabulario Fontis-boni. Berta filia Uguccii de Valle-capreſe relicta quondam Parlini, & Adalaſia filia ejus donaverunt irrevocabiliter inter vivos domno Philippo priori monaſterii ſancti Bartholomæi de Anglari omnia ſua bona immobilia ubicumque poſita, & prædictus prior conceſſit illis eadem bona libellario nomine, unius candelæ cenſu conſtituto, annuatim menſe auguſto præſtando, manu Johannis notarii anno 1201. menſe februario. Exempla etiam donatorum, quæ protulimus §. XXVIII. & XXIX. in quibus mentio fit ſimplicis oblationis perſonæ & bonorum, nulla obedientiæ vel ſubjectionis addita circumſtantia, ad hoc genus referri commode poſſunt.

a §. *Donatio n. 355. A. 3. 7.*

§. XXXI.

Officia converſorum in eccleſiis.

CONVERSI antiquitus una cum monachis in chorum conveniebant, & cereos aliquando, ut acolythi, geſtabant. In conſuetudinibus Floriacenſibus apud Martene (*b*) habetur: *Duoque converſi hinc & inde duos cereos bajulant, & in chorum redeunt*. In monaſterio Lyrenſi & Beccenſi thuriferarios agebant: (*c*) *Converſis cum candelabris & thuribulo præcedentibus*. Idem legitur in conſuetudinibus Farfenſibus ab Hergotio (*d*) publici juris factis. Crucem deferebant, & vas aquæ luſtralis; ita habetur in ordine Cluniacenſi per Bernardum ſeculi XI. ſcriptorem apud eumdem Hergotium; immo etiam geſtabant vas ſacri olei pro infirmis. Aliquoties dum deferebant thuribulum & cereos accenſos, manipulum in ſiniſtra portabant; *hi, quandocumque reveſtiuntur, habent manipulos* juxta eumdem Bernardum. Capſas ferebant cum reliquiis Sanctorum; ita ordinatur in (*e*) conſuetudinibus Hirſaugienſibus: *In die quoque Palmarum debet aliquos diligentiores de converſis eligere, qui capſas & arcas ſacrarum reliquiarum ad proceſſionem humeris ſciant portare*. Aliquibus in locis erat converſis chorus peculiaris. In ſupplicationibus ſollemnibus procedebant poſt diaconos juxta (*f*) diſciplinam Farfenſem; & juxta Cluniacenſes Bernardi ritus (*g*) poſt omnes clericos ibant. Aliquando cantabant in choro teſte Guidone (*h*) in diſciplina Farfenſi: *Ad Miſſam majorem induantur omnes cappis, etiam converſi, qui ſciunt cantare*. In libro divinorum officiorum Camaldulenſis ordinis Martini III. prioris, (*i*) thuriferarii, ceroferarii aliique miniſtri ſacrorum ſemper appellantur *ſervitores*. Diaconus, poſt incenſationem fratrum exiſtentium ex latere abbatis, & fratrum ex latere prioris, *infimis morantibus infra chorum converſis etiam per verſum tribuebat incenſum; uni converſorum pacem* offerebat (*k*) ſubdiaconus; in dominica Palmarum (*l*) *hebdomadarius pergit ad benedicendum officinas procedente ſubdiacono cum Cruce & converſo cum aqua ſancta*. In conſtitutionibus vero de moribus ab eodem Martino editis (*m*) præſcribitur, ut *quilibet converſus ſeu converſa, ſive interſint divinis officiis, ſive non, dicere teneantur tam in ſollemnibus, quam in ferialibus diebus, pro Nocturnis* XL. *pater noſter, pro Laudibus* X. *pro Prima* V. *pro Tertia* V. *pro Sexta* V. *pro Nona* V. *pro Veſpertina hora* X. *pro Completorio* V. Ceterum *converſi, qui* erant *clerici, in dormitorio, in refectorio & capitulo cum monachis*, non morabantur, *exceptis iis, qui ſemper jejunabant ut monachi, vel quos fratrum paucitas in refectorio* cogebat *admitti*. Id ſtatuitur capite XVIII. libri primi earumdem conſtitutionum.

b *Antiq. monachor. rit. Lib. III. cap. 19. n. 11.*

c *Ibid. cap. 13. n. 49.*

d *Vetus diſcip. monaſt. pagg. 66. 67. 79. 129.*

e *Ibid. Lib. II. cap. 34. pag. 522.*

f *Ibid. p. 52.*

g *Ibid. p. 273.*

h *Ibid. p. 64.*

i *Cap.* XVII.

k *Cap.* XVIII.

l *Cap.* XLIII.

m *Lib. I. cap. 49.*

§. XXXII.

Converſorum Camaldulenſium habitus.

CONVERSI parochi & capellani pannos albos deferebant. Presbyter Gregorius promittit (*n*) ſe capellanum acturum, auxiliumque præſtiturum preſbytero Montanino rectori eccleſiæ ſanctæ Ceciliæ Piſarum *tam in officiis de nocte, quam de die, & cantando Miſſas & matutina, & dando penitentias, & quod portabit unam cappam albam, & ſimilis panni & coloris, ſecundum quod dictus presbyter Montaninus conſuevit portare*. Sed præſtat chartam ipſam in medium afferre.

n *Arch. S. Mich. in Burgo Piſar.*

Anno 1267.

IN eterni Dei nomine, amen. Ex hoc publico inſtrumento ſit omnibus manifeſtum, quod presbiter Gregorius quondam Riccardi, qui conſuevit morari cum prepoſito ſancti Petri ad gradus, poſuit ſe cum presbitero Montanino rectore eccleſie ſancte Cecilie pro ipſa eccleſia recipienti ad ſtandum & morandum cum eo ad ſervitium dicte eccleſie, & populi ipſius eccleſie a calendas maji proxime venturi ad annos duos proxime venturos, & tantum plus, quantum fuerit communis concordia inter eos. Et per ſolemnem

nem stipulationem dictus presbiter Gregorius convenit & promisit dicto presbitero Montanino recipiente pro ipsa ecclesia, quod cum eo dictum est, stabit & morabitur ad servitium dicte ecclesie & populi in toto suprascripto biennio & alio de quo fuerint concordes tam in officiis de nocte, quam de die, & cantando Missas & matutina & dando penitentias, & in aliis omnibus necessariis dicte ecclesie & populo ipsius ecclesie, & ipsi presbitero Montanino tam in temporalibus, quam in spiritualibus, que fuerint necessaria dicto presbitero seu ecclesie, aut populo. Et quod *portabit in suprascripto termino unam cappam albam, & similis panni & coloris, secundum quod dictus presbiter Montaninus consuevit portare*. Et si contigerit, quod absit, dictum presbiterum Montaninum infra dictum terminum decedere, vel de hoc mundo transire, quod in dicta ecclesia dictus presbiter Gregorius non stabit, nec morabitur contra voluntatem abbatis monasterii sancti Michaelis de burgo, & patronorum ipsius ecclesie sancte Cecilie, & quod totum & quidquid de redditu & oblationibus suis possidere, vel alia quacumque occasione ipsius ecclesie ad manus ejus pervenerit, reddet, dabit, & consignabit eidem presbitero Montanino ad sui voluntatem, exceptis debitis introitibus & consuetis capellani. Et quod bona suprascripti presbiteri Montanini & dicte ecclesie, que sub ejus guardia vel custodia, & cognoverit bona fide sine fraude custodie salvabit, & de ipsis non fraudabit vel furabitur, nec defraudari consentiet per se vel per alium ullo modo. Et quod non erit in consilio, dicto, facto, consensu, quod dictus presbiter Montaninus, aut dicta ecclesia sancte Cecilie perdat vel admittat libros, paramenta aut thesaurum aliquem dicte ecclesie. Et si sciret aliquam personam hoc facere volentem, pro posse distornabit, & si distornare non poterit, quo citius valebit suprascripto presbitero Montanino dicet & pandet; & hec faciet sine briga *&c.* Alioquin libras quinquaginta, ut dicitur, pro pena, nomine pene & omnes expensas prefato Montanino per stipulationem componere & dare promisit, & se, & suos heredes & omnia bona sua ei, & dicte ecclesie sancte Cecilie pro suprascriptis omnibus obligavit. Et dictus presbiter Montaninus pro dicta ecclesia eidem presbitero per stipulationem convenit & promisit, quod eum durante suprascripto termino sanum & egrum tenebit & non dimittet; & quod dabit ei victum cum expensis, vestimentis & calceamentis, & pro beneficio sui feudi annuatim solvet centum libras Pisanas solvendas pro medietate in medio anno & pro alia medietate in fine anni, alioquin *&c.* Hec omnia acta sunt inter eos ad honorem Dei, & sancte Cecilie, & abbatis monasterii sancti Michaelis de Burgo, & ipsius monasterii & patronorum ipsius ecclesie sancte Cecilie & populi ejusdem. Et non prejudicando in predictis juri ipsius abbatis & monasterii sancti Michaelis suprascripti, & juri patronorum ipsius ecclesie, sed sint salva *&c.* Actum Pisis super ballatorio ecclesie sancti Laurentii de Rivolta presentibus Pontraciolo Calti quondam Guidonis, Paulde de sancto Laurentio supradicto, & Mattheo dicto Teo Calu, filio quondam Alberti de sancto Petro ad Ischiam testibus rogatis ad suprascripta. Dominice incarnationis anno millesimo ducentesimo sexagesimo septimo indictione nona XVI. calendas maji.

Postea vero anno millesimo ducentesimo sexagesimo septimo indictione nona XI. calendas maji dictus presbiter Gregorius per stipulationem solemnem convenit & promisit presbitero Johanni rectori ecclesie sancti Laurentii de Rivolta, item pro abbate & monasterio sancti Michaelis, quod quandiu staret in ecclesia sancte Cecilie suprascripte suprascripto modo, ut supradictum est, vel quocumque alio modo in dicta ecclesia steterit, portabit *cappam albam* ad voluntatem abbatis & capituli dicti monasterii, & sicut abbas dicti monasterii voluerit pro suprascripto monasterio. Et hec omnia & singula faciet sine briga & molestia, & reclamatione ulla; alioquin libras quinquaginta denariorum novorum Pisanorum pro pena & pene nomine *&c.*

Actum Pisis in apoteca ser Pantonerii notarii quondam Benevennis presentibus Ghirardo filio Henrici Roberti, & Guidone notario de Calci quondam Rodulfi testibus rogatis ad hec *&c.*

Ego Leopardus Lucii de Quosa Imperatorie dignitatis judex ordinarius atque notarius has cartas a Gerardo notario quondam Henrici . . . . . & Pontonerio notario quondam Benevennis de Rillione rogatas, easque schedis a me visis, & bene, & commissione mihi facta, & consilio Senatus, & Credentie & aliorum ordinum Pisane civitatis, prout in eorum actis inveni, ita scripsi & in publicam formam redegi.

Presbyter (*a*) Johannes conversus Camal- a §. *Testificatio n.* 4. *A.* 3. 80.

maldulensis & capellanus ecclesiæ monasterii sancti Michaelis Arretii *portabat pannos albos*, *sicut conversus Camaldulensis*, tempore Gregorii & Ildebrandi priorum Camaldulensium, hoc est paullo post medietatem seculi XII. teste Rainerio priore ejusdem loci sancti Michaelis in responsionibus ad interrogationes in causa libertatis eremi Camaldulensis sub priore Guidone anno 1215. Idem testatur plebanum de Micciano gestasse *pannos Camaldulenses*, *sicut conversum*, *& cappam albam & gunellam de panno Camaldulensi*; aliumque objurgatum, *quia non portabat pannos Camaldulenses*, *qui venit Aretium*, *& emit pannos albos pro cappa & tunica*. In constitutionibus (*a*) Martini III. statuitur & districte præcipitur, quod *sacerdotes & clerici nostri conventus alba & clausa deferant indumenta*, *& regulariter vivant*, *& præcipue illi*, *qui in conventu cum monachis in ecclesia*, *in dormitorio*, *in refectorio & in aliis locis morantur*, *in vestimentis*, *& cibariis & in omnibus aliis talem vitam ducant*, *& ut veros conversos se esse demonstrent*. Constitutioni huic occasionem facile præbuit abusus aliquis monachorum vel conversorum, qui perfecte candidis vestibus non utebantur. Re enim vera legimus, quod Stephanus abbas sancti Justi Volaterrarum in testificationibus anni 1216. (*b*) pro libertate eremi Camaldulensis, interrogatus inter cetera, *quibus vestibus induerentur conversi de Fiere* (locus de Fiere erat monasterium seu eremus Camaldulensium prope Cortonam) *respondit* : *Quidam conversi de Fiere habebant pannos rusticanos mediocriter nigros*, *qui panni appellabantur* lazzus. *Item interrogatus*, *si vidit alios monachos seu conversos*, *qui non essent de ordine Camaldulensi*, *portantes pannos albos*, *respondit*: *sic*, *sed dixit*, *quod monachi & conversi de predictis monasteriis* (de pluribus aliis cœnobiis Camaldulensibus interrogatus fuerat) *dicuntur esse de ordine Camaldulensi*.

a Lib. III. cap. III.

b §. Testif. n. 5.

§. XXXIII.

Conversi, *qui deinde evadebant monachi*.

REPERIMUS etiam, ni fallimur in conjecturis nostris, *conversos* appellatos fuisse aliquando ipsos monachos primis annis eorum monastici tirocinii, & sicut juniores monachi etiam ex præscripto regulæ sancti patris Benedicti *fratres* vocabantur, reservato *domnorum* titulo senioribus, ita juniores monachi aliquando *conversorum* nomen obtinuerunt. Rainerius prior sancti Michaelis de Aretio in superiori §. XXXII. laudatus, interrogatus &c. respondit, *quod tempore priorum Rodulphi & Ildebrandi*, *ipse erat conversus*, *& tempore prioris Placiti erat monachus*, nisi dicere velimus ipsum ex ordine conversorum transiisse ob merita sua ad ordinem monachorum; id quod deinceps lege ecclesiastica vetitum fuit. Re enim vera frater Paullus Andreæ *conversus abbatie sancte Marie Adelmi* ex concessione Bonifacii papæ IX. facultatem acceperat, ut ad sacros ordines promoveretur; verum cum prior & monachi sanctæ Mariæ Angelorum Florentiæ (*c*) summo pontifici exposuissent id cedere in præjudicium congregationis, idem anno 1400. XXIV. februarii bulla sua committit priori eremi Camaldulensis ut hujuscemodi gratiam revocet, & Paullum redire jubeat conversum, si monachus evasit, suspendat autem in perpetuum ab exercitio, si ad sacros ordines sit promotus, approbans eremi constitutionem, qua cavetur, ne *conversi ad monachatum & ad ordines sacros provehantur*, *& volens*, *ut prælati consentientes excommunicationis pœnam ipso facto incurrant*. Constitutio eremi validatur etiam altera bulla Bonifacii VIII. data Romæ anno 1301. XXV. junii præsertim pro monasterio sanctæ Mariæ Angelorum Florentiæ. Liquet Bonifacium VIII. & IX. loqui de conversis, qui rerum exteriorum curam in cœnobiis gerebant, non de conversis clericis, de quibus egimus superius.

c Arch. S. Mariæ Aug. Flum. n. 213.

§. XXXIV.

Conversi monasteriorum monialium.

CONVERSOS insuper tum presbyteros, tum laicos legimus monasteriorum sanctimonialium, apud quas habitum recipiebant, regulam profitebantur, abbatissis obedientiam præstabant, sacrarum virginum capitulis intererant, & ad partem negotiorum rerumque agendarum vocabantur. In processu canonizationis beati Parisii confessarii monialium sanctæ Christinæ de Tarvisio, quem instituit circa annum 1271. (*d*) Albertus episcopus Tarvisinus, abbatissa Lucia deponit *Parisium semper sibi et aliis abbatissis præstitisse obedientiam*. Vivianus filius Vannis Zacci, nobilissimus inter Patavinos, *conversum* se reddens in parthenone sancti Marci Porciliæ prope eamdem urbem, *obedientiam* spondet, *reverentiam et stabili*-

d Vit. S. Parif. p. 38.

bilitatem in loco. De modo, quo se offerebant conversi monialium, agemus inferius, ubi alia congeremus exempla. Displicuit & displicet hæc communicatio virorum & feminarum multis, inter quos (*a*) Muratorio; verum universalis erat ea consuetudo: hujuscemodi monasteria duplicia appellabantur, in quibus septa erant pro viris, septa separata pro feminis. Plura duplicia cœnobia in urbe & diœcesi Patavina recenset (*b*) Brunatius; aliqua (*c*) in Veronensi diœcesi Johannes-baptista Blancolinius; multa etiam nos ex monasteriis Camaldulensibus memorabimus in hoc & in sequentibus articulis. Copiam hujus rei faciebant in bullis suis Romani pontifices. Alexander papa III. anno 1175. mense januario in privilegio concesso monialibus sanctæ Justinæ de urbe Luca: *Mulieres*, inquit (*d*), *&* VIROS, *qui se monasterio vestro reddere voluerint ad conversionem, recipere in monasterio & retinere possitis*. Hoc & episcopi permittebant. Ugo Firmanus episcopus in privilegio concesso monialibus cœnobii sanctæ Catharinæ *de novo fundati juxta civitatem Firmanam; Liceat vobis*, inquit, (*e*) *nihilominus* CLERICOS, LAICOS, *& mulieres ex seculo fugientes libere & absolute in monasterio vestro ad conversionem & monachatum recipere, & eos easque sine contradictione aliqua retinere* &c. *Acta* &c. *anno* 1216. *indictione* IV. *mense aprilis*. Quare non est hujusmodi consuetudo tamquam abusus notanda, eadem ratione, qua non improbatur, quod homines laici, qui religiosam disciplinam non profitentur, eisdem inserviant, domusque monasteriis contiguas inhabitent. Præsertim cum conversi sanctimonialium vel presbyteri essent, aut clerici, aut homines multæ probitatis, cognitionis & industriæ. Sed exempla ex tabulariis nostris hujus consuetudinis in medium proferamus. Anno 1184. Dilecta abbatissa sancti Petri de Luco *cum consilio monacharum* suarum, *& aliorum* suorum *fratrum* refutat hominibus de Riofrido & de Casa-nova omnes albergarias & datia. Anno 1214. (*f*) VI. intrante februario indictione II. *in istorum testium presentia, scilicet domni Johannis abbatis sancti Hippolyti de Faventia, & domni Guidonis majoris eremi sancte Marie Camaldulensis de civitate Bononia, et domni Guidonis prioris de Curte Luponis, et domni Laurentii monachi Camaldulensis de Bononia, Palmerii conversi Camaldulensis, et Bonicompagni conversi sancti Hippolyti de Faventia, et Pregadei conversi Camaldulensis* &c. *moniales sancte Marie de Bethleem, que est sita in territorio Bononiensi, in loco, qui dicitur Trivium de Materatula de curia Villanove, scilicet domna Lucia, domna Beatrice, domna Margarita, domna Cecilia* &c. *et domnus* PARISIUS *monachus et capellanus dicte ecclesie, et* CONVERSI *dicte ecclesie concesserunt et dederunt domno Guidoni priori generali Camaldulensi* &c. *potestatem et licentiam eligendi et etiam institutionem, destitutionem et correctionem plenam tam abbatisse, quam monialium predicte ecclesie* &c. Extat charta per extensum in (*g*) appendice ad vitam, quam edidimus sancti Parisii. In charta anni 1238. monasterii nostri sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri in agro Casentinate, Agnes priorissa sancti Benedicti de Arretio ordinis itidem Camaldulensis cum consensu Luciæ & Anastasiæ monialium & Alberti gastaldii ex una parte, & presbyter Petrus capellanus ejusdem loci ex altera, arbitrum elegerunt litis Paganellum *conversum monialium de Prato-veteri* tamquam communem amicum. Actum in civitate Arretii in domo dicti monasterii per Vivianum notarium. Juncta *conversus sancti Johannis evangelistæ de Buldrone prope Florentiam*, ubi degebant alteræ moniales instituti nostri, legitur in archivo ejusdem asceterii sub anno 1261. Omittimus exempla ceterorum monasteriorum vel a l lata, vel inferius adducenda.

a *Antiq. medii ævi T. V. col.* 571.

b *De Canonicissis S. Petri Patavii pag.* 23.

c *Notitia eccles. Veronen. T. II. p.* 477.

d *Ap. Mur. Antiq. medii T. V. fo.* 567.

e *Ughell. T. II. col.* 703.

f *S. Electio n.* 2. *A.* 3. 66.

g *Pag.* VII.

§. XXXV.

Syndici et procuratores earum.

HUJUSMODI conversi otio non indulgebant, sed frequenter inserviebant monasteriis sacrarum virginum, lites earumque negotia procurabant. Bellus *conversus ecclesie et monasterii sancti Petri de Luco* arbiter eligitur controversiæ inter Francam abbatissam & consules de Luco (*h*) anno 1209. Johannellus de Varegnano *conversus et syndicus dominarum et sororum sancte Christine de Bononia* (*i*) anno 1245. tractat cum Jacobo episcopo Bononiensi, qui *lapidem primarium concessit ponendum in loco et ecclesia nova sancte Christine facienda inter stratam majorem et stratam sancti Stephani*. Anno 1268. presbyter Johannes capellanus monasterii monialium sancti Petri de Luco syndicus & procurator ipsius monasterii jurat *vice monialium et conversorum* ejusdem loci se non recepturum aliquam mulierem in monasterium, nisi novitiam aut professam Camaldulensem.

h *Arch. Luci.*

i *Arch. S. Christinæ M.* 25.

Char-

a Capʃ. B. n. 10. Chartam (*a*) heic damus ex archivo ejusdem parthenonis.

Anno 1268. IN nomine Dei eterni. Anno Domini nostri Jesu christi a nativitate millesimo ducentesimo sexagesimo octavo indictione undecima, die tertia mensis aprilis dominante papa Clemente, & imperio Romano vacante imperatore.

Omnibus pateat manifeste presentem paginam inspecturis, quod presbiter Johannes capellanus monasterii monialium sancti Petri de Luco sindicus & procurator ipsius monasterii & conventus constitutus & ordinatus ad jurandum in animam & super animam domine abbatisse Adaline de Ubaldinis ipsius monasterii & omnium monialium dicti loci & presbiteri Benvenuti & omnium aliorum *conversorum dicti loci* juravit ad sancta Dei evangelica, sicut patet per instrumentum confectum manu Bonafidei notarii quondam Benintendi de Frena a me infrascripto notario visum & lectum, non recipere aliquam mulierem de seculo venientem vel aliunde cujuscumque ordinis regularis esset, nisi esset novitia vel professa ordinis Camaldulensis in monialem sive novitiam vel conversam dicti monasterii. Qui presbiter Johannes procuratorio & sindacario nomine pro abbatissa, monialibus *et conversis predictis*, eorum vice & nomine juravit ad sancta Dei evangelia corporaliter tacto libro sanctorum evangeliorum in presentia ven. patris domini domni Angeli prioris eremi Camaldulensis & de suo consensu & parabola, non recipere aliquam mulierem pro monaca, & conversa, sive novitia vel commissa dicti monasterii, nisi ut dictum est superius.

Actum in monasterio Camalduli de Florentia presentibus Simonetto olim Talenti populi sancti Pancratii de Florentia, & Fortunato testibus rogatis.

Ego Brunus notarius olim Megliorelli Tintoris omnibus supradictis interfui, & ut supra rogatus scripsi.

Abbatissa Beatrix, & frater Britius *conversus et procurator monialium sancti* b Arch. Prativet. num. 107, 127. *Johannis evangelistæ de Prato-veteri* (*b*) anno 1325. locant duas partes domnicati & prædii dicti monasterii positi versus Stiam; & anno 1335. Bonaccius *conversus ejusdem loci* alia prædia in emphyteu- c Arch. Azzurrini Favent. sim tradit. Anno 1333. (*c*) XVII. novembris frater Valerianus de Foro-livio ordinis seu eremi sanctæ Mariæ de Vincareto de Brittonorio *syndicus et procurator monasterii et sororum sancte Marie de Cortina de Brittonorio* ad libellum concedit terras ejusdem loci. Immo erant hi conversi rectores bonorum monialium. Charta in amplissima collectione ms. apud Brunatium hæc habet: *Anno 1183. XII. intrante septembris indictione IV. Manifestus sum ego Episcopellus, qui ex natione mea profiteor lege vivere Romana, quia per hanc chartulam vendo et trado tibi Girardo converso et rectori in Monte Silice monasterii sancti Zacharie Venetiarum* &c. Aliquando tamen, licent essent presbyteri, *servitores monasterii* appellabantur? Vetus exemplum archivi ejusdem monasterii sancti Zachariæ Venetiarum ab eodem Brunatio exscriptum hæc habet.

IN nomine Domini nostri Jesu christi. Anno Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto mense junii indictione duodecima. Rivoalto. Quoties &c. quapropter nos quidem Ildebrandus sancte Romane ecclesie cardinalis & domini pape A. legatus, dum in Veneciis resideremus, venit ad nostram presentiam Marcus presbiter prior Ispide, & conquestus est super Giseldrudam monasterii sancti Zacharie abbatissam, & super Panchracium *presbiterum ejusdem monasterii servitorem*, quod susceperant & retinebant bona ejusdem prioris, & presbiterum Bonifacium ejusdem canonice professum. Hanc proclamationem nos audientes, misimus apud dictam abbatissam, quatenus ante nostram presentiam veniret per se, vel per suum missum responsuram. Tunc ipsa misit prefatum presbiterum Panchratium cum Vitale Dandulo avocatore ejusdem monasterii, & dixerunt quod eundem priorem & predictum Bonifacium de suprascripta Ispida ejectos vi & tirannide Theotonicorum, quos predicta abbatissa solo dei amore & fratrum karitate suscepit, & eos cum servitore eorum tribus annis retinuisse dicebat; in quibus plura consumpsisse quam detulerunt, fatebatur. Verumtamen nos paupertatem illius prioris intuentes, & supradicti loci desolationem, rogavimus supradictam abbatissam ut universa mobilia, que apud se habebat, eidem priori redderet, & insuper solidos centum Veronenses sibi persolveret, & prefato priori mandavimus universarum rerum, & de dicto Bonifatio eodem modo finem faceret. Ad hoc prefata abbatissa universa mobilia & centum solidos suprascripto priori persolvit, & jam dictus prior de omnibus altercationibus & proclamationibus finem fecit *etc.* Anno 1164.

Ego Ildebrandus presbiter card. basilice XII. apostolorum ss.

Ego

Ego presbiter Marcus prior Ispide ss.

Ego Petrus Castellane ecclesie episcopus ss.

Ego Raymundus Brixiensis ecclesie episcopus ss.

Ego Johannes Ursiulus subdiaconus & notarius complevi & roboravi.

§. XXXVI.

Ritus, quo hujuscemodi conversi se offerebant in monasteriis sanctimonialium.

Binas chartas, alteram ad annum 1325. & aliam ad annum 1340. spectantes eruimus e tabulario parthenonis sancti Petri de Luco, ex quibus dignoscuntur modus, sacerque ritus, quo profitebantur conversi, seque offerebant in monasteriis monialium.

Anno 1325. In Dei nomine amen. Anno incarnationis ejusdem millesimo trecentesimo vigesimo quinto indictione nona die vero vigesima sexta mensis octobris feliciter. Michael olim Tucci Fabri de Luco pro Dei timore & salute anime sue suorumque parentum fecit se subditum & conversum monasterii sancti Petri de Luco Florentine diocesis ordinis Camaldulensis, & nomine *conversationis* & *offersionis* tradidit se in manus religiose & honeste domine sororis Margharite, olim Rainerii de Tosinghis de Florentia abbatisse dicti monasterii pro ipso monasterio recipientis, cum omnibus suis bonis mobilibus & immobilibus ubicumque inveniantur, per loca, nomina, confinia & vocabula, & promisit & convenit prefate domine abbatisse & suis successitricibus in perpetuum obedientiam & reverentiam & conversationem secundum modum & consuetudinem & regulam dicti ordinis Camaldulensis & monasterii supradicti, & perseverantiam in obedientia & servitio dicti monasterii & dicte domine abbatisse suarumque successitricium, se ita reverenter mittendo manus suas in manus dicte domine abbatisse, & tamquam *conversus* & *oblatus* osculatus fuit manus suas pro Dei timore & salute anime sue & suorum parentum. Que domna abbatissa recepit eundem in conversum & subditum dicti monasterii, ut dictum est, & promisit eidem victum & vestitum in vita sua secundum consuetudinem dicti ordinis Camaldulensis & monasterii dicti; precipiendo eidem stare ad servitium dicti monasterii, unde tactis sacris Evangeliis dictus Michael *conversus* juravit predicta omnia & singula observare, & bona fide sine fraude ad honorem & reverentiam dicti Camaldulensis ordinis, & predicte domine abbatisse, & monasterii dicti ad voluntatem dicte domine abbatisse, & que pro tempore fuerint.

Actum in dicto parlatorio dicti monasterii presentibus testibus Andrea de Fontana moneta, qui moratur apud ipsum monasterium, & Rota olim Nuti de Gressano ad hec vocatis & rogatis.

Ego Andreas olim magistri Gratiani imperiali auctoritate judex ordinarius & notarius publicus predicta omnia & singula coram me acta scripsi & publicavi rogatus.

In Dei nomine amen. Anno ab ejus salutifera incarnatione millesimo trecentesimo quadragesimo indictione nona die vero nono mensis novembris actum in parlatorio monasterii sancti Petri de Luco ordinis Camaldulensis Florentine diocesis presentibus testibus ser Berto rectore ecclesie sancti Georgii de Luco & Corso Artugii de Luco. *Anno 1340.*

Johannes olim Corsini populi sancti Petri de Luco pro Dei timore & salute anime sue, suorumque parentum fecit se *oblatum & conversum* dicti monasterii sancti Petri, & nomine *conversionis & oblationis* tradidit se in manibus religiose & honeste domine sororis Margharite olim Rainerii de Tosinghis de Florentia abbatisse dicti monasterii recipientis pro ipso monasterio cum omnibus suis bonis mobilibus & immobilibus ubicumque repe, riuntur per loca, nomina, & confinia & vocabula. Et promisit & convenit eidem domine abbatisse pro se ipsa & suo capitulo & conventu, & suis successoribus in perpetuum obedientiam & reverentiam secundum modum, consuetudinem & regulam dicti monasterii dicti ordinis Camaldulensis, & dicte domine abbatisse & suarum successarum in ultima vita sua, *reverenter mittendo manus suas in manus dicte domine abbatisse tamquam* conversus & oblatus, *obsculatus fuit manus suas pro Dei timore & salute anime sue*. Que dicta domina abbatissa pro se ipsa cum licentia sui capituli ibidem presentis pro dicto monasterio capitulo & conventu dicti monasterii & suarum successarum recepit eumdem Johannem in *subditum & conversum dicti monasterii*, ut dictum est, & promisit victum & vestitum in vita sua secundum consuetudinem dicti monasterii precipiendo eidem stare ad servitium dicti monasterii; unde tactis Evangeliis dictus Johannes juravit supradicta omnia observare bona fide sine fraude ad hono-

honorem & reverentiam dicti domni prioris Camaldulensis ordinis & dicte domine abbatisse & dicti monasterii ad voluntatem dicti domini prioris, & dicte domine abbatisse & suarum successarum.

Ego Mattheus filius quondam Lippi Sostegni de Scarperia imperiali auctoritate judex ordinarius publicusque notarius predicta omnia rogatus scripsi & publicavi ideoque ss.

§. XXXVII.

An separati viverent conversi a monialibus.

DISTINCTIS habitationibus a monialibus convixisse monachos & conversos ejusdem monasterii suadent non solum honestas, sed vetera insuper monumenta. Brunatius in suo antiquorum monumentorum Patavinæ urbis uberrimo promptuario ms. (*a*) chartam affert anni 1333. in qua legitur: *Actum in loco fratrum sancte Marie de Cella fratrum conversorum* &c. *qui morantur in dicto monasterio dictorum fratrum conversorum* &c. *ibique religiosa et honesta domina domna soror Imida per Dei gratiam abbatissa monasterii et conventus sancte Marie de Cella de Caudalonga de Padua etc.* In monasterio itaque de Cella Patavii suus locus erat fratribus conversis assignatus, suusque separatus locus, abbatissæ & monialibus ejusdem monasterii destinatus. Monumenta tamen alia proferuntur, ex quibus (usus is fuerit vel abusus) videtur deduci intra eadem septa promiscue monachos & sanctimoniales in uno eodemque monasterio habitasse, & propterea ad scandala tollenda, vel saltem ad removendos vulgi rumores, adactos fuisse Romanos pontifices & Patavinos episcopos ad determinandas ædes distinctas viris & mulieribus, & ad statuenda ex uno loco *duplici* duo monasteria, duas ecclesias, duo loca distincta, unum pro monachis, pro sanctimonialibus alterum. Revera monachi & moniales sanctæ Mariæ de Fistumba de Patavio anno 1256. (*b*) rogaverunt domnum Jacobum episcopum Patavinum, *quod sibi placeret hoc facere*, viros nimirum a feminis dissociare, *propter honestatem religionis, quoniam et monachi per se in uno monasterio, et moniales per se in alio honestius morabuntur sine aliqua suspicione*. In alia charta (*c*) anni 1258. in qua agitur de separatione monachorum & monialium monasterii duplicis sancti Benedicti ejusdem urbis, Bartholomæus Vicetinus, Johannes Paduanus, & Florius Adriensis episcopi, inter cetera, ista animadvertunt: *Item, ut omnis suspicio et sinistra opinio, et species et occasio mali a Dei famulis, et ancillis amoveatur, declaramus etc.* Alia (*d*) in hanc rem congeruntur verba Romanorum pontificum ab eodem Brunatio, qui etiam in maternam linguam a se translatum in medium profert sequens divisionis instrumentum anno 1330. confectum inter monachos monasterii nostri sanctæ Mariæ de Porcilia extra eamdem urbem Patavinam, & inter moniales, quod Latine ex archivo nostro sancti Michaelis de Muriano (hoc postremum in jura successit monasterii duplicis Porciliensis pro medietate, pro alia medietate successit monasterium monialium beati Antonii peregrini de Patavio) hoc loco producimus, in ea tantum parte, quæ ad præsens argumentum facit.

a Pag. 1873.
b Pag. 1724.
c Pag. 1982.
d Pag. 31. dec. non.

Anno 1330.

IN Christi nomine. Anno ejusdem nativitatis millesimo trecentesimo tricesimo indictione tertia decima die mercurii vigesimo quarto mensis octubrii in sacristia majoris ecclesie paduane presentibus *&c.* Coram religioso viro domno fratre Gufredo de Laude priore sancti Lazari prope Paduam vicario ven. patris domni Ildebrandini Dei gratia episcopi Paduani, providi & sapientes viri dominus Johannes de Vigoncia judex *&c.* & dominus Dominicus de Agrapatis judex *&c.* arbitri, arbitratores & amicabiles compositores & communes amici communiter electi per discretos viros dominos Murialem de Catio sindicum & procuratorem religiosorum virorum domnorum fratris Petri prioris, fratris Nicolai, fratris Francisci, fratris Marchi, fratris Johannis Picigoti, & fratris Otti monachorum & conventus capituli monasterii sancte Marie de Porcilia *&c.* ex una parte. Et Albertum notarium *&c.* sindico & procuratore religiosarum domnarum Pellegrine, Agnetis, Marie-Bone, Sophie, Massarie, Lucie, Ordane, Imperatricis, Marchesine, Berthe, Catherine, Cresne, Beatris de vico ageris, Bellarine, Benvenute, Indie, Viole, Pere, Flordelicis, Riche, Gerardine, Mariote, Antonie parve, Zuane & Bone monialium conventus, capituli & monasterii sororum sancte Marie de Porcilia sindicario nomine, & pro eisdem *&c.* ex altera. Occasione divisionis & separationis particulariter ipsarum monialium a fratribus, & fratrum a monialibus & bonorum mobilium *&c.* (*Quæ hic & alia prætermittuntur, per extensum edentur ad annum* 1330.

1330. *in Annalibus. Hi autem laudati arbitri sententiarunt.*) In primis, quod cum monasterium sancte Marie de Porcilia sit duplex, seu in eo vicissim & communiter, & non separatim habitent masculi cum feminis monialibus & monachabus, quod est contra formam juris, tam canonici, quam civilis, quod ipsi viri a mulieribus, & e converso mulieres a viris in totum penitus separentur *&c.* Secundo quod omnia bona *&c.* Quam quidem sententiam *&c.* approbaverunt *&c.*

Ego Galvanus filius Beldemandi dicti Belli imperiali auctoritate notarius & officialis episcopalis curie paduane *&c.* hec scripsi *&c.*

Duriora quidem sunt verba chartæ hujus, quæ tamen non tam stricte sunt accipienda, perinde ac sub eodem tecto, iisdemque mansionibus indiscriminatim degerent viri & mulieres. Si enim chartas ceteras, quæ penes nos extant, consulimus, fateri cogimur habitationes monachorum separatas fuisse ab habitationibus monialium. *Anno* (*a*) 1233. *indictione* VI. 8. *exeunte februario. Actum fuit apud ecclesiam sancte Marie de Porcilia in parlatorio claustri. Anno* 1234. *indictione* VII. 13. *exeunte aprili. Actum fuit apud ecclesiam sancte Marie de Porcilia in capitulo claustri. Anno* 1235. *indictione* VIII. 3. *intrante octobri. Actum fuit Padue apud claustrum ecclesie predicte sancte Marie juxta locum infirmarie fratrum ipsius ecclesie. Anno* (*b*) 1238. &c. *in parlatorio claustri. Anno* 1242. *&* 1250. *in parlatorio claustri, sub porticu claustri. Anno* 1271. *indictione* XIIII. 7. *exeunte julio. Actum Padue in capitulo fratrum sancte Marie de Porcilia. Anno* 1284. *indictione* XII. 1. *novembris Padue in ecclesia sancte Marie de Porcilia a latere fratrum* &c. Pariter (*c*) *anno* 1233. *indictione* VI. 13. *exeunte aprili. Actum fuit Padue apud ecclesiam sancte Marie de Porcilia in parlatorio Dominarum. Anno* 1238. *indictione* XI. 9. *exeunte decembri. Actum fuit Padue in parlatorio juxta ecclesiam sororum sancte Marie de Porcilia. Anno* 1242. *indictione* XV. 7. *exeunte junio. Actum Padue in ecclesia sororum sancte Marie de Porcilia. Anno* 1248. 3. *intrante julio. In Padua in dormitorio ecclesie sancte Marie de Porcilia. Anno* (*d*) 1268. 16. *januarii. Actum Padue in parlatorio sororum dicti monasterii* &c. *Anno* 1277. 16. *novembris Padue in claustro sororum sancte Marie de Porcilia. Anno* (*e*) 1366. 10. *junii Padue in contrata sancte Marie de Porcilia extra portam in monasterio & capitulo ipsarum dominarum. Anno* 1406. 12. *junii in claustro monialium sancte Marie de Porcilia.* En diversæ habitationes monachorum & sanctimonialium. Demum etiamsi demonstraretur aliquem irrepisse abusum in uno vel altero duplici monasterio, universalis profecto non erat hujusmodi abusus, cum multoties conversi monasteriorum monialium, vel conversæ monasteriorum monachorum in locis inter se dissitis habitarent. Conversæ abbatiæ nostræ sanctæ Mariæ de Pratalia non in ipso monasterio degebant, sed in curia Ventrinæ. *Anno* (*f*) 1322. XVI. *januarii domnus Ambrosius vicarius generalis domni Francisci abbatis Pratalie precepit in virtute sancte obedientie domne Berte* converse dicti monasterii, *ut infra tres dies debeat rediisse in* claustrum curie de Ventrina, *neque inde discedere vel abire sine speciali licentia predicti abbatis, & debeat resignare in manibus ejusdem vel ejus vicarii mobilia & instrumenta quoquo modo ad dictum monasterium pertinentia,* manu Johannis Ugolini de Marciano notarii. Anno (*g*) 1340. die XVI. septembris Fredericus quondam Guiducii de Turris contratæ Casentini suo testamento aliquot bona legavit eremo Camaldulensi in districtu Soci, & si filius ejus Alexander hæres institutus decesserit sine filiis, vel ad legitimam ætatem non pervenerit, voluit, ut de bonis suis fiat hospitale in quadam sua terræ clausura prope Socium, *ubi est domus inclusarum de Soci &c.* manu Ugolini de Socio notarii. En unum ultra cetera ex domiciliis conversarum eremi Camaldulensis. Chartæ ergo, quæ indicare videntur in eodem monasterio vixisse monachos & conversas, vel in eodem parthenone moniales & conversos, sunt lenius interpretandæ. Sic ergo intelligendum erit documentum illud (*h*) archivi Prati-veteris, in quo legitur, quod cum anno 1204. comitissa Gualdrada, nomine comitis Guidi viri sui, vellet in possessionem immittere monasterii sanctæ Mariæ de Rosano *Agnetem abbatissam, & Monachum, ac Mellanensium conversos,* clausum fuit ei ostium monasterii, ac pro responso datum ab iis, qui defendebant Agatham alteram electam abbatissam, *Agnetem & conversos* non intraturos ipsum monasterium. Non enim evincitur ex his verbis domicilium promiscuum intra eadem septa habuisse abbatissam & conversos Rosani, præsertim cum iis seculis neque reclusionis lex universalis imperata esset monialibus, neque prorsus vetitus ingressus virorum in eorum claustra.

a *Arch. S. Michael. Caps.* 28.
b *Caps.* 29.
c *Caps.* 28.
d *Archiv. B. Antonii Peregrini Vol.* 1.
e *Brunat. pag.* 1880. *& pag.* 1919.
f §. *Bannum. P. II. n.* 3. *A.* 429.
g §. *Testamentum P. II. n.* 7. *A.* 4. 7.
h *Num.* 22.

stra. Ad summum cum in pluribus monasteriis nostris feminarum moniales, monachi, conversi, oblati & commissi, vel in illis virorum monachi, conversæ, oblatæ & commissæ simul vixisse dicuntur, ita hæc explicanda sunt, ut prope monasteria virorum domus essent pro feminis conversis & oblatis, & prope monasteria mulierum ædes similiter pro sacerdotibus & laicis conversis.

§. XXXVIII.

Conversi dabant suffragia in capitulis monialium.

CONVERSI monialium dabant suffragia in capitulis earumdem, ut vidimus (*a*) in charta anni 1214. in qua legitur capellanum assensum suum præbuisse, & etiam conversos, qui tunc tenebantur ut camerarii & cellerarii monasteriorum sacrarum virginum. Anno 1300. XXIII. maji (*b*) in electione domnæ Beatricis in abbatissam sanctæ Christinæ de Tarvisio facta ab Andrea abbate sancti Michaelis de Muriano, postquam abbas unamquamque monialium interrogaverat, quam postularet in abbatissam, interrogatus etiam domnus Guarinus, qui videtur fuisse capellanus, assentiens majori parti respondit pro meliori statu monasterii se velle in suam abbatissam & dominam domnam Beatricem. Inde vero *singularum sororum predictarum & fratrum votis secreto scrutatis & diligenter inquisitis, eisdemque in scriptis redactis dictus domnus abbas omnium dictarum sororum & fratrum vota in presentia totius capituli publicavit* &c. Brunatius in libro (*c*) de canonicissis exempla plura affert conversarum & conversorum, quibus æquale erat jus suffragiorum in monasteriis cum monachis vel cum monialibus. Ab aliis exemplis adducendis abstinemus, cum jam satis superque ex dictis dicendisque constet abbatissas nil, quod gravi momenti esset, decrevisse sine assensu & suffragio monialium, & insuper capellanorum sacerdotum, & suorum conversorum.

a §. XXXIV.

b §. Electio P. II. n. 1. A. 4. 6.

c Pag. 38. & seq.

§. XXXIX.

Recens status conversorum Camaldulensium.

QUOD spectat ad Conversos & Oblatos posteriorum seculorum, eorum status multam mutationem induit post seculum XV. In congregatione sanctæ Justinæ modo Conversi omnes laici sunt & Commissi, qui stabilitatem quidem in monasterio spondent, sed expelli, vel petentes licentiam discedere possunt, neque unquam ad professionem admittuntur. Monachi Silvestrini post sexennium, Montis-oliveti post septennium, ita & Cistercienses; monachi autem Montis-virginis post duodecennium Oblatis suis professionem emittere concedunt. In nostra congregatione Camaldulensi tam apud eremitas, quam apud monachos alii appellantur Commissi vel Oblati, qui nondum professionem emiserunt, alii Conversi post decennium ad professionem recepti; eremitæ tamen eos ad hanc admittunt juxta beneplacitum eorum præsulum, & quandoque numquam. Commissi seu Oblati post annum a receptione habitus in publico capitulo *stabilitatem* promittunt, discedere tamen etiam post stabilitatem obtenta licentia queunt, vel expelli. Consulantur breve Clementis pp. VIII. anni 1603. die 9. aprilis, & decreta capituli generalis celebrati a Camaldulensibus patribus in urbe Ravenna anno 1603.

§. XL.

Conversarum origo.

VERUM, ut aliqua dicamus etiam de conversis sequioris sexus, retroactis seculis duplicis generis erant in asceteriis monachæ, aliæ sacræ, laicæ aliæ. In libro miraculorum sancti Dionysii, quem edidit Mabillonius (*d*), *duæ sanctimoniales parthenonis Argentogilensis liberatæ fuere a sacro igne, quarum altera Deo sacrata, altera laica fuit*. Sacræ vocabantur, quæ sacrum velamen acceperant; Laicæ, quæ sub modesto ac religioso habitu castitatem profitebantur. Hæ postremæ ad Conversarum speciem proprius accedebant. Obiter observamus consuevisse semper Camaldulenses monialibus suis sacrum velamen tradere non ipsa professionis die, ut plures aliæ congregationes faciunt, sed vigesimo-quinto ætatis earum anno. Pariter antiquitus reperiuntur *monachæ ad succurrendum*, ut de monachis dictum est: *Feliciana monacha ad succurrendum v. kl. februarii* legitur in necrologio Argentogilensi, quod ex vetusto Dionysiano excerptum est. In literis primariis de institutione ordinis Vallis-scholarium editis a Dacherio in Spicilegio (*e*) hæc habentur: *Mulieres ad habitum suum non recipient, nisi in extremis, et quæ forte apud eos sibi elegerint sepulturam, et tunc ad præsentationem sui plebani*. In necrologio

d Sec. III. lib. II. cap. 25.

e T. III. pag. 584. edit. II.

sancti

sancti Petri Remensis adnotatur ad diem XII. kl. februarii: *Margareta Chauchos conversa ad succurrendum*. Nec a vero abludit inter conversas, quæ reperiuntur in necrologio Laureshamensi, in alio sancti Michaelis Bambergæ a (*a*) Schannat prælo impressis, in alio pariter sanctæ Mariæ Vangaticiæ, quod nos edemus, conversas etiam nostras Pratalienses & Agnanienses plures earum habitum recepisse morti proximas a monachis eorum monasteriorum. Hujus generis proinde conversæ a ceteris primitus sunt distinguendæ.

a Vindem. Literar. T. II.

§. XLI.

Varia genera conversarum. Devotæ.

Aliam conversarum speciem constituebant *Devotæ*. Devotæ inferioris ætatis originem habuerunt ab antiquioribus devotis. Diaconissæ ceteræque virgines Deo dicatæ per velum consecrationis poterant appellari *Devotæ*, quia ipsarum ministerio utebatur ecclesia, cui se devoverant, in iis, quæ illis licebant. Sanctus Ambrosius *virginem Devotam* appellat, quæ cum voto Deo spoponderat castitatem. Suppressis diaconissis, piæ feminæ inventæ fuere, quæ in domibus privatis degebant, habitum religiosum humilemque ferentes. De his loquitur divus Hieronymus in epistola *de vitando suspecto contubernio*, ipsisque tribuit furvas seu pullas vestes. De diaconissis videatur etiam Atto Vercellensis episcopus, qui *presbyteras* quoque vocat; hæ enim baptismis mulierum intererant, eaque supplebant, quæ, ne agerentur a presbyteris & diaconis, modestia vetabat.

Devotarum exemplum vetus habemus in libro miraculorum sancti Richarii scripto a monacho Centulensi anno 860. Ibi enim capite XV. mentio fit de *Bertha uxore Angilberti*, quæ suscepto monastico velo se continebat intra domesticos parietes prope abbatiam Centulensem, in qua peragebatur laus perennis. Et in libro miraculorum sancti Remacli, qui ex monacho electus fuit Trajectensis episcopus, obiitque anno 664. quem edidit Mabillonius (*b*), hæc leguntur: *Post non multum vero temporis, sanctimonialis, quæ ibi sese ad serviendum devoverat, aliquorsum ire parans* &c. Super quæ verba idem Mabillonius adnotavit: „ Idest *Devota*, „ cujusmodi plures feminæ tunc temporis velo non assumpto (ut in libro „ miraculorum sancti Richarii capite XVI. „ ad annum 645. advertimus) alicui ecclesiæ se devovebant, quamvis in privatis ædibus manerent, & viris alligatæ essent, ab his tamen separatæ. " Bollandus (*c*) ad diem X. februarii dubitat, an sancta Scholastica soror beati patris Benedicti ex numero fuerit harum *Devotarum* & minime sanctimonialis, sed idem Mabillonius (*d*) satis superque dubium solvit Bollandi.

b Sec. II. n. 14.

c Act. SS. T. II.

d Praef. in Sec. I. §. XIII.

Devotas etiam reperimus in sacrarum virginum monasteriis commorantes, atque a monialibus & a conversabus distinctas, sed facile nomen hoc tribuebatur Oblatis & familiaribus mulieribus, vel etiam conversabus nondum professis. Id colligimus ex sequenti charta (*e*) parthenonis nostri sanctæ Mariæ de Bethleem in diœcesi Bononiensi.

e Arch. S. Chr'st. Bonon. A. 4.

Anno 1220.

In Dei nomine amen. Anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo, die mercurii, quinto exeunte madio, indictione octava in Bononia. In presentia testium rogatorum, scilicet domini Grimaldi Rubei, domini Henrigipti, domini Isnardi de Garisindis, Jacobini Petri Plantavinee, Jacobi Biaque, & Bonvicini ejus fratris, domina Lucia monasterii sancte Marie de Betlehem de Trivio Masceradole promisit *&c.* solvere Alberto Pirani *&c.* libras quindecim *&c.*

Et eodem anno die mercurii decimo intrante junio indictione octava apud sanctam Mariam in Betlehem *&c.* domna Placidia, domna Margarita, domna Cecilia & domna Agnex *monache*, & domna Sibilina, domna Nastasia, domna Matthelda, domna Lucia, & domna Matheldina *converse*, & domna Taudischa, domna Sibilina, & domna Donella Devote, & presbyter Johannes *conversus* & *monachus*, & Clarus *conversus* dicte ecclesie consenserunt, approbaverunt *etc.* omnia supradicta dicendo, quod eis bene placebat.

Ego Petrus de sancto Rophyllo notarius, ut supra legitur, interfui, & rogatus scribere ss.

Harum *Devotarum* mulierum aliquando factæ uniones extra monasteria & in peculiaribus domibus, ubi simul vitam piam religiosamque vivevant. *Conversæ* illæ, quæ locum & ecclesiam habebant in Valle de Castro, de quibus loquitur Damianus (*f*) in vita sancti Romualdi, erant forte hujusmodi. *Hic itaque locus*, ait, *Vallis de Castro antiquitus vocabatur, ubi jam parva erat ecclesia, in qua* Conversarum *quarumdam mulierum videbatur esse conventus. His itaque loco ce-*

f Cap. 35.

den-

dentibus, *constructis cellulis* &c. Fert traditio hujusmodi Valle-castrenses mulieres, translatas Fabrianum, parthenoni monialium ordinis sancti Benedicti, sub invocatione sancti Romualdi, originem dedisse.

§. XLII.

Conversarum nomen tributum in aliquibus locis veris & sacris monialibus.

EXTANT exempla sanctimonialium Benedictinarum, quarum domicilia *monasteria Conversarum* absolute nuncupabantur, vel quia, ut putamus, omnes prima origine eorum locorum in virginitatis statu ad Deum se non dedicaverant, ad ipsum convertentes se in sua viduitate, vel quia provectiores ætate Dei servitio se addixerant, eodem modo, quo monachi adulti, ut observavimus, monasteria ingredientes, etsi sacerdotio initiati, *Conversi* appellabantur. Cl. V. Joseph Binius Glemonensis in Foro-julio archipresbyter in sua *de institutis veterum sanctimonialium Glemonensium* dissertatione, quæ nondum typis tradita est, nonnulla congerit præclara vetera monumenta de hac re, dum sermonem habet de monasterio Benedictinarum sanctæ Agnetis de Glemona, quæ *Conversarum* nomenclaturam usurpabant, ut patet ex sequenti donationis charta ab eodem Binio nobiscum perhumaniter communicata.

Anno 1249. ANNO Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono indictione septima die dominico decimo exeunte novembri *&c.* Dominus Candidus de Glemona una cum domino Bertholdo de Moraria, & Bonhomine rectoribus, atque Henrico filio domini Mathie, tamquam majore & saniore parte communis ejusdem loci, sciens & considerans bonam ac honestam famam sororum conversarum, que morantur apud sanctam Agnetem in pertinentiis Glemone, & memor existens honeste vite earum *&c.* dedit & tradidit sororibus nominatis unam quantitatem de terra sita apud ecclesiam sancte Agnetis *&c.* Milta conversa ejusdem loci recipiente *&c.* Actum ante majorem ecclesiam de Glemona publice, dum commune ipsum ad officium publice intrare deberet. Ego Bernardus *&c.* notarius *&c.*

Ex bulla Bonifacii papæ IX. anni 1392. *data Rome apud sanctum Petrum* VII. *kl. martii anno* III. quæ continet unionem monasterii monialium sancti Quirini de Utino mensæ capitulari ecclesiæ sanctæ Mariæ Utinensis, cujus exemplar ad eumdem eruditissimum virum dono misit V. Cl. comes Franciscus Beretta, colligitur etiam sanctimoniales sancti Quirini de Utino *conversas* primitus appellatas fuisse, nam in laudata bulla legitur: *Capella sancti Quirini de Utino*, *ubi Converse morabantur*, quæ postea monasterium evasit ordinis sancti Benedicti.

Harum albo accensendæ non sunt mulieres, quæ nominantur in charta archivi Fontis-boni (*a*) anni 1392. XVI. decembris a Leale Malatesta episcopo Ariminensi, dum hic cedit sacræ eremo Camaldulensi *ecclesiam sancte Marie de Angelis* ejusdem urbis una cum *monasterio*, *quod occupabant quedam mulieres laice seu converse mendicantes nullius ordinis regulam*, *& quasi acephalas sectantes*, manu Nicolai Ugolini Marischalchi de Arimino notarii. Hæ feminæ laicæ vitæ spirituali & piæ se devinxerant, ac in congregatione vivebant sine aliqua votorum obligatione.

a §. *Donatio* P. II. *n.* 44. *A.* 4. 35.

Ceterum *Conversarum* nomen minime accipiendum est, prout communiter hodie usurpatur, ad designandas feminas ex mala ad bonam frugem conversas, & locis piis institutis ad hujus generis feminarum receptacula assignatas; licet aliqua etiam adsint hujusmodi, ut vocant, conservatoria, quæ vulgo appellantur *delle convertite*, quæque tamen solas modo virgines alant contra leges eorum institutionis.

§. XLIII.

Conversi & conversæ in eodem monasterio.

SED ad *Conversas* a monialibus sacris distinctas, & monasteria sive virorum, sive feminarum incolentes transeamus. Extat insignis charta Camalduli confecta (*b*) anno 1210. V. februarii, in qua legitur conversas votum dedisse, una cum conversis & aliis monachis. *Johannes presbyter & Rubinus*, *qui dicitur clericus*, *& Johannes conversus*, *& domna Eglica*, *& Clusara*, *& Bianca*, *& Sophia*, *& Temperantia*, *& Maria converse ecclesie sancte Marie posite in Avesa prope Veronam* conveniunt cum domno Guidone priore Camaldulensi, quod dicta ecclesia cum omnibus suis bonis subsit ecclesiæ sancti Salvatoris de Camaldulo, aguntque cum eo circa potestatem eligendi & removendi priorem & monachos dicti loci, & recipiendi ibidem conver-

b §. *Conventiones* *A.* 3. 12.

versos, & de obedientia præstanda ipsi priori &c. manu Bernardi notarii. In alia pariter charta (*a*) anni 1223. II. martii iidem *fratres & conversi cum sororibus atque patronis ecclesie sancte Marie Camalduli de Verona* attestantur de bono regimine in spiritualibus & temporalibus habito per Raynaldum priorem dictæ ecclesiæ, & precantur priorem & eremitas eremi Camaldulensis, ut se cum illo benigne gerant, manu Bellandini notarii. Ergo monasterium Avesanum conversis utriusque sexus, præter monachos & clericos, constabat. Licet autem in prima charta anni 1210. videatur eo tantum anno donatum fuisse locum Avesæ eremo Camaldulensi, donatio tamen facta fuerat (*b*) anno 1202. XI. octobris Martino priori Camaldulensi cum potestate *monachandi & conversandi convenientes & utiles illi domui*, uti legitur in instrumento ejusdem anni, quod rogavit Bonetus notarius. Conversam hujus generis putamus Imeldinam quondam uxorem Bernardini filii Sidoniæ. Cum enim (*c*) anno 1104. VII. septembris idem Bernardinus jure ultimi testamenti disposuisset de omnibus bonis suis, & hæredem instituisset prædictorum bonorum monasterium ædificandum in ecclesia sita in Popano, si a patronis illius ecclesiæ cambio & commutatione haberi possit, alias construendum in prædiis ipsius testatoris, ubi visum fuisset Martino priori Camaldulensi, & Gregorio episcopo Clusino, atque Henrico præposito Arretino secundum regulam sancti Benedicti, & sub protectione & regimine Camaldulensis eremi, ipsa Imeldina, viro defuncto, *cum ordine monastico omni tempore vite sue mansit sub dominio & regimine eremi Camaldulensis*. Et ante Imeldinam conversa eremi Salanicensis in agro Vicetino existimari potest Willa sancti Theobaldi eremitæ mater, quæ, teste Petro Vangaticiensi abbate in vita ejusdem Sancti apud (*d*) Mabillonium, *abruptis omnibus retinaculis seculi soli Domino Deo servitura adhæsit, & unius brevis cellulæ cum filio Deo famulatura elegit solitudinem*, quam non deseruit, neque post filii obitum. Anno 1221. (*e*) domna Bonafilia olim Neronis de Montagia *conversa Camaldulensis* reperitur. Anno 1236. X. octobris (*f*) Brunecta, quæ moratur ad Vicum obtulit se pro *conversa* domno Petro priori monasterii sancti Andreæ in Silva Lucanæ diœcesis prope Rivoltam ordinis Camaldulensis, offerendo dicto priori omnia bona sua manu Petri notarii. Flora uxor Guidonis *conversa* nominatur, & *familia-ris monasterii sancte Marie de Agnano* (*g*) anno 1347. *Conversa uxor* appellatur a concilio Arelatensi II. can. 3. quæ cum mariti consensu Deo se dedicavit. Exemplum etiam proferimus conversæ monasterii monachorum, quæ *conversa simul & monacha* nominatur. (*h*) Anno 1165. *mense junio indictione* XIII. *Rivoalti. Bona relicta Stephani Fino conversa & monacha monasterii sanctorum Illari & Benedicti* donat eidem monasterio quamdam *proprietatem terræ*; Leonardo subdiacono & notario. Ceterum monachorum, conversorum & conversarum habitantium in eodem monasterio testis est (*i*) Mabillonius ad annum 1060. loquens de monasterio sanctæ Felicitæ Florentiæ; & inter instrumenta historiæ ecclesiæ Meldensis charta habetur, in qua hæc leguntur. *Dignum duximus ordinandum, quod deinceps in prioratu nostro predicto* (sancti Friacrii) *novem fratres monachi de gremio tamen monasterii nostri* (sancti Faronis) *ibidem divinis obsequiis mancipati, & una cum iis unus conversus & una conversa, qui eorum insistent obsequiis sub habitu regulari per priorem, qui denarium numerum faciet*. Dacherius chartam (*k*) publicavit professionis Jauserannæ viduæ, quæ anno 1223. seipsam Deo & monasterio sancti Andreæ & ecclesiæ sancti Laurentii de Barreto dedicavit, subjiciens se mandato domni Bermundi abbatis. Monachos & moniales, conversos & conversas extitisse in monasterio Patavino sanctæ Mariæ Porciliæ, & in alio sanctæ Mariæ de Mandria ejusdem diœcesis virorum; in parthenone sanctæ Christinæ Bononiæ, & sanctæ Mariæ de Bethleem pariter prope Bononiam sacrarum virginum, præter alia plura, quæ passim in hac nostra dissertatione protulimus, demonstramus ex chartis nostris, quarum aliquas hic damus, juxta annorum seriem ex tabulariis monasteriorum sanctæ Christinæ de Bononia, & sancti Michaelis de Muriano.

a §. Testificatio n. 10. A. 3. 43.

b §. Donatio n. 359. A. 3. 17.

c §. Testamentum p. 2. A. 8. 20.

d Sec. VI. Par. II. pag. 172.

e §. Amissa n. 324.

f §. Oblatio n. 6. A. 3. 13.

g Arch. S. Min. Grad. Arret. n. 503.

h Flam. Cornel. Eccl. Venet. Dec. XII. p. 379.

i Annal. T. IV. p. 607.

k Spicil. T. III. pag. 596.

Anno 1178.

In nomine sancte & individue Trinitatis. Anno millesimo centesimo septuagesimo octavo mense majo regnante domino Ferico indictione XI. Ego quidem in Dei nomine Girardus filius Balduli calzulari hoc donacionis instrumentum & offertionis in presenti die do, dono & ofero & transfero me & omnes meas res mobiles & imobiles jure proprietatis, & si conducticia aparuerit a salva justitia, cui juris est tibi sacerdoti Ildebrando accipiente pro te & pro persona domna Scolastica monaca abatissa

san-

sancte Christine tuisque fratribus & succetricibus servientibus eidem ecclesie, videlicet hoc quod mihi pertinet in plebe sancti Johannis de Pastino, & in plebe sancti Stefsani de Clatina, & in massa Elerario, & in curte Ulziani, & in curte monte Arligi cum ingressu & egressu earum, & cum omnibus, que sunt super se & infra se habentem in integrum, omnia ut predixi in integrum, que mi pertinent in prenominatis locis, & omnia mea mobilia in presenti die do, dono, & trado, & transfero & offero pro anima mea meorumque parentorum tibi jamdicta receptrice, tuisque *fratribus* & *sororibus*, & succetricibus eidem monasterio ecclesie sancti Andree proprietario jure, ad habendum *&c.*

Actum juxta canonicam sancti Andree indictione predicta XI.

Testis & investitor Stunda, & Vivianus Ramfredi, & Girardellus & Ugolinus Aimalduli & Lambertucius rogati sunt testes.

Ego Petrus Ramfredi tabellio de Ulziano scripsi rogatus.

Anno 1210. ANNO a Nativitate Domini M. CC. X. indictione XIIII. die secundo intrante augusto. In presentia domini archipresbyteri Floriani majoris ecclesie Paduane, & presbyteri Johannis de sancto Jacobo, & presbyteri Mariani capellani episcopi, & Almerici judicis & aliorum. Cum domnus Petrus Dei gratia prior ecclesie sancte Marie de Mandria vellet alienationem facere de duabus petiis terre jacentibus in finibus Padue in hora, que dicitur M..zorco Widoni pelipario, qui ibi ad presens erat, & pretium solvere in utilitatem ecclesie predicte, & de hoc parabolam petiit a domino Gerardo Paduano episcopo. Ipse quidem dominus Gerardus predictus episcopus prefato priori de Mandria parabolam dedit alienandi, & eas eidem Widoni vendendi, prout ei dationem facere voluerit, & dationem, quam ipse prior faciet, firmam & ratam se habiturum esse promisit.

Actum in episcopali camera.

Eodem vero die in camera procuratorum Communis Padue, & presente domino Almerico judice, Ugolino de Cibis & Bajalardo ejus filio & aliis. Prefatus domnus Petrus Dei gratia prior de Mandria confessus fuit pro ipsa ecclesia nomine pretii accepisse a predicto Widone pelipario LXXI. lib. & sol. VII. & den. IIII. & super his ipse prior renuncians exceptioni non recepti pretii, & omni juri, rationi & actioni, quibus contravenire posset, & pro prefato pretio investivit ipsum Widonem jure perpetualis libelli de predictis duabus petiis terre, uni quorum coheret ab uno capite L..urta notarius, ab alio capite Caroti, ab uno latere predictus L..urta, ab alio Armanus monarius. Alteri petie coheret ab uno latere Ugolinus de Cibis, ab alio Zanbonetus judex, ab uno latere via publica, ab alio Arnaldus & canonici. Ea ratione, ut idem Wido predictas petias terre per se & suos heredes . . . . & jure libelli per fidem usque in perpetuum atque de eis omnem utilitatem facere absque omni contradictione predicti prioris & ejus successorum, cum introitu & exitu, & cum viis & aqueductibus & omnibus rationibus & actionibus in integrum pertinentibus predicte ecclesie vel ipsi priori . . . . . Ad hec predictus prior pro ipsa ecclesia dedit, cessit & tradidit eidem Widoni omne jus & omnes actiones & rationes reales & personales, quod & quas ipse habebat in eisdem terris vel eidem ecclesie pertinebat, seu sibi pro ipsa ecclesia, atque ipsum, ut in rem suam, constituit procuratorem. Insuper predictus prior pro se & sua ecclesia jure irrevocabilis donationis dedit, cessit & tradidit totum id quod predicta ecclesia ipsi predicto priori debebat . . . . . . ipse Wido per se & suos heredes annuatim eidem ecclesie denarios II. Venec. in die sancte Marie de septembri, & si non dederit quod . . . . debeat in duplum sine aliqua alia pena. Insuper prefatus prior pro predicta ecclesia & obligando se & bona predicte ecclesie per se & suos successores promisit prefato Widoni pro se & suis heredibus stipulanti prefatas petias terre defendere & vvarentare ab omni persona suis expensis cum ratione in pena dupli, sicut pro tempore fuerint meliorate aut plus valuerint in consimili loco. Ad hec predictus prior pro ipsa ecclesia investivit predictum Widonem ad feudum de affictu predictorum duorum denariorum sine fidelitate & juramento, & sine aliqua conditione, & vel masculi & femine debeant succedere, & ut hoc feudum non . . . per investituram . . . . offensione vel culpa, & debeat hec investitura perpetuo durare, & Wido promisit illud per se & suos heredes, cui velit dare alie . . . . absque verbo domini; atque eidem Widoni precepit possessionem intrare. Insuper Benedictus *conversus dicte ecclesie* predictam dationem factam a priore laudavit & confirmavit. Item eodem anno & die

die III. exeunte decembri, & in presentia Patavini Pini & . . . . Warnerii, qui stat ad sanctam Mariam de Conio, & Johannis ejus servitoris, predictus Petrus prior in concordia fuit cum predicto Widone, quod predicta terra est v. camp. & una pertica, & Lanfrancus *conversus* & Willelminus *clericus predicte ecclesie* & domina Bona filia m. . . . . . & Johanna & Sibilie *converse predicte ecclesie* laudaverunt & confirmaverunt predictam dationem factam a priore, & promiserunt se non contravenire aliqua ratione vel occasione.

Actum in mansione predicte ecclesie de Mandria.

Ego Johannes sacri palatii notarius interfui & eorum jussu scripsi.

Anno 1216. ANno Domini. Millesimo ducentesimo sextodecimo die tertiodecimo exeunte madio die jovis indictione quarta in presentia domini Petri de domina Carrabona, & domini Upyzini de Guidotto & Johannis Pavensis. Lucia filia quondam Manzioli refutando temporalia cupiendo spiritualia dedit & optulit *se* & sua bona omnia in manu domne Lucie Dei gratia sancte Marie de Beleem abbatisse recipienti in honore Dei & sancte Marie de Beleem & sancti Johannis, suorumque in predicto monasterio successorum presentibus & consentientibus sororibus suis, scilicet domna Agnese, & domna Beatrice, & domna Margarita monachabus dicte ecclesie, & domna Richildana, & domna Taudisscha, & domna Aylburga, & domna Placidia, & Lauzarina & Zanello sindico *conversis dicte ecclesie*, & presbytero *Parixio*; & ibidem in eorumdem textium presencia predicta Lucia investicionem sui & suarum rerum supra altare sancti Johannis de dicta ecclesia cum libro posuit, & ei veram obedientiam promisit, & ipsa domna abbatissa presentibus & consentientibus sororibus suis predictis & cum predictis ipsam in *conversam* & *sororem* acceptavit & cum osculo pacis. Actum in predicta ecclesia indictione predicta prenominata domna abbatissa *cum dictis suis sororibus & fratribus*, & dicta Lucia scribere rogaverunt.

Ego Gerardus de Bazan. .. imperiali auctoritate notarius, ut supra legitur, interfui, & ex mandato dictorum ss.

Anno 1240. IN nomine Domini nostri Jhesu Christi. Anno ejusdem millesimo ducentesimo quadragesimo indictione tertiadecima ultimo die mensis junii. Ugolinus filius

quondam Villani de Clagnano & Ghisla uxor ejusdem Ugolini, atque Grimaldus eorum filius nomine *conversionis* & *offertionis sui* & suorum omnium dederunt & tradiderunt se per librum & stolam & omnia eorum bona in manibus domne Scolastice abbatisse monasterii sancte Christine recipienti vice & nomine ejusdem monasterii promittentes obedientiam & castitatem. Et dicta domna abbatissa eos recepit pro *conversis dicti monasterii* consentientibus & volentibus domna Castellana, domna Caterina, domna Valleria, domna Beatrice quondam domni Napuleonis, domna Ymigla, domna Remburgina, domna Rumiola, & domna Bellavita *ejusdem monasterii monachabus*, presbytero Actone *cappellano dicti monasterii*, Bonalingua, Guidone, & Petrizolo *conversis ejusdem loci* omnibus ibidem presentibus.

Actum in nunchotorio in domo ejusdem Ugolini, presentibus Orlandino Bonalingue, Petro Acciprandi, Guidutio filio quondam Alberti in vurge & Davisio filio quondam Albertini mori de Septifonti & pluribus aliis testibus ad hoc rogatis.

Ego Attolinus de Ulziano imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui & ut supra legitur rogatus ss. ss.

IN nomine Dei eterni amen. Anno ejusdem nativitatis millesimo ducentesimo sexagesimo primo Padue indictione quarta die duodecimo intrante decembri, presentibus presbitero Castellano, presbitero Spinabello & presbitero Sansone ecclesie sancte Marie de Porcilia, & fratre Uberto Widonis Gonbelli, & aliis. Cum Zilia filia quondam Luche de Brojoso vellet facere professionem in loco sancte Marie de Porcilia, tenens cartam sue professionis in manibus suis coram altari ejusdem ecclesie sancte Marie de Porcilia, quam sibi legere fecit, cujus forma talis erat. Ego soror Zilia *offero me ipsam* & mea omnipotenti Deo & huic ecclesie sancte Marie de Porcilia, & promitto stabilitatem meam, & conversionem morum meorum & obedientiam coram Deo & Sanctis ejus in hoc loco, qui vocatur sancta Maria de Porcilia, in presentia dompni Compagni prioris hujus loci. Qua lecta & sibi reddita, signum venerabilis Crucis propria manu impressit in ea, offerens eam super dictum altare deosculans illud, & sic *se & sua Deo & dicte ecclesie obtulit & dedicavit*. *Anno* 1261.

In Padua in *ecclesia sororum* sancte Marie de Porcilia coram altari.

Ego Albertus quondam Pasqualini imperialis aule notarius his interfui, & jussu dicte sororis Zilie, & rogatus hec scripsi.

§. XLIV.

Ritus, quo se offerebant conversæ in cœnobiis virorum, & feminarum, earumque promissiones.

MODUS, quo se offerebant conversæ, varius erat juxta varia loca, in quibus se offerebant, variumque personarum genus, quæ se dedicabant. In charta ad annum circiter 1200. archivi sanctarum Floræ &] Lucillæ de Arretio Donzella de hospitali sancti Petri minoris de Arretio (erat hocce hospitale spectans ad monasterium dicti nominis monachorum Camaldulensium) *mittens manus suas* in manus Uberti abbatis Silvæmundæ (& hoc sub nomine sancti Salvatoris juris erat congregationis Camaldulensis) *promittit eidem abbati, atque domno Raynerio priori sancti Petri obedientiam secundum regulam beati Benedicti, atque conversionem morum suorum, & deosculatis manibus abbatis & libro regule, ipsum librum super altare beati Petri posuit.* Anno 1233. Villana proposuit *vivere & mori in habitu religionis ad ecclesiam sancte Marie de Porcilia*. Eodem anno Cuniza offert seipsam omnipotenti Deo & ecclesiæ sanctæ Mariæ de Teupice, & promittit *fidem* & *stabilitatem* & *castitatem* Matthæo priori ejusdem loci. Erat prioratus hic in urbe Vicetina constitutus, & sub jurisdictione abbatiæ Pomposianæ. Anno 1305. Agnesia *flexis genibus dedicavit se Deo & ordini, militie Templi beati* Michaelis de Lemmo in Histria tempore, quo monasterium hocce nostrum assignatum fuerat ordini militiæ Templi. Florentia uxor olim Petri Marini de castro Porcarellæ anno 1365. *dedicat se Deo & beato Romualdo* in monasterio Vallis-castri. Anno 1392. existens ante majus altare ecclesiæ *flexis genibus* Lætitia virgo quondam Angelucii Guidonis de Genga *tenens manus suas intra manus* venerabilis viri domni Jacobi abbatis monasterii sancti Victoris de Clusis se *in conversam, oblatam* & *redditam* constituit ipsius monasterii. Ex hac charta intelligimus conversas appellatas quandoque fuisse *redditas*. Villanæ professionem ex archivo nostro sancti Michaelis, Cunizæ autem ex tabulario monasterii sancti Benedicti de Ferraria; rursus Agnesiæ ex monasterii nostri sancti Mathiæ chartario, & Florentiæ ac Lætitiæ ex illo sancti Blasii de Fabriano subnectimus per extensum.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ejusdem nativitatis millesimo ducentesimo trigesimo tertio indictione sexta die tertiodecimo exeunte aprili. Presentibus Zenario calegario, qui fuit de Portu, Alexejo, qui fuit de Tejedo, Ypolito filio Coramelli sartoris, qui fuit de Portu, & fratre Petro de Bullone, qui moratur ad sanctam Mariam de Porcilia, & Ugone filio Henrigeti molinari de hora sancti Michaelis. Domina Villana uxor quondam Carlaxaris Capitelli filia quondam Rolandini fava in fronza presente filio suo Johanne, & consentiente & ejus voluntate & beneplacito pro anima sua & pro animabus patris & matris sue, & pro remissione peccatorum suorum, & etiam pro eo quod ipsa cupit & proposuit vivere & mori *in habitu religionis ad ecclesiam sancte Marie de Porcilia*, nomine pure & irrevocabilis donacionis, que inter vivos dicitur, dedit, cessit, tradidit, mandavit atque donavit donno Compagno priori ecclesie sancte Marie de Porcilia pro ipsa ecclesia & loco recipienti, & ejus nomine totam illam terram, quam ipsa habebat in Maserada &c. *Anno 1233.*

Actum fuit Padue apud ecclesiam sancte Marie de Porcilia in parlatorio dominarum.

Ego Rodulfus Paravini Clavi sacri palatii notarius interfui, & eorum jussu scripsi.

ANno Domini millesimo ducentesimo trigesimo tertio indictione sexta die tertia intrante julio in ecclesia sancte Marie de Teupice testes ad hec rogati Karlaxarius preceptor & Pasti, qui fuit de Zujano, & Arnaldinus filius Muxetti preceptoris omnes de Vicentia & Liu..tus clericus de Bragancia. Ibique de voluntate & verbo infrascriptarum Albenge & Viviane & Nigre & Romani & Karlaxarii & Jacobini *sororum* & *fratrum suprascripte ecclesie*, qui erant ibi ad presens, domina Cuniza uxor quondam Uguc ... p ... *dedicavit se* & *obtulit* ad altare suprascripte ecclesie cum viginti & & duobus libris denariorum Venetorum de suis bonis sic dicens. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, amen. Ego Cuniza offero me ipsam omnipotenti Deo & huic ecclesie sancte Marie de Teupice, & promitto fidem & stabilitatem hujus loci, & castitatem perpetuam, & vivere sine proprio, & obedientiam secundum *Anno 1233.*

dum Deum & regulam priori dompno Mattheo presenti & aliis, qui pro tempore fuerint, me fideliter observaturam, & sic predicti prior, & *sorores* & *fratres* eam in sororem receperunt.

Ego Johannes Bononiensis notarius sacri palatii interfui, & hanc cartam & aliam istius concordantie inde scripsi.

Anno 1305.

IN nomine Dei eterni, Amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo tricentesimo quinto indictione tertia die nono intrante mensis aprilis *&c.* Item *&c.* presentibus predictis Nicolao & Johanne in ecclesia dicti monasterii (*sancti Michaelis de Lemmo*) dicta domina Agnesia flexis genibus & manibus junctis se dedit & dedicavit, in manibus predicti Simonis, Deo & ordini militie Templi beati Michaelis, qui frater Simon nomine dicte religionis ipsam recipiens & panem & aquam religionis sibi promisit, precepit & mandavit eidem, quod bene & diligenter custodiret dictum monasterium, & bona, & jura sua per dictam religionem usque ad beneplacitum suum & dicte religionis. Que Agnesia predictum mandatum & preceptum benigne acceptavit.

Ego Andreas filius quondam Renoardi de Parentio auctoritate imperialis aule notarius his omnibus interfui, & rogatus scripsi & roboravi.

Anno 1365.

IN nomine Domini, amen. Anno Domini M. CCC. LXV. indictione tertia tempore domini pape Urbani .. die XXI. mensis junii. Domina Florentia uxor olim Petri Marini ... de castro Porcharelle districtus Fabriani non vi, non dolo *&c.* nomine *conversionis*, *deditionis*, *offertionis*, *oblationis* & omni alio modo &c. *obtulit*, *se dedicavit* cum duabus petiis terre positis in districtu castri Porcharelle, quarum una posita est in plano Sporte, a primo latere juxta heredes Corradini de Porcharella, a secundo latere heredes Vannis Romangili, a tertio latere heredes Paschalis & aliis finibus, & alia petia terre posita est in dicto territorio in Vallis Cantabruni, alias Forcha-luparia juxta viam, a primo latere, a secundo & tertio latere Benedictus filius dicte domine Florentie & alios fines cum omnibus juribus *&c.* Deo & beato Romoaldo de districtu seu territorio Fabriani, necnon ven. viro fratri Albrico abbati monasterii sancti Romoaldi suprascripti presenti, recipienti & stipulanti pro ipso monasterio existens in trasana dicti monasterii juxta inclaustrum & domum massaritie dicti monasterii *&c.* genuflexa manibus cancellatis mittens manus suas inter manus ipsius domni abbatis *&c.* & ipsi domno abbati promittens obedientiam, & reverentiam *&c.* & non discedere ab ordine & regula sancti Benedicti & beati Romualdi, sed ipsam regulam & ordinem, dum ipsa vixerit, conservare & dictus domnus abbas tenens manus dicte domine Florentie inter manus suas ipsam *oblatam* recepit *dedicatam* ad panem & aquam, promixit etiam predicta domina Florentia ipsi domno abbati, recipienti nomine quo supra, in predicta obedientia & reverentia stare & morari toto tempore vite sue in dicto monasterio vel alibi, ubi ipse domnus abbas vel ejus subcessor sibi honeste mandaverit, promittens etiam dicta domina Florentia ipsi domno abbati, nomine quo supra, recipienti, quòd de dictis petiis terre litem aliquam non inferret *&c.* dictus abbas *&c.* promisit dicte domine Florentie *&c.* deinceps dare & prestare alimentum & nutrimentum secundum ipsius facultatem, ut in dicto monasterio est consuetudo, de bonis dicti monasterii toto tempore vite dicte domine Florentie, & ipsam defendere & protegere ac etiam auxiliari in judicio & extra de jure & de facto contra quascumque personas ecclesiasticas vel seculares omnibus sumtibus & expensis dicti monasterii, & nihilominus predicta domina Florentia promisit dicto domno abbati, nomine quo supra, omni tempore esse fidelis, legalis, obediens, non fraudare jura & bona ipsius monasterii, nec aliquit committere vel facere in damnum, detrimentum ipsius monasterii, & etiam domno abbati predicto, sed potius bona, jura ipsius monasterii pro posse salvare & manutenere pro ipso monasterio & abbate *etc.* Que omnia & singula in hoc instrumento *etc.* contenta dicta domina Florentia corporaliter tactis scripturis juravit ad sancta Dei evangelia observare *etc.* sub pena & obligatione bonorum virtute prestiti juramenti.

Actum in supradicto monasterio sancti Romoaldi in trasana dicti monasterii *etc.* presentibus Johanne Girardi de sancto Severino, & Berardo Marini de Porcharella testibus ad hec vocatis & rogatis.

Et ego Geronimus Pauli de Moliano publicus imperiali auctoritate notarius his omnibus interfui, rogatus scripsi & publicavi.

Anno 1392.

IN Dey nomine, amen. Anno millesimo CCC. LXXXXII. indictione XV. tempore domini Bonifacii noni, die ultima men-

mensis septembris Fabriani in ecclesia sancti Blaxii, membri monasterii sancti Victoris de Clusis Camerinensis diocesis & districtus Fabriani, presentibus domino Johanne Vangoli, domino Nicolao Johannis de Fabriano, Durante Bartholomei de Aretio, & Brunacoro Junte de Loccorano comitatus Perusii habitatoribus in terra Fabriani testibus rogatis. Pateat evidenter, quod existens ante major altare dicte ecclesie flessis genibus Letitia virgo quondam Angelutii Guidonis de Gengha dicti districtus tenens manus suas fra manus venerabilis viri domni Jacobi abbatis dicti monasterii sancti Victoris, volens per Christi amorem, & pro remissione suorum peccatorum, reservatis tamen .... primo & ante omnia fructibus & usufructibus omnium suorum bonorum, & reservatis, donec corporaliter vixerit, & arbitrio & potestate petendi & recipiendi, & distribuendi centum libras denariorum, quas debet Angelutius ipsi Letitie, reliquum destribuendo in ipsius Angelutii testamento scripto manu publici notarii, dedit & dedicavit se & bona sua omnia tam mobilia quam stabilia, & tam presentia quam futura, Deo & beato Victori & ipsi domno abbati in *conversam* & *oblatam* & *redditam ipsius monasterii* promictens eidem abbati castitatem, obedientiam, & reverentiam debitam & consuetam secundum regulam & ordinem sancti Benedicti, & mores & consuetudines dicti monasterii. Qui domnus abbas, presente, volente, & consentiente religioso & honesto viro domno Venantio Andree de Fabriano monacho & sindico, & procuratore dicti monasterii ipsam Letitiam cum reservatione predicta, & omnia ipsius Letitie accepit & acceptavit in *oblatum* & *conversam dicti monasterii sancti Victoris* secundum regulam & ordinem beati Benedicti, & mores & consuetudinem dicti monasterii *per immissionem cujusdam schapularis*, quem idem domnus abbas posuit & immisit in dorso ipsius Letitie eum recipientis, ut *oblate* & *converse* ejusdem monasterii cum reservatione predicta; renuncians etiam dicta Letitia anno probationis dicte regule, dicens & confitens ipsam regulam & ordinem probasse & fecisse per annum & dies, & predictam dationem, dedicationem, & conversationem, promissionem & omnia & singula suprascripta perpetuo rata & firma habere & tenere, & ea omnia & singula attendere & observare promisit, & in nullo contrafacere, vel venire aliquo modo vel causa sub obligatione omnium suorum bonorum presentium & futurorum.

Et ego Franciscus Nicolutii de Fabriano *&c.* notarius predictis omnibus interfui.

Et hæ quidem conversas se obtulerunt in monasteriis virorum; exemplum etiam proferimus conversæ se offerentis in ascetorio sacrarum virginum. Anno 1212. domna Beatrix in manu domnæ Diademæ abbatissæ, & domni Laurentii rectoris ecclesiæ sanctæ Mariæ de Bethleem prope Boniam *investitionem sui & suarum rerum posuit super altare sancte Marie virginis & ei veram obedientiam promisit & priori Camaldulensium, & ipsa abbatissa et domnus Laurentius rector ipsam in* conversam & sororem *acceperunt cum stola et cum osculo pacis* (*a*). Sed chartam ipsam legamus.

a *Arch. S. Christina Bonon. l. 21.*

ANno Domini M. CC. XII. die VIII. intrante mense madii die martis indictione XV. presentibus fratribus infrascriptis ... & specialiter ad hoc vocatis. Domna Beatrice refutando temporalia, cupiendo spiritualia obtulit, & tradidit se & L. libras Bol. que fuerunt de docte sua & omnia sua bona, que nunc habebat in presentiarum, & in futuro sperabat habere aliquo modo, exceptis XXX. libris Bol. ex quibus XX. lib. Bol. de illis de dote *&c.* in manum donne Diademme Dei gratia abbattisse, & donni Laurenti rectoris ecclesie sancte Marie de Beleem conventu Camaldulensium recipientibus in honorem Dei & dicte ecclesie priori Camaldulensium & abbatisse sancte Christine suorumque *fratrum* & *sororum* in predicta ecclesia & conventu Camaldulensium successorum, & secundum conventum & ordinem & consuetudinem conventus Camaldulensium presentibus & consentientibus *fratribus et sororibus dicte ecclesie sancte Marie de Beleem*, & ibidem in eorumdem testium presentia predicta domina Beatrice investitionem sui & suarum rerum, ut supra dictum est, supra altare sancte Marie virginis posuit, & ei veram obedientiam promisit & priori Camaldulensium, & ipsa domna abbatissa & donnus Laurentius rector & minister dicte ecclesie presentibus & consentientibus *fratribus et sororibus suis dicte ecclesie* secundum morem & regulam Camaldulensium ipsam *in conversam et sororem* acceperunt. Et cum stola & cum libro & cum osculo pacis omnes sorores acceperunt. Actum in predicta ecclesia sancte Marie predicte, ut superius

Anno 1212.

rius legitur, mihi notario scribere jusserunt.

Dominus Martinus presbyter & dominus Guilielmus clericus de Camarualdo & Albertus .... linus, & magister Ugo, & Zapolinus & Selvisce ad hoc rogati testes fuerint.

Ego Gerardus notarius, ut superius legitur, rogatus scripsi.

Sed ritus prosequamur, variasque promissiones, quibus se adstringebant conversi & conversæ. Reperimus quandoque fratrem & sororem, conversum & conversam se obtulisse in eodem monasterio. Octavianus abbas Insulanus (*a*) anno 1310. recepit Bontium & Agnetem sororem ejus in *conversum et conversam secundum regulam sancti Benedicti et statuta ordinis Camaldulensis*, *victum et vestitum illis promittens*. Aliquando maritus & uxor se tradebant pro oblatis & commissis. Eorum exempla protulimus in §. XXVI. *de Commissis*, alia etiam producemus inferius. Aliquoties spondebant castitatem; aliquoties hac lege se adstringi nolle aperte profitebantur, ut ex dicendis in sequenti paragrapho. Conjuges demum, vel alter ex conjugibus, ad conversionem offerebant insuper & filios suos: promittebant hujus generis conversi & conversæ obedientiam abbatibus, vel prioribus, vel abbatissis; ab ipsis alimenta recipiebant, dirigebantur in vita spirituali, sacramenta recipiebant æque ac conversi & conversæ, qui & quæ convivebant cum monachis & cum monialibus. In ordinario (*b*) sancti Apri Tullensis, dum sermo habetur de die sacrosancti Natalis Domini, præcipitur, *ut omnes monachi et pueri, conversi et conversæ in hac die eucharistiam recipere debeant*; & in sollemnitate cœnæ Domini: *Sacrista habeat alium calicem, et urceum cum vino ad altare sancti Christophori, ut ibi bibant conversi et conversæ, qui Corpus Domini acceperunt*. Anno 1284. conversæ sanctæ Mariæ de Porcilia testantur, quod *ab ipso monasterio seu priore sancte Marie in dicta ecclesia receperunt et audiverunt divina officia et alia sacramenta*, *et confesse fuerunt*, *et professe se velle esse dicti prioris*, *monasterii et conventus*. Documentum publici juris facimus ex tabulario nostro sancti Michaelis de Muriano.

a §. Oblatio P. II. n. 3.

b Marten. de antiq. monach. ritib. lib. III. cap. XV. n. 20.

Anno 1284. IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno nativitatis ejusdem millesimo ducentesimo octuagesimo quarto indictione duodecima die primo novembris & Padue in ecclesia monasterii sancte Marie de Porcilia *a latere fratrum*. Presentibus domno Petro monacho ejusdem monasterii, fratribus Martino & Alberto conversis ipsius monasterii, Viviano notario filio magistri Gerardi de Viviano testibus vocatis & rogatis ad hec & aliis. Domine Patavina quondam Johannis de Bonzanino, Nicolota uxor quondam domini Luce, Donella quondam Symeonis, Gisla quondam Johannis fabri, Benevenuta quondam Jacobini, Marcha quondam Bernardi, Catherina quondam Manfredi, Persenda uxor quondam Petri, Gisla que dicitur Vezata, Beatrix quondam Federici, & Thomasia quondam Clarioti, que omnes morantur Padue in domibus monasterii sancte Marie de Porcilia, que sunt juxta dictum monasterium, expresse & ex certa scientia omnes simul unanimiter & quelibet earum per se confesse fuerunt coram religioso viro donno Sansone priore dicti monasterii sancte Marie de Porcilia, quod nunc sunt & fuerunt temporibus retroactis Campese dicti prioris sancte Marie de Porcilia & illius monasterii & conventus, postquam habitaverunt & habitare inceperunt in dictis domibus, & *sub obedientia dicti prioris* monasterii & conventus, sunt & fuerunt a dicto tempore citra, & ab ipso monasterio seu priore sancte Marie, & in dicta ecclesia *receperunt* & *audiverunt divina officia*, *&* *alia sacramenta*, & confesse fuerunt & professe, ut predictum est, se velle esse dicti prioris, monasterii & conventus Campese, & sub obedientia ejus esse & stare de cetero & in futurum, & in dicta ecclesia audire & recipere divina officia, misteria, & sacramenta ecclesiastica, *tamquam professe ipsius prioris monasterii supradicti*.

Ego Symeon magistri Gerardi de Viviano sacri palatii notarius interfui & rogatus hec scripsi.

In monasterio sanctæ Christinæ de Tarvisio Aurabona filia quondam domini Garsendini judicis & uxor quondam domini Philippi de Grassis judicis promisit cum expensis & obligatione omnium suorum bonorum abbatissæ Gherardeschæ *caste se victuram*, *&* *recepturam sacramenta ecclesiastica in dicto loco* *&* *non aliunde*; obtulerat autem fructus & redditus domus magnæ habitatæ per eam cum turri jacentis in civitate Tarvisii in contrata sancti Viti; e contra abbatissa & moniales concesserant ipsi Auræbonæ *caminum quondam sororis Beatricis pro habitatione* sua, & *ut posset tenere unam servitricem*, *&* *a dicto conventu habere vitam conventua-*

tua-

tualem secundum consuetudinem dicti loci, & posse ire, stare, redire, intrare & exire in dicto monasterio cum licentia tamen domne abbatisse presentis & future, & servitrici ipsius domne Aurabone copiam fecere *standi, intrandi, exeundi & redeundi in dicto monasterio cum licentia & sine licentia* &c. Aurabona potest appellari *familiaris* monasterii sanctæ Christinæ, Documentum edidimus in (*a*) appendice monumentorum ad vitam sancti Parisii. Exemplum afferamus utriusque conjugis conversi & conversæ ejusdem monasterii: Anno 1218. VIII. *julii indictione* VI. *Rivoalti. Gisla quondam uxor Jonathe Venerio de confinio sancti Gregorii, nunc vero tam ipse, quam ego conversi monasterii sancti Zacharie, consentiente mihi domina mea Galandria abbatissa cum meis successoribus* securum reddit Guilielmum Fusculum circa quamdam *terre proprietatem*. *Marcus Semiteculus diaconus & notarius*. Ex hac pagina (*b*) liquet insuper Gislam caste vixisse, & perpetuæ castitatis legibus se obligasse, marito etiam vivente itidemque in eodem monasterio converso. Alterum producamus mariti & uxoris ac filiorum. Anno 1271. magister Accordus & Brageleana ejus uxor cum Floravante & Agnete filiis spondent *caste se victuros* in domo prope monasterium Porciliæ, quæ ad vitam ipsis concessa fuerat a domno Castellano Porciliæ priore. Viduæ pariter. Anno 1264. *domina Melda uxor quondam Simeonis de Marsango* obligat se *ad perpetuam castitatem* propter quamdam domum receptam a domno Compagno priore sanctæ Mariæ de Porcilia. Anno 1222. plures degentes in domibus proximis eidem ecclesiæ Porciliensi cum uxoribus suis spondent *religiose et caste omnimode in vita et habitu vivere, et in iisdem domibus habitare et non facere aliquod juramentum vel querimoniam coram judice de aliquo homine, nec debeant operari aliquam artem vel facere forum* &c. *sine licentia supradicti prioris*. En cœtus plurium conversorum & conversarum prope monasterium Porciliæ habitantium. Tres postremas chartas ex tabulario hujus nostri monasterii sancti Michaelis de Muriano hic subjicimus.

a Pag. XXIII.

b Flam. Cornel. Dec. XII. pag. 387. 389.

Anno 1271.

IN nomine Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo indictione quatuordecima die septimo exeunte julii, presentibus Fino filio quondam Azonis de plebe Sacci, Latoldo filio Ottonelli de sancto Ceseno, Bartholomeo Galicano filio quondam Facini de Verona, Johanne Martini balistrarii de Filtro. Actum Padue in capitulo fratrum sancte Marie de Porzilia. Ibique magister Accordus filius quondam Pacis de Verona pro anima sua & parentum suorum nomine pure & inrevocabilis donationis, que dicitur inter vivos, fecit finem, datum, & cessionem in manibus dompni Castellani prioris sancte Marie de Porzilia, & pro ipso monasterio de omnibus edificiis, que fecit vel adhuc faciet super campum dicti monasterii, & ecclesie sancte Marie de Porziglia, & pro ipso monasterio manifestavit se possidere, & constituit & promisit nulla ratione vel occasione huic donationi se contravenire sub obligatione omnium suorum bonorum, quorum constituit se possidere pro dicto monasterio & ecclesia, & ejus nomine. Et ibi in continenti dictus dompnus Castellanus prior dicti monasterii & ecclesie sancte Marie de Porziglia in pleno capitulo ad sonum campane & more solito congregato pro se & successoribus suis & dicto monasterio & ecclesia de voluntate fratrum suorum omnium vel majoris partis, videlicet dompni Sansonis, dompni Ottaviani, dompni Boni, dompni Albertini, Fratris Petri Brivosi, fratris Guidonis de Baldaria, fratris Alberti de Luxia, & fratris Henrighetti monachorum, & ipsi fratres cum eo investiverunt dictum Azordum recipientem pro se, & domina Brageleana uxore sua, & filio suo Floravanto & filia sua Agnesia de habitatione supradicte domus & usufructu ejusdem tempore vite ipsorum; scilicet magistrl Acordi &. filiorum scilicet Floravanti, & Agnesie & uxoris; tali conditione & pacto, ut ipse magister Acordus & uxor domina Brageleana, & filii sui Floravantus & Agnesia debeant *stare et vivere in predicta domo caste et honeste*, quod si omnes, vel aliquis eornm, contrafecerint vel contrafecerit, cadant vel cadat a jure suo. Item eodem millesimo & indictione die XII. exeunte decembri, presentibus Jordano filio Tertii callegarii, Guidone filio quondam Johannis de Vicentia, fratre Prosdocimo converso sancte Marie de Porcilia, & fratre Benedicto filio quondam magistri Boni Johannis de Codalunga. Actum Padue super campum sancte Marie de Porcilia in domo, in qua habitat ipse Acordus; Domina Brazeleana uxor predicti magistri Acordi de voluntate & consensu dicti mariti sui ibidem presentis & consentientis, & suam parabolam dantis predicto contractui, & his omnibus in dicto contractu comprehensis consensit & suam parabolam dedit, & sibi placere dixit, & in

in his renuntiavit omni suo juri dotis, pignoris vel ypothece donationis quante seu incontri, auxilio Vellejani, & illis autenticis sive legibus: Si qua mulier; Sive a me, & omni alii suo juri & legum auxilio, quo convenire posset cerciorata a me notario de omnibus predictis, unde plures cartas fieri rogavit uno & eodem tenore.

Ego Albertinus Lanfranchi de Pallaxone Parmensis notarius domini Marchi comitis de Lomello interfui, & hanc cartam rogatus scripsi.

Anno 1264. IN nomine Domini Dei eterni. Anno ejusdem millesimo ducentesimo sexagesimo quarto indictione septima die sesto exeunte marcio. Padue in monasterio sancte Marie de Porcilia, testes dominus Petrus judex de Montagnana, dominus Prandus de Claudo & Wilielmus ejus nepos & alii. Ibique domnus Compagnus prior monasterii & conventus sancte Marie de Porcilia in pleno capitulo dicti monasterii ad sonum campane coaunato more solito, de voluntate suorum fratrum & monachorum, videlicet dompnorum Castellani, Spinabelli & Sansonis, & fratrum clericorum Jacobi, Johannis, Widonis, Ottaviani, Petri & Albertini, dedit ac investivit inrevocabiliter dominam Meldam uxorem quondam Symeonis de Marxango in vita ipsius domine, de domo una jacente super campum ipsius monasterii ab uno capite via, & ab alio capite & a duobus lateribus jus dicti loci. Ita tamen quod dicta domina debead habere, tenere & possidere dictam domum cum sedimine in vita sua, cum accessu & ingressu, cum introitu & exitu, & cum omni jure & honore eidem pertinenti, vivendo tamen dicta domina *honorifice in castitate*. Promisit quoque dictus prior per se & suos successores & pro ipso conventu stipulans dicte domine dictam domum cum sedimine ab omni homine defendere & vvarentare, in pena boni cambi, dampni &c. Ita vero quod post mortem dicte domine dictam domum cum sedimine liberam & expeditam remanead in dicto monasterio sancte Marie. De quo tenore duo instrumenta fieri debent.

Ego Bartholomeus filius quondam Bonincontri de Roveredo sacri palatii notarius interfui, & rogatus scripsi.

Anno 1222. IN nomine Domini Dei nostri. Anno ejusdem nativitatis millesimo ducentesimo vigesimo secundo indictione decima die septimo exeunte mense februarii in claustro sancte Marie de Porcilia in presentia domini Henrici judicis filii domini Gumberti de Vico argeris, Geti & Petri, qui fuit de Bojone & Prosdocimi clerici & aliorum. Ibique dompnus Compagnus prior supradicte ecclesie sancte Marie de Porcilia investivit fratrem Violum & Warvvanum de domo, in qua ipsi habitant; & dominam Taliam de domo, quam tenet & habitat; & fratrem Benedictum & uxorem suam de domo, quam tenent & habitant; & dominum Gumbertum & uxorem suam de domo, quam habitant & tenent; & fratrem Willelmum & uxorem suam, & patrem suum de domo, quam habent & tenent; & dominam Mariam de Gonselmo de domo, quam habet & tenet; & fratrem Simeonem & filias suas, scilicet Machionam, & Flordiliam & Mariam & Donellam de domo, quam habent & tenent; & Canovam & uxorem suam & matrem suam de domo, quam habent & tenent, scilicet de habitatione & usufructu earum & omnium suorum edificiorum atque ortorum tempore vite sue; tali pacto & conditione, quod ipsi teneantur & debeant *religiose & caste omnimode in vita & habitu vivere, & in eisdem domibus habitare, & quod non debeant facere aliquod juramentum, vel querimoniam coram judice de aliquo homine, nec debeant operari aliquam artem, vel facere forum, vel mutuum, vel pignorationem terre seu blave, vel vini, vel olei, per se, nec in societate cum aliis sine licentia supradicti prioris vel ejus successoris*; & quod debeant claudere supradictam possessionem ante & retro, & quod ipsi teneantur unusquisque coram se defendere ripam fluminis ad voluntatem supradicti prioris vel ejus successoris cum consilio majoris partis habitatorum ejusdem campi sancte Marie. Item si de propria voluntate vellent recedere sine licentia prioris ejusdem ecclesie, & recesserint, postquam ipse prior eum, qui recesserat, amonuerit, si infra octo dies post amonicionem ad abitandum in predicto campo reversus non fuerit, tunc ab omni suo jure cadere debeat, & ususfructus omnium predictorum libere in ipsum priorem sancte Marie reverti debeat. Item, quod absit, si *aliquis, vel aliqua habitantium super campum, in fornicationem, vel adulterium, vel percussionem alterius, sive in aliquod famosum vel mortale peccatum ceciderit, & correctus a priore, & ad voluntatem ipsius non steterit, & non se emendaverit, post primam & secundam correctionem ab omni suo jure cadat, & tunc ipse prior possit & debeat*

beat ipsum vel ipsam expellere de supradicto campo, *si voluerit*, dando sibi tertiam partem edificiorum suorum sive in denariis, sive in rebus, & hoc in suo arbitrio. Item quandocumque ipse prior de consilio & voluntate majoris partis habitatorum ejusdem campi voluerit aliquem vel aliquam expellere de supradicto campo pro aliqua justa occasione sit ei licitum, & possit, verumtamen concessis omnibus edificiis suis ei, & expelletur sive in rebus, sive in denariis in arbitrio prioris precio sibi concesso in extimatione duorum bonorum hominum habitantium in supradicto campo, tunc ipse vel ipsa teneatur recedere infra tertium diem sibi a priore determinatum; & si instigante diabolo exire noluerit infra prescriptum terminum, teneatur & debeat amittere libras decem denariorum Venetorum, & unusquisque supradictorum ita se obligaverunt & promiserunt ipsi supradicto priori, & confessi fuerunt, & pro ipso priore se constituerunt & manifestaverunt se possidere.

Ego Rolandinus sacri palatii notarius filius Jacobini de Bajalardo interfui, & eorum jussu hoc scripsi.

Si quando conversus vel conversa ad domum propriam redire proponebant, hoc, nisi requisitis abbatibus vel prioribus monasteriorum, agere non audebant. Anno 1211. (*a*) Aymericus abbas sancti Severi in Classe Ravennæ absolvit *Johannem presbyterum a conditione conversionis*. Anno 1306. *Albertus olim conversus sanctæ Mariæ de Porcilia* lites, quas contra ipsum monasterium gerebat, dimittit; & anno 1303. domnus Juncta abbas monasterii sanctæ Mariæ de Trivio de Monte Cornario absolvit *Brunam ab omni obligatione familiaritatis sive conversionis*. Alberti chartam damus ex archivo nostro, & alteram Junctæ abbatis ex regesto instrumentorum (*b*) Buldronis notarii in tabulario sanctæ Mariæ de Trivio in monte Cornario.

a *Arch. archiep. Ravenn. D.* 912.

b *Pag.* 13.

Anno 1306.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ejusdem nativitatis millesimo trigesimo sexto indictione nona die quintodecimo exeunte marcio, presentibus magistro Marcoardo decretorum Teotonico, magistro Bernardo decretorum de Wasconia, & domino Jacobo judice de Alexio de Padua. Albertus filius quondam Clarelli de Henrigeto pizolo, asserens se majorem esse annis vigintiquinque, renuncians illi cause & causis, quam ipse movebat & movere volebat contra donnum Compagnum priorem ecclesie sancte Marie de Porcilia & contra ipsam ecclesiam & fratres ipsius ecclesie in omnibus, que ei & dicte ecclesie dicere & petere posset & poterat aliaque occasione, & specialiter pro eo quod ab eo & a dicta ecclesia sancte Marie dicere & petere posset & poterat pro illis bonis, que dicta ecclesia habet & habuit de bonis ipsius Alberti, ex eo scilicet quod dicebatur ipsum Albertum *extitisse fratrem conversum* in dicta ecclesia sancte Marie. Propterea ipse Albertus fecit finem & remissionem, refutationem & recreationem dicto donno Compagno *&c.*

Actum fuit Padue in ecclesia sancti Martini.

Ego Rodulfus Patavini Clavi sacri palatii notarius interfuit & dicti Alberti, & dicti prioris jussu scripsi.

Anno 1303.

IN Dei nomine Amen. Anno Domini millesimo CCC. III. die V. mensis madii in castro montis Cornarii presentibus Compagno dicti loci, Gratiano de Civitella, & Ciscio de Trivio testibus &c. Dompnus Juncta abbas monasterii de Trivio *absolvit* liberaliter Brunam filiam quondam Dueduti de Stracta *ab omni obligatione familiaritatis sive conversionis*, & *ab omni obedientia*, *qua tenebatur dicto domno abbati*, & *promiserat tempore*, *quo in conversam seu familiarem dicti monasterii se obtulit*, & dedit eidem Brune licentiam eundi & morandi perpetuo ubi voluerit, & hoc fecit, quia dicta Bruna absolvit ipsum domnum abbatem & monasterium ab omni promissione & investitione, qua dictus domnus abbas eam receperat & investiverat de bonis monasterii.

Et ego Buldrone notarius interfui & rogatus ss.

§. XLV.

Plures conversæ habitabant in domibus privatis.

LICET plures conversi & conversæ domicilium haberent in monasteriis monachorum vel monialium, aut certe in ædibus propinquis ad mulieres excipiendas destinatis, si cœnobia forent virorum, & in domibus adhærentibus, si asceteria forent sacrarum virginum, certum est tamen plerosque ex his utriusque sexus præsertim conjugatos moram non traxisse neque in ipsis, neque prope ipsa monasteria, sed in domibus privatis, vel in locis dissitis a cœnobiis, vel demum in

in ædibus ipsis assignatis ab abbatibus aut a prioribus pro habitatione. Anno 1225. Guido quondam Blanci de Cornia, & Gisla uxor ejus offerunt sese Accolto abbati sanctæ Mariæ de Agnano, mittentes se cum omnibus bonis suis in manibus ejusdem, promittentes ei obedientiam secundum regulam sancti Benedicti; abbas autem concessit eis licentiam permanendi in eorum domibus apud Corniam. Chartam exhibemus ex archivo (*a*) sanctæ Mariæ in Gradibus Arretii.

a *Num.* 131.

Anno 1225.

IN eterni Dei nomine amen. In presentia testium subscriptorum. Guido quondam Blanci de Cornia, & domina Gisla uxor ejus pariter sponte libere ac solemniter se Deo ac domino abbati de Agnano vice dicti monasterii recipienti & omnia & singula bona sua, que habebant vel alius pro eis in toto comitatu Aretino & specialiter in castello de Cornia & ejus curte, mobilia & immobilia presentia & ventura, & hec omnia fecerunt coram altare dicte ecclesie, & miserunt se in manibus domni A. prefati abbatis faciendo professionem & obedientiam promittentes se vivere secundum regulam beati Benedicti. Post hec autem prefati jugales dictum domnum abbatem humiliter rogaverunt, quatenus eis daret licentiam commorandi apud Corniam in domo, que tunc usque ipsorum fuerat etiam in vita ipsorum, in qua domo dicebant se velle exinde habitare pro dicto monasterio. Prefatus quoque dictus abbas ab eis taliter requisitus dedit eis licentiam taliter commorandi, ut superius est expressum, & dedit licentiam prefate domine Gisle, quod faciat de dote, quam habuit tempore matrimonii contracti inter se & dictum virum suum, videlicet quinquaginta libras Pisarum expendibilium, quiquid vellet.

Actum in choro dicte ecclesie presentibus Martino de Sancto, & Johanne de Sancto, & Guidone Marabucci, & Gregorio de Cornia, & Rainerio olim Johannis de Cornia & aliis. Anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo quinto, Honorio papa residente; Frederico invictissimo imperatore secundo imperante XII. kl. madii indictione XIII.

††† Signa manuum dictorum testium rogatorum.

Ego Rainaldus judex, idemque notarius domini imperatoris predictis interfui & rogatus scripsi & complevi, & in publicam formam redegi, & in fine me... apposui.

Loco ✠ *signi*.

Anno 1257. (*b*) XXI. julii domnus Martinus prior Camaldulensis acceptavit in numerum conversarum, confirmata oblatione bonorum suorum, domnam Cæciliam olim Massarii de Fojano, eique locum *in Curte veteri* assignavit, ut alimenta inde perciperet, faciens illam participem bonorum spiritualium & temporalium eremi. Hæc proinde conversa nequaquam degebat prope eremum vel monasterium Camalduli, sed in loco dissito commorabatur. In charta (*c*) anni 1269. X. maji soror Gregoria, quæ prius Marchesiana vocabatur, pro remedio animæ suæ donavit Johanni priori Camaldulensi aliquot latifundia; is e contra Gregoriæ concessit alia prædia super montem Cortonæ cum potestate ædificandi ibidem ecclesiam, prope quam degeret, quæ tamen una cum terris post ejus obitum ad sacram eremum reverteretur. Ecclesia hæc tempore progrediente prioratus & eremus evasit, & etiamnum ad usum eremitarum Camaldulensium perseverat. Animadvertatur vox *soror*, quæ ipsi tribuitur, & mutatio nominis Marchesianæ in Gregoriam, cum conversa facta fuit. Eodem anno (*d*) 1269. V. julii in quadam charta authentica appellationis ad sedem apostolicam, quam confecit beata Gherardesca Pisana, ipsa nominatur *domna Gherardesca monialis sancti Savini* ejusdem Pisanæ diœcesis, semperque hoc nomine donatur, & una vice *sanctimonialis*. Ex actis ipsius, quæ publici juris facta fuere (*e*) a sociis Bollandianis, dignoscitur illam, licet monialis esset, secessisse ad monasticam vitam vivendam in domo privata prope cœnobium nostrum sancti Savini, ubi monachum induerat etiam vir ipsius. Cæcilia *conversa*, de qua superius, cum arctaretur a domno Orlando vicecomite Camaldulensi & syndico castri Fojani ad solutionem cujusdam impositionis pro custodia ipsius castri, Bardus judex communis Arretii sententiam tulit, non debere ipsam *gravari*, *neque molestari de aliquo datio vel angaria*, & *molto letto seu banno preterito*, *quinimmo debere illi ablata restitui*, *salvo pro custodia dicti castri*, *juxta partem ei contingentem*, & *hec sine prejuditio in futurum ecclesie Camaldulensis*. Data fuit hæc sententia (*f*) anno 1258. XI. martii manu Ugolini notarii & scribæ dicti communis; proprium enim cum possideret, licet conversa, immunis non erat a gravaminibus secularibus & civilibus. Anno 1197. mense aprili (*g*) Merlus testamento suo hæredem bonorum suorum constituit priorem Camaldulensem per manum Henrici prio-

b *§. Oblatio n.* 13 *A.* 3. 138.

c *§. Amissan.* 540. *A.* 14.

d *Ex cod. membran. biblioth. S. Mich. Pisar.*

e *T. VI. Maji die* XXIX.

f *§. Sententia n.* 39. *A.* 3. 164.

g *§. Testamentum, n.* 6. *A.* 2. 39.

ff

prioris de Planetulo propter alimenta, quæ præstabantur ipsi & uxori ejus in domo Camaldulensi de Motina, & ad illa suscipienda in vita sua tradidit omnes res, denarios, & quicquid habebat cum omni jure suo & actione, manu Mariani notarii. Domus Camaldulensis de Motina non erat cœnobium, sed pura domus juris Camaldulensis eremi. Hos conjuges non reperimus revera nominari in charta *Conversos*, vel *Commissos* aut *Oblatos*; verum cum hæc victus annui assignatio tribueretur conversis utriusque sexus, hujus generis forte erant Merlus & ejus uxor, præsertim cum ex archivo Camaldulensi, aliisque constet vixisse plures conversos & conversas conjuges, qui minime continentiæ votum profitebantur. Nerius quondam Fantini de Mojona & Flora ejus uxor (*a*) anno 1315. x. aprilis obtulerunt se & bona sua domno Accursio priori Camaldulensi *cum pacto, quod predicti conjuges non teneantur voto castitatis, neque renuntiationis proprietatis, sed censeantur conversi, & obligentur ad obedientiam*, quibus prior promisit victum & vestitum. Anno (*b*) 1321. XIIII. decembris Zaccule quondam Albertini de Mojona & Puccia ejus conjux obtulerunt se & commiserunt Dei servitio promittentes genuflexi obedientiam priori, cum solo pacto obedientiæ, *non castitatis*, & quod non possint exire ex Casentino. In aliquibus tamen chartis votum castitatis non excipitur. Sophia (*c*) anno 1323. v. januarii de consensu viri sui Superbi jam conversi Eremi-novæ de Fajolo obtulit se in *perpetuam familiarem dictæ eremi*, & omnia bona sua domno Johanni priori, qui eam accepit *in conversam*. Anno (*d*) 1311. v. novembris Tignosus quondam Junctæ de monte Meggiano *obtulit & donavit Deo & sanctis Benedicto & Romualdo*, atque domnis Bartholo abbati de Rota vicario generali domni Accursii prioris Camaldulensis, atque Matthæo priori sancti Georgii de Marchia camerario eremi se & omnia bona sua, & promisit insuper se curaturum, ut domina Artina ejus uxor consentiret dicto contractui, & dictus camerarius eum recepit *in conversum & familiarem eremi*. Guido & Johanna ejus uxor *conversum & conversam* se reddunt (*e*) anno 1407. in parthenone sancti Petri de Luco, promittentes insuper stabilitatem, & conversionem & obedientiam debitam secundum regulam prædicti monasterii.

a §. Oblatio P. II. n. 5. A. 4. 53.
b Ibid. n. 6. A. 4. 27.
c Ibid. n. 8. A. 4. 43.
d Ibid. n. 4. A. 4. 21.
e Arch. Luci E. 78.

§. XLVI.

Conversæ quandoque appellatæ Oblatæ vel Commissæ apud Camaldulenses.

EODEM modo, quo conversi sæpe dicebantur *Oblati*, ita multoties conversæ Camaldulenses *Oblatæ* appellabantur. Anno 1221. (*f*) Torscella vidua Matthæi, Baccheria, & Bacciameus ac Matthæus filii ejus communi consensu offerunt se ipsos *pro oblatis hospitalis sanctorum Frigdiani & Martini Pisarum* cum omnibus bonis suis, promittentes fratri Ranuccio hospitalario obedientiam, quam *similiter oblati* spondent. Ita Cæcilia vidua Bondici, filiaque Bonajunctæ notarii (*g*) anno 1300. donat *se in conversam & oblatam*, ac sua bona præfato Ranuccio, qui usumfructum terrarum donatarum ei relinquit, assignans insuper habitationem in una domorum hospitalis. Adabene uxor olim Sandri de Partina offerens se & bona sua, acceptata fuit in *commissam* (*h*) anno 1332. a Bartholo camerario Camaldulensi. Et anno 1336. (*i*) Stephanus olim Paganucci de Poplena, & uxor ejus Honorata reciproco consensu obtulerunt se, & bona sua Deo & abbatiæ sanctæ Mariæ de Poplena, promittentes *obedientiam commissorum ordinis Camaldulensis* in manu domni Feliciani prioris, qui eis victum & vestitum promisit. Anno 1385. (*k*) Angelus Turini prior monasterii Rosæ prope Senas recepit *in oblatam* dominam Bartholomæam quondam Nuti Dini. Anno 1392. Lætitiam vidimus *oblatam & conversam* monasterii sancti Victoris de Clusis. Anno 1399. (*l*) Mamilianus Binius a Florentia abbas sancti Petri Montis-muri, & prior commendatarius sancti Michaelis in burgo Arretii, cœnobitis hujus monasterii convocatis, de ipsorum consensu recipit Floram olim Colæ Balducci de Arretio, viduam Guidonis de Monte-politiano in *oblatam dicti cenobii*. Sancta filia olim Stephani de Querceto de consensu Andreæ Nannis de Soci mundualdi sui (*m*) anno 1433. obtulit *se ipsam Deo, & beate Marie, & divo Romualdo in conversam & commissam eremi Camaldulensis*. Et hæ quidem *Oblatæ* erant vel *Conversæ* aut *Commissæ* in monasteriis virorum. Quoad oblatas monasteriorum sacrarum virginum legimus (*n*) anno 1264. Margaritam priorissam sancti Benedicti de Arretio *consensu domne. Angele oblate ipsius loci*, & magistri Benvenuti concessisse ad libellum quasdam terræ portiones. Et anno 1385. soror

f Arch. S. M. Angel. Floren.
g Ibidem.
h §. Oblatio P. II. n. 13.
i Ibid. n. 16. A. 4. 49.
k Arch. Rosæ Se nar.
l Arch. S. M. in Grad. Arretii n. 618.
m §. Oblatio.
n Arch. Peativat. n. 34.

soror Rica appellatur *Oblata seu conversa monasterii sanctissime Trinitatis* in via sancti Galli Florentiæ, quod erat unitum alteri parthenoni nostro sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone.

Consuevisse ali hujusmodi feminas oblatas & viros oblatos etiam in ecclesiis cathedralibus nos docent Joseph Martinius (*a*) quoad basilicam Pisanam & Grandius (*b*) noster, & quoad ecclesiam Mediolanensem Muratorius. (*c*) Angelus Victorius Johannis parœciæ sanctorum Cosmæ & Damiani offert se ipsum in *conversum venerabili operi domus sive ecclesie majoris Pisane*, & donat Burgundioni operario varias terrarum portiones (*d*) anno 1317. VIII. februarii. Anno vero 1371. XXIX. januarii Crespina vidua Bonajunctæ Mascari, qui fuerat operarius domus Pisanæ, offert se ipsam cum omnibus bonis suis in *commissam & oblatam* prædictæ domus.

a *Tract. basilicæ Pisanæ c.* XIV.

b *Epist. de Pandectis pagg.* 253. 256.

c *Antiq. med. ævi T. V. col.* 571.

d *Arch. archiep. Pisan. n.* 960.

§. XLVII.

Habitus conversarum Camaldulensium.

CONVERSI & conversæ Camaldulenses peculiarem habitum deferebant. Anno (*e*) 1363. VIII. maji comitissa Lasia comitis Tancredi de Porciano, & vidua Francischini domini de Valbona ultimis suis tabulis decrevit sepeliri *cum habitu conversarum ordinis Camaldulensis*. Habitus hic amplectebatur tunicam cum scapulari; quandoquidem in charta (*f*) anni 1361. XXX. junii Loris quondam Corsi de plebe Remuli fecit professionem, & indutus fuit *scapulare, quod habitus est conversorum juxta ordinem Camaldulensem*, per domnum Johannem priorem Camaldulensem in capitulo Fontis-boni. Idem actum dicitur cum Lætitia oblata monasterii Victoriani, quæ professionem emisit *per immissionem cujusdam scapularis*, ut in charta (*g*) superius edita. Villana conversa monasterii sanctæ Mariæ de Porcilia *cupit & proponit vivere & mori in habitu religionis ad ecclesiam sancte Marie de Porcilia* anno 1233. In vetusta pictura seculi XIV. ad aram principem ecclesiæ nostræ sancti Michaelis in Burgo Pisarum visitur beata Gherardesca, *oblata*, ut (*h*) superius innuimus, alterius abbatiæ nostræ sancti Savini prope eamdem urbem, cum tunica, scapulari & cappa albi coloris, velum nigrum in capite gestans, cujus picturæ ectypon ad diem XXIX. maji in vita ipsius Beatæ edidit Papebrochius.

e §. *Testamentum Par. II. n.* 19. *A.* 15. 90.

f §. *Oblatio P. II. n.* 23. *A.* 16. *n.* 119.

g *Col.* 436. *c.*

h §. XLV.

§. XLVIII.

De Oblatis recentibus ordinis sancti Benedicti, & congregationis Camaldulensis.

DE Oblatis feminis ordinis sancti Benedicti seculis recentioribus longum esset plenum sermonem instituere, quandoquidem plura erecta fuere pro ipsis in Italia & in Sicilia, ubi etiam frequentes hodierna die subsistunt, domicilia, de quibus, ut etiam de Oblatis in eis degentibus, domnus Petrus-antonius Tornamira Panormitanus monachus Casinensis agit peculiari tractatu edito Panormi anno 1664. sub titulo: *Origine e progressi delle monache Oblate dell' ordine di san Benedetto coll' aggiunta delle constituzioni &c.* in quo tractatu demonstrat solis præsulibus Benedictinis, vigore institutionis sui ordinis, & approbationis sanctæ regulæ, facultatem competere tradendi habitum, & aggregandi ad Benedictinam familiam Oblatas; ipsos posse insuper delegare monachos, aliosque sacerdotes regulares & seculares in urbibus, ubi ordo Benedictinus non existit. Loquitur etiam de obligationibus Oblatarum circa vota & regulam; de ordine eas induendi sacro habitu; & de adhibendis in ipsarum receptione cæremoniis; de indulgentiis quoque, quarum participes redduntur.

Celebris exstitit sancta Francisca Romana, quæ Romæ erexit sub spirituali directione monachorum Montis-oliveti illustre monasterium Oblatarum Turris-speculorum, ubi ipsa sancte obiit, & ubi hodie colligitur nobilium matronarum religiosissimus cœtus. Venetiis sub finem seculi præteriti (*i*) vixit pientissima, æque ac doctissima & nobilissima virgo Helena Cornelia-episcopia oblata Benedictina congregationis Casinensis. In nostra Camaldulensi familia ad seculum usque elapsum perseverarunt Oblatæ, quod colligimus ex monumentis monasterii nostri sancti Nicolai urbis Burgi-sancti-Sepulcri, in quibus leguntur nomina sororum Franciscæ, & Ursinæ, vulgo dictarum *Pinzochere*, ut in libro *contract. I.* & ex epistola scripta anno 1657. a domno Johanne-gualberto Durazzinio monacho nostro & parocho monasterii Rosæ Senarum *sorori Catharinæ* Arretii commoranti *moniali Tertiariæ ordinis Camaldulensis*. Eam *Tertiariam* vocavit potiusquam Oblatam, sicut etiam illæ nominatæ *Pinzochere*, juxta voces populares, quibus appellantur huiusmodi religiosæ feminæ, quæ in propriis domibus victitant cum habitu regulari, sive ordinis mo-

i *Deza in Vita Helenæ Corneliæ.*

nastici, sive etiam aliorum ordinum mendicantium.

Sed hoc ipso seculo XVIII. pietate & zelo plenus domnus Alphonsus Eufemius Perusinus monachus noster habitum Camaldulensem tradidit piis aliquot mulieribus & virginibus, quæ religiosum cœtum constituerunt Romæ, post multas inhabitatas ædes, ad viam Lungariam in Transtiberi, ubi modo cum multo pietatis & virtutum odore degunt. Ad cujus loci normam similem Oblatarum Camaldulensium domum idem erexit in castro Petrioli in Marchia Anconitana diœcesis Firmanæ, & ipso promovente ab aliis institutæ fuere aliæ ædes Faventiæ & Britonorii in Romandiola.

Atque hæc ex nostris chartis collegimus ad illustrationem nominis Conversorum & Conversarum præsertim Camaldulensium, quorum monumentorum beneficio etiam multa suppleri poterunt, quæ doctissime de varia hujus vocis acceptione & extensione leguntur apud Mabillonium, Cangium, & San-maurinos monachos, nec non apud Brunatium nostrum.



SE-

SERIES
ARTICULORUM.

SE-

SERIES

DIPLOMATUM ALIORUMQUE MONUMENTORUM

In Appendice hujus voluminis existentium ordine Chronologico digesta.

III. imp. pro Leone archiep. Ravennate. n. LXIII. 155.
1001. nonis martii. Præceptum ejusdem pro monasterio S. Laurentii in Campo. n. LXIV. 157.
1001. 2. kl. aprilis. Aliud ejusdem Ottonis pro abbatia Pomposiana. n. LXV. 159.
1001. 4. aprilis. Placitum habitum pro eadem abbatia a Silvestro papa II. & ab Ottone III. imp. in monasterio S. Apollinaris in Classe. n. LXVI. 160.
1001. 6. kl. maji. Præceptum Ottonis III. pro monasterio S. Apollinaris in Classe. n. LXVII. 164.
1001. 4. junii. Leonis archiep. Ravennatis libellus emphyteusis Bonizoni abbati Palatiolensi. n. LXVIII. 166.
1002. 3. jan. Præceptum Ottonis III. pro abbatia Prataliæ in alpibus Arretinis. n. LXIX. 167.
1002. 3. non. aprilis. Donatio, quam fecit Hugo marchio Massæ & dominus Corsicæ monasterio Montis-Christi. n. LXX. 169.
1003. jan. Reinerius & Berardus, atque Icta & Gisla eorum conjuges remotis monialibus ex Fonte-bona in agro Senensi monachos introducunt. n. LXXI. 170.
1003. 7. aprilis. Concessio fundi Lizani facta Petro abbati Uranensi & sex ejus successoribus a Frederico archiep. Ravennate. n. LXXII. 174.
1003. 1. julii. Johannes & Gregorius abbates S. Gregorii de Urbe locant Sogualdo nobili viro castellum Vetulum. n. LXXIII. 176.
1005. Farolfus comes donat bona in Valle de Castro divo Romualdo. n. LXXIV. 178.
1005. 20. maji. Charta emphyteusis aquæ de Dorseno facta a monachis S. Gregorii de Urbe Gregorio presbytero. n. LXXV. 181.
1006. 1. julii. Ruppo nobilis vir donat terras Johanni abbati ejusdem monasterii. LXXVI. 183.
1007. martio. Adelbertus & Geritruda offerunt bona monasterio S. Victoris de Clusis in agro Camerinensi. n. LXXVII. 185.
1008. 12. julii. Institutio parthenonis S. Salvatoris de Valle in ducatu Spoletano. n. LXXVIII. 186.
1008. septemb. Helempertus episcopus Arretinus donat mansos abbatiæ Prataliæ. n. LXXIX. 188.
1009. 7. kl. maji. Præceptum Henrici II. regis pro abbatia Classensi S. Apollinaris. n. LXXX. 190.
1009. novemb. Donatio Helemperti ep. Arretini monasterio Pratalìensi. LXXXI. 192.
1010. april. Bertus donat bona monasterio S. Benedicti de Victoriano, seu S. Victoris de Clusis. n. LXXXII. 194.
1010. apr. Rodulphus ecclesiæ Pratalìensi, quam ædificavit, donat bona. LXXXIII. 195.
1011. 20. junii. Dominicus conducit a Johanne abbate & a monachis S. Gregorii de Urbe domum positam in regione Urbis tertia. n. LXXXIV. 196.
1012. majo. Donatio bonorum facta monasterio S. Victoris de Clusis. n. LXXXV. 198.
1012. aug. Accius donat Gisoni abbati ejusdem monasterii jura in ecclesias beatæ Marinæ de Larciano & S. Petri. n. LXXXVI. 200.
1012. decemb. Petrus eidem abbati Gisoni offert bona. n. LXXXVII. 201.
1013. majo. Placitum in causa vertente inter monasterium S. Zachariæ Venetiarum & abbatiam Vangaticiensem. n. LXXXVIII. 202.
1013. 12. maji. Placitum in causa vertente inter Silvestrum abbatem S. Gregorii, & Adelelmum abbatem S. Bonifacii de Urbe pro Mandria Camellaria. n. LXXXIX. 204
1013. jun. Willelmi ep. Arretini donatio bonorum facta abbatiæ Prataliæ. XC. 207.
1013. 27. aug. Placitum pro monasterio S. Severi in Classe. n. XCI. 209.
1013. decemb. Bulla Benedicti papæ VIII. pro monasterio S. Sepulcri in loco Noceati. XCII. 212.
1014. 5. mart. Donatio Gerardi & Sergii nobilium virorum Johanni abbati & monasterio S. Gregorii de Urbe, cui donationi Benedictus papa subscripsit. n. XCIII. 214.
1016. 30. aprilis. Synodus habita ab Arnaldo archiep. Ravennate & ab aliis episcopis & abbatibus in causa vertente inter abbates S. Adalberti insulæ Perei, & S. Mariæ de Pomposia. n. XCIV. 217.
1016. nov. Ardo & Accia conjuges donant bona Vitali presbytero. n. XCV. 220.
1017. 20. febr. Arnaldus archiep. Ravennas concedit aliquot monasteria Petro ejus ecclesiæ diacono. n. XCVI. 220.

1017.

1200. Breve recordationis de terris plebis S. Mariæ in Balneo. n. CXXXIII. 287.

1211. mense januario. Fragmentum processus circa jura & fines bonorum monasterii Vallis-castri. n. CXXXIV. 288.

1418. 21. septem. Notitia originis urbis Burgi-sancti-Sepulcri. n. CXXXV. 290.

1559. 28. octob. Conventio inter abbatem Vallis-castri & communitatem castri Vergareti super censu solvendo in festo divi Romualdi. n. CXXXVI. 292.

603. 29. maji. Charta donationis factæ a sancta Silvia monasterio S. Andreæ de Urbe. n. CXXXVII. 296.

CHristophori Marcelli patricii Veneti archiepiscopi Corcyrensis epistola, in qua Camaldulensis eremi situs, vitæque ibidem degendæ ratio luculenter describuntur. 302.

ANdreæ Mugnotii Conchensis Hispani descriptio eremi Camaldulensis. 314.



S E-

SERIES
CHRONOLOGICA
CHARTARUM ET MONUMENTORUM,

Quæ in Dissertatione de Conversis continentur.

1137. 3. Julii. Charta venditionis spatii terræ factæ a Johanne abbate SS. Hippoliti & Laurentii de Faventia scripta a Petro monacho & scriba. 365.

1139. 13. Septem. Alia emphyteusis & ejusdem monasterii manu ipsius Petri monachi & scribæ. 366.

1164. Junio. Ildebrandus cardinalis, audito Pancratio presbytero & servitore monasterii S. Zachariæ Venetiarum, rogat Giseltrudam abbatissam ejusdem monasterii, ut reddat quædam bona priori Ispidæ. 415.

1165. 3. Septem. Arnulphus cum uxore & filiis devotum se reddit monasterii S. Petri in Campo. 392.

1171. 6. kl. januar. Dominicus offert seipsum & sua in manus Johannis abbatis prædicti monasterii. 395.

1178. majo. Girardus se offert in conversum monachorum & monialium S. Christinæ prope Bononiam. 429.

1181. majo. Johannes Forestajus & Rannuccius ejus filius se dedicant pro oblatis in monasterio S. Benedicti de Mostino. 396.

1200. 13. junii. Benvenutus conversus Valle-castrensis & præpositus ecclesiæ S. Michaelis de Templano resignat dictam ecclesiam. 376.

1204. 10. kl. julii. Guido abbas S. Michaelis in Burgo Pisarum consensu monachorum, & Torpetis syndici & conversi concedit Martubiliæ annuum victum & vestitum. 373.

1210. 2. aug. Charta emphyteusis prioris S. Mariæ de Mandria consensu suorum conversorum & conversarum. 430.

1212. 8. maji. Beatrix promittit obedientiam Diademmæ abbatissæ, & Laurentio monacho ac rectori monasterii S. Mariæ de Bethleem in agro Bononiensi. 437.

1214. 5. kl. septemb. Charta permutationis terrarum facta a Guidone abbate S. Michaelis Pisarum consensu Torpetis syndici & conversi. 362.

1214. 7. kl. septemb. Guilielmus abbas Prataliæ in præsentia presbyteri Donati conversi appellat ad papam contra abbatem Campi-leonis. 376.

1216. 13. exeun. majo. Lucia promittit obedientiam, ut conversa, abbatissæ S. Mariæ de Bethleem. 432.

1220. 27. maji. Moniales, conversæ & devotæ ejusdem monasterii solvunt libras xv. Alberto Pirani. 425.

1222. 7. ex. febr. Plures viventes in domibus juxta ecclesiam S. Mariæ de Porcilia prope Patavium spondent se caste & religiose usque ad mortem victuros. 445.

1225. apr. Armanus abbas Vallis-castri, & Jacobus conversus & præpositus de Decimano concedunt jure emphyteusis terram Ugoni. 375.

1225. 12. kl. maji. Guido & Gisla conjuges se reddunt conversos monasterii Agnani. 448.

1239. 4. ex. aug. Bonus presbyter Antignanæ, ut conversus, obedientiam præstat Massario abbati monasterii SS. Hippolyti & Laurentii de Faventia. 378.

1233. 13. ex. aprili. Villana donat monasterio Porciliensi terram in Masserada cupiens vivere & mori in habitu religionis. 435.

1233. 3. julii. Cuniza, ut soror recipitur a fratribus & sororibus S. Mariæ de Teupice. *ibid.*

1239. 4. non. martii. Forese & Bonafides se dicant pro oblatis in monasterio de Luco. 397.

1240. 30. junii. Ugolinus & Ghisla conjuges conversorum albo adscribuntur in parthenone S. Christinæ de Septem-fontibus. 432.

1240. 12. septemb. Berardus & Octavianus se reddunt oblatos in monasterio Aquæ-Paganæ. 398.

1247. 7. febr. Bernardus conversus substituitur Bono in parochum ecclesiæ de Antignana. 379.

1240. 20. novemb. Rectores oppidi Glemonæ donant monialibus conver-

sis S. Agnetis de Glemona quamdam terræ portionem. 426.

1253. XI. kal. aug. Canonici & conversi S. Margaritæ de Tosina deputant priorem Camalduli ad eligendum eorum priorem. 452

1261. 10. decemb. Charta professionis Ziliæ monialis S. Mariæ de Porcilia. 433.

1264. 6. ex. martio. Melda recipit domum a priore Porciliæ sub obligatione caste vivendi. 444.

1266. 28. octob. Martinus prior S. Martini de Prata recipit Gabrielem clericum in commissum sui monasterii. 387.

1267. 16. kl. maji. Gregorius presbyter promittit se capellanum acturum, & gestaturum cappam panni albi in ecclesia S. Cæciliæ Pisarum. 407.

1268. 3. aprilis. Johannes presbyter syndicus monialium & conversorum S. Petri de Luco spondet eisdem numquam recipere moniales alterius ordinis, præter Camaldulenses. 414.

1268. 8. novemb. Bernardus rector ecclesiæ de Antignana præstat obedientiam Zenoni abbati SS. Hippolyti & Laurentii de Faventia. 377.

1271. 7. julii. Acordus & Brageleana conjuges cum filiis promittunt caste se victuros in domo eis concessa a priore Porciliensi. 442.

1271. 29. novemb. Viva conversus S. Michaelis Pisarum eligitur parochus ecclesiæ S. Cæciliæ Pisarum. 380.

1272. 10. maji. Formula professionis Ranaldutii conversi S. Victoris de Clusis. 385.

1279. 17. junii. Zeno abbas SS. Hippolyti & Laurentii de Faventia concedit fidelibus suis petiam terræ. 389.

1284. 1. novemb. Conversi & conversæ S. Mariæ de Porcilia affirmant se interfuisse divinis officiis, & sacramenta recepisse in eadem ecclesia. 438.

1294. Laurentius conversus S. Michaelis Pisarum eligitur in rectorem parœciæ ejusdem monasterii. 382.

1303. 6. maji. Juncta abbas Triviensis absolvit a conversione Brunam olim sui monasterii conversam. 447.

1304. 6. novemb. Meus offert se in oblatum monasterii S. Pontiani de Luca. 403.

1305. 9. aprilis. Agnes se dedicat in monasterio S. Michaelis de Lemmo ordinis militiæ Templi. 436.

1306. 13. ex. martio. Albertus, antea conversus, renuntiat juribus suis, quæ prætendebat a monasterio Porciliæ. 446.

1306. 18. aug. Jacobus clericus monachum & commissum se reddit in monasterio S. Victoris de Clusis. 387.

1311. 3. octob. Johannes Compagnicti recipitur in oblatum ab Hermanno abbate Vallis-castri. 399.

1312. 16. octob. Ventura & Gerardesca conjuges offerunt se in oblatos monasterii & hospitalis S. Michaelis in burgo Pisarum. 400.

1325. 26. octob. Michael fit subditus & conversus parthenonis de Luco. 416.

1330. 24. octob. Charta divisionis monachorum a monialibus S. Mariæ de Porcilia. 419.

1340. 9. novemb. Johannes se offert in conversum monialium S. Petri de Luco. 417.

1356. 19. julii. Mocchus fit oblatus monasterii Sextensis. 403

1365. 21. junii. Charta oblationis Florentiæ in monasterio Vallis-castri. 436.

1392. 30. septemb. Lætitia per immissionem scapularis recipitur in conversam monasterii Vallis-castri. 437.

1407. 14. aug. Guido & Johanna conjuges commissos se reddunt in parthenone de Luco. 400.



INDEX
RERUM ET NOMINUM, QUÆ CONTINENTUR
IN TOMO PRIMO
ANNALIUM
CAMALDULENSIUM.

Numeri, quos non præcedit litera A, ad ANNALES pertinent; quos vero litera A præcedit, spectant ad APPENDICEM.

Litera a. initium paginæ, b. medium, c. finem designat.

A

Adel-

Aquinas

B

Bono-

C

Cen-

Clo-

S. Cru-

D

E

F

S. Fran-

G

Gran-

H

Hen-

Johan-

K

L

Lotha-

M

S. Ma-

exitum

N

O

S. Adal.

P

Pro-

Q

R

SS. Sab-

S

Servi

T

V

Vallis-

Wul-

Z

FINIS TOMI PRIMI.

Domnus Johannes Ipsi Ex-Generalis & Abbas monasterii sancti Michaelis de Muriano Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Camaldulensis, & in Veneta Provincia Vicarius Generalis.

OPus, cui titulus: *Annales Camaldulenses* &c. a duobus hujus monasterii monachis conscriptum, & a duobus pariter nostris Theologis, quibus eam curam demandavimus, recognitum, votoque eorum probatum, tenore præsentium, quantum nostra interest, facultatem typis consignandi impertimur.

Datum Venetiis ex nostro monasterio sancti Michaelis de Muriano kalendis martii 1753.

D. J. Ex-gen. & abbas

D. Antonius ab Oleo Cancellarius.

NOI REFFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approbazione del P. *F. Paolo Tommaso Manuelli* Inquisitor General del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato *Annales Camaldulenses Ordinis S. Benedicti* non v' esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro; niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo Licenza a *Gio: Battista Pasquali Stampator di Venezia*, che possi esser Stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padoa.

Dat. li 7. Agosto 1753.

(Gio: Emo Proc. Ref.
(
(Alvise Mocenigo 4. Kav. Proc. Ref.

Registrato in Libro a Carte 20. al Num. 136.

Gio: Gerolamo Zuccato Segr.

Adi 13. Agosto 1753.
Registrato nel Magistrato Eccellentiss. degl' Esecutori contro la Bestemmia.

Alvise Legrenzi Segr.

Per nosmetipsos typographica errata in manu impressis formis bis & ter corrigere maluimus; nihilo secius vel inolito typothetarum vitio irrepserunt, vel diligentiam nostram fugere eorum aliqua, quorum præcipua hic subjicimus.


Errata in Annalibus.

Pag. 23. *ad margin.* Johannes VIII. *lege* VII.
Pag. 52. *ad margin.* quo cogitent *lege* qui cogitant
Pag. 66. *linea* 22. declarratus *lege* declaratus
Pag. 69. *lin.* 39. quod *lege* quo
Pag. 71. *lin.* 17. secunda *lege* secundo
Pag. 97. *lin.* 14. efferebat *lege* offerebat
Pag. 109. *lin.* 14. transcripta *lege* transcriptam
Pag. 110. *lin.* 5. reparetur *lege* raperetur
Ibid. lin. 39. sanctitatis *lege* sanitatis
Pag. 112. *lin.* 30. dictione *lege* ditione
Ibid. lin. 40. etiam, de *lege* etiam de
Pag. 149. *lin.* 39. Marcellini *lege* Martini
Pag. 163. *lin.* 43. anno *996*. *lege* anno *976*.
Pag. 166. *lin.* 19. improbabilibus *lege* improbabile
Pag. 168. *lin. ult.* videbibus *lege* videbimus
Pag. 183. *lin.* 43. Arcadii *lege* Arcani
Pag. 193. *lin.* 46. quem *lege* quam
Pag. 195. *lin.* 19. debent *lege* deberent
Ibid. lin. 26. collocatus *lege* collatus
Pag. 199. *lin.* 36. indubitante religerent *lege* indubitanter eligerent
Pag. 200. *lin.* 46. a *lege* ea
Pag. 201. *lin.* 13. elctus *lege* electus
Pag. 222. *lin.* 45. viam *lege* vitam
Pag. 229. *lin.* 3. Matthæus *lege* Mathias
Pag. 240. *lin.* 32. litate *lege* libertate
Pag. 261. *ad marg.* episcopum. *lege* episcopum?
Pag. 283. *lin.* 43. oblactatur *lege* ablactatur
Pag. 287. *lin.* 47. in mentionem Perusino *lege* in Perusino
Pag. 295. *lin.* 32. præcipuem Cosma *lege* præcipue Cosmam
Pag. 297. *lin.* 35. dicimus *lege* diximus
Pag. 325. *ad marg.* adventum .... illigetur *lege* adventus ..... illigetur?
Pag. 334. *lin.* 42. Mettis *lege* Mettas
Pag. 394. *lin.* 4. sane *lege* sene
Pag. 396. *lin. ult.* palatio *lege* sublatio
Pag. 401. *lin.* 31. redimus *lege* credimus
Pag. 406. *lin.* 4. abbatum *lege* abbatem

Errata in Appendice.

Columna 24. *lin.* 48. septimo *lege* septimodecimo
Col. 55. *lin.* 26. *& Curtis in Inde, quæ,* lege *& curtis, quæ*
Col. 107. *lin.* 34 & 36. ejusdem Rodulphi *lege* ejusdem Rainerii
Col. 132. Corrigendus est titulus: *Venditio bonorum, quam fecit Gualdrada Hugoni marchioni & duci fratri suo.*
Col. 172. *lin.* 22. Rodulfi *lege* Rainerii
Col. 174. *lin.* 46. n. 4. 984. *lege* n. 4984.
Col. 210. *lin.* 13. plaudes *lege* paludes
Col. 215. *lin.* 11. planum *lege* plenum
Col. 228. *lin.* 19. partitale *lege* parti tale
Ibid. lin. 47. Italci *lege* Italia
Col. 253. *lin.* 17. dicta *lege* dictas
Col. 259. *lin.* 34. res *lege* tres
Ibid. lin. 40. testa *lege* sexta
Col. 270. *lin.* 5. animeæ *lege* anime mee
Col. 311. *lin.* 40. constitut *lege* constitui
Col. 358. *lin.* 56. finem *lege* fidem
Col. 362. *ad marg.* 1224. *lege* 1214.
Col. 364. *lin.* 38. suo *lege* sub
Ibid. lin. 54. præteritum *lege* decimum sextum
Col. 368. *ad marg.* *canonicis* lege *canonicissis*
Col. 369. *lin.* 3. domus *lege* domnus
Col. 451. *lin.* 27. sanctæ Mariæ *lege* sancti Angeli





ANNALES
CAMALDULEN.
TOMUS I.